Rs 653

MELCHIORIS PASTORIS

JURIS CANONICI

IN ALMA AQUI-SEXTIENSI ACADEMIA

PROFESSORIS

OPERA OMNIA.

TRACTATUS

De Beneficiis & Cenſuris Eccleſiaſticis.

De Bonis Temporalibus Eccleſiæ acquirendis & conſervandis.

De Juriſdictione Eccleſiaſtica.

De Jure Feudali & Emphyteutico.

BIBLIOTHEQUE UNIVERSITAIRE DE TOULOUSE

Cum Notis JOANNIS SOLIER *in Senatu Toloſano Patroni, nec-non Expeditionum Curiæ Romanæ Bancharii, & poſthumis nondum editis ejuſdem Scholiis ampliſſimis.*

EDITIO NOVA ACCURATISSIMA.

Ex Canonicorum Sancti

Libris Regularium Antonini

TOLOSÆ,

Apud J. F. CARANOVE, Bibliopolam Juratum Univerſitatis, ad inſigne Bibliæ Aureæ, in vico Sancti Romani.

M. DCCXII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

MELCHIORIS

PASTORIS

IURIS CANONICI

IN ALMA AQUI-SEXTIENSI ACADEMIA

PROFESSORIS

OPERA OMNIA.



ILLUSTRISSIMO VIRO DOMINO

DOM. FRANCISCO DE BERTIER

SENATUS TOLOSANI

PRINCIPI AUGUSTISSIMO,

DOMINO DE S. GENIEZ,

DE MONRABE, &c.

EX quo te Fata prospera reddidêre nobis, PRINCEPS SENATÛS ILLUSTRISSIME, *frugum primitias quas ediderit Typographia Tolosana, lubens & exultans genibus obvolvo tuis, quasi in signum Clientelæ, quam à patrocinio tuo sperare audeo. Enimverò cum in occursum tuum obviam irent Concivium tuorum effusa gaudia, omniumve societatum ex intimis præcordiis gratulantium tibi per varios tramites in unum consonantia animorum testimonia; fidem suam obstringere tibi, ac potius renovare luculentiùs & splendidiùs gestiebat Respublica nostra litteraria, impatienter ferens donec è penu suâ, & supellectili munusculum quoddam nomini nuncuparet tuo, quò & ornamentum sibi quæreret, & se tibi speciali titulo devoveret.*

Occurrit tractatus iſte Paſtoris de Beneficiis Eccleſiaſticis in alieno quidem ſolo natus, ſed in noſtro educatus, ad adoleſcentiam perductus, & plenæ ſuæ maturitati redditus, Doctoris Toloſani notis pridem illuſtratus atque locupletatus. Hæ priores notæ magno plauſu exceptæ eundem alacriorem reddidêre, ut ad novas adjungendas ſtudium & mentem contenderet. Has inter ejus ſcripta poſthuma repertas; Item & alia ejuſdem Paſtoris opera, nunc rara, & ideò fruſtra à nobis ſæpe petita, ſimul adunare, & typis mandare, doctis & ſtudioſis profuturum jure putavi.

Commodum accidit ut hæc omnia præ manibus haberem, cum te reducem fauſtis ominibus Toloſa recepit. Venit ergo in mentem quid dubitarem hæc ſub tui nominis umbrâ, PRINCEPS SENATUS ILLUSTRISSIME, *feliciter in lucem publicam proditura, & me tuo roboratum præſidio conatibus meis & laboribus proſperum exiſtum polliceri.*

Id pollicetur ſanè tum benignitas ſingularis tibi tuæque familiæ ingenita, & quantùm hominum memoriâ repeti licet coætanea, tum ejuſdem in litteratos & litteras cujuſlibet generis bene merita.

Notum, quæ fuerit Philippi Berterii recondita & effuſa doctrina, cum tot tantaque antiquitatis tum ſacræ tum profanæ latentia monumenta eruit, & brevi ſtylo concluſa, aptè adeò in Eccleſiæ politiam edocendam adhibuit. Incertum ſanè an judicio ſagaciori, an ardentiori ſtudio, an modeſtiori prudentiâ, nec ſatis mirandâ, cum ea quæ alii plus æquo ſibi blandientes ut certa atque indubitata proferrent, hic ut probabilia tantùm proponit, cuique rei ſuum & germanum caracterem imponens.

Lib. Pithanon. ſive Probabilium.

Nec ſilet, nec ſilebit unquam fama, quis quantuſve fuerit inclytus ille divini verbi præco patruus tuus Montalbanenſis Epiſcopus. In Comitiis Cleri Gallicani, ſæpe anima, ſæpe ſtylus, ſæpe vox, ut ejus acta teſtantur, inter cultiores & elegantiores eloquentiâ omnibus numeris abſolutâ, ne dicam Princeps nulli ſecundus; ſed

Ann. 1655. & 1656. &c.

quod

quod majus est, in tota Gallia vitiorum flagellum, in sua Diœcesi hæreseos profligator acerrimus, columnas ejus evertens & pervicaciores sensim ad Ecclesiæ reducens gremium, & rationum vi, & veritatis in bono lumine collocatæ pondere, & pervigili pastorali curâ, & affectu paterno; quæ certè longè aliâ quacumque præstant auctoritate.

Vivit adhuc & spirat in nobis Rivensis Episcopus tertius nominis tui, eidem cœli annuente providentiâ præfectus Ecclesiæ. Hic & gentem suam & dignitatem Insulæ exornans, fidei verus defensor & propagator, exemplo, sollicitudine, doctrinâ, munificentiâ: quàm de litteratis bene meritus fuerit sentiunt omnes, dum omnium disciplinarum copiâ præditus, earum fontium non custos invidus, hos in ævum publici juris fecerit, librorum non vanâ curiositate, & ornamenti gratiâ indagator, sed solidus, & solers æstimator & Judex; nonne obiter dicam & hominum, cum talem ultimo designavit elogio, & præsagâ mente jam vidit, in quo non retineretur modò generis sui claritas, sed omnis omnino gloria, omnis amplitudo resurgeret.

Bibliothecam suam apud Patres Doctrinæ Christianæ deposuit Testamento ut omnibus pateret.

Vidimus aliquando, sed frequenter læti audimus, quis ille primus Ecclesiæ Blesensis præsul, inter disseminandum Evangelicæ veritatis pabulum, nobili muneris Episcopalis tirocinio facto, à piissimis, etiam cum sui dispendio in consortem expetitus, charissimus omnibus, charissimus tibi, PRINCEPS SENATÛS ILLUSTRISSIME, *nec tam arctissimo sanguinis nexu, quàm morum suavitate, virtutumque omnium similitudine conjunctus.*

Quot præterire compellor, ne longiùs excurram, non familiæ tuæ modò, sed & patriæ, sed & Dignitatum, tùm Civilium, tùm Ecclesiasticarum ad quas evecti sunt, splendida lumina? Hi certè omnes, si minùs lucubrationes suas, & ingenii sui ac eruditionis monumenta negotiis districti publicis eruditæ posteritati consecrarunt, at digni saltem quorum nomina, vita, mores, effata perenni hominum memoria con-

Dominus de Bertier Montrave, Senatûs Tolosani Princeps.

secrentur, maximè hujusce viri clarissimi Protopræsidis Tolosani, quem jam abundè restituis nobis, cujus vigebit in ævum fides in Regem, Zelus in patriam, charitas & benevolentia in Concives suos, ardor & peritia in quibuscumque muneris sui partibus obeundis.

Hic, PRINCEPS SENATÛS ILLUSTRISSIME, *augustissimam hanc Provinciæ sedem demonstrabat tibi, pæne hæreditario jure debitam; quin potiùs, ut omnes dictitant, ad eam rationes tuæ ab ineunte ætate susceptæ per gradus & stadia omni laudis & gloriæ, virtutumque omnium cumulo conspersa atque constrata, manu, ut ita loquar, deducebant.*

Primò quidem splenduit in te Senatorium munus adepto integritas illa, ingenii solertia, amor justitiæ & æquitatis, veneranda illa oris majestas, morumque gravitas, mansuetudini & amabili comitati permixtæ, denique illa genuina non emendicata forma & caracter probi rectique Magistratûs. Mox assidua & indefessa cura, mascula eloquentia, affectus & paterna viscera, quæ cunctos ad te, quasi ad commune perfugium traherent, in omnibus infractus animus, fides & Zelus, dexteritas & industria, quibus Regis & Ecclesiæ, populi & privatorum procurares & tuereris jura, pacis & tranquillitatis publicæ imminente periculo conciliator existeres, uno verbo advocati generalis perfectam exhiberes imaginem.

Te inter has communes lætitiæ causas, licèt alioquin si quid prosperi accidisset tibi, non modicè gratulatura fuisset sibi Tolosa & tota Provincia, tamen te ereptum nobis tanquam opes nostras ad alienos versas ægrè tulit. Spes quasi in solatium affulsit te quandoque redditum iri, divinoque id factum consilio, ut in sinum suum te patria lætior exciperet, & interim alterius Senatûs Præfectus solio Tolosæ præluderes.

Ann. 1703. Protopræses Senatûs Navarrensis à Rege electus est.

Ergo jam voti compotes quæ aliis invidebamus eluceſcunt &

elucescent apud nos, Sine fastu majestas, sine asperitate gravitas, æquitas sine mollitie, benevolentia non adumbrata, sed solida sed sincera, sollicitudo pervigil & indefessa non curis obruta, sed quorumcumque qui ad lares tuos confugiunt vel querelis excipiendis patens, vel dissidiis componendis parata, Maximè generosa illa indoles, & animi magnitudo non fascibus ullis erecta, sed quocumque dignitatis culmine, pompâ, apparatu, insignibus longè excelsior atque sublimior. Hæc omnium vocibus personant, & in dies uberius & effusius expandunt sese, ac in splendidiorem erumpunt lucem: quin & penates tui, ædes tuæ, imagines illæ gentilitiæ quibus adornantur, hæc eadem sanè familiæ tuæ nativa decora & ornamenta virtutum meritorumve nunc penes se, & intra ambitum suum cum omni splendore suo, imo & cum usurâ rediviva lætantur.

Hæc, ut ab hoc grato diverticulo redeam, ad quod me rapuit Zelus & veneratio mea, hæc inquam, PRINCEPS SENATÛS ILLUSTRISSIME, *omnium admirationem, obsequium, observantiam, affectum & præcordia alliciunt ad te atque pertrahunt. Hæc eadem & qualecumque hoc munusculum meum, quâ soles ergo benignitate, illud offerri tibi non dedignare, & qui litterarios Tolosæ ludos, musasve mansuetiores sæpe oblectamenti causâ illustrati nobili & augusto conspectu tuo,* VIR AMPLISSIME, *& ad quæcumque grandia nate, librum hunc asperioris fortè saporis, sed solidioris cibi, blando vultu respice, Hìc assidui studii & laboris improbi, quem nuper tantâ eloquentiâ commendabas, insignia & fructus emicant. Hìc in quæstionibus enodandis & amor veritatis elucet, cujus & ipse prudentiam in exquirenda, fidem in amplectenda tam solidis rationum momentis, quàm aptè & felici verborum, sententiarumve delectu suadebas, uti & quotidie validius adhuc exemplo tuo suades.*

Hæc itaque quæ hìc tractantur & deciduntur, quæve eruditio

tua, & perſpicax ingenii vis, aut calculo probabit ſuo, aut ſæpius ipſamet prævertet & prævidebit, in exquiſita & ſelecta ſupellectili tuâ litterariâ locum aliquem ſibi vindicare patere. Sic ex prædio tuo quod his primitiis acceſſurum confido, ſplendorem ſibi concilient atque famam. Sic ad conatus meos, quibus ſtudioſis conſulam, crebrò iterandos excitetur animus, & nova exurgat alacritas. Vive diu, diu patriæ, diu Reipublicæ litterariæ, creſcentibus & renovandis, inflammandiſve in dies, in momenta ſingula eorum omnium, qui ſub ea degunt, obſequiis & grata animi recordatione: Hæc ſunt vota, quæ favente ſemper humanitate tuâ ſupplex pro te nuncupat,

PRINCEPS SENATUS ILLUSTRISSIME,

Celſitudini tuæ,

Additiſſimus, obſequentiſſimus, & devotiſſimus Cliens.

J. F. CARANOVE.

PRÆFATIO.

PRODIT iterum in lucem, Lector benevole, insignis & perutilis MELCHIORIS PASTORIS Tractatus *de Beneficiis*, ab ipso Auctore dum viveret, unà cum Tractatu *de Jurisdictione Ecclesiastica* editus; *Quod geminum Opus, ubi primùm omnibus patuit, ita omnium plausu exceptum fuit,* [*quod rarò accidit*] *dùm Auctor adhuc vitâ gauderet, ut continuò cæperit in Foro laudari, teste Rubello ejusdem* PASTORIS *in Academia Aqui-sextiensi Successore, tum ob præclarum rerum ordinem, tùm ob perspicuam Sententiarum expositionem, tùm denique decisionum indubitatam fidem.* Sic sæpius excussus est Tractatus iste *de Beneficiis*, ut omnino necessarius iis, qui in hac Juris Canonici parte præcipuâ operam & studium collocant; imò iis, quos hanc penitùs ignorare pudet. Inde forsitan contigit, ut Bibliothecis summâ reconditus & asservatus curâ, & omnium tritus manibus, è nostris ferè evanuerit, quare frustrà expetitum à nobis, pridem typis mandare decrevimus, quò justo desiderio satis fieret, neve ad materiam quæ in Schola & in Foro potissimùm versatur apprimè callendam auxilium diutius præcluderetur, & fons uberrimus exaresceret.

Duo autem, Lector benevole, me præterea commoverunt, ut ad hoc aggrediendum opus, animum, laborem, & impensas converterem. Primum audieram alios esse Auctoris nostri fœtus, quorum licèt in libris Juris Canonici viri pereruditi, solertis ingenii, sagacisque judicii, mentionem crebrò cum laude faciant, tamen nescio quo fato, & injuriâ temporum, & fortè Bibliopolarum incuriâ ac negligentiâ reperiuntur nuspiam. Hi sunt Tractatus *de Jurisdictione Ecclesiastica* de quo suprà, & liber *de Feudis*: Uterque sanè suo Auctore dignus, eandem ac Tractatus *de Beneficiis* referens methodum, nativam rerum seriem, perspicuitatem, simplicitatem, ejusdem profundæ & reconditæ doctrinæ thesaurum, ejusdem sublimis simul & solidi judicii maturitatem. In Opere præsertim *de Jurisdictione Ecclesiastica* advertes sanè quàm feliciter ejus originem indagaverit, potestatemve suis concluserit finibus: inter alia, de quibus criminibus ipsa cognoscat, quæ sint communia, ut vulgò dicimus? quæ privilegiata? uno verbo, quantâ prudentiâ & cautione Jura Ecclesiæ Romanæ, suique Principis ita servarit, ut nemo unquam plenius & æquabilius, inter has Sacerdotii & Imperii contentiones fortunatiùs pacem firmaverit, & societatem induxerit.

Præterea animos fecit ut hujusce novæ PASTORIS editioni manus admoverem, Domini Solerii fama, cujus Scholia, ut omittam quas in Corrasium, Flaminium, Parisium, institutiones Canonicas scripsit, omnibus nota & summè probata, cujus, inquam, Scholia in istum Tractatum *de Beneficiis* ab hinc quibusdam annis hunc eundem utiliorem, celebriorem, & pretiosiorem reddidere, hunc siquidem uti occasio offert sese, cautè, sapienter & eruditè tum emendat, tum illustrat, atque locupletat. Verùm posthuma reliquit diligentiori exaratâ manu in eundem Tractatum adnotata, multò prioribus uberiora, Vir enim ille rei Beneficiariæ dudum addictus, in stylo & Usibus Curiæ Romanæ & nostri Fori versatissimus, dum reconditiora quæque in hacce materia rimaretur, Libros & Auctores indesinenter evolveret, circa difficiliora consulentibus responderet, vel de quibus se consuli posse arbitraretur, prævideret; firmâ frueretur tum corporis, tum animi usque ad provectam ætatem valetudine, quæ ex tam assiduo & impigro colligebat studio ad rem Beneficiariam, & maximè ad Tractatum PASTORIS *de Beneficiis* referebat, cujus ut ipse in prioribus indicat, amore illectus erat ob facilitatem ac methodum, rerumve copiam: In his itaque posterioribus Observationibus non Spicilegium modò fecit, sed opimam messem, quâ pars ista disciplinæ Canonicæ ditaretur; hîc uti casus emergit, ad Juris elementa commodè remeans, informat Juvenes, hîc robustos quoque & doctos circa quæstiones maximè arduas docet, juvat, ad rectos deducit tramites. Has ergo posthumas Observationes in tenebris & squallore jacere utilitati publicæ contrarium, & maximè noxium credidi.

Cæterum ut hæc duo præ manibus haberem Librum PASTORIS *de Jurisdictione* cum

PRÆFATIO.

altero *de Feudis* huic annexo, atque istas posthumas Solerii Notas, nec impensis, nec sollicitudini, & curæ mihi fuit parcendum ; sunt enim qui sibi doctiores esse videntur, dum penès se Doctorum monumenta pretiosa invidiosè retinent, cùm ea nullibi, vel vix reperiri posse blandiantur sibi ; *Vana & inanis gloria cupido, sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque*, ait Scriptura, & alio loco, *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide* : Proverb. 5. quod certè & in eos non abs re contorserim, qui contra Auctorum mentem, non unius, sed communi & publico laborantium commodo, quasi per furtum & plagium sui juris faciunt, quod hi Litteratis omnibus destinarant; Hæc à me dicta patere, Lector benevole, qui sum præsertim expertus circa Tractatum *de Jurisdictione Ecclesiastica*. Verùm, ope divinâ favente, hæc quæ ab instituto diu remorata sunt impedimenta superavi. Faxit Deus omnipotens ut ex hoc munere meo, ex ejus lectione, studio, & seria meditatione, sperati fructus obveniant tibi ; mihi verò tuæ utilitati & Reipublicæ Litterariæ consulenti, ad alia imposterum tentanda, atque molienda, accedat animus, & fiducia augeatur.

APPROBATIO.

EX mandato Illustrissimi Domini Cancellarii, vidi & legi Tractatum D. MELCHIORIS PASTORIS *de Beneficiis* & posthuma Scholia JOANNIS SOLIER, in Senatu Tolosano Patroni, & pro expeditionibus Curiæ Romanæ Bancharii; Opus sanè dignum & suo Auctore, & omnium qui rei beneficiariæ perdiscendæ student. Lectione Perutile quidem Juventuti, dum Principia hujusce disciplinæ, ubi opus est, peropportunè revocat, ac dilucidè exponit, Doctis verò & eruditis quibuscunque, dum quæstiones perarduas & difficillimas, quæ sese offerunt mirâ perspicuitate, ac eruditâ brevitate pertractat, atque dissolvit, longo scilicet rerum firmatus usu, laboreque impigro, quem ad extremam usque senectam constanter pertulit.

DEBESGA, Juris utriusque Professor in Academia Tolosana.

INDEX

INDEX TITULORUM TRACTATUS DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

LIBER PRIMUS.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

Tit. I. *De origine Beneficiorum.* pag. 1
Tit. II. *De Beneficiorum differentia.* p. 3
Tit. III. *De Dignitatibus, Personatibus, & Officiis Ecclesiasticis.* p. 5
Tit. IV. *Quibus modis status Beneficiorum mutetur.* p. 7.
Tit. V. *De electione, & aliis modis quibus Beneficia acquiruntur.* p. 12
Tit. VI. *De confirmatione electionis.* p. 16
Tit. VII. *De Postulatione & translatione.* p. 17
Tit. VIII. *De electionis derogatione, & Regia ad Prælaturas nominatione.* p. 18
Tit. IX. *De Collatione Beneficiorum.* p. 20
Tit. X. *De Coadjutore.* p. 22
Tit. XI. *De Vicario Ordinarii.* p. 24
Tit. XII. *De potestate Capituli Sede vacante.* p. 27
Tit. XIII. *De Curatore dato à Papa, Sede vacante, & jure Regaliæ.* p. 29
Tit. XIV. *Quibus modis libertas Ordinariorum minuatur.* p. 32
Tit. XV. *De Reservationibus.* p. 33
Tit. XVI. *De Privilegio Graduatorum.* p. 35
Tit. XVII. *De expectativis, & Mandatis de providendo.* p. 38
Tit. XVIII. *De Indultis Regiis.* p. 39
Tit. XIX. *De Jure Patronatûs.* p. 42
Tit. XX. *Quibus modis Jus Patronatûs acquiratur, vel amittatur.* p. 50
Tit. XXI. *De jure præventionis Papæ & Legati.* p. 56
Tit. XXII. *De Jure devoluto.* p. 60

LIBER SECUNDUS

De Litteris Beneficialibus.

Tit. I. *De parvis Datis.* p. 63
Tit. II. *De Litteris Beneficialibus.* p. 65
Tit. III. *De signaturis Beneficialibus.* p. 67
Tit. IV. *De partibus supplicationis Beneficialis.* p. 68
Tit. V. *De qualitatibus Beneficii vacantis exprimendis.* p. 71
Tit. VI. *Ad Regulam de annali Possessore.* p. 73
Tit. VII. *De aliis Impedimentis exprimendis.* p. 76
Tit. VIII. *De Clausulis Signaturæ Beneficialis, Absolutoriis & dispensatoriis.* p. 78
Tit. IX. *De Clausulis suppletoriis.* p. 79
Tit. X. *De Clausulis derogatoriis, & Clausula* anteferri. p. 80
Tit. XI. *De clausula extensiva in forma novæ provisionis & subrogationis.* p. 82
Tit. XII. *De Clausulis,* si neutri, si nulli, si alteri, & perinde valere. p. 85
Tit. XIII. *De Clausula in forma dignum, & missionis in possessionem.* p. 86
Tit. XIV. *De modis & conditionibus litterarum, & Annatis.* p. 89
Tit. XV. *De executione litterarum Beneficialium & earum insinuatione.* p. 91
Tit. XVI. *De Judicio possessorio & petitorio Causæ Beneficialis.* p. 94
Tit. XVII. *De Pluribus simul provisis.* p. 96.
Tit. XVIII. *De Jure optandi.* p. 98

Index Titulorum de Beneficiis Eccleſ.

LIBER TERTIUS.

De Vacatione Beneficiorum, & Cenſuris Eccleſiæ.

Tit. I. *De Beneficiis ipſo jure & ipſo facto vacantibus.* p. 102
Tit. II. *De vacatione per obitum & regula* de veriſimili notitia. p. 104
Tit. III. *De renuntiatione.* p. 106
Tit. IV. *De Renuntiatione in favorem.* p. 114
Tit. V. *De aliis conditionibus quæ in reſignationibus coram Papa apponuntur.* p. 116
Tit. VI. *De mandato ad reſignandum.* p. 118
Tit. VII. *Ad Regulam* de infirmis reſignantibus, *ſeu* de viginti. p. 124
Tit. VIII. *Ad Regulam* de publicandis reſignationibus. p. 126
Tit. IX. *De regreſſu.* p. 130
Tit. X. *Quando Beneficium vacet ex cauſa reſignationis, & ubi vacet.* p. 133
Tit. XI. *De reſignatione ex cauſa permutationis.* p. 135
Tit. XII. *De Penſionibus.* p. 140
Tit. XIII. *De Concordatis.* p. 146
Tit. XIV. *De tacita Renuntiatione per Matrimonium & Adeptionem Epiſcopatûs.* p. 149
Tit. XV. *De vacatione Beneficii per adeptionem ſecundi incompatibilis.* p. 151
Tit. XVI. *De vacatione ob defectum promotionis.* p. 156
Tit. XVII. *De vacatione per profeſsionem vitæ Religioſæ.* p. 159
Tit. XVIII. *De Simonia & Confidentia.* p. 162
Tit. XIX. *De aliis delictis vacationem Beneficii inducentibus.* p. 170
Tit. XX. *De vacatione Beneficii ob defectum Tituli.* p. 174
Tit. XXI. *De defectu Clericaturæ.* p. 176
Tit. XXII. *De defectu Juſtæ Ætatis.* p. 177
Tit. XXIII. *De Conjugatis.* p. 181
Tit. XXIV. *De Bigamis.* p. 182
Tit. XXV. *De defectu Natalium.* p. 185
Tit. XXVI. *De Filiis Presbiterorum legitimis.* p. 188
Tit. XXVII. *De Corporis vitio laborantibus.* p. 189
Tit. XXVIII. *De Energumenis, Amentibus, & Furioſis.* p. 191
Tit. XXIX. *De Servis, Curialibus, & Neophitis.* p. 192
Tit. XXX. *De defectu litteraturæ.* p. 193
Tit. XXXI. *De Infamibus.* p. 196
Tit. XXXII. *De Irregularitate quæ oritur ex delicto.* p. 198
Tit. XXXIII. *De Irregularitate orta ex delicto commiſſo in ſuſceptione Sacramenti.* p. 204
Tit. XXXIV. *De Irregularitate ex delicto commiſſo in miniſterio Sacramentorum, & Ordinis exercitio, & Interdicto.* p. 205
Tit. XXXV. *De Excommunicatione & aliis Cenſuris Eccleſiæ.* p. 206.
Tit. XXXVI. *De Sententia Excommunicationis, & Litteris Monitoriis.* p. 209
Tit. XXXVII. *De Juris Excommunicatione occulta & notoria, & poteſtate abſolvendi.* p. 213
Tit. XXXVIII. *Ex quibus cauſis Excommunicatio ipſo jure irrogetur, & de cauſis reſervatis.* p. 216
Tit. XXXIX. *De aliis caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ.* p. 219
Tit. XXXX. *De caſibus non reſervatis.* p. 221
Tit. XXXXI. *De ſuſpenſione.* p. 226
Tit. XXXXII. *Ex quibus cauſis pœna ſuſpenſionis ipſo jure irrogetur.* p. 229
Tit. XXXXIII. *De Degradatione.* p. 237
Tit. XXXXIV. *De aliis impedimentis ad Beneficia.* p. 240
Tit. XXXXV. *De Regularibus & Commendis.* p. 241
Tit. XXXXVI. *De vacatione Beneficii per privationem & Judicis Sententiam.* p. 244
Tit. XXXXVII. *De exceptione triennalis poſſeſſoris pacifici.* p. 248

INDEX TITULORUM
TRACTATUS
DE BONIS TEMPORALIBUS
Ecclesiæ acquirendis & conservandis.

Tit. I. *De Ecclesiis ædificandis, reparandis, & consecrandis.* p. 261
Tit. II. *De Decimis.* p. 264
Tit. III. *De Oblationibus.* p. 267
Tit. IV. *De Privilegio Ecclesiæ in acquirendo.* p. 269
Tit. V. *De Oneribus Ecclesiasticis.* p. 274
Tit. VI. *De Privilegio Ecclesiæ in bonis suis temporalibus conservandis.* p. 277
Tit. VII. *De Privilegio Ecclesiæ in præscriptione.* p. 280
Tit. VIII. *De revocandis Alienationibus rei Ecclesiasticæ.* p. 284

INDEX TITULORUM
TRACTATUS
DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA,
DE
Casibus Privilegiatis & Communibus,
ET DE
Appellationibus ab abusu.

LIBER PRIMUS.

De Jurisdictione Ecclesiastica.

Tit. I. *Jurisdictio Ecclesiastica à Christo data.* p. 289
Tit. II. *Quod Ecclesia primis temporibus, Paganis regnantibus, habuerit Jurisdictionem de Jure non de facto.* p. 290
Tit. III. *Sub Imperatoribus Christianis exercitium Ecclesiasticæ Jurisdictionis instauratum.* p. 291
Tit. IV. *Ecclesia habet Imperium & Jurisdictionem, sine territorio & Fisco.* p. 293
Tit. V. *De imploratione Brachii sæcularis.* p. 295
Tit. VI. *An Episcopus possit ubique in suâ Diœcesi jus dicere.* p. 297
Tit. VII. *An Episcopus sit fundatus Jurisdictione in tota Diœcesi.* p. 298
Tit. VIII. *An Episcopus in exercitio Jurisdictionis suæ adhibere debeat consilium Capituli.* p. 301
Tit. IX. *Per quas personas Episcopus Jurisdictionem suam possit exercere.* p. 302.
Tit. X. *De Prælatis inferioribus & Capitulo Jurisdictionem habentibus.* p. 303
Tit. XI. *Quomodo & quibus ex causis Judex Ecclesiasticus recusari debeat.* p. 305

LIBER SECUNDUS.

De Jurisdictione Ecclesiastica.

Tit. I. *Quæ Causæ sint Ecclesiastici Fori, vel non.* p. 309
Tit. II. *Si Clericus conveniatur actione reali.* p. 312.
Tit. III. *Si contra Clericum ex delicto agatur.* p. 315
Tit. IV. *De Judiciis Ecclesiasticis & præparatoriis eorum.* p. 321
Tit. V. *De Testibus suspectis.* p. 322
Tit. VI. *Si instantia perempta sit.* p. 325
Tit. VII. *Ut procedatur si de crimine agatur.* p. 326

LIBER TERTIUS.

De Jurisdictione Ecclesiastica.

Tit. I. *De Appellationibus.* p. 330
Tit. II. *De Judice appellationis.* p. 331
Tit. III. *De Legatis.* p. 332
Tit. IV. *De appellationis effectu.* p. 333
Tit. V. *De Officio Judicis Appellationis.* p. 334
Tit. VI. *De executione rei judicatæ.* p. 335
Tit. VII. *De appellatione ab abusu.* p. 335
Tit. VIII. *De origine appellationum ab abusu.* p. 336
Tit. IX. *De casibus in quibus est abusus.* p. 338
Tit. X. *Ut committatur abusus in Monitoriis dandis ad finem revelationis.* p. 344
Tit. XI. *A Constitutionibus Ecclesiæ non appellatur.* p. 345

INDEX TITULORUM
TRACTATUS
JURIS FEUDALIS
ET
EMPHYTEUTICI.

LIBER PRIMUS.

De Feudis & Regalibus.

Tit. I. *De Feudorum origine.* p. 351
Tit. II. *Feudum quotuplex.* p. 352
Tit. III. *De Regalibus.* p. 352
Tit. IV. *De Regalibus minoribus, viis publicis, & pedagiis.* p. 353
Tit. V. *De Fluminibus.* p. 354.
Tit. VI. *De Venatione, Piscatione & Aucupio.* p. 356
Tit. VII. *De bonis vacantibus.* p. 357
Tit. VIII. *De bonis Albinorum.* p. 357
Tit. IX. *De bonis Confœderatorum.* p. 358
Tit. X. *De bonis Bastardorum.* p. 359
Tit. XI. *De hæreditate vacante.* Desherance. p. 360
Tit. XII. *De bonorum confiscatione.* p. 360
Tit. XIII. *De rebus Adespotis,* Despaves. p. 362
Tit. XIV. *De jure naufragii.* p. 362
Tit. XV. *De Thesauro.* p. 363
Tit. XVI. *De Mineralibus.* p. 363
Tit. XVII. *De Salinis.* p. 364
Tit. XVIII. *De vectigalibus & Armandiis.* p. 364
Tit. XIX. *De Jurisdictione.* p. 365
Tit. XX. *De Casibus Regiis.* p. 367
Tit. XXI. *An Regalia consuetudine acquirantur, vel non usu amittantur.* p. 367

LIBER SECUNDUS.

De Investituris & Recognitionibus Feudalibus, & Emphyteuticis.

Tit. I. *Ut Feudum & Emphyteusis differant.* p. 369

Tit. II.

Index Titulorum Juris Feud. & Emphyt.

Tit. II. De *Investitura.* p. 369
Tit. III. De *Investitura rei Ecclesiasticæ.* p. 370
Tit. IV. *Si duo vel plures conjunctim de eadem re fuerint investiti.* p. 371
Tit. V. *Qui succedunt in Feudis.* p. 372
Tit. VI. *An hæres Vassalli Investituram petere debeat.* p. 374
Tit. VII. *Per quos Investitura petatur.* p. 375
Tit. VIII. *De Vassallo qui investituram non petiit, & prehensione Feudi.* p. 376
Tit. IX. *An Dominus fructus rei Feudalis prehensæ faciat suos.* p. 377
Tit. X. *An Investitura præscribatur.* p. 377
Tit. XI. *De renovanda Investitura.* p. 378
Tit. XII. *De Recognitionibus Vassalli & Emphyteutæ & titulis edendis.* p. 378
Tit. XIII. *An una sola Recognitio tituli vim habeat.* p. 379
Tit. XIV. *An Dominus Emphyteuticarius titulum Investituræ, aut priores Recognitiones debeat exhibere.* p. 379
Tit. XV. *An exemplum Investituræ vel Recognitionis probet.* p. 380
Tit. XVI. *An Jus Feudale vel Emphyteuticum præscribatur.* p. 381
Tit. XVII. *An Vassallus vel Emphyteuta præscribat liberationem contra Dominum.* p. 382.

LIBER TERTIUS.

De Censibus, Obsequiis, & Operis debitis.

Tit. I. DE *Censibus.* p. 384
Tit. II. *Species Censûs.* p. 384
Tit. III. *Ut probetur qualitas Censûs.* p. 385
Tit. IV. *In quibus Census fundiarius, & constitutus conveniant & differant.* ibid.
Tit. V. *Ut Census præscriptione acquiratur, vel amittatur.* p. 387
Tit. VI. *Ut tertius possessor conveniatur pro reliquis Censûs.* p. 389
Tit. VII. *De usuris Censûs & Laudimii.* p. 389
Tit. VIII. *An Contractus Censualis ob læsionem rescindatur.* ibid.
Tit. IX. *Ut Census venditus redimatur à possessore rei censitæ.* p. 391
Tit. X. *De redimendo Censu Ecclesiæ debito, & sententia Domini* de Bellovalle. ibid.
Tit. XI. *An Debitor liberetur dimissione rei censitæ.* p. 392
Tit. XII. *De Obsequiis à Vassallo debitis, & homagio.* p. 393
Tit. XIII. *De Operis Patrono debitis.* ibid.
Tit. XIV. *De Subsidiis in quatuor casibus Patrono debitis & Taleis.* p. 394
Tit. XV. *De Banno & Retrobanno.* p. 395

LIBER QUARTUS.

De Alienatione rei Feudalis & Emphyteuticæ.

Tit. I. DE *divisione Feudi.* p. 396
Tit. II. *De Alienatione rei Feudalis & Emphyteuticæ.* p. 397
Tit. III. *Si Alienatio fiat à Vassallo inconsulto Domino.* ibid.
Tit. IV. *De Subinfeodatione.* p. 398
Tit. V. *An Vassallus invito Domino possit alienare, vel contra.* p. 399
Tit. VI. *De non alienando in manus mortuas.* ibid.
Tit. VII. *De Jure Morticinii, & novi quæstûs.* p. 401
Tit. VIII. *De franco Feudo.* p. 402
Tit. IX. *Qui sint immunes à franco Feudo.* p. 402.
Tit. X. *An prædia Feudalia sint immunia à Taleis.* p. 403

LIBER QUINTUS.

De Laudimiis & Releviis Domino directo debitis ex alienatione.

Tit. I. EX *quibus causis Laudimia & Relevia debeantur.* p. 404
Tit. II. *Casus particulares in quibus ex venditione Laudimium debetur, aut non debetur.* p. 405
Tit. III. *An Laudimium debeatur ex permutatione.* p. 408
Tit. IV. *An Laudimium debeatur ex institutione, legato, vel donatione.* ibid.
Tit. V. *An Laudimium debeatur ex divisione.* p. 409
Tit. VI. *An Laudimium debeatur ex generali distributione bonorum Debitoris inopis.* p. 410
Tit. VII. *An Laudimium debeatur ex transactione.* ibid.
Tit. VIII. *An Laudimium debeatur ex locatione.* p. 411
Tit. IX. *An Laudimium debeatur ex locatione perpetua.* ibid.
Tit. X. *An Laudimium debeatur ex Alienatione Feudi hæreditarii à Vassallo facta.* p. 412
Tit. XI. *An Laudimium debeatur portionis*

Index Titulorum Juris Feud. & Emphyt.

deſertæ alteri conſorti accreſcentis. p. 412
Tit. XII. *An Laudimium debeatur ex reverſione rei Feudalis, vel Emphyteuticariæ, finito Feudo, vel Emphyteuſi.* ibid.
Tit. XIII. *De Taxa Laudimii.* p. 413
Tit. XIV. *Quâ actione pro Laudimio Dominus debeat experiri.* ibid.
Tit. XV. *Si plures ſint Domini directi prædii Laudimialis.* p. 414
Tit. XVI. *An Laudimium præſcribatur.* ibid.

LIBER SEXTUS.

De Jure Prælationis.

Tit. I. *Quo Jure Retractus Dominicus fuerit introductus.* p. 416
Tit. II. *Quo tempore Retractus præſcribatur.* ibid.
Tit. III. *Si venditio ſit conditionalis, vel ex die, aut litigioſa.* p. 417
Tit. IV. *Si pactum de retrovendendo, vel legis commiſſoriæ, vel addictionis* in diem *fuerit adjectum in Contractu.* ibid.
Tit. V. *An minores Filii familias, Uxores, & alii agere non valentes, adversùs lapſum temporis reſtituantur.* p. 418
Tit. VI. *An Dominus directus præferatur cognatis.* p. 419
Tit. VII. *Si plures ſint Domini vel Cognati.* p. 420
Tit. VIII. *Si per Procuratorem Retractus petatur.* ibid.
Tit. IX. *Si res ſit litigioſa.* p. 421
Tit. X. *An Eccleſia uti poſſit Jure prælationis.* ibid.
Tit. XI. *An Jus Retractûs alteri cedi poſsit.* p. 422
Tit. XII. *Qui retrahere poſsint, vel non.* p. 423
Tit. XIII. *An Ceſsionarius Domini præferatur.* ibid.
Tit. XIV. *An in retractu veniant alia bona.* p. 424
Tit. XV. *Quâ actione retrahens experiatur.* p. 425
Tit. XVI. *De Officio Actoris, & Rei, & Judicis in Retractu.* ibid.
Tit. XVII. *In quibus caſibus Retractus habeat locum, vel non.* p. 426

LIBER SEPTIMUS.

Quibus modis Feudum, & Emphyteuſis finiatur.

Tit. I. *Ex variis cauſis Feudum finitur* p. 429
Tit. II. *De Commiſſo.* ibid.
Tit. III. *Vaſſalli bonis publicatis Feudum reſolvitur.* p. 431
Tit. IV. *De pœna Domini vexantis injuriosè Vaſſallum.* ibid.
Tit. V. *De re Feudali vel Emphyteuticaria Deſerta.* p. 432
Tit. VI. *De aliis modis quibus Feudum & Emphyteuſis finitur.* p. 433
Tit. VII. *An re evicta Vaſſallo vel Emphyteutæ Dominus teneatur de evictione.* p. 434
Tit. VIII. *An Feudo ad Dominum reverſo Servitutes & hypothecæ maneant.* ibid.
Tit. IX. *An res Feudales ad Dominum reverſæ, ſint immunes à taleis.* p. 436



LIBER PRIMUS
DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

TITULUS PRIMUS.

De Origine Beneficiorum. (a)

SUMMARIUM.

I. Ecclesiasticæ pecuniæ forma & origo. Ecclesia ditata Principum munificentiâ.
II. Ecclesiæ bona erant communia. Distributio fiebat ab Episcopo.
III. Præbendarum divisio. Clerici sunt fructuum suorum Beneficiorum domini. Regulares non possunt testari.
IV. Clerici sæculares possunt testari.
V. Episcopi regulares possunt testari. Abbates regulares non possunt testari.

I. EXPEDIT Ecclesiæ Ministros bonis temporalibus non egere, ne penuriâ laborantes, mendicare cogantur, & à divino cultu, cui mancipati sunt, distrahantur. Quamobrem Christus, ut ait S. Augustinus *in Sermone de communi vita Clericorum*, habebat loculos, à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus distribuens, à quo primùm Ecclesiasticæ pecuniæ formam fuisse institutam, idem Sanctus asserit, & refertur *in c. Habebat, c.* 12. *q.* 1. & multi fidelium secuti consilium Evangelicum, prædia vendebant, & pretium offerebant ante pedes Apostolorum, ut illi dividerent singulis, prout unicuique opus erat, *Actorum* 4. *c.* 5. Ob eamdem causam, Constitutionibus Ecclesiasticis, præceptum de Decimis solvendis fuit renovatum. Constantinus, qui, ut ait Novella Leonis duodecima, primus Christi nomine, Imperii coronam splendidiorem fecit, immensis largitionibus Ecclesiam ditare cœpit. Voluit Martyrum bona ad eam, excluso fisco, pervenire, *Eusebius lib.* 1. *cap.* 25. *&* 41. & licentiam dedit omnibus donandi & testandi in gratiam illius. Nec minor fuit in Gallia pietas Regum Christianissimorum, ut testantur Ædes sacræ, Cœnobiaque eorum munificentiâ erecta, constructa & dotata, ut de illis Isaïas locutus videatur *c.* 6. ubi his verbis Ecclesiam affatur: *Suges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis.* Sic Principum Christianorum & pii Populi oblationibus Ecclesia locupletata est.

II. Verùm Clericorum animos divinâ observatione devinctos, possessio rerum temporalium olim non distringebat: illi enim vitam communem agebant, bona Ecclesiæ illis erant communia; & ne se negotiis sæcularibus immiscerent, eadem bona per OEconomos administrabantur, & dispensatio fructuum fiebat ab Episcopo, partim ad Clericos sustentandos, partim ad alendos pauperes, partim ad reparationem Ecclesiæ, partim in

proprias neceſſitates, & peregrinorum Fratrum uſus, *c. Ex his, c. Epiſcopus, c.* 12. *q.* 1. Ea erat regula antiqua omnium Clericorum: non Præbendarum diviſio admittebatur, nec annuos reditus ſibi quiſquam jure vindicabat; nam ut de Apoſtolis & eorum Diſcipulis dicitur, *Actorum loco cit.* eorum erat cor unum & anima una, ut inter verè Religioſos hodie obſervatur: alii enim retinendæ pecuniæ cupidine, ſimulatam aſſeverationem detegunt.

III. Demùm charitatis fervore tepeſcente, ob multorum infirmitatem, Præbendarum diviſio permiſſa eſt, eâ lege ut ex reditu ſibi aſſignato neceſſaria quiſque perciperet, & reliquum referret in communes Eccleſiæ uſus, Clericis, *c. Nulli,* 12. *q.* 1. quo jure nudus uſus concedebatur; & jure novo, ut tollatur occaſio peccandi, uſusfructus permittitur, *c. unico de Clericis non reſidentibus, in 6. Conc. Trid. Seſſ.* 23. *c.* 1. hoc adhibito temperamento, ut de fructibus inter vivos pro libito poſſint diſponere, & in reſiduis Eccleſiam habeant hæredem, *c. Relatum, de teſt. c.* 1. *&* 2. *de ſucceſ. ab inteſt. c. Epiſcopi, c.* 12. *q.* 1. ut cautum fuerat *Novell.* 131. *c.* 13. quod inter Regulares laxioris regulæ apud nos obſervatur; eis enim de fructibus ſuorum Beneficiorum & quæſtu licet diſponere dum vivunt, modo fraus abſit, exemplo libertorum, *L.* 1. §. 1. *L. Vivus libertus, ff. Si quid in fraud. patr.* non causâ mortis, nam poſt mortem Monaſterium eorum bona occupat jure peculii; ſic vivunt ut domini, & moriuntur ut ſervi, niſi teſtandi veniam à ſummo Pontifice obtinuerint: *Decius ad Authent. Ingreſſi, c. de ſacroſ. Eccleſ.* quod tamen contra regulam fit, non admittitur in Gallia, *Scoliaſtes Loetii in litt. R, num.* 42.

IV. At Clerici ſæculares, ex generali conſuetudine Regni, de fructibus ſuorum Beneficiorum & omni quæſtu teſtari poſſunt, & inteſtati cognatos habent hæredes, *Aufrerius deciſ.* 36. *Guid. Pap. q.* 110. *Joannes Faber ad Authent. Hoc jus porrectum, c. de ſacroſ. Eccleſ.* exceptis bonis quæ in Eccleſiæ utilitatem converſa ſunt, quæ non repetuntur ab hæredibus, *Authent. Licentiam, c. de ſacroſ. Eccleſ.* nam cauſa pietatis impedit repetitionem, *L. Cum his, ff. de cond. ind.*

V. Eodem jure gaudent Religioſi ad Epiſcopatum promoti; eos enim dignitas à regula diſpenſat, *Chopp. de ſacra Politia c. ultimo, n.* 14. *& Monaſticon c.* 3. *n.* 5. *Loet. in lit. E. n.* 4. quod tamen Abbatibus regularibus non eſt conceſſum, *Choppin. ibid.*

Hinc dictæ ſunt Præbendæ, quo nomine hodie ſola Beneficia Capituli ſignificantur, & Sacerdotia à principali munere, & Beneficia, quia gratis dantur, ut feuda, quæ ob eamdem rationem Beneficia dicuntur in uſibus feudorum, *lib.* 2. *tit.* 14.

SOLIER.

(*a*) BENEFICIA Eccleſiaſtica originem habuiſſe ſub Symmacho, anno quingenteſimo ſecundo, in eo anno referunt Baron. *n.* 36. & Spondan. in Epitom. *n.* 6. ex Epiſtola ipſius Symmachi ad Cæſarium Epiſcopum Arelatenſem, in qua habetur, poſſeſſiones Eccleſiæ non eſſe diſtrahendas, niſi fortè Clericis, aut Monaſteriis, aut Peregrinis concedantur ad tempus, reverſuræ poſtea ad Eccleſiam. Sed poſſeſſiones hujuſmodi ſic ad tempus Clericis collatæ nondum Beneficia dicebantur; hanc enim denominationem nactæ non ſunt ante Concilium Maguntiacum, celebratum anno 813. relatum in *cap.* 1. *de Eccleſ. ædif.* ut obſervat Marſil. *de Eccleſ. red. p.* 1. *cap.* 8. *n.* 4.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. AD *rubricam de Origine beneficiorum.* Primis Eccleſiæ temporibus, ex fidelium primitiis & oblationibus, Eccleſiæ Miniſtris pecuniæ collectæ, quaſi ſportulæ diſtribuebantur ad victum, ut conſtat ex divi Cypriani Epiſtola 34. & qui victûs causâ ſtipendia hujuſmodi capiebant, Clerici ſportulantes dicebantur, ut teſtatur idem Cyprianus, *Epiſt.* 67. & poſtmodum progrediente tempore, auctis Eccleſiæ facultatibus, prædia paſſim Clericis miniſtrantibus aſſignata ſunt ad vitam, manente penes Eccleſias ipſorum proprietate, ut hujuſmodi aſſignatio Beneficiis Eccleſiaſticis originem primum in longo poſt tempore nomen dedit; vocantur etiam Præbendæ, ut *in cap. Illa, ne Sede vac.* & in rubrica *de conceſſ. Præb.* Item Sacerdotia, cap. penult. *Ne Prælati vices ſuas.* Item Tituli, *cap. Epiſcopus, de Præbend.* Sed propriè loquendo Præbenda intelligitur de Canonicali, nempe Canonicatui annexa, & eſt ſpiritualis ratione Canonicatûs, *cap. Dilecto, de Præbend.* vel etiam de ipſo Canonicatu, & Præbenda ſimul, ſicut etiam Canonicatûs pars, pro toto, ut in cap. *Tua, de verb. ſignific. & Concil. Trident. Seſſ.* 5. *cap.* 1. *& Seſſ.* 24. *cap.* 8. *de reform.* Sacerdotium verò, quamvis Beneficium Sacerdotale ita dici poſſet, tamen pro Presbyteratu, ſeu dignitate Sacerdotali, ſumitur, *cap. Tranſlata, de conſtit. cap. Nemo, & cap. Cum ex eo, de elect. in 6.* Dicitur & aliquando Epiſcopatus, Sacerdotium, *L. Si quiſquam, Cod. de Epiſcopis & Cleric.* Titulus autem à principio naſcentis Eccleſiæ, aliud non ſignificavit, quàm locum ipſum, ſeu Eccleſiam, cui addicebatur Ordinatus, ut certum ibi obiret miniſterium, ut advertit Annæus Robertus *Rerum judicat. lib.* 3. *cap.* 2. *poſt Gloſſ. in cap. Dudum, §. Licet autem, in verb. intitulatum de elect.* Crevit poſtea numerus Chriſtianorum, ita

ut intra viginti aut triginta annos Evangelium Romæ prædicatum, in universum mundum pervenerit ut docet Justinus adversus Trypsonium. Tunc sunt ubique gradus ordinum Ecclesiasticorum publicè constituti, Ostiarii, Accolyti, Lectores, Exorcistæ, (tunc primum à Diaconis distincti, qui antea illorum omnium officio fungebantur) Diaconi à Presbyteris, & in locis ubi flamines erant Paganorum, positi sunt Episcopi; illorum Sacerdotibus oppositi sunt Sacerdotes & Presbyteri christiani, *cap. In illis, dist.* 80. quod constituisse divum Petrum scribit Clemens ejus discipulus, *Epist.* 1. ad Jacobum, & Burchardus *lib. primo decretorum, cap.* 155. ubi vero caput erat universæ idololatriæ, Romæ scilicet, ibi positum est caput sanctitatis, & culmen summi Sacerdotii, *cap. B. Petrus & Paulus* 2. *q.* 7. Rursum in majoribus urbibus Apostoli & eorum successores constituerunt Patriarchas & Primates, ad quos majores causæ Episcoporum devolverentur, *cap. Urbes, dist.* 80. in minoribus civitatibus, Episcopos, in modicis pagis Presbyteros, *cap. Episcopi*, non in Castellis, *eadem dist.* 80. Gregorius Tolos. *inst. rei Benef. cap.* 4.

TITULUS II.

De Beneficiorum differentia.

SUMMARIUM.

I. Beneficium in dubio, sæculare censetur.
II. Beneficiorum diversitas à munere annexo.
III. Capellæ omnes Beneficia non sunt.
IV. Hospitalia non sunt Beneficia.
V. Præstimonia non sunt propriè Beneficia Ecclesiastica.
VII. Beneficia quæ sint Sacerdotalia.
VIII. Beneficia Consistorialia quæ sint.

I. CUM Ecclesiæ munera sint diversa, multiplex est Beneficiorum differentia. Nam *Primò*, alia sunt Regularia, quæ Regularibus assignata sunt: cætera Sæcularia, quæ Sæcularibus, *c. cùm de Beneficio, de Præb. in 6.* Regulariter autem Beneficium censetur sæculare, nisi constet illud esse regulare, ex fundatione, erectione, aut consuetudine contraria, ut notatur in dicto, *c. Cùm de Beneficio*, quia status sæcularis prior est & antiquior.

II. *Secundò*, alia Beneficia dicuntur Dignitates, alia Personatus, alia Officia, alia Canonicatus, alia simplicia Beneficia in Cathedralibus Ecclesiis & Collegiatis: & extra prædictas Ecclesias, alia sunt Beneficia Curata, & Parrochiales Ecclesiæ, actu aut habitu: interdum enim plebs non est, aut per Vicarium Cura exercetur, in quibus casibus Beneficium desinit esse actu Curatum, si posteriore casu Vicarius ibi sit institutus in titulum Beneficii. Alia sunt Beneficia quæ Curam non habent annexam, quæ vel in urbe vel ruri fundata sunt, eaque vel per se stant, & Prioratus dicuntur, & Præfecti Priores, non enim erant sine Clericis, vel à matrice reguntur Ecclesia, sive in ea sub certo Altari fundata sint, sive extra, autoritate Episcopali interposita, quæ Capellaniæ dicuntur, & eisdem præfecti Rectores.

III. Cæterùm Capellæ quæ ab Episcopo in titulum Beneficii erectæ non sunt, seu spiritualisatæ, ut loquuntur Doctores, Beneficia dici non possunt, nec ab Episcopo conferri, sed remanent sub pia dispositione Fundatorum, hæredumve illorum, qui eas sine consensu Episcopi quibuslibet conferre possunt, modò sint idonei, *Garcias* 1. *parte, c.* 2.

IV. Hospitalia Beneficia, Ecclesiastica non sunt, exceptis his quæ personis Ecclesiasticis in titulum conferri solent, *Clement. quia contingit*, §. *Præmissa, de Religiosis domibus.*

V. Præstimonia non censentur Ecclesiastica Beneficia; nam Beneficia Ecclesiastica non nisi personis Ecclesiasticis pro divino Officio dari solent; præstimonia verò etiam laïcis & à Laïcis fundatoribus dantur, vel pro Studio, vel pro subsidio contra infideles, aut ad tempus, aut ad vitam, *Felinus in c. Postulasti, extr. de Rescript.* Idem de Præceptoriis Ordinis Sancti Joannis Hierosolimitani dicitur.

VI. Pensiones quæ dantur in titulum Beneficii pro divino Officio, Beneficia censentur, quæ verò dantur ad vitam pensionarii, loco Beneficii dimissi, non veniunt nomine Beneficii, ut dicemus infrà.

VII. *Tertiò*, alia sunt Beneficia Sacerdotalia quæ Ordinem Presbiteratus, vel alium Ordinem sacrum habent annexum; alia quæ solam primam Tonsuram requirunt: & quæ Sacerdotalia sunt, vel aptitudine sunt ejusmodi, in quibus aptitudo sola desideratur tempore provisionis, ut provisus intra annum possit promoveri: vel sunt actu Sacerdotalia, in quibus qualitas requisita desideratur tempore provisionis.

VIII. *Quartò.* Ex variis titulis quibus Beneficia acquiruntur, alia Consistorialia sunt, sic dicta, quòd à Papa in Consistorio cum consilio Cardinalium conferri solent, & in Gallia non nisi nominatis à Rege dantur, ut dicemus infrà: alia sunt Beneficia electiva, quæ per electionem acquiruntur: alia collativa, quæ per collationem: alia electiva & collativa simul, in quibus collator potest prævenire electores, vel ab illis præveniri: & quæ collativa sunt, aut liberè conferuntur, aut necessitate juris nominatis & præsentatis, ut dicemus. (*a*)

SOLIER.

(*a*) SUNT & beneficia manualia, quæ sunt in duplici differentia: alia regularia: alia sæcularia. Illa sunt hujusmodi ex persona obedientiarii, ista verò ex sui natura & dispositione fundatoris; utraque verè & propriè beneficia Ecclesiastica, ut optimè probat Lotter. *de re benef. lib.* 1. *q.* 7. *n.* 14. licet alii negent relati & improbati à Garc. *de benef. part.* 1. *cap.* 2. *à n.* 69.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. ALIA *sunt regularia quæ Regularibus assignata sunt.* Regularia beneficia sæcularibus Clericis non possunt conferri, sed regularia Regularibus, & sæcularia sæcularibus sunt conferenda, *c. Cum singula, de Præb. in* 6. Clement. 1. *de supplen. neglig. Prælat.* sed hæc regula duas aut tres notabiles exceptiones recipit. Primò enim ad Episcopatum sive sæcularem, sive Regularem potest Monachus assumi, *c. Quorumdam*, *c. Si Religiosus*, & *cap. Nullus Religiosus*, *de elect. in* 6. Clem. 1. *eodem titulo*, & habetur in Concordato nostro, tit. *de Regia ad Prælaturas nominatione*, §. 1. quia tanta est excellentia Dignitatis Episcopalis, ut suppleat defectum professionis Regularis, Episcopus enim est perfectus Religiosus, immò Religiosior Abbate, saltem quoad statum, Gloss. in *cap. Nullus de elect. in* 6. *Secundò* inspecto jure communi ad Ecclesiam Parrochialem potest per Episcopum, Regularis promoveri, *cap. Quod Dei timorem*, *de statu Monach.* ubi Glossa, *cap. In Parrochia*, *cap. Cum pro utilitate*, *cap. Doctos*, *cap. Monach.* 16. *q.* 1. modo habeat in socium alium Religiosum ejusdem ordinis, *cap. Monachi*, *de statu Monach.* nisi Religiosus sit Canonicus Regularis, quia is potest præfici Ecclesiæ Parrochiali, etiam absque dicto socio, text. in dicto cap. *Quid Dei timorem*, sed hodie omnes Regulares, etiam Canonici, & non mendicantes, non possunt promoveri ad quævis beneficia curata præter Episcopatum, sine dispensatione summi Pontificis, ex declaratione Concilii, cujus hæc sunt verba; Sanctissimus Dominus noster Gregorius XIII. noluit licere Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis, etiam de licentia sui Generalis, absque permissu summi Pontificis, assumere curam animarum, *Gonzalez ad regulam* 8. *Cancellar. Gloss.* 7. *n.* 53. *Tertiò*, licet Clericis sæcularibus, imo nec Regularibus citra Episcopatum, tacitè & non expressè Professis, Abbatiæ regulares, Prioratus & alia beneficia administrationem habentia conferri non possint, possunt tamen de aliis beneficiis simplicibus, ut est portio Monachalis, vel etiam Canonicalis etiam per Ordinarios regulares provideri, cum decreto quod habitum susciperе; & professionem emittere teneantur: *Concil. Trid. Sess.* 14. *cap.* 10. *de reform.* quod decretum intelligitur etiam quoad Ordinarios ex declaratione Cardinalium, *Garcias de benefic. part.* 7. *cap.* 10. *n.* 8.

7. *Alia sunt beneficia Sacerdotalia.* Hic insurgit utilis quæstio, an beneficia aptitudine Sacerdotalia vacant ipso jure per non promotionem intra annum: Et determinatè procedendo, dico Parrochiales Ecclesias vacare ipso jure post annum, *cap. licet*, *Canon. de elect. in* 6. scilicet pacificæ possessionis, & cessante impedimento, *cap. Commissa*, *eod. tit. & lib.* Item vacant ipso jure Prioratus Conventuales, sive habeantur in titulum, sive in commendam, *Clement. ne in agro*, §. *Cæterum de stat. Monach.* num idem dicendum de Abbatia ut vacet ipso jure per non promotionem intra annum, & videtur quod sic *ex cap.* 1. *de Ætate*, *& qualit. cap. Cum in cunctis*, §. 2. *Inferiora*, *de Elect. cap. licet Canon. & dicta Clement. ne in agro*, §. *Cæterum*, *& constitut. Blesensi art.* 9. sed contrarium verius, quia Capitulum primum *de Ætate & qualitate*, non inducit privationem ipso jure, sed procedit juxta terminos Capituli, *Cum in cunctis*, nempe in privatione per sententiam monitione præmissa, *Gloss. in dicto cap.* 1. *in verb. fiant.* & *in dicto*, §. *Inferiora*, in verb. *Canonibus* & quamvis ille parag. comprehendat Abbates, ut observat Panormitanus, non tamen operatur privationem ipso jure, sed per sententiam sine prævia Episcopi monitione, ut habetur in tex. capitulum autem, *licet Canon.* procedit tantum in Ecclesiis Parrochialibus, Clement. vero *Ne in agro*, §. *Cæterum*, non obstare pronunciavit, *Rota* 17. *Maii* apud Tamburin. *de jure Abbat. n.* 24. quia in pœnalibus non fit extensio: unde capitulum, *licet Canon.* non habet locum in Ecclesiis Collegiatis, quæ etiam Parrochiales existunt, *cap. Statutum*, *de Elect. in* 6. Demum constitutio Blesensis sonat in monitionem, & duobus ab hinc annis à primo elapso computandis, sententiam privationis requirit, saltem declaratoriam, cæteris vero beneficiis, quantumvis aptitudine Sacerdotalibus, sive statuto, consuetudine, vel etiam fundatione, non incurritur privatio, nisi per sententiam prævia monitione, modo quis in ea sit ætate, tempore collationis, ut infra annum ad Sacerdotium promoveri possit, & sic annum 24. inchoaverit, juxta Clement. 2. & ibi Gloss. in verb. *Annexi*, *de Ætate & qualitate.* Ad hæc Concil. Viennense, de quo in *Clement. ut* 11. §. *Illi vero*, *de ætate & qualitate*, statuit ut obtinentes in Cathedralibus vel Collegiatis dignitates, personatus, Officia, vel Præbendas, quibus certi ordines sunt annexi, justo cessante impedimento ad hujusmodi ordines promoveri faciant infra annum, & ex tunc si promoti non fuerint, vocem in Capitulo non habent, eisque distributionum pars dimidia subtra-

hatur, sed Martinus V. in Concil. Constantiensi, *Sess.* 24. *de dispensat.* privavit illos beneficio hujusmodi ipso jure, & demum Concil. Trident. *Sess.* 22. *cap.* 4. illos tantum subjicit pœnis dictæ Clementinæ, & sic hodie non privantur ipso jure.

TITULUS III.

De Dignitatibus, Personatibus, & Officiis Ecclesiasticis.

SUMMARIUM.

I. Papa Christi Vicarius. Ecclesia Romana Primatum obtinet. Ecclesia Romana caput omnium Ecclesiarum.
II. Ecclesiæ Romanæ Primatus.
III. Cardinales. Patriarchæ. Archiepiscopi. Episcopi. Abbates.
IV. Archidiaconus.
V. Archipresbyter. Decanus. Præpositus. Prior Conventualis. Prior Claustralis.
VI. Primicerii munus.
VII. Præcentoris munus.
VIII. Sacristæ munus.
IX. Camerarii. Infirmarii.
X. Canonicorum jura. Præbenda Theologalis & Præceptorialis. De electione Præceptoris in Ecclesiis. Qui jus suffragii non habeant in Capitulo.

I. DIGNITATES Ecclesiasticæ aliæ sunt majores, aliæ minores. Culmen & fastigium omnium Dignitatum obtinet Summus Pontifex, ut Petri successor, Christi Vicarius, & Pater Patrum: nam in persona Beati Petri à Domino & Salvatore nostro Jesu, Ecclesia Romana Primatum obtinuit, *c. Sacrosancta, dist.* 22. ut constat ex illis verbis Evangelii, *Math. c. 6. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & Lucæ, c.* 22. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & Joannis* 21. *Pasce oves meas.* Quæ singula indicant prærogativam dignitatis, eoque nomine dicta est ab antiquis Caput omnium Ecclesiarum, & authoritate alias superare: *Victor Uticensis, lib. de persecutione Vandalica, Optatus Milevitanus, lib.* 2. *contra Parmenianum; Vincentius Lirinensis, qui floruit apud nos sub Theodosio anno quadringentesimo trigesimo in Insula Lirinensi, in suo Commonitorio adversus hæreses.*

II. Quamobrem ab Ecclesia Romana velut à Sole, omnes fines Orbis, lumen Catholicæ Fidei, receperunt, ut ait S. Maximinus in Epistola Orientalibus scripta, & Justinianus Imperator, juxta definitiones Conciliorum œcumenicorum, sanctissimum senioris Romæ Papam primum omnium Sacerdotum declaravit, *Novell.* 131. *c.* 2. Phocas Imperator pronunciavit eum Summum Pontificem & universalem esse; & inter Legatos Summi Pontificis & Legatos Michaëlis Paleologi conventum fuit, ut cuivis liceret Romam veterem, Curiam majorem appellare, illique Primatus in omnibus deferretur, ut constat ex Constitutionibus Imperatoriis à Gothofredo relatis: quibus argumentis manifestè convincitur error Molinei, & quorumdam Politicorum nostri temporis, qui cum Hæreticis, Ecclesiæ Monarchiam evertere tentant, & Primatum Papæ extorquere, in quo consistit nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, & Juris in quo versamur immobile fundamentum.

III. Secundum gradum tenent Cardinales præ cæteris eminentes, ut Principes Ecclesiæ. Tertium Patriarchæ, quibus subsunt Archiepiscopi. Quartum Archiepiscopi, quibus subsunt Episcopi. Quintum Episcopi, quibus subsunt Abbates. Sextum Abbates. Hæ sunt Dignitates majores, suis Insignibus, ab aliis minoribus distinctæ.

IV. Dignitates minores sunt plures. (*a*) Prima est Archidiaconi, ratione Jurisdictionis; Is enim absentis Episcopi vicem gerit in correctione morum, & tuitione Ecclesiasticæ disciplinæ, *c.* 1. *de off. Archid.* Unde dicitur oculus Episcopi.

V. Secunda est Archipresbyteri, cujus munus est absente Episcopo Officium inchoare, *c. Officium, de off. Archipresb.* Eadem est Dignitas Decani in Ecclesiis Collegiatis, & Præpositi in Cathedralibus, *c. Innovamus, dist.* 60. qui licet Archidiacono subsint ratione Jurisdictionis, eumdem præcedunt in Choro & Capitulo ratione Officii. Eadem est Dignitas Prioris Conventualis & Claustralis inter Regulares, *de quibus in c. Cum ad Monasterium, de statu Monach. & Clement. ne in agro, eod. tit.*

VI. Tertia est Primicerii, cujus munus est Diaconos docere, & in nocturnis Officiis Lectiones dare, *c. unico de off. Primic. & c. Perlectis, dist.* 25. quod munus ab officio Archidiaconi derivatum fuit, *c. Officium, de off. Archid.* Primicerius enim dicitur quasi pri-

mus Cantorum, ut apud Luitprandum de rebus per Europam gestis, Primicerius Scholæ Cantorum, & apud Divum Augustinum Sanctus Stephanus dicitur Primicerius Martyrum.

VII. Idem munus est Præcentoris, quem alii faciunt Dignitatem, *Franciscus de Aretio cons.* 23. alii Personatum, *Rebuf. in Praxi, sæculare Beneficium quotuplex:* & sanè si nomen Dignitatis strictè sumatur, pro illis dumtaxat Beneficiis, quæ Jurisdictionem habent annexam, nullum ex minoribus Beneficiis præter Archidiaconatum erit Dignitas; ut autem vulgo sumitur ἐν πλάτει pro omnibus Beneficiis quæ stallum habent & sedem honorificam tribuunt in Choro & Capitulo ratione muneris injuncti, actu, aut habitu, Dignitas censeri debet: nam licet Archidiaconi amiserint Jurisdictionem, ex quo Episcopi sibi Vicarios elegerunt, & Præcentores munus non exerceant, origine inspecta, & præeminentiâ quam retinent, Dignitates dicuntur *de Aretio loco citato.*

VIII. Quarta Dignitas est Sacristæ, ad quem pertinet custodia vasorum sacrorum, vestimentorum, & totius gazæ Ecclesiasticæ, *c.* 1. *de off. Sacr.* unde Gazophilax aut ἱεροφύλαξ dici potest, ut custos rei sacræ apud veteres, *L. Annua*, §. 1. *ff. de annuis leg.* qui similiter Dignitas censeri debet, si præeminentiam habeat in Choro & Capitulo: alioquin est simplex Officium, *Faber de sacros. Eccles. def.* 26. *in notis.*

IX. Alia sunt officia Ecclesiastica, tum inter sæculares, tum inter Regulares, ut Camerarii, Infirmarii, & alia hujusmodi, prout exigit Regularum & Ecclesiarum consuetudo, quæ (ut diximus supra) ob præeminentiam in Choro & Capitulo, facilè transeunt in Dignitatem.

X. Canonicatus verò nec sunt Dignitates nec Officia, sed Beneficia, quæ cum Præbenda stallum tribuunt in Choro, & jus suffragii in Capitulo, *de Selva* 3. *parte de Benef. q.* 2. exceptis Præbendis Theologalibus, Præceptorialibus, & Pœnitentiariis, quæ ratione muneris annexi, sunt officia: nam ex Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de reformat. c.* 8. in Ecclesiis Cathedralibus, una Præbenda reservatur Pœnitentiario, ubi id commodè fieri potest: & apud nos ex Concordatis, *de collat.* & ex Constitutione Blesensi, *art.* 33. in Ecclesiis ubi numerus Præbendarum est decuplo major, altera Præbenda reservatur Theologo, quæ Theologalis dicitur, altera Præceptori ad eruditionem juventutis, quæ dicitur Præceptorialis, aut Scholastria, juxta Concilium Tridentinum *Sess.* 23. *c.* 18. Canonicus Theologalis habet vocem in Capitulo cum cæteris, Præceptor verò non item, nisi sit provisus ad vitam: nam ex Constitutione Gallica supra citata, Præceptor eligi & destitui potest ab Episcopo cum Concilio Capituli, & Primorum Civitatis, nisi alia sit consuetudo: an autem in electione Præceptoris Episcopus sequi teneatur votum Canonicorum, & Primorum Civitatis qui in consilium adhibentur, dicemus infrà *in tit. de electione:* cæteri Clerici semipræbendati & Capellani in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis jus suffragii non habent in Capitulo, nec ipsi Canonici, nisi sint in sacris.

SOLIER.

(*a*) Hæc tria beneficiorum genera in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis existentia, debent ex generali ferè consuetudine regni, uni de gremio capituli, id est, Canonicatum ibidem, verum, vel fictum, quem ad effectum vocant, obtinenti conferri, aliàs nulla est Collatio etiam Apostolica, *Ruseus de mandat. Apostol. p.* 1. *n.* 23. *pag.* 9. *Probus ad Gloss. Pragmat. de collat.* §. *Item censuit in verb. numerus n.* 8. *Joan de Selva de benef. p.* 3. *q.* 49. & hæc consuetudo juri communi conformis est, quo disponitur eum qui est de gremio capituli, semper anteponendum esse in provisionibus Beneficiorum ejusdem Ecclesiæ, *Can. Nullus & Can. Obitum, dist.* 61. *cap. Cum inter Canonicos. Vbi Gloss. in verb. aliam, de elect.* limita, nisi in Ecclesia particulari alia vigeat consuetudo, in hoc enim casu verificatur illud verbum, ferè in omnibus Ecclesiis, quo præfati auctores generale dictum modificant, *Loetius ad regul. de infirm. resig. n.* 327.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 4. Dignitates *minores sunt plures prima est Archidiaconi, n.* 5. *secunda est Archipresbyteri.* Istæ duæ dignitates habent se tanquam excedentia & excessa, nam Archidiaconus est major Archipresbytero administratione, Archipresbyter verò est major ordine, *Gloss. in cap. de liberatione, in verb. electio, de offic. legat. in* 6. Archidiaconi potestas & Jurisdictio complectitur jus visitandi, jurgia audiendi, & alia mandandi & faciendi, quæ habentur *in cap. Ad hæc, de offic. Archidiacon.* officium autem Archipresbyteri præcipuum est, ut præsit Presbyteris in Presbyteralibus officiis *cap.* 1. *de offic. Archipresbyt.* ut benedictiones Sacerdotales in Ecclesia impertiatur absente Episco-

po, confessiones audiat, Missarum solemnia celebret, sollicitudinem quoad Sacramentum Eucharistiæ & Baptismatis gerat, & alia præstet, quæ copiosè scripta reliquit *Hostien. in summa de offic. Archidiac.* Archipresbyter gerit vices Episcopi quoad celebrationem divinorum, Archidiaconus quoad Jurisdictionem, & quamvis Archipresbyter subsit Archidiaconis, *ut in dicto cap. Ad hæc, & in cap. 1. de offic. Archipresbyt. & cap. Perlectis, dist. 25.* id tamen est intelligendum quoad ea tantum, quæ Archidiacono competunt de jure, vel consuetudine, *Innocen. in dicto cap. 1.* & sic ratione hujus Jurisdictionis nullam habet authoritatem in Archipresbyterum, quoad ea, quæ sibi non sunt à jure communi tributa. *Ita Fagnan. in dicto cap. Ad hæc de offic. Archidiac.* cæterum licet quis non possit assequi dignitatem, personatum, vel officium, nisi fuerit in eadem Ecclesia Canonicus, ut supra diximus hoc titulo, littera (*a*) nihilominus non prohibetur postmodùm suum Canonicatum resignare, retenta dignitate, personatu, vel officio, quia statutum Ecclesiæ, seu consuetudo requirit dictam qualitatem, ad hoc ut dignitas, & alia hujusmodi qualificata beneficia conferantur personis magis dignis, & sic parum refert quod postea deficiat illa qualitas Canonicalis, ex qua oritur præsumptio meritorum, cum ista præsumptio remaneat. *Pyrraus Corrad. in praxi Beneficiorum, lib. 2. cap. 6. num. 47. & seq. 9.* factum enim legitimè retractari non debet, licet in eum casum devenerit, à quo non potuit inchoari *cap. Factum de regul. juris in 6.* & qualitas semel apposita dispositionem implet, licet postea cesset, ex quo est Glossa notabilis *in cap. Statutum, in verbo Canonicis, de rescript. in 6. Gigas in suis responsis ad calcem tractatûs de Pensionibus positis, responso 12. n. 2. & n. 13.* ubi ait dictam Glossam procedere, quando agitur de inducendo favore & commodo: secus ubi agitur de damno & odio *leg. in delictis, ff. de noxal.*

N. 6. *Tertia est Primicerii, n. 7. Præcentoris, n. 8. Sacristæ.* Author noster, personatus, & officia cum dignitatibus confundit, numerat enim inter dignitates Primiceriatum, Præcentoriam seu Succentoriam, & Sacristiam cum certum sit de jure nullam esse dignitatem sine Jurisdictione actu vel habitu, cum sit præeminentia adjunctam habens administrationem & Jurisdictionem, *Abbas in cap. de multa de Præben. Rebuffus in praxi, tit. Beneficium sæculare quotuplex n. 7.* Primicerius autem Diaconis quidem præest, sed sine Jurisdictione in foro externo, ut colligitur *ex cap. unic. de offic. primicer.* atque ideò officium est, non tamen simplex, sed cum administratione, ex quo primus intonat, & dat ordinem gerendorum in choro, *Puteus, lib. 3. decis. 89.* unde etiam dici posset Personatus, & aliquo modo dignitas prout his tribus neminibus Officii, Personatus, & Dignitatis nuncupatur, *in cap. Cum accessissent de const.* idem de succentore, sic enim legi debet in textu authoris, id est, qui secundum locum, post Primicerium ipsum, tenet, ejusque absentis vices gerit, & succentor dicitur *in cap. inter dilectos, de excess. Prælat.* non autem Præcentor, qui idem est ac Primicerius, vel Cantor, ut patet *in cap. Cum olim, de consuet.* Primicerius autem dictus fuit primus in ordine ceræ, seu scripturæ, nam mos erat antiquis in tabulis ceratis, & pugillaribus scribere, & ideò quicumque in quolibet hominum ordine primo loco scriptus fuit in Albo, seu tabula cerata, Primicerius fuit dictus, & qui secundo loco, Secundocerius, & qui tertio, Tertiocerius, ut colligitur *in lege ultima, Cod. de domest. lib. 12. Gregor. Tolosan. lib. 15. Syntagm. juris, cap. 22. n. 5.* Sacristia vero inter officia recensetur à *Flamin. de resign. lib. 2. q. 1. n. 93.* cum sit sine Jurisdictione, & licet habeat administrationem & custodiam sacrorum vasorum, & vestimentorum Ecclesiasticorum, & totius thesauri Ecclesiastici, nec-non curam luminarium sive in cera, sive in oleo, ut habetur *in cap. unico*, ubi Glossa, *de officio Sacristæ*, nullam tamen de jure habet prærogativam in choro, vel Capitulo, teste *Gambaro de officio & potest. legati, lib. 5. n. 34.* ubi subdit Sacristiam, Hostiariatum, & alia hujusmodi officia simplicia non inducere incompatibilitatem nisi in eadem Ecclesia, *cap. 1. de consuet. in 6.* & docet Puteus, ubi supra officia hujusmodi, posse obtineri à majore quatuordecim annis, sed certe debet in his attendi consuetudo locorum, nam quod in una Ecclesia est Dignitas, vel Personatus, in alia est officium simplex & vice versa, *Greg. Tolos. Institut. cap. 10. n. 18.* & in multis locis quodlibet beneficium curatum, vocatur Personatus, ut notat *Abbas in dicto cap. de multa, n. 21.*

TITULUS IV.

Quibus modis status Beneficiorum mutetur. (*a*)

SUMMARIUM.

I. Ut Ecclesia simplex erigatur in Curatam.

II. Ut Ecclesia curata erigatur in Collegiatam.

III. Ut Ecclesia Collegiata erigatur in Cathedralem. Ut Ecclesia sæcularis erigatur in Regularem vel contra.

IV. Cur dicantur Canonici.

V. Translatio Monachorum. Translatio Episcopi. Translatio sedis Episcopalis. Translatio Capellaniæ.

VI. Beneficia uniuntur variis modis.

VII. Quæ Beneficia uniri non possint. Abusus in unione Beneficiorum an præscribatur. Arrestum. Arrestum.

VIII. Beneficia uniuntur ob justam causam. Beneficium ante vacationem potest uniri. An possessor Beneficii reservati ob causam unionis, possit resignare. Arrestum.

IX. Vniones approbatæ à Senatu in gratiam Patrum Societatis Jesu, & Patrum Ora-

torii Jeſu. Ædes Cotignacenſis Divæ, gratiarum miraculis clara, in oratione commoda loci conſtitutio, Deum appropinquantem facit.

X. Vnionem Beneficiorum qui facere poſsint. Vniri poſſunt Beneficia reſervata. Vniri non poſſunt. Vniri non poteſt Beneficium invito Patrono Laico.

XI. Si Beneficium uniatur menſæ Epiſcopi.

XII. Vnio fieri non poteſt à Vicario Epiſcopi ſine mandato ſpeciali, nec ſede vacante.

XIII. Non unitur Eccleſia Parrochialis menſæ Epiſcopi aut Capituli, niſi ut in ea Vicarius inſtituatur.

XIV. Si Eccleſia Parrochialis uniatur Monaſterio, ut Vicarius inſtituitur.

XV. Vnionis titulum exhibere non tenetur poſſeſſor temporis immemorialis. Vnionis abuſus contra utilitatem publicam non præſcribitur. Cauſa unionis ceſſante unio ſolvi debet. Arreſtum. Vnione Prioratus Eccleſiæ Parrochialis ſoluta, Vicariatus qui ob eam fuerat inſtitutus ſimul ſolvitur. Beneficium Curatum ſit ſimplex inſtituto Vicario.

XVI. Beneficium Curatum inſtituto Vicario ſine neceſsitate non ſit ſimplex, niſi conſuetudine contraria quadraginta annorum. Beneficii diviſio.

XVII. Status Beneficii conſuetudine contraria mutatur. Tria requiſita in conſuetudine, qua Status Beneficii mutatur.

I. VARIIS modis ſtatus Beneficiorum mutatur, Erectione, Tranſlatione, Unione, Diviſione, & Conſuetudine: nam interdùm Eccleſia ſimplex erigitur in Curatam & Parrochialem, ob neceſſitatem, vel majorem plebis commoditatem: quo caſu illi quorum intereſt, vocandi ſunt, conſenſus Rectoris matricis Eccleſiæ deſideratur; tamen neceſſitate urgente, eo etiam invito fit unio; damnum quod illi infertur aliqua penſione annua compenſatur, & authoritas Epiſcopi ſufficit, *c. Ad audientiam, de Eccleſ. ædif. c. Si Epiſcopus* 12. *q.* 2.

II. Interdum Eccleſia Curata erigitur in Collegiatam ſtatuto certo Canonicorum numero, quod ſimiliter authoritate Epiſcopi (*a*) fieri poteſt ex conſenſu Rectoris, *d. c. Si Epiſcopus*, & conſenſu Patroni, *Abbas & Felinus in c. Suggeſtum, de jure Patronatus.*

III. Aliquando Eccleſia Parrochialis aut Collegiata Erigitur in Cathedralem; ſed tunc authoritas Papæ requiritur, nam Epiſcopo non licet authoritate propria, ſedem in alium locum transferre, *c. Quod tranſlationum de officio Legati.* Et interdùm Eccleſia ſæcularis erigitur in Regularem, aut Regularis in ſæcularem, ſi Regulares deſint, *c. Inter quatuor, de Religioſis Domibus. Joannes Faber ad Authent. Multo magis, c. de Sacroſ. Eccleſ.* In erectione ſæcularis in Regularem authoritas Epiſcopi ſufficit, *d. c. Si Epiſcopus.* At ſi Regularis erigatur in ſæcularem, reſcriptum Papæ requiritur, *c. Quæ ſemel* 19. *q.* 3. & utroque caſu Canonicis ſæcularibus in Religionem tranſire nolentibus, vel Regularibus qui militiam cui adſcripti ſunt deſerere non poſſunt, certa penſio annua ad vitam debet reſervari, *Rebuff. in tit. de erectione Eccleſiæ in ſæcularem, ſub finem.*

IV. Olim omnes fermè Eccleſiæ Regni, Regulam Sancti Auguſtini vel Sancti Benedicti ſuſceperant; ſed tepeſcente Religionis ardore, Canonici facti ſunt ſæculares, retento nomine & cucullo in ſignum deſertæ militiæ, *Chopinus de ſacra Politia, lib.* 1. *c.* 3.

V. Tranſlatio verò fit perſonæ aut Beneficii: nam interdùm Religioſus adſcriptus Monaſterio in aliud transfertur à Superiore, vel Epiſcopus in aliam Eccleſiam, quod ſine authoritate Papæ fieri non poteſt, *c. Quanto de tranſlatione.* Interdùm ſedes Epiſcopalis de una Eccleſia in aliam transfertur, ut diximus ſuprà, quod ſine conſilio Capituli, & non niſi ob majorem Eccleſiæ utilitatem, fieri poteſt, non ob utilitatem perſonæ, *c. Si quis vult.* 16. *q.* 7. *c. Mutationes* 7. *q.* 1. & aliquando Capella transfertur authoritate Epiſcopi, vocato Patrono, & aliis quorum intereſt, ſi neceſſitas urgeat, aut major Eccleſiæ commoditas id exigat; ſi ea diruta ſit, ſi periculoſus aut difficilis ad eam ſit acceſſus, vel ad tempus vel in perpetuum, ſi impedimentum ſit perpetuum, *c. Tribus, de conſecr. diſt.* 1.

VI. Unio ſimiliter fit, vel in gratiam perſonæ, vel Eccleſiæ: quæ fit in gratiam perſonæ non mutat ſtatum Beneficii; & Concilio Conſtantienſi prohibita eſt, ne hoc colore fraus fiat Lateranenſi Concilio, & plura Beneficia incompatibilia liceat poſſidere: quæ verò fit in gratiam Eccleſiæ interdùm mutat ſtatum Beneficii, ſi fiat in perpetuum, interdùm non mutat: nam unione ex duobus Beneficiis aliquando fit unum, altero ſuppreſſo, aut una Eccleſia alteri ſubjicitur, aut utraque remanet æquè principalis.

VII. Dignitates uniri non poſſunt, nec Beneficia libera, aliis Beneficiis jure patronatus

natûs gravatis, *Garcias parte* 12. *c.* 2. *n.* 1. nec Beneficia ſita in diverſa, *Conc. Trid. de reformat. Seſſ.* 14. *c.* 9. Cætera Beneficia tùm ſimplicia, tùm Curata aliis uniri (*b*) poſſunt, ſi juſta cauſa ſubſit, *Conc. Trid. Seſſ.* 21. *de reform. c.* 5. Vicariæ perpetuæ Eccleſiarum Parrochialium Capitulis uniri non poſſunt, Dignitatibus, aut Officiis, *Rota deciſ.* 273. *in novis*: à tali unione appellare licet tanquam ab abuſu, etiam poſt centum annos, ob publicam utilitatem, ut judicatum fuit in causâ Vicariæ Sancti Pauli de Vencia, quæ unita fuerat Canoniæ Eccleſiæ Cathedralis de Vencia, Arreſto menſis Novembris *anno* 1621. & ob abuſum unionis Beneficium vacat ipſo jure, & ante ſententiam declaratoriam poteſt impetrari, ut in cauſa ejuſdem Vicariæ, Senatus cenſuit Arreſto menſis Maii *anno* 1622.

VIII. Cauſa juſta videbitur, ſi unio fiat ob utilitatem, aut neceſſitatem Eccleſiæ, *c. Expoſuiſti, de Præb.* vel ad erigendam Eccleſiam Cathedralem, aut Collegiatam, vel ad erigenda Seminaria ſtudioſæ Juventutis, *Conc. Trid. Seſſ.* 23. *de reform. c.* 18. vel ob paupertatem Eccleſiæ Parrochialis; quo caſu Beneficia ſimplicia Curatis, aut duo Curata, poſſunt uniri, ſi eorum reditus non ſufficiant duobus Rectoribus ſuſtentandis, *c. Vnio.* 10. *q.* 3. *c. Expoſuiſti, de Præb. Concil. Trid. Seſſ.* 21. *de reform. c.* 5. Idem cavetur Conſtitutione Gallicâ Bleſenſi, *art.* 22. 23. *&* 24. ſive ea Beneficia, quæ uniuntur vacent tempore unionis, ſive non; nam licet Beneficium ante vacationem impetrari non poſſit, *c.* 1. *&* 2. *de conceſ. Præbend.* uniri poteſt ſine præjudicio poſſeſſoris, ſed executio unionis differtur in tempus vacationis, ne fiat præjudicium poſſeſſori, *Conc. Trid. loco cit.* niſi poſſeſſor conſentiat, & cedat, reſervatâ ſibi penſione annuâ; & ſi poſſeſſor non ceſſerit jure ſuo, dùm vivit, idem Beneficium reſignare poteſt in manibus Papæ ex causâ permutationis, aut aliter in favorem, expreſſo decreto unionis, cui Papa ſemel derogare poteſt, poſtulante reſignatario: nam parùm refert ipſe poſſideat, an reſignans, citra tamen præjudicium decreti, cujus executio differtur in tempus mortis reſignatarii, ex ſententia Flaminii; & ita judicatum fuit Arreſto Senatûs contra œconomum Eccleſiæ ſancti Poncii Provinciæ Occitaniæ, appellantem ab abuſu executionis reſcripti proviſionis conceſſæ à Papa, reſignatario, cum derogatione pro illa vice clauſulæ reſervationis Beneficii Capitulo uniendi, *menſe Martio anno* 1651.

IX. Non deſunt exempla unionum, quæ factæ fuerunt noſtris temporibus in hâc Provincia ob cauſas ſupradictas, & à Senatu approbatæ, tùm in gratiam Patrum Societatis JESU Collegii Aquenſis, cui Prioratus ruralis loci de Tourves unitus eſt, tùm in gratiam Patrum Oratorii JESU miniſtrantium in Æde ſacrâ Divæ Gratiarum Cotignaci, optimo quidem jure, tùm ob eorum merita jugiter collaborantium in vineâ Domini, tùm ob loci ſanctitatem: nam meminiſſe juvat quod dùm puer eſſem à parentibus meis, qui viderant & audierant, accepi, anno 1609. Virgo Deipara bis apparuit viro pio, cujus nomen erat Joannes de la Sacco, in eodem Monte ubi ea Ædes conſtructa eſt; juſſit ſignificare Conſulibus loci, ut ſibi in eodem loco Ædem ſacram conſtruerent; quod tanto ardore pietatis factum fuit, ut ab eo tempore divino cultu, gratiis & miraculorum frequentiâ, Ædes illa clareſcat; nam pia loci conſtitutio, pietas miniſtrantium, & peregrinorum undique illuc affluentium concurſus, divinæ benignitatis auram provocat: placebat Deo quòd populus Iſraëliticus ſibi ſacrificaret in excelſis, & θεοῦ προσέγγυσμον, τοπικὴ εὐλάβεια κατεργάσεται, ut ait Gregorius Nicenus, περὶ τῶν ἀπιόντων εἰς ἱεροσόλυμα.

X. Legatus à Latere & Epiſcopus diœſanus tanquàm delegatus à Sede Apoſtolicâ unire poſſunt, ex dicto Concilio Tridentino, & ante unionem de cauſa debent inquirere, vocatis Rectoribus Eccleſiarum, patronis, œconomo Capituli, Procuratore Regio, & Civitatum adminiſtratoribus: quibus tamen invitis & diſcordantibus unio fieri poteſt, ſi juſta ſit cauſa uniendi; non enim vocantur ut conſentiant, ſed ut cauſam unionis propoſitam impugnent, *c. Cùm olim, de Arbitris*, non obſtante reſervatione generali aut particulari, ex dicto Concilio Tridentino, *Seſſ.* 2. *de reformat. c.* 5. nempe graduatorum, indultariorum, & ſimilium: tamen ſi jus patronatûs Beneficii uniendi ſit Laïcale, unio fieri non poteſt ſine conſenſu Patroni, *Clement.* 1. *de Statu Monachorum, Concil. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 5. *Ricius de c.* 486. Verùm apud nos Papa & Legatus de cauſa unionis ex Concordatis non poſſunt inquirere, ſed Commiſſarios dant in partibus, qui de ea inquirant; & ſi vera ſit, procedant ad unionem, ex Placitis Senatûs Pariſienſis relatis à Thuano, *lib.* 3. *Hiſt. Gallicæ.*

XI. At ſi unio fiat menſæ Epiſcopali aut Capituli, authoritas Papæ deſideratur, quia

Epiſcopus non poteſt eſſe Judex in cauſa propria, ex titulo Codicis, *ut nemo ſit Judex in cauſa propria, vel jus ſibi dicat: & Clem. ſi una, de rebus Eccleſ. non alien.*

XII. A Vicario Epiſcopi ſine ſpeciali mandato (*c*) unio fieri non poteſt, quia intereſt Epiſcopi, *Garcias parte* 12. *c.* 2. §. 1. neque à Capitulo, Sede vacante, ob eandem rationem, *c. unico, ne Sede vacante aliquid innovetur, in 6.*

XIII. Si Eccleſia Parrochialis uniatur menſæ Epiſcopi, aut Capituli, non ſupprimitur, ſed in ea Vicarius inſtituitur, qui ſerviat aſſignatâ portione congruâ: olim Vicarius amobilis ad nutum Epiſcopi aut Capituli inſtituebatur; at Concilium Tridentinum Vicarios perpetuos inſtitui juſſit; & ſi Beneficium ſit unitum Capitulo, facultatem dedit Ordinariis Vicarium inſtituendi, vocatis iis quorum intereſt, nullo privilegio obſtante, aut conſuetudine contrariâ, *Conc. Trid. Seſſ.* 7. *de reformat. c.* 7.

XIV. Excipiuntur Eccleſiæ Parrochiales unitæ Monaſteriis, in quibus unus ex Monachis amobilis ad nutum Superioris, Vicarius inſtitui debet, juxta Conſtitutionem Pii V. *Garcias parte* 11. *c.* 2. *n.* 4. & 5. & ubi ex conſuetudine vel jure contrario Regulares non exercent curam animarum, Vicarius ſæcularis ab Ordinario inſtituitur, *Conc. Trid. Seſſ.* 7. *c.* 7. aut liberè, aut ad præſentationem Monachorum, ſi illi jus habeant præſentandi ex privilegio vel conſuetudine, *c.* 1. *de Capellis Monachorum.* Verùm liberum eſt Ordinario in illo caſu, ex dicto Concilio, Vicarium perpetuum vel amobilem inſtituere.

XV. Sive unio ſit nulla defectu poteſtatis, formæ, vel cauſæ, præſcriptione quadragenariâ juvatur, *Conc. Trid. Seſſ.* 7. *c.* 6. & ſi præſcriptio adſit temporis immemorialis, poſſeſſor non tenetur titulum exhibere, *Rota de rebus Eccleſ. non alien.* 8. *in antiquis:* poſt quadraginta annos de defectu formæ, poteſtatis, vel cauſæ, queri non licet, poſſeſſor fit ſecurus. Tamen ſi in unione ſit abuſus, ut in caſu ſuprà relato. *n.* 7. aut ſi Beneficium non ſufficiat duobus ſuſtentandis, Priori & Vicario, etiam poſt centum annos unio revocari debet, talis abuſus nunquam præſcribitur contra legem publicam, *Molin. conſ.* 44. Nam etſi juſta cauſa fuerit tempore unionis, eâdem causâ deficiente, unio debet revocari, *Rebuff. in tit. de unionis revocatione, ſub finem:* & revocatâ unione poſſeſſor Eccleſiæ cui Beneficium fuerat unitum, Devolutario illud dimittere tenetur; Vicarius quoque qui in eodem beneficio fuerat inſtitutus ad unionem ſuſtentandam abire cogitur, principali causâ ceſſante, ut judicatum fuit in magno Concilio *anno* 1640. in gratiam Chabert contra Priorem Cucuroni, pro Prioratu Eccleſiæ Parrochialis Vauginæ, quæ Eccleſiæ Parrochiali Cucuroni unita fuerat, Vicario perpetuo in ea inſtituto: quo Arreſto tùm Prior tùm Vicarius Eccleſiæ Vauginæ eandem Eccleſiam dimittere juſſi ſunt, non obſtante præſcriptione longi temporis, tùm ob defectum unionis, tùm ob defectum tituli, quòd Prior Cucuroni illud Beneficium ut ſimplex, & per Vicarium exerceri ſolitum, obtinuiſſet, quod erat actu Curatum: nam defectus unionis non præſcribitur niſi quadraginta annis, ut diximus ſuprà, & ſtatus Beneficii non mutatur niſi præſcriptione quadragenariâ, *c. Cùm de Beneficio, de Præb. in 6.* Verùm eodem Arreſto devolutarius causâ cecidit in poſſeſſorio Prioratûs Cucuroni, quem pariter impetraverat ut vacantem ob defectum tituli, quòd poſſeſſor illum ut ſimplicem, & per Vicarium exerceri ſolitum, obtinuiſſet: nam ante quadraginta annos Vicarius in eo fuerat inſtitutus, & conſuetudine contrariâ ſtatus Beneficii mutatus erat: longè, ut patet, à ſententia Rebuffi exiſtimantis, loco citato ſub finem, poſt diſſolutionem unionis Prælatum dùm vivit remanere in poſſeſſione utriuſque Beneficii.

XVI. Diviſio Beneficiorum regulariter prohibita eſt, *c. Majoribus, c. Vacante & c. Cùm cauſam de Præb.* tamen juſtâ causâ ſuadente, & facultatibus Beneficii ſufficientibus, authoritate Epiſcopi, conſentiente Capitulo, dividi poteſt beneficium, aut ſi reditu abundet, minui, ut beneficium tenue augeatur, modo non fiat præjudicium poſſeſſori, ut conſtat ſupra dictis.

XVII. Conſuetudine ſtatus Beneficiorum mutatur; ſic beneficium Curatum fit ſimplex, & ſimplex fit Curatum: beneficium ſæculare fit Regulare, vel contra, *ut ex Felino & aliis notat Garcias parte* 5. *c.* 3. *n.* 115. Ut autem hæc conſuetudo valeat, titulus deſideratur, bona fides, poſſeſſio contraria, & præſcriptio quadraginta annorum, *c. de quarta de præſ.* nam ſi Beneficium in Commendam poſſideatur, aut vi vel clam, ſtatus illius non mutatur, nec ſi Beneficium ſæculare per Regulares rectum fuerit ſæculariter, vel contrà, *Felin. in c. In noſtra, de reſcriptis.*

SOLIER.

(*a*) Imò quòd Ecclesia sit Collegiata solum efficit privilegium Apostolicum : neque aliter, potest erigi Collegium Personarum Ecclesiasticarum, *Bart. in. L. ultim. n. 6. ff. de Colleg.* cùm enim Ecclesia Collegiata dicatur Dignitas propter inseparabilem jurisdictionem ab ipso Collegio, Lotter. *lib.* 1. *q.* 14. *n.* 87. & Papa solus possit cujusvis dignitatis Ecclesiasticæ erectionem facere, ut per eum textum notat Gloss. *in Can.* 1. *dist.* 22. consequens est potestatem Episcopi in erectione Collegiatæ deficere ; textus autem *Can. Si Episcopus* 12. *q.* 2. *& cap. Quoniam, de vita & honest. Cleric.* respiciunt ea tempora, quibus Clerici sub eodem tecto, & Conclavi, propriis bonis in commune collatis vivebant, *ex Can. Scimus, ex Can. Quia tua, Can. Necessaria*, 12. *q.* 1. Qui autem ita vivebant dicebantur Canonici Regulares, sive Augustini, erantque Religiosi, & claustrales, & de his, non de aliis loquitur uterque textus, Lotter. *ubi suprà.*

(*b*) Modò si curata sint Curatis uniantur, non autem simplicibus, ut elicitur ex textu Concilii ab Auctore laudato, licet simplicia Curatis rectè uniantur, ut ibi habetur.

(*c*) Potestatem uniendi venire in generali mandato asserit Lotteranus per motiva ab eo addicta, *lib.* 1. *q.* 28. *n.* 118. cum unire sit de jurisdictione ordinaria, quæ transit in Vicarium generalem, Felin. *in cap. Eam te, n.* 17. *de Rescript.* de Capitulo verò, sede vacante, negat, quia unio, inquit, est de reservatis Episcopo, implicatque alienationem, & extinctionem tituli, quæ ideò sede vacante est in specie ipsi Capitulo prohibita, *cap.* 1. *Ne sede vac.* Sed ista æquè militant in Vicario generali Episcopi, ergo idem jus in utroque statuendum, & neutrum, vel utrumque unire posse dicendum : negativa tamen mihi probatur.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Ecclesia *simplex erigitur in Curatum & Parochialem.* Ubi scilicet ob locorum distantiam, Parrochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina Officia audienda accedere non possunt, Episcopis conceditur authoritas, etiam invitis Rectoribus, novas Parrochias constituendi, juxta formam, *cap. Ad audientiam, de Ecclesiis ædific.* etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, assignatâ Præsbyteris præficiendis Ecclesiæ noviter erectæ congruâ portione ex fructibus Ecclesiæ matricis, & si necesse fuerit compellendi populum eam subministrare quâcunque reservatione, vel affectione non obstante, Concil. Trid. *Sess.* 21. *cap.* 4. *de reform.*

N. 3. *In erectione sæcularis in Regularem authoritas Episcopi sufficit.* Imo sola summi Pontificis authoritate id fieri potest, quia solus Papa est utriusque superior, *Murga de benefic. q.* 8. *n.* 18. quod ego intelligerem de Ecclesiis exemptis, secus autem de aliis quarum æque ac sæcularium Episcopus est superior.

N. 5. *Religiosus adscriptus Monasterio in aliud transfertur à superiore.* Ut quando Religiosus unius Monasterii providetur de beneficio dependente ab alio Monasterio, tunc enim debent adesse in provisione hujusmodi, clausulæ translationis à Monasterio professionis, ad Monasterium beneficii, licet utrumque sit ejusdem ordinis, aliàs collatio est nulla, *cap. Cum singula, §. Prohibemus, de Præb. in 6.* translationes enim sunt de essentia, & non solum ad effectum, & de stylo Cancellariæ romanæ, ut alias voluit Marcius ad Rubricam *de servis export.* qui postmodum in ultima operis editione palinodiam cecinit. Cæterùm Summus Pontifex non transfert à strictiori regula ad laxiorem, sed semper clausulam hanc apponit, dummodo ibi par, vel arctior vigeat observantia regularis. An autem jus transferendi ad Abbatem Commendatorium, an verò ad Priorem claustralem spectet ? Distinguendum; translatio quæ fit in actu, & ad effectum collationis, fit ab Abbate Collatore, concesso enim aliquo, veniunt & ea sine quibus : aliàs si agatur tantùm de transferendo Monacho ab uno Monasterio ad aliud, Priori erit transferre cum consilio Conventûs, quia Prioris est illum ad professionem admittere, Fevret de abusu, *lib.* 2. *cap.* 3. *in.* 10. sed intra quod tempus à die provisionis translatio realis fieri debeat ? Molineus ait intra sex menses petendam esse translationem, sed sola requisitio non sufficeret, atque ita transferendus repulsam passus, in jus vocare debet recusantes, ut ipsum recipiant, cum nemo duabus obedientiis subjici debeat. Fevret *dicto cap.* 3. *n.* 11. quando autem monialis de licentia Papæ transfertur de loco ad locum, dotes remanent primo Monasterio idem de peculis translati Monachi. *ibidem n.* 14. *& n.* 23.

N. 7. *Cætera beneficia, tum simplicia, tum Curata aliis uniri possunt.* Hæc facultas uniendi restringitur à Concil. Trident. primò ut beneficia unius Diœcesis non uniantur beneficiis, seu locis alterius, *Sess.* 14. *cap.* 9. *de reform.* secundò ut curata non uniantur Monasteriis, Dignitatibus, Præbendis, seu aliis beneficiis simplicibus, *Sess.* 24. *cap.* 13. *de reform.* Tertiò restringitur ad beneficia simplicia, nec extenditur ad dignitates, ut in terminis, *cap.* 18. *Sess.* 23. *& cap.* 15. *Sess.* 24. *de reformat.* Quartò ut beneficia libera non possint uniri beneficiis juris patronatûs, *Sess.* 25. *cap.* 9. *versic. insuper.* Quintò ut non fiant uniones de beneficiis juris patronatûs absque patronorum consensu, *dicto cap.* 15. *Sess.* 24. Sextò ut regularia etiam simplicia sæcularibus non uniantur, *dicto cap.* 15.

N. 10. *Nempe graduatorum indultariorum & similium.* Unio beneficii fieri potest ex causa, non obstante reservatione generali, vel speciali, & affectione graduatorum indultariorum, & aliorum expectantium ut causa publicè perorata pronuntiarunt Patres magni consilii, arresto solemniter prolato die septima Februarii 1667. ut refertur in causarum diario *tomo* 3. *lib.* 1. *cap.* 13. limita tamen ut conclusio locum habeat, ubi unio præcessit requisitionem expectantis, cui jus quæsitum per requisitionem auferri non potest.

N. 13. *Concilium Trident. Vicarios perpetuos instituì jussit.* Appellationibus, privilegiis, exemptionibus & inhibitionibus quibuscumque minimè suffragantibus, ex quibus verbis satis deprehenditur Concilium derogare privilegio ponendi Vica-

rium temporalem: quin etiam derogat immemoriali conſuetudini juxta declarationem Sacræ Congregationis, quam refert Pyrrhus Corradus in praxi benefic. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 6. niſi ipſis ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur, ut ſubdit textus Concilii; ſed ordinatio regia de anno 1629. *artic.* 12. abſolutè præcipit quod Parrochiales Eccleſiæ ad præſens unitæ Monaſteriis, Prioratibus, Eccleſiis Cathedralibus, aut Collegiatis ſeparatim obtineantur impoſterum tanquam Vicariæ perpetuæ, reſervatis dumtaxat dictis Monaſteriis aut Eccleſiis quibus unio facta fuit, juribus honorificis niſi malint Vicario perpetuo ſummam trecentarum librarum pro congrua penſione annuatim ſuppeditare, ſupervenerunt Declarationes Edictales Ludovici XIV. feliciter regnantis de annis 1657. & 1686. per quas monentur Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ut Abbatibus, Prioribus, Capitulis, & aliis Primariis Curionibus præcipiant, ut in Eccleſiis Parrochialibus, quibus per Vicarios amovibiles inſervire faciunt ſibi intra certum tempus Vicarios perpetuos ibi inſtituendos nominare teneantur: aliàs elapſo termino, ipſi pleno jure inſtituant cum congruæ portionis aſſignatione: poteſt tamen purgari mora rebus integris. Sed nonne prius erigenda eſt Vicaria perpetua? Non eſt neceſſe quia ipſi Eccleſiæ ineſt, ſtatis extrahitur & erigitur per collationem ut ex ſtylo curiæ Romanæ tradit Pyrrhus Corradus, *ubi ſupra*, *n.* 31. & certè prædicta ſunt omnino juri communi, & rationi conſona, ſicut enim inquit Concilium Remenſe, in unaquaque Eccleſia unus Presbyter debet eſſe, ita ipſa, quæ ſponſa vel uxor ejus dicitur, non poteſt dividi inter plures Presbyteros, ſed unum tantummodo habebit ſacerdotem, qui eam caſtè, & ſincerè regat, textus *in cap. Sicut* 21. *q.* 2. & Innocentius II. *in cap. Sequenti*, præcipimus, inquit, ne conductitiis Presbyteris Eccleſiæ committantur, ſed unaquæque Eccleſia, cui facultas ſuppetit, proprium habeat Sacerdotem, conſonat, *cap. Extirpendæ, de Præbend. & cap. Presbyteri, de Capellis Monach.*

N. 16. *Dividi poteſt beneficium.* Non licet tamen Parrochialem Eccleſiam in ſimplex beneficium convertere, inſtituto ibidem Vicario perpetuo, id prohibente Concilio Tridentino, *cap.* 16. *Seſſ.* 25.

TITULUS V.

De Electione, & aliis modis quibus Beneficia acquiruntur.

SUMMARIUM.

II. Olim in electione Populus nominabat, & Clerus eligebat. In electione Eccleſiaſtica Laïci jus ſuffragii non habent.
III. Electio debet fieri intra tempus præſcriptum.
IV. Qui jus habent ſuffragii in electione deſiderantur. Major pars in electione ſufficit.
V. In electione pars minor interdùm ſufficit.
VI. In electione qui habeant vocem activam, vel non.
VII. Ubi & quando Electores debent congregari.
VIII. Forma eligendi.
IX. Publicatio electionis. Si plures ſint electi quis præferatur.
X. An vox electi numeretur.
XI. Si electores ſcienter elegerint indignum.
XII. Si in electione merita ſint paria.
XIII. Vox Epiſcopi in electionibus collegialiter factis, eſt ponderoſior, non numeroſior. An in electione vox Epiſcopi juvetur votis Canonicorum diſcrepantium à majori parte Capituli. Vt procedatur in electione Theologi, Pœnitentiarii, aut Præceptoris.
XIV. Si Capitulum non elegerit, aut contulerit indigno, jus devolvitur.
XV. An Vicarius Epiſcopi poſsit intereſſe in actibus Capituli.
XVI. Electio propria & impropria ut differant.
XVII. Electio ante confirmationem non tribuit jus jure.

I. SINE canonica inſtitutione Eccleſiaſtica Beneficia non acquiruntur. Canonica inſtitutio fit Electione, Poſtulatione, Tranſlatione, Collatione, & Inſtitutione ſpecificâ.

II. Electio antiquior eſt, nam jure Gentilium Sacerdotes in Provinciis decreto Populi creabantur, vel Curiæ, *l.* 49. *C. Theodoſiano, de Decurion.* Idem cautum fuit inter Chriſtianos, Populus nominabat, & Clerus eligebat, ut conſtat de electione Matthiæ in Actis Apoſtolorum, *c.* 6. nam magis creditur omnibus quàm ſingulis, quia ſinguli decipere & decipi poſſunt; at nemo omnes, & neminem omnes decipiunt, ut ait Plinius ad Trajanum. Poſteà in Clericos & Primates civitatum jus eligendi tranſlatum fuit, *Novell.* 123. *c.* 1. *de ſanctiſsimis Epiſcopis, c. Metropolitano, &c. ſi in plebibus, diſt.* 63. Sic Laïcorum ſuffragia exigebantur: ſed Concilio Laodiceno, & conſtitutionibus Pontificiis, jus ſuffragii Laïcis ademptum fuit; quibus cautum fuit electionem fore nullam in qua

electus sæculari potestate usus esset, *c. Non est permittendum, &c. omnis electio, dist. 63.*

III. Hæc autem in electione requiruntur, ut Canonica sit: *Primò*, si de Prælatura (*a*) sæculari aut Regulari agatur, intra tres menses electio fieri debet, à die notitiæ vacationis, *c. Ne pro defectu, de Electione:* & si de alio beneficio, intra semestre, *c. 2. De conceff. præbend.* alioquin eligentes privantur potestate eligendi pro ea vice, & puniuntur pœnâ arbitrariâ, nisi legitima sit excusationis causa, & jus conferendi devolvitur ad Superiorem, *d. c. Ne pro defectu, &c. quia diversitatem, de conceff. præbend.*

IV. *Secundò.* Qui jus habent suffragii in Capitulo vocandi sunt; (*b*) si de majori Dignitate agatur, vocantur qui sunt in Provincia; (*b*) & si de minore Dignitate, vocantur qui sunt in civitate; alioquin his, qui vocati non sunt, conquerentibus, electio infirmatur: nam in istis actibus plus obest contemptus unius quàm contradictio plurium, *c. Coram, c. Quod sicut, &c. bonæ de Elect.* Conqueri autem possunt, nisi electioni consenserint, ante vel post electionem; & si non conquerantur, & major pars Capituli interfuerit, electio firma manet, *arg. l. Filio præterito, ff. De injusto rupto, vel irrito facto testamento*, ubi dicitur testamentum patris valere, si filius præteritus non conqueratur: idem dicemus infrà de collatione facta, spreto patrono, si is non conqueratur: pars major dicitur si duæ saltem partes Capituli adfuerint, *l. Nulli ff. Quod cujusque Universitatis nomine.* Verùm si resurgeat, (*c*) & periculum sit in mora, pars minor, aliis absentibus, sufficit.

V. Qui verò absunt extra Provinciam aut Civitatem, in casibus supradictis non vocantur, & jus suffragii illorum pro illa vice præsentibus accrescit, *c. cum inter, &c. cum nobis de electione.* Idem dicitur de illis qui vocati non veniunt, *ibidem.*

VI. Jus suffragii non habent Canonici, qui non sunt in sacris, *Clement. ut ii qui, de ætate & qualitate ordinandorum*; nec in Monasteriis Religiosi, qui non sunt professi, *c. Ex eo, de elect. in 6.* nec qui à Regula Mendicantium in Regulam non Mendicantium transierunt, tametsi à Sede Apostolica transeundi licentiam obtinuerint, nisi ad hoc fuerint dispensati, *Clement. unica, de Regularibus transeuntibus in Religionem*: nec excommunicati, aut suspensi à voce activa, *c. Cùm inter, de elect. &c. perpetuo, de elect. in 6.* & si illi interfuerint in electione, aliis scientibus & tolerantibus, eorum præsentiâ electio inquinatur, *gloss. in fin. c. fin. 9. q. 1.* nisi post electionem censura excommunicationis aut suspensionis illorum nulla judicetur, *Rebuff. in tit. Concordatorum, de excommunicatis non vitandis.*

VII. *Tertiò*, requiritur quòd in loco solito congregentur, ad sonum campanæ, horâ tempestivâ: nam electio noctu fieri non debet, etiamsi collatio noctu facta valeat, *De Selva 3. parte q. 17.* & Electores non debent convocari & congregari, antequam cadaver defuncti sepultum fuerit, *c. bonæ, de elect.* quod tamen in collatione non attenditur, *Garcias parte 10. c. 1. n. 38.* & non sufficit ad cassationem electionis, *gloss. loco citato.* (*d*)

VIII. *Quartò*, duo eliguntur de capitulo qui vota singulorum scrutantur, *c. quia propter de electione*: absentes etiam per Procuratorem suffragium dare possunt, modò Procurator sit de Capitulo, & speciale mandatum habeat, *d. c. Quia propter, & c. congregato, ibid.* Si verò perperam scrutinii formâ omissâ, electio celebrata fuerit, nulla est, *d. c. quia propter*, nisi per inspirationem aut compromissum facta sit: nam electores si non conveniant, possunt per compromissum facultatem eligendi transferre in aliquos viros idoneos capituli, qui vice cæterorum eligant, *d. c. Quia propter*: per inspirationem verò electio fieri dicebatur, cùm electores divino Numine aspirante, in unum convenirent, ut de electione Matthiæ dicitur in Actis Apostolorum, qui sorte electus dicitur, quod de sorte divina accipitur, non humanâ, & certo signo dato divinæ vocationis: sic enim nomen sortis in sacris litteris sumitur, & translatitiè, pro munere Apostolatûs, ut in Psalmo Davidico, *si dormiatis inter medios Cleros*, ubi ὁ κλῆρος, quod sortem significat, pro Apostolis ipsis ponitur, ex communi Interpretum sententia.

IX. *Quintò*, post scrutinium vota publicantur, & publicatione factâ variare non licet, *c. Publicato, de electione*: si vota sint contraria, electio illius prævalet, qui à majori & saniori parte electus est: nam in actibus Ecclesiasticis suffragia non solùm numerantur, sed ponderantur, in cæteris actibus capitularibus solùm numerantur: pars sanior dicitur ratione meritorum ipsorum electorum; & major, ratione numeri, habitâ ratione totius collegii, *c. Ecclesia, de electione.*

X. Quæri solet, an si electus sit de capitulo, vox ejus computetur: & distinguitur; aut enim electio facta fuit secretè, servatâ formâ scrutinii, ut suprà diximus; & tunc si in sui

gratiam electus ſuffragium dederit, vox illius ut ambitioſa rejicitur, *c. Cumana de elect.* aut data ſunt ſuffragia ſine ſcrutinio palàm; & eo caſu ſi à parte æquali fuerit electus, ipſe poteſt dicere, electioni de me factæ aſſentior, vox ejus computatur, & efficit partem majorem, *c. Cùm in jure, de elect. juncta l. planè, ff. Quod cujuſque univerſitatis nomine, ex doctrina Abbatis, in d. c. Cùm in jure.*

XI. Verùm ſi pars major & ſanior ſcienter elegerit indignum, electio facta à minori parte prævalet, & confirmari debet: nam ſcienter eligentes indignum privantur facultate eligendi pro illa vice; & ſi eorum electio præceſſerit, vel eodem tempore facta ſit, facultas illis adempta devolvitur ad partem minorem, *c. Cùm Vintonenſis, de elect. Abbas in c. Dudum, eod. tit.* præſumuntur autem ſcienter elegiſſe indignum; nam eligentes non eligunt niſi ſibi notum, niſi impedimentum ſit occultum.

XII. At ſi vota & merita eligentium ſint paria, merita eorum qui electi ſunt in confirmatione electionis ponderantur, graduatus præfertur non graduato, qui eſt de gremio Eccleſiæ præfertur extraneo, *c. Nullus, &c.* 1. *obitum, diſt.* 61. civis peregrino, *d. c. Obitum, c. Nec emeritis, ibid. &c. quàm ſit* 18. *q.* 2. & qui magis habilis eſt ad muneris exercitium præfertur alteri magis erudito. *Riccius deciſ.* 23.

XIII. Si electio fiat ab Epiſcopo & Capitulo, diſtinguitur: aut ſimul conveniunt collegialiter facientes unum corpus, & eorum vota confunduntur ſimul, & numerantur; vox Epiſcopi non eſt numeroſior, licet ſit ponderoſior; & ſi vota ſint diviſa, & numero paria, pars ea pro qua ſtat Epiſcopus prævalere debet, ut ſanior, *Ioan. de Selva 2. part. q.* 27. *poſt Fel. & alios quos citat.* Idem ſervatur in Monaſteriis inter Monachos & Abbatem: aut non conveniunt collegialiter, & faciunt corpora ſeparata, tantaque eſt vox ſolius Epiſcopi, quanta totius Capituli, aut majoris partis Canonicorum, habitâ ratione Dignitatis, & bonorum Eccleſiæ, quorum diſtributio ante diviſionem Præbendarum ad Epiſcopum pertinebat, ut diximus ſuprà *tit.* 1. Unde Hoſtienſis infert, ſi diviſa ſint ſuffragia Epiſcopi, & Capituli, vocem Epiſcopi prævalere, ſi juvetur ſuffragiis unius, aut duorum Capitulantium à majori parte diſcrepantium; quæ opinio reprehenditur ab aliis, quia in electione conſenſus majoris partis attenditur, & diſſenſus ſingularis aliorum pro nihilo reputatur, *c. In Geneſi, de electione, & c.* 1. *de iis quæ fiunt à majori parte Capituli.* Hinc ſequitur vocem Epiſcopi illorum ſuffragiis juvari non poſſe, *Ioann. Andræas in c. à collatione, de præb. in 6. De Selva loc. cit.* alioquin vox Epiſcopi ſemper prævaleret, habentis aliquos de Capitulo ſibi fidos & familiares. Verùm cùm Epiſcopus ſit Caput Eccleſiæ, & diſſonum ſit eum à membris ſeparari, in hujuſmodi actibus electionis aut collationis, ſolet cum Canonicis convenire, ut Canonicus, ſine diminutione honoris & Dignitatis, & ſine attributione novi juris, *c. Poſtulaſtis, de conceſſ. præb. & c. à collatione, de appellat. in 6.* aut per turnum & tempora jus conferendi dividitur in Epiſcopum & Capitulum, niſi agatur de eligendo Theologo aut Pœnitentiario, quod muneris eſt Epiſcopalis; in quibus caſibus Epiſcopus procedere poteſt vocatis Canonicis, ſive illi concordent, ſive diſcordent, ut in caſu ſimili definitur *in c. Cùm olim, de arbitris*, niſi ex conſuetudine vel ſtatuto Canonici habeant vocem deliberativam. Idem videbatur dicendum, ſi de eligendo Præceptore agatur: nam ex Conſtitutione Bleſenſi electio ad Præceptorialem aut Scholaſteriam ſoli Epiſcopo attribuitur, vocatis Canonicis, & Conſulibus Civitatis, ex qua Canonici & Conſules videntur habere ſolùm vocem conſultivam, non deliberativam: tamen ex conſuetudine eos habere vocem deliberativam teſtatur Maynardus; in iis controverſiis, uſus eſt attendendus, ut Legum & Conſtitutionum interpres.

XIV. Et ſi Capitulum intra tempus juris non proceſſerit ad electionem aut collationem præbendæ vacantis, aut elegerit vel contulerit indigno, jus providendi devolvitur ad Epiſcopum, tametſi is interfuerit vel intereſſe debuerit in Capitulo ut Canonicus, *ex c. Poſtulaſtis, &c. à collatione, ſuprà citatis*: non enim privandus eſt jure ſuo, niſi ipſe reus ſit culpæ in electione aut collatione commiſſæ; quo caſu jus devolvitur ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Papam, ut cùm intereſt aut intereſſe debet in illis actibus ut Epiſcopus, juxta jus antiquum: hodie enim factâ diviſione præbendarum & bonorum Eccleſiæ, ex conſuetudine generali, non venit in partem ſollicitudinis bonorum vacantium Capituli, niſi ut unus ex Fratr. & Canonicis, ſalvo honore & debitâ ſuæ Dignitati reverentiâ; & in multis locis Archiepiſcopus in ingreſſu Capituli deponit Crucem ſymbolum Dignitatis, Epiſcopus ſedet poſt Præpoſitum, *ut notat gloſſa in dictis Capitulis*, quod incongruum videtur.

XV. Quæri poteſt an per ſuum Vicarium habentem mandatum ſpeciale Epiſcopus in Capitulo ſuffragium dare poſſit ; & ſi Vicarius ſit de Capitulo reſpondetur poſſe, ex ſuprà dictis, in quibus oſtenſum fuit abſentes poſſe ſuffragium dare per Procuratorem, modò is ſit de Capitulo, ne Capituli arcana pandantur extraneis : at vox Vicarii non cenſetur ponderoſior ut vox Epiſcopi ; nam prudentia & induſtria eſt perſonalis, non ceſſibilis, *l. Inter artifices, ff. De ſolut.*

XVI. Alia eſt electio propria, quæ fit juxta formam, *c. Quia propter*, ſuprà allegati, *de elect.* Alia impropria, quæ nihil aliud eſt, quàm collatio facta à pluribus, aut palàm, aut ſecretè : in electione propriâ poſt publicationem variare non licet, ut ſuprà dictum eſt ; at in electione impropriâ licet variare intra tempus electionis, *Abbas in d. c. Cùm in jure.* Electio propria impedit concurſum Papæ, & indiget confirmatione : impropria non impedit concurſum Papæ, nec indiget confirmatione, *Chopinus de ſacra Politia lib. 1. c. 2. n. 40. Faber C. de Epiſc. & Cler. def. 44.*

XVII. Ante confirmationem electus non poteſt adminiſtrare, niſi periculum ſit in mora, ut in rebus tempore perituris, *c. Nihil, de electione* : nam per electionem jus non quæritur electo, donec ea à Superiore fuerit confirmata, *c. Quanto, diſt. 63.* Excipitur electio Papæ & Imperatoris, in qua non deſideratur confirmatio, quia illi Superiorem in terris non agnoſcunt.

SOLIER.

(*a*) Ecclesiæ ſcilicet Cathedralis vel Collegiatæ regularis, *cap. Ne pro defectu*, ibi citato. In cæteris autem Eccleſiarum Prælaturis, necnon in Dignitatibus ac Perſonatibus quibuslibet aliiſque beneficiis inferioribus quibuſcumque electio eſt intra ſex menſes celebranda : *cap. 2. de conceſs. Præb.*

(*b*) Abſentes vocantur è toto regno ex conſuetudine Eccleſiæ Gallicanæ, teſte Gregorio Papa IX. *in cap. In Geneſi, de elect.*

(*c*) In fine termini juris poſſunt nedum pauci eligere, ſed etiam unus ſolus, *Innoc. in cap. Cum nobis, de elect.* non expectatis abſentibus, nec etiam vocatis, quia tempus interpellat pro præſentibus, ſi abſentes ſciverint Eccleſiam vocare, *Mandagot. in practica elect. p. 1. cap. 16.*

(*d*) Licet contrarium velit Corraſius in Paraphraſi Benefic. *p. 1. cap. 7. n. 7.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Canonica *inſtitutio fit electione, poſtulatione, tranſlatione, collatione, & inſtitutione.* Tres ſunt potiſſimum modi inſtitutionis, ſub quibus alii continentur, nempè collatio, electio, & præſentatio. Collatio eſt donatio beneficii vacantis, facta ab habente poteſtatem, ſub qua comprehenditur inſtitutio, quæ eſt collatio beneficii, licet non libera facta præſentato à patrono : Electio eſt ad Prælaturam ſeu dignitatem alicujus perſonæ facta à ſuperiore confirmanda, ad quam perducitur poſtulatio, quæ eſt ſupplex Collegii petitio facta ſuperiori, ut certam perſonam non obſtante defectu, quem patitur ad Eccleſiam ſeu dignitatem admittat. Electioni etiam conjuncta eſt, & poſtulationi ſimilis nominatio, quæ ab Electoribus fit, nempè cum Collegium duos, vel plures nominat ſuperiori, ut unum ex eis Eccleſiæ præficere velit, quæ dicitur nominatio ſolemnis, ad differentiam alterius nominationis ſimplicis, quæ ab Electuris fit per modum tractatûs, & conferentiæ, præſentatio vero eſt quædam exhibitio perſonæ per Patronum collatori legitimè facta, *Garcias de benefic. p. 3. c. 1. à n. 1. Uſque ad n. 15.*

N. 8. *Abſentes etiam per procuratorem ſuffragium dare poſſunt, modo procurator ſit de Capitulo.* Tria tamen concurrere debent : Primùm ut qui procuratorem conſtituit, ſit abſens, & in loco ex quo poſſit, ac debeat vocari ad eligendum. Secundùm ut juſto impedimento detineatur. Tertiùm ut uni de Collegio vices ſuas committat, *c. Quia propter, §. Illud autem de electione*, niſi Capitulum procuratorem extraneum admittere velit, quia huic conſtitutioni in favorem ſuum factæ renunciare poteſt, *Abbas ibidem*, quod ſi nemo ex Collegio, pro abſente procuratoris partes ſuſcipere velit, ut nuper accidit in Eccleſia Toloſana, nemo enim invitus procuratoris munus ſuſcipere cogitur, *L. Invitus, Cod. de procurat.* Sibi imputare debet abſens quod nullum in Collegio invenire poſſit, qui velit eſſe ejus procurator, ut tradit *Gloſs. in d. c. Quin propter, §. Illud autem*, quia nec tunc capitulum tenetur extraneum admittere & ſecreta ſua pandere *L. Mercatores, cod. de commen. & mercat.* nec poteſt per litteras dare ſuum ſuffragium, quia non ante ſcrutinium, ſed in ipſo ſcrutinio ſuffragia ſecretè & ſigillatim exprimenda, ſeu danda ſunt, *c. Si quis, §. ultimo de electione, in 6.* ſecundùm formam eligendi præſcriptam in dicto capite *Quia propter.* Quòd ſi procurator & quidem è capitulo ad eligendum ſimpliciter ſit conſtitutus, duo quidem ſuffragia dare poteſt, non tamen alium ſuo nomine, & alium nomine domini ſui abſentis in ſcrutinio nominare, ſeu eligere, quia ſicut Capitularis tenetur in conſcientia meliorem & digniorem ſuo nomine eligere, ita etiam tanquam procurator ab alio conſtitutus ad idem tenetur & unum eumdemque eligere : alioquin neutrum ſuffragium valet, *Gloſsa in c. Si quis in verbo nihil agit de elect. in 6.* niſi procurator mandatum haberet à domino de certa perſona eligenda, ut habetur *in dicto c. Si quis, §. Porro, de elect. in 6.* primo caſu non poteſt procurator alium procuratorem ſubſtituere,

quia censetur electa industria & discretio personæ, secundo casu substituere potest, quia nemini præjudicat. Item primo casu potest compromittere, & sub aliis formis, quàm scrutinii consentire, secundo casu non potest sub alia forma, quàm scrutinii, *Pirhing. de elect. n.* 145.

N. 17. *Excipitur electio Papæ, & Imperatoris, in qua non desideratur confirmatio.* Imò utraque confirmatur, nam Papæ à Cardinalibus electo Christus immediate confert potestatem Pontificiam quam se daturum promisit eo ipso quo Petrum vicarium suum in terra constituit, omnesque ejus legitimos successores, unde & superiorem habet Christum, & ab eo confirmatur, *Azorius parte* 2. *lib.* 4. *c.* 2. *q.* 14. quod verò ad Imperatorem, constat *ex c. Venerabilem, de elect.* ipsum à Papa confirmandum, ad Romanum enim Pontificem pertinet inquirere de qualitatibus Imperatoris electi, & si idoneus ac dignus reperiatur ad Imperium Romanum eundem confirmare, sive approbare, ut constat ex isto *c. Venerabilem, §. Sed & Principes, & ex Clement. Romani, §. Nos eodem de jure jurando.*

TITULUS VI.

De confirmatione Electionis.

SUMMARIUM.

I. Electio nulla non confirmatur.
II. Quæ forma sit servanda in confirmatione electionis.
III. Electionem quis debeat confirmare.
IV. Post confirmationem electionis quæ sit potestas electi.
V. Episcopus non consecratus non habet clavem Ordinis.

I. CONFIRMATIO desideratur, si justa & canonica sit electio, & electus idoneus, alioquin nec electio debet confirmari, & quamvis confirmetur inutilis est: nam confirmatio non supplet defectum formæ requisitæ, nec defectum quem patitur electus, & confirmans privatur potestate confirmandi pro illa vice, si defectum non ignoret, *c. Nihil de electione.*

II. Electus intra mensem ab electione numerandum, aliudve tempus ab eligentibus præscriptum, debet electioni consentire, & post illud tempus intra trimestre confirmationem petere, alioquin eo tempore elapso electio fit caduca, *c. Quam sic, de elect. in 6. Rota decis.* 288. *in novis*: & qui confirmare debet priùs de forma electionis debet inquirere, an ea ritè & canonicè facta fit, an electus sit idoneus, vocatis quorum interest, *c. Fin. de elect. in 6.*

III. Episcopus confirmat electiones inferiorum, aut Capitulum Sede vacante, nisi illi sint exempti: nam electiones quæ fiunt in Monasteriis exemptis confirmantur à Superioribus quibus subsunt, *Gloss. in c. Cùm olim, de majorit. & obed.* & electiones Episcoporum à Papa confirmantur.

IV. Post confirmationem Episcopus habet clavem Jurisdictionis, potest adipisci possessionem Beneficii, litteris Capitulo priùs exhibitis, *Extravag. injunctæ, de elect.* Beneficia, conferre, confirmare, investire, jus dicere, excommunicare, absolvere, corrigere, & alia expedire quæ Jurisdictionis sunt, nisi alius sit in possessione Beneficii, qui eum impediat, *c. Nosti, &c. nihil de elect.* Ante possessionem adeptam non potest administrare; nam Sedes vacare dicitur donec repleatur, eâque vacante, Jurisdictio spectat ad Capitulum, *Rebuff. de devolut. num.* 71. *Garcias parte* 5. *c.* 4. *num.* 258. Et in Gallia, Sede vacante, administratio temporalium & collatio Beneficiorum pertinent ad Regem, ut dicemus infrà.

V. At Episcopus non habet clavem Ordinis, ad hoc ut possit Clericos ordinare, aut degradare, Virgines benedicere, Ecclesias & Altaria consecrare, nisi sit consecratus, *c. Transmissam, & ibi gloss. de elect.* & si clavem Ordinis exerceat ante consecrationem, Beneficio privandus est, *Marcus parte* 1. *q.* 434.

SOLIER.

(*a*) PLURA tamen extant Galliæ Senatusconsulta, quibus dictum Antistites, Bullis ad nominationem Regis Romæ expeditis, posse beneficia liberè conferre ante captam possessionem Prælaturæ morte vel privatione vacuæ, *Chopin. de sacra polit. lib.* 1, *tit.* 6. *n.* 10. *Charund. in Pandect. lib.* 1. *c.* 12, *Maynard. lib.* 8, *c.* 3. *Per textum in c. Transmissam ubi Abb. de elect.* nisi aliud velit consuetudo, *Joan. de Selva de benefic. p.* 2. *q.* 15. *n.* 3. & 4. vel Sedes ab alio sit occupata, quem non licet propriâ autoritate spoliare. Dixi *ad Glam. Paris. lib.* 7. *q.* 23. *de Resign.*

NOVÆ

NOVÆ ADDITIONES.

N. 4. ANTE *possessionem adeptam non potest administrare.* Spectato jure communi potest Prælatus electus & confirmatus exercere ea quæ sunt jurisdictionis, videlicet judicare, punire, excommunicare, licet non Sacerdos, beneficia conferre ante solemnem installationem, *c. Transmissum, & c. Nosti, de elect. ubi Gloss., Innocent. & Abbas, Garcias de benefic. part. 5. cap. 4. n. 244. & 250.* imo etiam committere potestatem ordinandi vel consecrandi Episcopis suffraganeis Archiepiscopus non prohibetur, licet nondum consecratus sit, nec pallium acceperit, *c. Suffraganeis, de elect.* quemadmodum etiam Episcopus confirmatus, si Sacerdos non sit, non potest à peccatis absolvere, & tamen absolvendi potestatem alteri delegare potest, quia talis delegatio non ordinis, sed solius jurisdictionis actus est, *Glossa in cap. Quod sicut §. Præterea in verbo, sive pallio, de elect.* Idem de Capitulum Sede vacante, qui committit facultatem, quam ipsum non habet ordinandi Clericos, *c. Cum nullus de temporibus ordin. in 6.* quia delegatus confert Ordines non potestate Ordinis acceptâ ab Archiepiscopo, vel Episcopo, sed ex vi ordinis & consecrationis suæ. Limita prædicta, nisi alius sit in possessione, aut consuetudo aliud velit, *Abbas in dicto c. Nosti.* Porro jure novo requiritur, ut si Episcopus velit administrare post confirmationem litteras Apostolicas capitulo exhibeat, alius administrare non potest, *juxta extravag. primam, de elect.* inter communes quæ malè servatur apud nos, ita ut nuper Albiensis Archiepiscopus ante Bullarum receptionem à capitulo suo fuerit receptus, & in possessionem solemniter immissus, quin etiam magni Patres Consilii, recusante curiâ Romanâ, nominatis à Rege Abbatibus litteras provisivas concedere, & expedire, ipsis facultatem faciunt adipiscendi possessionem Prælaturæ, eamque administrandi in spiritualibus & temporalibus, ut videre est apud Bengeum, & Pinsonium, *de benefic. c. de Canonicis institutionem candit. §. 2. n. 72. & 73.* Sed non potest Episcopus confirmatus exercere ea, quæ sunt Ordinis, nisi post consecrationem, ut conficere chrisma, dedicare Basilicas, Ordinare Clericos, & à die consecrationis, vel si per eum steterit quominus infra tempus trimestre consecraretur, vacant ipso jure beneficia, quæ prius obtinebat, & liberè conferri possunt, *c. Cum in cunctis, §. cum verò, de elect.* & jure novo, nisi intra tres menses se consecrari faciat, tenetur ad fructuum restitutionem, & post alios tres menses Ecclesiâ suâ privatur ipso jure, *Concil. Trident. Sess. 23. c. 2. de reformat.* Archiepiscopus verò electus confirmatus, & consecratus non potest convocare Concilium Provinciale, conficere chrisma, dedicare basilicas, Ordinare Clericos, & Episcopos consecrare, nisi post receptum pallium, *c. Quod sicut, §. Præterea, de elect.*

TITULUS VII.

De Postulatione & Translatione.

SUMMARIUM.

I. Postulatio & translatio sunt actus gratiæ.
II. Inter Episcopum & Ecclesiam spirituale matrimonium.
III. Quæ requirantur in postulatione.

I. ELECTIO est justitiæ, & Postulatio & Translatio sunt gratiæ: nam quem Electores eligere non possunt, per postulationem obtinent ex indulgentia Papæ: eis enim spurium, patientem ætatis defectum, vel ob aliam causam irregularem, eligere non licet, postulare tamen licet; & si postulatum Litterarum scientia, morum honestas & bona fama commendent, supplicatione postulantium admissâ cum eo dispensatur, *c. Innotuit, de elect.* Sin minùs postulatio rejicitur, & postulantes privantur potestate eligendi pro illa vice, *c. scriptum, de electione.*

II. Similiter si electus Monasterio, (*a*) vel alteri Ecclesiæ sit adscriptus, eligi non potest ut alteri Ecclesiæ præsit vel Monasterio: Religiosus enim Monasterio se movere non potest, nec Episcopus in aliam Ecclesiam migrare, nam inter eum & Ecclesiam spirituale matrimonium contractum fuit, *c. Inter corporalia, & c. Quanto, de translatione Episcop.* At si necessitas urgeat, aut Ecclesiæ utilitas id exigat, postulari potest ut in aliam Ecclesiam transferatur, *c. Scriptum, de elect.* secus si postulatio fiat, ut postulati cupiditati vel ambitioni serviatur, aut postulatus sit indignus, ut ex Concilio Sardiensi notat Duarenus, *de sacris Ecclesiæ ministeriis, lib. 5. c. 3.*

III. Ut postulatio fiat canonicè omnes qui jus habent eligendi vocandi sunt, qui verò eligere non possunt, nec postulare possunt; & postulantes concordes & unanimes esse oportet, aut saltem partem postulantium esse duplo majorem, alioquin postulatio rejicitur, *d. cap. Scriptum*: de translatione Monachorum, Ecclesiæ & Capellaniæ, vide suprà *tit. 3.* Fit autem postulatio Regularium à Papa vel Legato, si eam habeat facultatem in mandato, *Rebuff. De dispensat. cum Regul. n. 2.*

SOLIER.

(a) EPISCOPUS cum spiritualis matrimonii vinculo suæ Ecclesiæ obstrictus sit non potest, eâ repudiatâ, alteri Ecclesiæ obstringi; quocirca postulandus est ut prioris Ecclesiæ nexu solvatur, & alterius vinculum subire possit. Abbas verò & alii Episcopo inferiores Prælati matrimonium propriè cum Ecclesia sua contrahere non dicuntur, sed quasi matrimonium, *c. Quia propter juncta Gloss. de elect.* quare nec eligi prohibentur, *c. Si Abbatem, de elect. in 6.* licet consentire, vel transire non valeant sine Superioris licentia, *Panorm. in c. Etsi unanimiter, de postulat. Prælat.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. POSTULARI *potest.* Duplex est postulatio, solemnis & simplex *Abbas in c. 1. n. 34. de postulat. Prælatorum.*: solemnis est quando postulatur quis ab eo superiore, qui potest super omni impedimento postulati dispensare: non solemnis sive simplex dicitur quando quis postulatur ab eo, qui non potest dispensare super impedimento, requiritur tamen ejus consensus, ut in Monacho, qui eligi potest, sed electioni de se factæ consentire non potest sine licentia Abbatis, *c. Si Religiosus, c. Si Abbatem, de elect. in 6.* potest autem utraque postulatio solemnis & simplex interdum simul convenire in unam & eandem personam, ut si verbi gratiâ filius familias Laïcus assumendus sit ad Episcopatum, is postulari debet solemniter, quia cum sit Laïcus, est inhabilis, & postulari etiam debet non solemniter, quia cum sit filius familias, non potest sine licentia patris ad Prælaturam promoveri, & in sui electionem consentire, ne jus patriæ potestatis lædatur, *Pirhing. de postulat. Prælat. n. 3.*

N. 3. *Aut saltem partem postulantium esse duplo majorem.* Si postulatio non concurrat cum electione alterius in discordia, sed sola fiat, quia quidam Capitulares unum, alii alium postulant, tunc sufficit quod facta sit à majore parte Capituli, ut admitti possit à superiore gratiâ speciali, etiam invitâ parte minori, *c. Postulationem de postulat. Prælat. Abbas in c. Bonæ 3. n. 12. eodem tit.* quia ordinariè ad gesta Capituli sufficit ut major pars consentiat: *c. 1. de his quæ fiunt à majore parte Capituli, L. Quod major, ff. Ad municipalem*, si verò postulatio concurrat cum electione alterius in discordia, ita ut unus ab una parte Capituli postuletur, alius ab alia parte eligatur tunc, ut postulatio prævaleat requiritur, ut numerus postulantium sit duplo major numero eligentium, *c. Scriptum, de elect. & ibi Abbas*, ratio est quia postulatio est via providendi extraordinaria, & jure nititur, *Pirhing. de postulat. Prælat. n. 18.*

TITULUS VIII.

De Electionis derogatione, & Regia ad Prælaturas nominatione.

SUMMARIUM.

I. Vt jus eligendi Capitulis fuerit ademptum.

II. Forma eligendi vetus. Ius eligendi & conferendi Ordinariis restitutum Concilio Basilienſi. Concilium Basilienſe in Gallia receptum pragmaticâ ſanctione.

III. Ius nominandi ad Prælaturas Regibus Galliarum conceſſum.

IV. De Concordatis inter Leonem X. & Franciſcum I.

V. Tempus nominationis Regiæ ad Prælaturas.

VI. Variatio nominationis Regiæ.

VII. Quæ Beneficia non ſint nominationis Regiæ.

VIII. Beneficia vacantia in Curia Romana non ſubjacent Regiæ nominationi.

I. ELECTIONI derogatum fuit ob frequentes Electorum contentiones: nam olim Electores cùm non convenirent, ad Papam causam remittebant, qui Beneficium conferebat, aut eis præcipiebat ut intra certum tempus convenirent, & eligerent idoneum, *c. Obitum, & sequenti, dist. 61.* Demum Papa Episcopatus & alias Dignitates majores sine consensu Cleri conferre cœpit, *c. Decretis dist. 21.* earumque collationem Innocentius VIII. & alii Pontifices sibi reservare cœperunt; quæ Beneficia Consistorialia dicta sunt, quòd Papa ea conferret in Consistorio cum Concilio Cardinalium.

II. Verùm in Gallia vetus illa forma eligendi Constitutionibus Caroli & Ludovici Pii, Clero & Populo restituta fuit, *c. Sacrorum, dist. 63.* Populus expetebat Prælatum, & Clerus eligebat, *c. Nulla ratio, dist. 62.* Tamen Summi Pontifices non desierunt uti jure præventionis, & reservationibus, donec Concilio Basilienſi jus eligendi & conferendi Ordinariis fuit restitutum, & tertia pars Beneficiorum reservata in gratiam Graduatorum, cæteris reservationibus explosis. Quod Concilium in Gallia fuit receptum pragmaticâ sanctione Caroli VII. anno 1438. Unde magna orta sunt dissidia inter Summos

Pontifices & Reges Galliarum, alioſque Principes, quòd illud Concilium ſine authoritate Papæ congregatum fuiſſet, eamque læderet.

III. Cumque de abroganda dicta ſanctione Romæ ageretur, in Comitiis Lateranenſis Concilii Concordata inita ſunt inter Leonem X. Pontificem, & Franciſcum I. Galliarum Regem, anno 1518. quibus *in c. De nominat.* eligendi & poſtulandi facultas Capitulis eſt adempta, & electionis vice jus nominandi Regi conceſſum fuit: quod olim Pipinus à Papa Zacharia (*a*) obtinuerat (ut refert Baronius) *anno* 752. & Carolus magnus à Papa Adriano, *c. Adrianus, diſt.* 63. eodemque jure Nicephorum Phocam in Oriente fuiſſe uſum refert Zonaras, tum quia Rex majorem partem horum beneficiorum fundavit aut dotavit, tum quòd ejus interſit habere Prælatos vitæ probæ, & ſibi fideles, cùm ipſe ſit Reipublicæ Caput.

IV. Multa alia conſtituta ſunt in illo Tractatu; *in c. De reſervationibus ſublatis.* reſervationes omnes tum generales tum particulares ſublatæ ſunt; *in c. De collat.* tertia pars Beneficiorum fuit reſervata Graduatis; *in c. De cauſis*, Juriſdictio reſtituitur Ordinariis; & plura alia, quæ pragmaticâ ſanctione continebantur, in nomen Concordatorum tranſierunt.

V. Hoc jure Rex intra ſex menſes à die notitiæ vacationis debet nominare, & intra novem menſes nominatus à Papa litteras proviſionis debet poſtulare, ex Conſtitutione Bleſenſi *art.* 5. Papa verò nominato conferre tenetur ſi ſit idoneus; ſi verò non ſit idoneus, intra tres alios menſes Rex nominare poteſt idoneum, & tempus prorogatur ad poſtulationem Regis; & nec reſignatio in favorem, nec permutatio, ſine nominatione Regiâ fieri poſſunt.

VI. Excipiuntur certæ Abbatiæ Regni, quæ Generalibus Ordinum aſſignatæ ſunt, & aliæ, privilegio ſpeciali, in quibus jus eligendi Monachis reſervatur Conſtitutione Bleſenſi *art.* 3. §. *præterea, in Concordatis, de nominat.*

VII. Secundò excipiuntur electiones Abbatiſſarum, & Priorum Clauſtralium, quæ ex Conſtitutione Aurelianenſi à Monachis & Monialibus de triennio in triennium fieri ſolent: nam ut refert Molinæus, cùm Franciſcus I. Concordatum de nominationibus extendi voluiſſet ad Abbatiſſas (*b*) id non obtinuit reclamante Curiâ Romanâ.

VIII. Tertiò excipiuntur Beneficia vacantia in Curiâ Romanâ, §. 1. *In Concordatis, de Regia ad Prælaturas nominatione*, per obitum Prælati ibi defuncti, vel intra duas diœtas ab urbe, *Rebuff. ibid.* quorum collationem liberam Papa ſibi reſervavit: verùm in reſervatione illâ non continentur Beneficia Prælatorum pro negotiis Regni delegatorum ibi morientium, nam abſentia Reipublicæ causâ, Regi non debet eſſe damnoſa, *l. Abſentia, ff. de regulis juris.*

SOLIER.

(*a*) A Zacharia ſummo Pontifice conceſſam eſſe Pipino Regi nominationem ſive poſtulationem Epiſcoporum pro Eccleſiis vacantibus in Regno, conſtat ex Epiſtola Lupi Abbatis Monaſterii Ferrarienſis Senonum in Gallia ad Amulum Archiepiſcopum Lugdunenſem, ut intelligas, ait Spondanus, ad annum 752. cum Legis à Regibus datos Eccleſiis eſſe Epiſcopos, totum id factum; non jure proprio (quod nullum in rebus Eccleſiaſticis Reges habent) ſed conceſſione Apoſtolicæ Sedis. An autem idem jus Hadrianus Carolo magno revera conceſſerit, ut ſubdit Auctor, & habetur, *in c. Hadrianus, diſt.* 63. controvertitur, per ea quæ nos ad Flamin. Pariſ. *de Reſign. lib.* 7. *q.* 1. obſervavimus.

(*b*) Licet concordatum locum faciens Regiæ ad Prælaturas nominationi, de Monaſteriis Monialium non loquatur expreſsè, ſed virorum tantum, tradatque ibidem Rebuffus, *tit. de Regia ad Prælat. nomin.* in verbo *Monaſteriis*, ceſſare in illis Regis nominationem; tamen quia regulariter maſculinum concipit fœmininum & eadem forſan in utriſque militat ratio, ſolet Rex etiam ad Abbatiſſatus & Prioriſſatus Conventuales ad vitam provideri ſolitos, nominare: ſed quia Romani ſtrictè adhærent litteræ textùs concordati, & ſententiæ Rebuffi nulla fit mentio in Bullis proviſiis de nominatione vel conſenſu Regis, niſi Monaſterium de Regia aſſeratur eſſe fundatione.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 5. Papa *verò nominato conferre tenetur ſi ſit idoneus.* Quia idoneum nullatenus recuſare poteſt, etiam ex conſilio omnium Cardinalium, nec ſolum minùs idoneum; nam recuſatus idoneus rectè admitteretur à Capitulo, quaſi reſurgente illo jure, quo eligentibus Canonicis ſolebat adhiberi Regis conſenſus; quemadmodum olim; quando electum à Capitulo, Papa ſine rationabili cauſa rejiciebat, quorumdam fuit opinio potuiſſe tunc illum, quia non erat ſuperior ad quem recurrere poſſet, rectè adminiſtrare & ſpiritualia & temporalia, ne in his Eccleſia detrimentum pateretur,

ut notat *Michaël Rousſel, in Hiſtoria Juriſd. Pontificiæ, lib. 2. cap. 6. n. 20.*

N. 6. *Et aliæ, privilegio ſpeciali.* Declaravit Surronus Pontifex in concordato *de Regia ad Prælat. nomin.* ſe per hoc Concordatum nolle in aliquo præjudicare Capitulis Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Prioratarum, quæ privilegia proprium eligendi Prælatum à Sede Apoſtolica obtinuerunt, quin libere ad electionem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & Priorum procedere poſſent, dummodo privilegia hujuſmodi litteris Apoſtolicis, vel aliis authenticis concinnata legantur, probatione teſtimoniali prorſus rejectâ. Verùm fruſtra fuit hæc limitatio, nam deciſum eſt nullam eſſe primariam dignitatem, quæ à Rege non pendeat, ſeu jure coronæ, ſeu jure fundationis, quo ultimo præſumuntur omnes Eccleſiæ dignitatis primariæ, niſi liquidis titulis contrarium appareat, itaque non valet jamdiu apud nos hæc exceptio ſuſpenſa videlicet à Clemente VII. in gratiam Franciſci primi, hæc Michaël Rouſſel *ubi ſupra, n.* 14.

N. 8. *Excipiuntur beneficia vacantia in curia Romana.* Etiam conſiſtorialia, & Regiæ nominationis quorum Papa liberam diſpoſitionem ſibi reſervavit, ita tamen ut Rex poſſit contra proviſum à Pontifice ſe opponere, & excipere de ſuſpicione: imo ſi dignitas eſſet in partibus limitrophis, ut Narbonæ aut Carcaſſonæ, tunc Regis conſenſus neceſſarius eſſet.

Eodem N. 8. Verùm in reſervatione illa non continentur beneficia Prælatorum pro negotiis regni Delegatorum. Imo continerentur, ſed ſummus Pontifex breve Regi concedit quo ſe non uſurum fore jure reſervationis, ubi delegatum in curia mori contingeret.

TITULUS IX.

De Collatione Beneficiorum.

SUMMARIUM.

II. Papa Ordinarius Ordinariorum.
III. Si collatio Beneficiorum per turnum ſit diviſa inter Epiſcopum & Capitulum.
IV. Electio Theologi & Pœnitentiarii.
V. Collatio Beneficiorum, quæ de corpore Eccleſiæ Cathedralis non ſunt, ad Epiſcopum pertinet. Juriſdictio Epiſcopalis fundata in tota diœceſi.
VI. Collationem Beneficiorum in multis caſibus Epiſcopus non habet.
VII. Vt conſuetudine collatio Beneficii à Juriſd. Epiſcopi eximatur, quæ requirantur.
VIII. Moniales ſine privilegio jus conferendi non habent.
IX. Poſſeſſio conferendi ſufficit, ut collatio valeat. Collatio facta ab intruſo pacifico valet. Si alter à vero collatore, alter à poſſeſſore ſit proviſus.
X. Collatio Beneficii pertinet ad Commendatarium.

I. BENEFICIA conferuntur, aut jure ordinario, aut jure devoluto: non ſolùm Ordinarius confert jure ordinario, ſed etiam Papa per prævention em, & ejus Legatus: unde Papa dicitur Ordinarius Ordinariorum.

II. Collatio Beneficiorum, quæ ſunt de corpore Eccleſiæ Cathedralis, pertinet ad Epiſcopum & Capitulum, qui conferunt conjunctim, aut diviſim, per turnum; ſi conferant conjunctim collegialiter congregati, vox Epiſcopi non eſt voce unius Canonici numeroſior, licet ſit poderoſior, ut diximus ſuprà, *in tit. de elect.* niſi alia ſit conſuetudo.

III. Si verò jus conferendi ſit diviſum per vices aut turnum, vel per tempora, inter Epiſcopum & Capitulum, quod pro bono pacis ad vitandam diſcordiam interdùm fit, ſicut adminiſtratio bonorum fuit diviſa; duo ſunt advertenda. *Primùm*, quòd collatione utili vel inutili, à Capitulo vel Epiſcopo factâ, turnus conſumitur pro illa vice, quomodocumque vacet Beneficium: nam etiam actu inutili voluntas declaratur, *l. Licet transferam, ff. de adimendis legatis. Secundùm*, quòd jure devoluto Epiſcopus ſupplet defectum aut negligentiam Capituli, ut dicemus infrà de jure devoluto.

IV. Tamen quamvis ad Epiſcopum & Capitulum conjunctim pertineat collatio præbendarum, ſi de Canonicatu Theologi aut Pœnitentiarii agatur, ad ſolum Epiſcopum ſpectat electio perſonæ; ejus enim eſt cognoſcere de induſtria illorum, qui vice ipſius fungi debent in muneribus Eccleſiaſticis: & collatio præbendæ unitæ eiſdem muneribus ad eumdem Epiſcopum & Capitulum conjunctim pertinet, ut ex reſolutione Congregationis Cardinalium refert *Garcias parte* 5. *c.* 4. *n.* 136. niſi alia ſit conſuetudo: De præbenda Præceptoriali diximus ſuprà *in tit. de elect.* nam Conſtitutio Gallica in eâ novam formam præſcripſit.

V. Cæterorum verò Beneficiorum, quæ non ſunt de corpore Eccleſiæ, collatio pertinet ad Epiſcopum cum conſilio Capituli, *c. Ea noſcitur, c. Tua, de his quæ fiunt à Prælat. ſi-*

ne conſenſu Capituli, c. Cum Eccleſia, de elect. nam, ut diximus ſuprà, jure veteri bona Eccleſiæ erant communia inter Epiſcopum & Capitulum: cæterorum verò bonorum, quæ non ſunt de corpore Eccleſiæ, Epiſcopus habet adminiſtrationem cum conſilio Capituli, & fundatam Juriſdictionem in tota diœceſi, *c. Omnes Baſilicæ 16. q. 7.* ſed in hoc Regno ob ignorantiam & tolerantiam Canonicorum Epiſcopi jus illud ſibi præſcripſerunt ut conferant ſine conſilio Capituli, *Molin. de infirmis reſignantibus, num. 75.*

VI. Excipiuntur *primò* Beneficia, quorum collatio reſervatur Papæ, de quibus infrà.

Secundò, Beneficia domeſticorum & familiarium Cardinalium, quorum collatio eiſdem Cardinalibus reſervatur indulto generali.

Tertiò, Beneficia Regularia exempta à Juriſdictione Epiſcopi, quorum collatio pertinet ad Abbates & Capitulum, niſi alia ſit conſuetudo, *Rota deciſ. 105. in antiquis.*

Quartò, Excipiuntur alia Beneficia, quorum collatio pertinet ad Capitulum ſolum, aut Dignitates minores, privilegio conceſſo ob fundationem vel dotationem, aut conſuetudinem; in quibus caſibus Epiſcopus non poteſt prævenire Ordinarium, *Faber C. De Sacroſ. Eccleſ. defin. 77.*

VII. Ut conſuetudo valeat in hac materia, titulus deſideratur, bona fides, tres ſaltem collationes, quæ fuerint ſortitæ effectum Epiſcopo ſciente & patiente, & præſcriptio quadragenaria: ſi titulus deſit, poſſeſſio requiritur tanti temporis, cujus initii memoria non ſit: nam Jus commune reſiſtit, *c. 1. De præſcript. in 6. l. Hoc jure, §. Ductus aquæ, ff. De aqua quotid. & æſt. De Selva de Benef. 2. part. q. 3.*

VIII. Indulto aut privilegio idem jus etiam Abbatiſſis competere poteſt, *c. Dilecta, de majoritate & obedientia*; ſine privilegio non poteſt; nec ſi conſuetudine nitantur excedente hominum memoriam: nam mulieres, ut Laïci, ſunt incapaces juris ſpiritualis, & tractu temporis non fiunt capaces, *c. Hadrianus, 1. & c. in Synodo, diſt. 63.* niſi privilegio ſaltem præſumpto ex rumore & publicâ famâ, & aliis indiciis illa conſuetudo juvetur, *Garcias part. 1. c. 2.*

IX. Tamen ut collatio valeat, poſſeſſio conferendi ſufficit, *Rota deciſ. 557.* nam collatio eſt in fructu: fructus autem ſunt poſſeſſoris bonæ fidei, *c. Cùm olim, de cauſa poſſeſſionis & proprietatis, l. Bonæ fidei, ff. De acquir. rerum dominio*, & in Beneficiis ultimus ſtatus attenditur; quæ poſſeſſio acquiritur, ſi bona fides adſit, & titulus coloratus, etiam unica collatione, ſciente Ordinario, & non contradicente, *l. Peregrè, ff. De acquir. poſſeſſ.* nam ſi Ordinarius patiatur alterum poſſidere, poſſeſſionem amittit, *ex dicta l. Peregrè*, quia duo non poſſunt in ſolidum eamdem rem poſſidere. Quin etiam collatio facta ab intruſo habente titulum coloratum, valet quandiu pacificè poſſidet, ſi non conſtet de violentia, & mala fide, ſi jus commune non reſiſtat, & toleretur ab Eccleſia, ut de Patrono dicitur, *in c. Ex litteris, de jure patronatûs*, & de poteſtate civili *in l. Barbarius, ff. De off. Prætorum, Rota dec. 268. in novis*, donec Judicis decreto ad inhibitionem aut ſequeſtrationem proceſſum ſit. Verùm ſi Eccleſiâ vacante verus collator poſſeſſorem prævenerit, & lite pendente docuerit jus conferendi ad ſe pertinere, proviſus ab eo Beneficium obtinebit. Idem dici debet in concurſu, ſi proviſi ſint pares tempore: & ſi poſſeſſio collatorum ſit ambigua in poſſeſſorio neutrius collatio caſſabitur, ut de electione ait textus *in c. Cùm veniſſent, de in integrum reſtit.* donec conſtiterit de jure proprietatis collatoris: interim verò vindiciæ addicentur habenti titulum magis coloratum, ut dicemus infrà, aut Beneficium ſequeſtrabitur.

X. Jure conferendi Commendatarius etiam uti poteſt, nam non ſolùm ad cuſtodiam & adminiſtrationem temporalium Beneficium commendatur, ſed etiam ad ea quæ ſunt muneris & officii ſpiritualis, ut eſt collatio Beneficiorum, vel ad tempus, vel ad vitam. Idem dicitur de ſequeſtro, ſi is ſit Clericus, eique adminiſtratio ſpiritualium fuerit commiſſa, qui ſimiliter vi mandati generalis, Beneficia vacantia conferre poteſt, ne diutiùs Eccleſiæ vacent, *Innocentius in c. Examinata, de judiciis, Felinus in c. Cùm Bertholdus, de ſent. & re judic.* ſive ſit ſequeſter neceſſarius ex Judicis mandato ſive voluntarius ex mandato partium conſtitutus, modò à Judice Eccleſiaſtico ſit admiſſus, *Corraſius in paraphraſi Beneficiali lib. 2. c. 6. Duarenus de ſacris Eccleſiæ miniſteriis lib. 3. c. 11.*

SOLIER.

(*a*) PRÆBENDÆ Ecclesiæ Cathedralis de jure communi sunt simultaneæ Collationis Episcopi & Capituli, *Gloss. Per eum textum in cap. Cum Ecclesia vulterana in verb. postulavit, de electione, & in cap. ultim. in verb. communiter, de suppl. neglig. Prælat. & in cap. Irrefragabili, in verb. per Capitulum, de offic. judic. ordin.* propter communionem, quæ est inter Episcopum & Capitulum, ut inde constituatur unum corpus, *cap. Novit, de his quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capit.* vel potiùs quia Præbendæ in Ecclesia Cathedrali præsumuntur institutæ de bonis communibus Episcopi & Capituli, *Pan. in d. cap. Cum Ecclesia vulterana*; idem de semipræbendis, *Lotterius de re benef. lib. 2. q. 21. n. 22.* In Collegiatis verò inferioribus simultanea collatio de jure prætendi non potest, neque tanta est communio Episcopi cum Capitulo; unde in his solùm jus præsentandi, sive eligendi Capitulo competit, jus autem instituendi sive confirmandi ad Episcopum pertinet, Panorm. & Lotter. ubi suprà.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. ET *ejus Legatus.* Legatus quoque à latere in Provincia sibi demandata concurrit cum omnibus ordinariis in beneficiorum collatione, *c. 1. de officio Legati, in 6. c. Si à sede de Præb. eodem lib.* item in beneficiis quæ sunt de jure Patronatûs Ecclesiastico, *c. Cum dilectus, de officiis Legati*; item in Beneficiis exemptis, quia Legatus est Ordinarius exemptorum, ut notatur *in c. Abbatem, de elect. in 6.* item in Beneficiis devolutis ad Papam, *c. Venerabilis, de Præb.* vel ad Episcopos, vel Archiepiscopos Provinciæ, *Gambar. de offic. & potest. Legati, lib. 3. tit. 1. n. 13.* nisi Beneficium sit extra Provinciam, quia Legatus confert Beneficia Provinciæ, non extra, *dicto c. 1. de offic. Legat. in 6. Gambar. loco citato*, ubi carpit Glossam Pragmaticæ sanct. *in §. Item circa, in versic. Legat. de collat.* tenentem contrarium, ideoque idem Gambarus *ibidem n. 22.* tradit Legatum posse conferre Beneficia Provinciæ, quamvis devoluta ad superiorem extra Provinciam, licet communis sit in contrarium opinio, ipsomet Gambaro teste, etiam si Legatus esset extra Provinciam, *c. Novit de offic. Legat.* limitatur ut non possit conferre Ecclesias Cathedrales, Regulares Collegiatas, & Dignitates Cathedralium electivas, *c. Deliberatione, §. 1. de offic. Legati, in 6.* non devolutas, Archidiaconus *in dicto capite deliberatione*, nec reservatas, *cap. licet de Præb. in 6. cap. Quod translationem de offic. Legati.*

N. 4. *De Præceptoriali diximus suprà.* Quia nonnullis propter inopiam & legendi studium, & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi Concilio piâ fuit institutione provisum, ut per unamquamque Cathedralem Ecclesiam Magistro, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ, aliosque Scholares pauperes gentis instrueret, aliquod competens Beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur necessitas, & via pateret discentibus ad doctrinam; verùm, inquit Innoc. III. quoniam in multis Ecclesiis id minimè observatur, nos prædictum roborantes statutum adjicimus, ut non solùm in qualibet Cathedrali Ecclesia, sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur Magister idoneus à Prælato cum Capitulo, seu majori ac saniori parte Capituli eligendus, qui Clericos Ecclesiarum ipsarum & aliarum gratis in Grammatica facultate, ac aliis juxta posse instruat. *text. in Concil. Lateran. sub Innocen. III. de Magistris Scholasticis, c. 11.* renovans statutum Concilii Lateran. habiti sub Alexandro III. *art. 18.* de Præceptoriali etiam habetur in Concil. Triden. *Sess. 5. c. 1.* & in Constitutionibus Regiis Aurelianensi, *art. 9.* Melodunensi, *art. 13.* & Blesensi, *art. 33.* quæ præmissa limita nisi Ecclesia ultra decem Præbendas citra principalem non haberet.

N. 5. *Sed in hoc regno ob ignorantiam & tolerantiam Canonicorum, Episcopi jus illud præscripserunt.* Non solùm in hoc regno, sed ubique terrarum ex generali consuetudine in nullis beneficiis, extra Cathedralem Ecclesiam sitis, requirunt Concilium Capituli, quæ consuetudo valet, *ut in c. 3. de consuetud. in 6. Abbas in c. Novit de his quæ fiunt à Prælat. Lambertin. de jure pat. parte 3. lib. 2. q. 1. art. 4.* ubi ait, quòd sine dubio hæc consuetudo hodie inolevit per totum orbem, ita quod possumus dicere titulum *de his quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capituli.* recessisse ab aula, quia Episcopi hodie omnia expediunt sine Capituli consensu.

TITULUS X.

De Coadjutore.

SUMMARIUM.

I. Coadjutores conferre possunt.
II. Qui dant Coadjutores.
III. Papa dat Coadjutores cum spe futuræ successionis. Mos dandi Coadjutores in Ecclesia Africanâ.
IV. Vt Coadjutor succedat titulario.

I. COADJUTOR datus Ordinario ob infirmitatem animi conferre potest; si verò ob senium aliamve corporis infirmitatem datus sit, conferre non potest nisi ex consensu titularii, *De Selva parte 2. c. 4. Rebuff. in tract. nominationum, q. 8. n. 44.* tam-

etsi titularius absit, aut sit impeditus, *Garcias parte* 4. *c.* 5. Coadjutor enim dicitur quasi actor, *l. Solet, ff. De tutelis*: actor verò non nisi ex consensu tutoris gerit, *l. Decreto, ff. De admin. tut.*

II. Episcopi Clericis sibi subditis Coadjutores dant, *Conc. Trid. Sess.* 21. *c.* 6. sive ad Episcopum solum spectet collatio Beneficii, sive ad eum pertineat conjunctim cum Capitulo: nam datio Coadjutoris fit cum diminutione liberæ administrationis titularii; & non sine cognitione causæ ab eo qui Jurisdictioni præest fieri potest, *Panorm. in c. finali, de Clerico ægrotante vel debilitato.* Jurisdictio autem & imperium ad Episcopum solum pertinet, licet Capitulum habeat administrationem, & levem Jurisdictionem ad puniendam negligentiam & excessus Clericorum qui committuntur in Ecclesiâ, pœnâ suspensionis temporaneæ, ut suo loco dicemus.

III. Episcopi Coadjutores dant sine spe futuræ successionis; Papa verò dat Coadjutores cum spe futuræ successionis, tùm in Beneficiis majoribus, tùm in minoribus, *Navarrus con.* 1. *de Clerico ægrotante.* Hæc clausula ex indulgentia Papæ (*a*) additur; nam regulariter prohibetur, quòd inducat votum captandæ mortis, *c. Petiisti* 7. *q.* 1. Eodem jure D. Augustinus datus fuit Coadjutor Valerio Hipponensi Episcopo in Hæresim prolapso, cum spe futuræ successionis: nam in Ecclesia Africanâ collationibus habitis inter Catholicos & Donatistas id conventum fuerat, ne Episcopus in Hæresim lapsus statim deponeretur, sed ei Coadjutor daretur, ut si lapsus erigeretur Dignitati restitueretur, sin minùs Coadjutorem superstitem haberet successorem. Idem temporibus Arrianorum in Concilio Nicæno fuerat constitutum, ut notat Balduinus *in notis ad Milevitanum.* Apud nos in minoribus (*b*) Beneficiis illa clausula non admittitur; at in majoribus Beneficiis, quæ sunt Regiæ nominationis, ex consensu Regis admittitur ad conservandam Dignitatem Coadjutorum.

IV. Hâc clausulâ Coadjutor succedit in Beneficio per cessum vel decessum titularii, sine nova provisione: verùm de novo mitti debet in possessionem Beneficii; & quæ pro ingressu solvi debent dependere, & si Canonico datus sit, ultimus in Choro debet sedere, *Garcias parte* 4. *c.* 5. *n.* 77.

SOLIER.

(*a*) Sic Zacharias Papa concessit Bonifacio Maguntino ut successorem sibi designaret, *Can. Petiisti* 7. *q.* 1. quod tamen fuit prohibitum in Concilio Niceno teste Augustino Epist. 4. & 110. & in Concilio Anthiocheno, *Can. Episcopo* 8. *q.* 1. & ab Hilario Papa, *Can. Plerique*, & ab Innoc. II. *Can. Apostolica d. q.* 1. *& aliis*, & postremò cum quadam modificatione à Concilio Trident. *Sess.* 23. *cap.* 7. Scilicet ut detur dumtaxat Episcopo, vel; Abbati ob urgentem necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ à summo Pontifice examinandam & approbandam.

(*b*) Tamen Nanetensi Senatusconsulto de die 23. Septembris 1615. Scholastriæ Nanetensi coadjutor cum futura successione datus excluso devolutario, qui à clausula successionis tanquam ab abusu provocaverat, fuit confirmatus, *Fevret. de abusu, lib.* 3. *cap.* 4. quod vix ad consequentiam posse trahi crederem.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. CONFERRE *non potest nisi ex consensu titularis.* Coadjutor non potest conferre beneficia *Joan. Monach. & Archidiac. in cap.* 1. *de clerico ægrot. in 6.* per illum textum, quia in generali mandato Vicariatûs, non continetur potestas conferendi beneficia, *cap. ult. de offic. Vicarii in 6.* si tamen Coadjutor datus sit ad spiritualia Episcopo, conferet Episcopus de Concilio Coadjutoris, nisi forsan Prælatus esset omnino mente captus, tunc enim conferret solus Coadjutor, maxime si impedimentum sit perpetuum, *Dominic. in dicto cap.* 1. *de Clerico ægrot.* nec obstat quòd ibi prohibetur Coadjutori omnis alienatio, collatio autem beneficii præsertim libera censetur quædam donatio, *cap. ult. de offic. Vicarii in 6.* nam nomine alienationis quæ prohibita est administratori, intelligi debet merè voluntaria, non autem necessaria, *Argum. L. Alienationes, ff. Familiæ herciscatque* collatio beneficii est alienatio, seu donatio quædam necessaria, *Philip. Franc. in dicto cap.* 1.

N. 2. *Nam datio Coadjutoris fit cum diminutione liberæ administrationis.* Ideo nusquam dari consuevit Coadjutor invito, nisi aut in casu, dilapidationis cum ablatione administrationis, à qua de jure veniat perpetuò suspendendus juxta textum *in cap. ult.* 3. *q.* 2. *& in cap. unico de Clerico ægrotante in 6.* & ut excludatur species hæreditariæ successionis, exiguntur litteræ commendatitiæ aut Episcopi, aut Capituli, super qualitatibus Coadjutoris, & indigentia Ecclesiæ, *Gonzalez ad regul.* 8. *Cancellariæ Glossa* 5. §. 9. *n.* 48.

N. 3. *Cum spe futuræ successionis.* Coadjutorias cum futura successione prohibet Concil. Trident. nisi Ecclesiæ Cathedralis aut Monasterii urgens ne-

cessitas, aut evidens utilitas postulet Prælato dari Coadjutorem, *Sess. 27. cap. 7. de reformatio.* De cæteris autem beneficiis decretum est ibidem, ut nemini permittantur, & ita observatum est tempore Pii V. & Gregorii XIII. usque ad tempus Sixti V. à quo non obstante dicto Concilio concessa fuerunt, & tempore Clementis VIII. concedebantur in dignitatibus, Canonicatibus, & Portionibus, & aliquæ in Parrochialibus absque derogatione Concilii, teste Garcia, *de benefic. parte 4. cap. 5. n.* 23. & 24. apud nos ordinatione Aurelianensi, *art. 7.* Prælatis qui propter infirmitatem, senectutem, aut aliàs, munus injunctum implere, & gregi sibi credito providere non valerent, sibi Coadjutores debitè qualificatos, ad verbum Dei annunciandum, & Sacramenta administranda, adjungere præcipitur, eisque competentem assignare & dare pensionem, in minoribus verò beneficiis Coadjutoriæ cum futura successione nullatenus admittuntur, quia gratia Coadjutoriæ implicat expectativam & reservationem concordato nostro adversantem, & inducit votum captandæ mortis ideo prohibita, *cap. 1. & ff. 2. de concess. Præben.* & licet eadem ratio reperiatur in majoribus dignitatibus, minor tamen est in inferioribus necessitas & utilitas, quidquid sit Ludovicus XIII. suâ constitutione de anno 1629. art. 3. omnes qua concesserat Coadjutoriarum in Cathedralibus & Monasteriis nominationes, nisi jam desuper litteræ Apostolicæ fuissent expeditæ, revocat, & imposterum obtinendas nullas & invalidas declarat, & obtineri in Canonicatibus & Dignitatibus Cathedralium & Collegiatarum, vel etiam in Parrochialibus districtè prohibet, quia tamen & hodie in Episcopatibus & Monasteriis etiam cum clausula successionis tolerantur, non erit forsan supervacaneum annotare, primò Coadjutorem habere jus ad rem in Prælatura, quod jus adveniente vacatione per cessum, vel decessum Coadjuti, efficitur jus plenum, sive in re, ita ut non sit opus novâ collatione, *Fagnan. in cap. Ex parte, n. 16. de Clerico ægrot.* Secundò Coadjutorem posse cedere Coadjutoriæ invito Coadjuto coram Papa, & eo consentiente coram ordinario, *Garcias part. 4. cap. 5. n. 125. & 126.* Tertiò, in gratia Coadjutoriæ faciendam esse mentionem de obtentis Coadjutoris, quia ratione futuræ successionis est grata beneficialis, seu de beneficio, & sic intrat decisio textûs *in cap. Si motu proprio, de Præben. in 6.* & tacitis obtentis tota gratia corruit, *Garcias dicto cap. 5. n.* 147. Quartò, Coadjutorem, cum dari contingit, fieri Episcopum in partibus infidelium, id est nulla tenentium, cum onere ut Coadjuvet titularium, & ideo exercitium curæ est penes ipsum, *Abbas in cap. de Rectoribus, de Cleric. non resid.*

TITULUS XI.

De Vicario Ordinarii.

SUMMARIUM.

I. Potestas Vicarii Episcopi.
II. In mandato Vicarii Episcopi quæ requirantur.
III. & IV. Limitationes occultæ in mandato Vicarii non valent
V. Qualitates Vicarii Episcopi.
VI. Vicarius Episcopi extra Diœcesim conferre potest Beneficia.
VII. Vicarius sibi conferre non potest.
VIII. Vicarius Episcopi non potest substituere.
IX. Vicarius non potest conferre in præsentia Episcopi.
X. & XI. A Vicario generali Episcopi non appellatur ad Episcopum.
XII. Officialium in partibus remotis constitutorum munus. Arrestum.
XIII. Vicarii potestas solvitur variis modis. An Vicarius aut Officialis institutus ad vitam à successore possit destitui. Arrestum.
XIV. & XV. Episcopus plures Vicarios potest instituere.

I. VICARIUS (*a*) Episcopi sine speciali mandato Beneficia conferre non potest, *c. Finali, de off. Vicarii, in 6.* nec dispensare in causis matrimonialibus, denunciationes remittere, unire Beneficia, visitare diœcesim, de causis Episcopo delegatis cognoscere, aliave expedire quæ gratiæ sunt: hæc enim non veniunt in mandato generali, sed reservata censentur, *Rebuff. in praxi lib. 1. c. 22.* At vi mandati generalis Vicarius potest electos confirmare, præsentatos instituere, (*b*) *c. Ex frequentibus, de institut.* Beneficia conferre, quorum collatio ad Episcopum devoluta fuerat per negligentiam Capituli, alteriusve Ordinarii, & quæ vacant in mensibus Graduatorum; jus dicere, excommunicare, absolvere, aliaque expedire, quæ inhærent Jurisdictioni sibi delegatæ: nam licet Episcopus Beneficia vacantia ex causa permutationis juris necessitate compermutantibus conferre debeat, Vicarius Episcopi sine speciali mandato id agere non potest: id enim non ratione Jurisdictionis, sed jure constituto, Episcopis concessum fuit *Rota dec. 43. in antiq.* Quæ sunt Ordinis, non Jurisdictionis, non possunt delegari; tamen Vicarius Episcopi vi mandati generalis, absente Episcopo, potest dare dimissorias ad Ordines, & interstitia remittere, *Farinacius ex decisionibus Cardinalium parte 4. decis. 177.*

II.

II. De mandato Vicarii constare debet, non testibus, sed Litteris authenticis, sigillo, subscriptione Episcopi & testium munitis, & apud acta insinuatis, juxta Constitutiones Gallicas, *Papon lib.* 1. *Placitorum tit.* 2. *n.* 1. *& sequentibus, Rebuffus in praxi lib.* 1. *tit.* 21.

III. Et mandatum ad Beneficia debet esse generale non speciale, ne votum detur captandæ mortis; tamen quando Beneficium vacat, mandatum de eo conferendo fieri potest, *c. Constitutus, de conceff. præbendarum, Rota decis.* 288. *in antiquis.*

IV. Si quæ limitationes fiant in mandato sunt exprimendæ; nam limitationes occultæ non valent, & mandato non derogant, ne fides mandati exhibiti quemquam decipiat, notant Doctores *in dicto cap. constitutus*: & in mandato generali de Beneficiis conferendis veniunt etiam Dignitates, *Rota dec.* 427. *in ant.* & Beneficia vacantia per obitum aut per cessum, nisi fuerint reservata, *Rebuff.* 1. *t.* 22.

V. In Vicario generali Episcopi hæ qualitates requiruntur, quòd sit Clericus: nam Laïci spiritualia ministrare non possunt. Et in hoc Regno Constitut. Blesensi *art.* 45. requiritur quòd sit Presbyter, quòd sit Graduatus in Jure Canonico, *Conc. Trid. Sess.* 24. *de reform. c.* 16. Et Constitutionibus Gallicis Henrici II. & III. cavetur quòd sit Regnicola: nam si Laïcus sit, nihil agit: si Graduatus non sit aut Regnicola debet removeri: gesta tamen per eum valent quandiù toleratur in eo munere, *l. Barbarius, ff. de off. Prat.* Idem dicitur si quis sit defectus in forma mandati, ob publicam famam, & tolerantiam Ordinarii, *Garcias parte* 5. *c.* 4.

VI. Hoc jure Vicarius conferre potest intra diœcesim, vel extra; nam actus voluntariæ Jurisdictionis ubique possunt expediri, *l. Emancipare, ff. De adopt. Dominicus in c. si à Sede, de præb. in sext.* Idem dicitur de institutione & confirmatione, nisi judicialiter procedatur.

VII. Attamen Vicarius nec sibi ipsi, nec Episcopo à quo mandatum habet, conferre potest, *c. Per nostras, de jure patronatûs*: nam debet esse personarum diversitas, inter dantem & accipientem; Vicarius autem est imago mandantis. Episcopus Vicario suo conferre potest; & si Vicarius cui data est potestas substituendi sustituerit, nihil vetat quominùs substitutus eidem Vicario conferre possit; nam substitutus non Vicarii, sed Episcopi vicem gerit, *l. Item eorum, §. Si Decuriones, ff. Quod cujusque universitatis nomine, vel contra, & c.* 1. *de procurat. in* 6.

VIII. Vicarius non potest substituere, nisi ei data sit substituendi licentia; nam censetur electa ejus industria, *Rota decis.* 278. *in novis, Rebuff. in praxi lib.* 1. *c.* 22. *per textum in c. Clericos, de off. Vicarii:* & licet Legatus Papæ eam habeat facultatem in mandatis, eâ lege admittitur in Gallia, ut non possit substituere ad universitatem causarum, *Molin. de infirmis resignantibus, n.* 190.

IX. Præterea Vicarius non potest conferre in præsentia Ordinarii, nisi ei mandatum sit ut conferat eo præsente; multa enim in sermone tacitè excipiuntur, *l. Si cui, ff. De servit.* sic in iis quæ sunt voluntariæ Jurisdictionis suspenditur potestas Vicarii in præsentia mandantis, *l. Judicium solvitur, ff. De judiciis.*

X. Et si diversis eâdem horâ ab Episcopo & Vicario Beneficium collatum fuerit, prævalet collatio Episcopi: (*c*) nam Episcopus conferendo Vicarium prohibuisse videtur, *l. Si quis, ff. De Procurat. Felinus in c. ex parte, de reseriptis, & c. Capitulum, eod. tit. De Selva parte* 2. *c.* 14.

XI. A Vicario generali Episcopi non appellatur ad Episcopum, cùm sit idem Tribunal; neque à substituto Vicarii ob eandem rationem. At à Vicario particulari in certa parte diœcesis constituto appellatur ad Episcopum, quia diversum est Tribunal, *c. Romana, de appellat. in* 6. *& c.* 2. *de consuetudine:* tenentur enim Episcopi in partibus remotis diœcesis constituere Vicarios, seu Officiales, qui quòd aliud habeant Tribunal Vicarii foranei vulgò dicuntur.

XII. A quibus Officialibus dantur Litteræ monitoriæ ad fines revelationis, & dispensatoriæ super bannis matrimonii & inquiritur de excessib. Clericorum: verum causæ cognitio ad Episcopum remitti debet, quòd illi pœnam irrogare non possint, *Rota decis.* 63. *in novis*, nisi Episcopus eis mandaverit Jurisdictionem necessariam & voluntariam ad puniendum, & conferendum Beneficia, ut mandare tenetur in partibus sitis extra Provinciam, juxta Placita Senatûs contra Archiepiscopum Ebredunensem. Et si Vicarius aut Officialis delinquat in suo munere, Episcopus ipse tenetur, *Rota decis.* 278. *ex variis legibus ibi relatis.*

XIII. Mandatum Vicarii variis modis expirat. *Primò*, lapſu temporis, ſi ad certum tempus mandatum ſit. Verùm ſi poſt illud tempus Epiſcopus patiatur Vicarium exercere, patientiâ illius & tolerantiâ mandatum creditur durare, *l. qui mutuam*, §. *Non ideò*, & *l. qui patitur*, *ff. Mandati*, *Papon Placitorum* 2. *tit.* 2. *n.* 4.

Secundò, finito negotio mandatum particulare illius negotii gratiâ factum expirat.

Tertiò, morte naturali aut civili mandantis, depoſitione aut reſignatione ejuſdem, §. *Item Inſtit. de mandato.* Eodem jure Epiſcopo ſuſpenſo vel excommunicato facultas Vicarii ſuſpenditur; nam (ut diximus ſupra) Vicarius eſt imago mandantis. Sed dubitabatur de Vicariis & Officialibus inſtitutis ad vitam ob benemerita & ſervitia Eccleſiæ præſtita, à ſuis Epiſcopis, an morte Epiſcoporum eorum mandata finirentur. Olim ad exemplum Judicum Laïcorum, qui ſi ob ſervitia præſtita dominis fuerint inſtituti ad vitam, ab illis aut eorum ſucceſſoribus non poſſunt deſtitui, ut referunt Pragmatici ex variis Arreſtis, *Loiſeau de Officiis lib.* 5. *c.* 5. *Loët. in Lit. O. n.* 2. credebatur de Vicariis & Officialibus idem eſſe dicendum: & ita obſervabatur ex variis Arreſtis de Vicariis & Officialibus. Verùm Conſtitutione nova ad poſtulationem Cleri Gallicani contrarium cautum fuit, quòd illi à ſucceſſoribus in Prælatura deſtitui poſſint, licet ob ſervitia Eccleſiæ præſtita fuerint inſtituti ad vitam: nulla enim ratio eſt quòd Prælatus ſuis ſucceſſoribus poſſit illud onus imponere, quod in re ſpirituali ſimoniam ſapit, *c. Conſulere*, *de ſimonia.* Et ita judicatum fuit in cauſa Epiſcopi Forojulienſis, contra Vicarium à prædeceſſore ſuo inſtitutum, *Arreſto menſis Februarii*, *anno* 1644.

XV. *Quartò*, mandatum Vicarii finitur morte naturali aut civili Vicarii, vel renunciatione illius tempeſtivè facta, *d.* §. *Item*, *Inſtitut. de mandato.*

Quintò. Revocatione Vicarii tempeſtivè factâ, re integra, §. *Rectè quoque*, *Inſtit. cod. tit.* modò Vicarius ob ſervitia præſtita non fuerit inſtitutus ad vitam ab eo qui mandatum revocare deſiderat; quo caſu non niſi ob gravem cauſam, & deſtitutione dignam, mandatum revocari poteſt: & cùm fit revocatio, Vicario debet intimari, (*d*) alioquin geſta ab eo revocationem ignorante valent, *l. Si Procuratorem*, *ff. de Procuratoribus*: tamen ſi Epiſcopus alium Vicarium inſtituerit ſine revocatione prioris jam inſtituti, mandatum prioris non cenſetur revocatum: nam Epiſcopus duos pluresve Vicarios inſtituere potêſt conjunctim vel diviſim, *Gloſſ. in c. Prudentiam*, *de officio & poteſt. judic. delegat. & in c. Galliarum* 25. *q.* 2.

SOLIER.

(*a*) VICARIUS & Officialis Epiſcopi in jure confundantur, *cap. ultimo de offic. Vicar. in* 6. ſed apud nos propriis cujuſque unius ab altero diſtinguitur. Is enim Vicarius dicitur qui voluntariæ, Officialis verò qui exitus contentioſæ Juriſdictionis habet explere. *Oliveus lib.* 1. *cap.* 16. *Fevret de abuſu*, *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 4. Cancellaria Apoſtolica Vicarios Epiſcoporum nominat Officiales in expeditionibus concernentibus partes tranſalpinas videlicet Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Poloniam, Angliam, & Affricam: Vicarios verò tunc eos nuncupat cum ad alias nationes citra montanas ſcribitur, puta Italiæ, Vulgariæ, Dalmatiæ, Albaniæ, Sclavoniæ, Corſicæ, & omnes Orientis plagas. Mandoſ. ad regul. Cancel. 14. *q.* 6. *n.* 8. ad finem, *Hoieda de incompatibile benefic. p.* 1. *cap.* 15. *n.* 1.

(*b*) Contrarium mordicus tenet, *Rebuff. in praxi tit. Forma Vicariatus*, *n.* 125. *& ſeq. q.* quem jure reprehendit Antonius Cucchus *Inſtitut. lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 87. *&* 88.

(*c*) Hoc impugnat Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancell.* §. 3. *Præmial. n.* 124. poſt Rebuffum; & alios, quos citat, quibus adſtipulor; nam ratio ab Authore adducta, quæ originaliter eſt Geminiani, videlicet quod Epiſcopus conferendo Vicariam prohibuiſſe ſeu revocaſſe videtur, non poteſt quæſtioni applicari, cum non conſtet de anterioritate, ideo prior in poſſeſſione potior erit jure.

(*d*) Si tamen Vicarius poſt intimatam ſibi revocationem præſente, ac patiente Epiſcopo conferat valet collatio, quaſi inſtauratâ conferendi poteſtate, & ita judicaſſe Senatum Burdigalenſem teſtatur Boërius, *deciſ.* 347. *n.* 18. *ad finem*, quod Rebuff. non admittit *tit. Forma Vicariat. in praxi n.* 219. Cucchus verò ubi ſupra *n.* 150. diſtinguit ut procedat deciſio Burdigalenſis, ubi ſtatim poſt intimatam revocationem, aut ſaltem intra dierum octo intervallum collatio hujuſmodi fieret quaſi reliquiæ adhuc quædam officii ſupereſſe videantur, nec dum calor ille omnino extinctus eſſet, & propter veritatis primordium: atque etiam quia videntur ineſſe ea, quæ incontinenti fiunt, *L. Lecta*, *ff. Si certum petat.* Rebuffi verò ſententiæ ſit locus, quando majus temporis ſpatium intercaderet, quod ſatis placet.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. VICARIUS *Epiſcopi ſine ſpeciali mandato beneficia conferre non poteſt.* Etiam ſi mandatum, quo Vicariatus ipſi committitur generalem, ſeu plenam & liberam facultatem det

agendi, quæ ſuæ poteſtatis ſunt, ſive quæ ipſe facere poteſt, etiam ſi talia ſint, quæ ſpeciale mandatum exigant, nam in tali generali mandato non cenſentur comprehenſa, quæ ſpeciale mandatum requirunt, ut collatio beneficiorum, diſpenſatio, &c. *Gloſſ. in cap. 2. in verb. committantur, de offic. Vicarii in 6.* ratio eſt, quia ſpecialia non cenſentur commiſſa, niſi exprimantur, *cap. Qui ad agendum, de procurat. in 6.* ſi verò in mandato generali exprimatur quidpiam requirens ſpeciale mandatum adjectâ clauſulâ generali, verbi gratiâ, committimus tibi Vicario generali facultatem diſpenſandi, & alia omnia expediendi, quæ ſpecialem commiſſionem requirunt, tunc ex vi talis commiſſionis poterit Vicarius expedire etiam alia non expreſſa in particulari, dummodo ſint minora, vel æqualia, non autem majora, & graviora expreſſis, *Gloſſa fin. in dicto cap. 2. junctâ Gloſſa marginali de officio Vicarii.*

Eodem N. 1. *nec diſpenſare in cauſis matrimonialibus.* Plura quàm quæ hic recenſet author, Vicarius Epiſcopi ſine ſpeciali mandato expedire non poteſt: *Primò*, enim ex vi generalis commiſſionis poteſtatem non habet inquirendi, corrigendi, aut puniendi delicta, *cap. Licet de offic. Vicarii in 6.* quia cauſæ criminales computantur inter negotia majora, quæ ideo non comprehenduntur in generali mandato, niſi exprimantur, *cap. Quod Tranſlatione de offic. legat.* niſi Vicarius inquirat, non ut ipſe puniat, ſed ut ad Epiſcopum referat, *Ancharanus in dicto cap. Licet Pirhing. de offic. Vicarii, num.* 44. & 45. aut imponeret pœnas leves, aliàs inefficax eſſet ejus Juriſdictio, *L. ult. in fine, ff. de offic. ejus, cui mandata eſt Juriſdict. Secundò*, cauſæ matrimoniales ſpecialem commiſſionem requirunt, *Rebuffus in praxi, tit. Forma Vicariatus*, quia ad Epiſcopum ſpectant, non autem ad alios inferiores, niſi in ſpeciali commiſſione, vel immemoriali conſuetudine, *cap. Accedentibus de exceſſ. Prælat. Concil. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 20. *de reform.* & cauſæ matrimoniales criminalibus æquiparantur, & inter majores & arduas numerantur, *cap. penult. in fine de in integrum reſtitut.* hoc tamen controvertitur, de quo vide Pirhing. ubi ſupra, *n.* 46. *Tertiò*, Vicarius ſine ſpeciali commiſſione non poteſt Sinodum congregare, *Rebuffus loco citato, n.* 151. *Quartò* non poteſt dare dimiſſoriales, niſi Epiſcopo in remotis agente, *cap. Cum nullus, §. Epiſcopo de tempor. ordin. in 6.* nec indulgentias concedere, cum hic actus ſit meræ gratiæ; Rebuffus ibidem, *n.* 172. neque exercere ea, quæ ſunt ordinis, licet ipſe ſit conſecratus Epiſcopus, nec alteri committere, *ibidem, n.* 171. cætera verò quæ non poteſt Vicarius, vide apud Henricum Pirhing. *loco citato.*

Eodem N. 1. *denunciationes remittere.* Vult author, quòd Vicarius Epiſcopi ſine ſpeciali commiſſione diſpenſare non poteſt in denunciationibus matrimonii, eaſque remittere, ſed contrarium tenent & bene, *Sanchez de matrim. lib. 3. diſput. 7. n. 10. & Garcias de benefic. part. 5. cap. 8. n. 61.* nam Concil. Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de reformat. matrim.* hanc diſpenſandi, ſeu remittendi poteſtatem concedit Ordinario, nomine autem Ordinarii comprehenditur etiam Vicarius generalis, quia habet Ordinariam Juriſdictionem, *Flamin. de reſignat. lib. 3. q. 11. n. 22.*

Eodem N. 1. *quorum collatio ad Epiſcopum devoluta fuerat.* Contrarium verius, quòd ſcilicet Capitulum, Sede vacante, non conferat devoluta ad Epiſcopum per negligentiam inferiorum, *Abbas in cap. Cum olim de majorit. & obed. Joan. Monach. in cap. Quamquam, de elect. in 6. Rebuffus in praxi tit. de devolut. n. 9. Corraſ. p. 2. cap. 7. n. 1. & 2. Roſiniac. cap. 8. n. 9. & 10. Cuchus inſtitut. lib. 2. tit. 9. n. 9. 2.* eadem enim militat ratio in devolutis quæ in non devolutis, nam jus collationis beneficiorum inter fructus Epiſcopatûs cenſetur, quos Capitulum futuro Epiſcopo ſervare tenetur, *cap. Quia ſæpe, de elect. in 6. Clementina ſtatutum, de elect. cap. Cum vos, de offic. Ordinarii, Gloſſa in caput Cum olim, de majorit. & obedien.* licet ſententiam oppoſitam jamdiu tenuerint *Joann. Andreas in dicto cap. Quanquam & ibi Dominicus & Francus, de elect. in 6. Zerola in praxi Epiſcop. p. 1. in verbo capitulum, §. 5.* imo & ipſe Abbas ſibi contarius *in cap. 2. Ne Sede vacante*, & quamvis Franciſcus Pavinus *de offic. & poteſt, cap. Sede vacante p. 2. q. 2.* in hoc dubius hæreat, eâ quidem ratione, quia conferendorum beneficiorum quæ devoluta ſunt, poteſtas Juriſdictionis eſt, in qua Capitulum ſuccedit Epiſcopo, at beneficiorum collatio non eſt de Juriſdictione Epiſcopali, cum plures Epiſcopi nulla beneficia conferant, & contra multi reperiantur, qui beneficia conferunt, quamvis Epiſcopi non ſint, Cuchus ubi ſupra, *n.* 92. quo autem alio jure, ſi non Juriſdictionis conferant Epiſcopi, mirè explicat *Lotterius de re beneficiaria, lib. 1. q. 21. n. 44. junctо n. 34. & lib. 2. q. 2. n.* 4. ubi ait collationem beneficiorum non ſpectare ad Juriſdictionem, cum non competat Epiſcopo jure Magiſtratûs, ſed ſpeciali Legis conceſſione citra Imperium aut Juriſdictionem, ſicut datio tutoris, *L. Muto, §. Tutoris datio, ff. de tutelis*, in qua Magiſtratus gerit vices patris ex conceſſione Legis de eo bene præſumentis.

N. 6. *Nam actus voluntariæ Juriſdictionis ubique poſſunt expediri.* Hanc rationem improbat Lotterius, ubi ſuprà, ſi enim conferre eſſet actus Juriſdictionis, non poſſet extra territorium exerceri, *L. ult. ff. de Juriſdict. omnium judic.* rejectâ diſtinctione Gloſſæ, *ibidem* inter voluntariam, & contentioſam Juriſdictionem. Vide Lotterium, *ibidem* & nos tetigimus infrà, *L. 3. tit. ult. litt. D.*

TITULUS XII.

De poteſtate Capituli Sede vacante.

SUMMARIUM.

I. Poteſtas Capituli Sede vacante in quibus conſiſtat.

II. Vicarii Capituli qualitates.

III. Quæ Sede vacante ſint reſervata.

I. SEDE vacante Capitulum habet clavem Juriſdictionis, non Ordinis. (*a*) Hoc jure conferre poteſt Beneficia, quorum collatio ad Epiſcopum devoluta fuerat per negligentiam Ordinarii inferioris, electiones confirmare, præſentatos à patronis inſtituere, Graduatis providere in menſibus illis affectis; excommunicare, ſuſpendere, interdicere, abſolvere, viſitare, corrigere, commendare ad tempus, Litteras demiſſorias dare ad Ordines, poſt annum vacationis, non, ante, remittere interſtitia, vicinos Epiſcopos convocare, ut Sacramentum Confirmationis miniſtrent, & Ordines conferant; & poteſt alia exequi, quæ neceſſariæ Juriſdictionis ſunt, *Franciſc. de Pavinis in tractatu de poteſtate Capituli Sede vacante.*

II. Propterea Sede vacante Capitulum intra dies octo Vicarium creare jubetur, qui Doctor ſit aut Licentiatus in Jure Canonico, *Conc. Trident. Seſſ.* 24. *de reformat. c.* 16. cui ſuffragatur Conſtitutio Gallica Bleſenſis, ſuperaddens quòd talis Vicarius ſit Preſbyter, ut de Vicario Epiſcopi dictum fuit; non tamen eſt neceſſe quòd Capitulum Vicarium creat de gremio Eccleſiæ, *Farinac. in Conc. Trid. dec.* 120. alioquin ſi Capitulum ſit negligens, jus creandi Vicarium ad Metropolitanum devolvitur; & in Vicarium Capituli poteſtas, quæ ab Epiſcopo in Capitulum in caſibus ſupradictis devoluta fuerat, ſine reſervatione ulla transfertur, *Garcias parte* 5. *c.* 7. *n.* 78.

III. Excipiuntur ea quæ Epiſcopo delegata fuerant, in quibus Capitulum non ſuccedit; illa enim non ſunt Juriſdictionis Epiſcopalis, *Garcias loco cit. n.* 42. *& notavimus in tit. præc.*

IV. Excipitur etiam collatio Beneficiorum libera, quæ debet reſervari futuro ſucceſſori, ut fructus Beneficii, *c. Illa, ne Sede vacante, c.* 1. *de inſtitut. in 6.* tametſi illa collatio fieri debeat ab Epiſcopo cum conſilio Capituli, *c. Quanto, & c. novit, de iis quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu Capituli.* Idem dicitur de jure præſentandi aut nominandi, quod Epiſcopo competit.

V. Verùm ſi collatio ad Epiſcopum & Capitulum conjunctim pertineat, Sede vacante, jus Prælati accreſcit Capitulo, *d. c. Quanto, & c. novit.* nam etſi Capitulum jure ſuo uti nolit, aut non poſſit, jus illius accreſcit Prælato ratione conjunctionis, *l. Re conjuncti, ff. de leg.* 3. *c. ne Sede vacante aliquid innovetur.*

VI. *Secundò*, ſi collatio pertineat ad Epiſcopum cum conſilio (*b*) Capituli, & Epiſcopus ſit ſuſpenſus, & in mora petendi abſolutionem, Capitulum conferre poteſt, *c. Vnico, ne Sede vacante aliquid innovetur, in 6.*

VII. *Tertiò*, ſi jus conferendi pertineat ad Capitulum cum conſilio Epiſcopi, eodem defuncto aut ſuſpenſo, aut in remotis agente, collatio non debet retardari, *d. c. Vnico.*

VIII. *Quartò*, ſi Eccleſia Parrochialis vacet, Sede vacante Capitulum eam conferre (*c*) poteſt, ob periculum animarum, *c. Si Apoſtolica, de præb. in 6. Bened. in c. Rainut. verb. & uxorem, n.* 365.

SOLIER.

(*a*) IMÒ & ordinis, *Gloſſ. in cap. His quæ, de majorit. & obed.* ubi tenet, quòd licet ea quæ miniſterium conſecrationis deſiderant capitulum Sede vacante miniſtrare non poſſit per ſe, ad illa tamen exercenda vocabit vicinos Epiſcopos cum cautelæ ſtudio per *Can. Pontifices* 7. *q.* 1. idem *Gloſſa in cap. Si Epiſcopus, de ſuppl. neglig. Prælat. in 6.* quod de ordine Clericorum hodie eſt clarum & deciſum *in cap. Cum nullus, §. Epiſcopo, de temporib. ordin. in 6.* & intellige cautelæ ſtudio, id eſt cum proteſtatione quòd per hoc nullum jus acquiratur ipſi Epiſcopo ad hoc vocato, prout exponit Panorm. *in d. cap. His quæ.*

(*b*) Vel etiam aſſenſu, *d. cap. unic. §. Cum verò ne Sede vac. in 6.* ſed ſive Epiſcopus conferre debeat cum conſilio, ſive cum aſſenſu capituli, Epiſcopo deffuncto capitulum conferre non poteſt; quia negligentiam Epiſcopi ſupplere poteſt, defectum autem ſupplere non poteſt, *d. §. Cum verò & ibi Philipp. Franc.* niſi collatio ad Epiſcopum & Capitulum conjunctim ſpectaret, quia tunc uno deficiente alter confert, *d. cap. unic. in princ. cap. Quanto, & cap. Novit de his quæ fiunt à Prælat.*

(*c*) Hoc nos ſeclusâ capituli poſſeſſione verum non credimus, ſed tantum fatemur capitulum in Gallia præſcribere collationes Parrochialium Sede vacante; collationes enim ſimplicium in præjudicium juris Regaliæ non præſcribit, quidquid in contrarium dicat Paninus *de offic. & poteſt. cap. Sede vacante, p.* 1. *q.* 9. *col.* 3. quia jura Coronæ præſcriptioni non ſubjacent: nec ſufficeret poſſeſſio niſi eſſet præſcripta, non unicâ ſed pluribus probata collationibus, *Fevret in tract. de abuſu, lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 4. & in his terminis intelligenda ſunt Senatuſconſulta ſuper hoc relata à Tournet. *litt. C, n.* 28. *& Bengeo de benefic. c. de modis acquirendi benefic. §.* 16. *n.* 19. *&* 20. quamvis regulariter præſcriptio non currat contra Eccleſiam Sede vacante, cum interim careat legitimo defenſore, *cap.* 1. *& cap.* 4. *de præſcript.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. GRADUATIS *providere.* An Capitulum Sede vacante conferre possit graduatis, & nominatis, affirmat *Rebuffus de collat. §. Si quis vero, in verbo, disposuerit, in Concordat.* quia collatio est necessaria; negat validissimis argumentis Mathæus Pachus Professor Tolosanus in tractatu *de mandat. Apostol. p. 4. n. 38.* quid dicendum? opinio Pachi de jure verior, sed opinio Rebuffi servatur in praxi, quam sequuntur. Bengeus & Pinson. *de benefic. cap. de Canonic. institut. conditionibus, §. 3. n. 65. Philippus Probus ad Gloss. Pragmat. Sanct. §. Item voluit, in verbo, Absentia, addit. 4. de collat. author noster hic, Fevret de abusu, lib. 3. cap. 6. n. 6.* quantumvis gratificationi locus sit inter plures Graduatos simplices, *Choppin de sacra polit. lib. 1. cap. 5. n. 14.* quia collatio non desinit esse necessaria, *L. Uni ex familia, §. Si falcidia, de legat. 2. L. Pater, ad Legem Falcidiam.*

Eodem N. 1. *visitare.* Capitulum Sede vacante non potest facere visitationem generalem, sed tantùm particularem, de quo Rofiniac *de re Sacerdotali, lib. 3. tit. 8.* sic loquitur; si de obeunda, lustrandaque per visitationis munus tota diœcesi agatur, hoc plane est extra capituli authoritatem: sin autem offeratur in medium peculiaris quædam visitatio ad emendandos quorumdam mores, non est cur orbato capitulo, durante orbitate, illud interdicatur, quamobrem dicendum est jus illud visitationis generalis esse quid singulare, & eximium, dignum insulâ Episcopali, honore & titulo, de quo Senatusconsultum Parisiense apud Chenusium, *lib. 1. cap. 4.*

N. 3. *Excipiuntur ea quæ Episcopo delegata fuerant.* Unde Capitulum, Sede vacante, non potest visitare Monasteria Monialium exempta, quæ visitat Episcopus authoritate Apostolica, *Clementina 2. de statu Monachorum*, nec etiam in casibus, in quibus à Concil. Trident. datur Episcopo facultas procedendi tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, ut vult Garcias, *p. 5. cap. 7. n. 47.* sed adverte, quia aliud est dari à jure Jurisdictionem delegatam Episcopo, ita ut procedat authoritate Apostolicâ, ut in dicta *Clementina 2.* & aliud dari à jure, seu concilio Jurisdictionem Episcopo in aliquibus casibus, quam aliàs non habebat prorogando & extendendo ejus Jurisdictionem in illa, Capitulum non succedit, in ista sic.

N. 4. *Tametsi illa collatio fieri debeat ab Episcopo cum consilio Capituli.* Idem dicendum simpliciter, quando ad solum Episcopum cum Concilio, vel assensu Capituli alternative pertineret collatio, quia perinde est, ac si eam Concilio tantùm haberet, fieri, *Pavinus de potest. cap. Sede vacan. p. 2. q. 1.* quia in alternativis sufficit alterum verificari, & in tantum non valet collatio Capituli, ut etiam si talis collatio confirmaretur per Papam in forma communi non validaretur, textus *in cap. Illa, ne Sede vacante*, & ponit rationem, quia nusquam cautum invenitur in jure quòd Capitulum, Sede vacante, fungatur vice Episcopi in collationibus Præbendarum, & consequenter videtur prohibitum, *Argum. cap. Inter corporalia de translat. Episcop. cap. Si Evangelica, distinct. 55. cap. Consuluisti 2. q. 5.* idem determinat textus *in cap. 1. de instit. in 6.* quia collatio est in fructu, *Glossa in cap. Cum olim de majoritate & obed.* fructus autem conservantur futuro successori, *cap. Qui sæpè, de elect. in 6. Clemen. statutum eodem tit.*

TITULUS XIII.

De Curatore dato à Papa, Sede vacante, & jure Regaliæ.

SUMMARIUM.

I. Sede vacante Papa dat curatorem.
II. Regalia in Gallia juris antiqui.
III. Regaliæ privilegia.
IV. Rex lucratur fructus Ecclesiæ vacantis. Arrestum.

I. VERUM ne diutiùs Ecclesiæ vacent, Sede vacante Papa Curatorem creat, qui Beneficia vacantia conferat, & concurrit cum illo jure præventionis ut cum ipso Ordinario, *Ricius in praxi de forma Vicariatûs, c. 1.*

II. Et in Gallia Rex vel Oeconomus ab eo datus, Sede vacante, Beneficia confert jure Regaliæ, quod jus sibi vindicat ex consuetudine antiqua, ratione patrocinii quod Ecclesiæ præstare tenetur, *c. Generali, de elect. in 6.* nam Regibus potestas à Deo datur non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium, ut ait D. Augustinus *in Joannem*, & scripsit Leo Pontifex Imperatori Leoni.

III. Hoc jure Rex Sede vacante confert Beneficia vacantia per cessum aut decessum, admittit resignationes in favorem, ut Papa, & pensiones (*a*) creat, *Molin. de infirmis resignat. num. 422.* sive Beneficia vacent de jure & de facto, sive de facto solùm vacent: nam si Papa aut Episcopus Beneficium vacans contulerit, & moriatur, aut Episcopus deponatur, antequàm provisus possessionem ejusdem Beneficii adeptus sit, Rex qui reperit Sedem vacantem, idem Beneficium quod à Papa aut Episcopo jam datum fuerat alteri conferre (*b*) potest, qui licet sit posterior præfertur ei qui à Papa vel Episcopo provisus

fuerat, quod sæpè accidit Apostolicis impetrantibus, qui non tàm citò suas signaturas possunt recuperare, & possessionem Beneficii obtenti adipisci: quin etiam licet provisus à Papa vel Episcopo per Procuratorem possessionem Beneficii sibi collati adeptus sit, aut post adeptam possessionem sibi controversia moveatur ab alio, & inter moras Episcopali Sede vacante Regalia aperta sit, Rex idem Beneficium alteri conferre potest; nam Regalia fictionem juris non admittit, & controversias litigantium dirimit, ex Constitutione Philippina, *Duarenus de sacris Ecclesiæ ministeriis lib. 3. c. 2. Papon. lib. 2. tit. 3. num. 5.* tantumque tribuitur Regalistis, ut contra ipsos res non debeat sequestrari, in dubio secundùm ipsos vindiciæ debeant judicari, *Papon. loco citato*: & jus Regaliæ adeo liberum est, ut reservationibus non limitetur, Concilio Lateranensi, quo post semestre jus devolvitur, non præscribatur, & regulis Cancellariæ Romanæ non limitetur: nam litteræ collationis Regiæ valent, etiam si in illis forma juris fuerit omissa, nomen diœcesis aut qualitas, vel valor Beneficii non fuerit expressus, modò constet de corpore Beneficii, *Joannes Gallus q. 21. Molineus ibid.* & Rex à Papa vel Legato post aperturam Regaliæ non potest præveniri, licet Beneficium vacet in Curia, *Rebuff. in tract. nominat. q. 15. art. 9.*

IV. Eodem jure, Sede vacante, Rex habet administrationem bonorum temporalium Ecclesiæ vacantis, & fructus facit suos, jure (*c*) non refragante, *d. c. generali*: sed cæterarum rerum spiritualium administratio Capitulo relinquitur, ut dictum fuit suprà. Quamobrem cùm Sedes vacat, postulante Procuratore Regio, Vicarius Senescalli solet accedere, & bona Episcopatûs annotare facto inventario, per œconomum à Rege institutum bona Episcopatûs administrantur, illo temperamento in Litteris adjecto, aut subintellecto, ne œconomus Officiarios Justitiæ à defuncto Prælato institutos aut colonos possit expellere: nam possessio Regis est momentanea; Rex est instar sequestri, sequester autem non potest expellere colonos: sic judicatum fuit in hac Patria in gratiam firmariorum Archiepiscopatûs Aquensis & Grapharii, anno 1645. Et ita observatur alibi, ut notavit *Bacquet.*

V. Regalia locum habet, sive Sedes vacet per cessum vel decessum, sive causa possessionis per novam provisionem mutetur, *Joannes Gallus q. 20. Papon Placitorum lib. 2. tit. 3. n. 18.* & durat donec Sedes fuerit repleta, juramentum fidelitatis à successore præstitum, (*d*) & œconomus Regius Litteris Regiis fuerit abire jussus.

VI. A Regalia excipiuntur. *Primò*, Beneficia pertinentia ad collationem Ordinarii inferioris (*e*) Episcopo. *Secundò*, Beneficia Curata, (*f*) quæ Sede vacante à Capitulo conferri possunt, ut diximus suprà. *Tertiò*, Beneficia Patronata (*g*) *Gomesius de infirm. resign. q. 17.* nam præsentatorum institutio & electorum confirmatio, Sede vacante, pertinet ad Capitulum. *Quartò*, excipiuntur Ecclesiæ in quibus ex consuetudine antiqua aut privilegio (*h*) Capitulum Sede vacante Beneficia conferre solet: neque enim dubium est quin privilegio aut consuetudine Capitulum possit jus illud acquirere, ut constat ex Edicto Henrici IV. anni 1606. *art.* 27. quo Ecclesiæ exemptæ privilegio à Regalia, excipiuntur. (*i*)

SOLIER.

(*a*) Imò opinio magis communis est neminem extra Papam pensionem in hoc regno admittere posse, *Corras. in Paraphrasi Sacerdot. p. 1. cap. 4. post Rebuff. de pacific. possess. n. 120.* atque ideò nec ipsum Regem pendente Regaliâ, *Loüet. Ad regul. de public. resignat. n. 175. Fevret. de abusu, lib. 2. cap. 5. n. 9.*

(*b*) Si tamen à Papa beneficium per resignationem in favorem fuerit collatum Rex apertâ Regaliâ beneficium hujusmodi non confert tanquam de jure, aut de facto vacans antequam resignatarius possessionem beneficii fuerit adeptus, *Brod. ad Loüet. litt. B, cap. 13. n. 14. & n. 16.* quia prius neutro modo vacat: non quidem de jure, quia jus à resignante non abdicatur ante captam à resignatario possessionem ob conditionem resignationi insitam, *Flamin. Paris. de resig. lib. 1. q. 7. n. 10. & 11.* nec vacat de facto, quia interim resignans possessioni incumbit, *ibid. n. 9.* Quare expunge quæ nos ad eundem Flaminium *de resig. lib. 1. q. 7.* alias in contrarium adjecimus.

(*c*) Quamvis aliàs jus Regaliæ contra jus commune in suis maximis dicatur potius laborare, quàm illi assistere, *Probus ad Gloss. Pragm. Sanction. tit. de pacific. possess. in verb. Coloratum, n. 22.*

(*d*) Et in Camera computorum insinuatum aliàs durat Regalia, nisi bona Episcopatûs non fuerint annotata: tunc enim non est opus ut juramentum registretur, cum id solùm fiat ad effectum ut per Arrestum dictæ Cameræ levetur manus Regia quam levare non convenit ubi non fuit apposita, & ita judicatum in Senatu Parisiensi refert Dufresne in suo causarum publicè peroratarum Diario, *lib. 2. cap. 13.*

(*e*) Modo iste inferior solus non autem conjunctim aut alternis vicibus cum Episcopo conferat, aliàs in qualibet vacatione confert Rex solus

aperta Regalia ex recentioribus Senatusconsultis relatis in Diarii causarum continuatione, *lib.* 8. *cap.* 26. quamvis aliud velint Probus *in tract. Regal. q.* 13. *Ruzeus in simili tract. privil.* 8. *n.* 5. *& n.* 16. *& privileg.* 3. *in fine*, *Gloss. Pragm. in verb. Facienda*, *de collationibus*; ratio est quia cum omnes collationes de jure communi spectent ad Episcopum non potuerunt alteri communicari in præjudicium Regis: nisi tractatus à Senatu Parisiensi fuerit approbatus. Sed quid dicendum de Præbendis Ecclesiæ Cathedralis? sunt enim de *jure communi* simultaneæ collationis, *cap. Cum Ecclesia*, *de elect. cap. Quæsivit*, *de iis quæ fiunt à maj. part. Capit. cap. Præposuit*, *de concess. Præb.* & certè si ex titulo fundationis aut longa consuetudine sint hujusmodi, cessat Regalia: secus verò si ex transactione in Senatu non confirmata, *Brod. ad Louët. litt. R*, *cap.* 56. *n.* 3. *&* 4.

(*f*) Olim tamen beneficia curata veniebant in Regalia, si Molineo credere fas est ita asserenti *ad regul. de infirm. resig. n.* 420. *ex cap. Hadrianus* 2. *dist.* 63. Sed apage pudendum contra omnem etiam oculatam fidem mendacium: non eget Augustum Regaliæ jus Optimum Maximum ad amplitudinem fictitiis adulatorum incrementis, & sicut suarum adeptione partium reperitur absolutum, ita fieret alienarum additione monstrosum. Fallitur itaque, seu potius fallere intendit Molineus: *Primò*, enim solitarius est & Saturnina ejus sententia, cui tota Regalistarum schola resistit, teste Lovetio Molineum *ibidem* reprobante. *Secundò*, Cura animarum implicat missionem Apostolicam & Jurisdictionem fori pœnitentialis, manatque à potestate clavium, quæ non cadit in Laïcum, *Can. Cum ad verum*, *dist.* 96. unde licet institutio tituli collativa possit ad inferiorem Episcopi jure speciali vel consuetudine pertinere, institutio tamen auctorisabilis ut cura exerceatur, est ab Episcopo inabdicabilis, ut optimè deducit Lotter. *de re benefic. lib.* 2. *q.* 12. *n.* 6. *& seq.* *Tertiò*, capitulum Hadrianus merum conventum continet à Sigeberto Schismatico in gratiam Henrici Imperatoris etiam Schismatici confictum ut probant Baron. & Spondan. ad annum Christi 774. *Quartò*, esto quòd vera narret Sigebertus, cujus verba exscripsit Gratianus in dicto capitulo, de collatione Parrochialium aliquid neuter habet, sed tantùm de electione summi Pontificis, Laudimio & investitura Archiepiscoporum & Episcoporum Regi Carolo Magno per Hadrianum in Synodo concessis. *Quintò*, Idem Molineus in commentario ad Senatusconsulta Franciæ adversus quos vocat abusus Papæ *Gloss.* 15. *n.* 31. imperitos vocitat Canonistas quod existiment Regem in Regalia beneficia conferre ex privilegio Papæ, quod tamen verum esset, si ex prætensa sibi ab Hadriano indulta facultate beneficia etiam curata conferret. Respondet Molineus jura & privilegia hujusmodi non tunc primùm concessa, sed tantùm confirmata: sed verba resistunt: dicit enim Sigebertus quòd Hadrianus dedit: Gratianus verò quod Papa cum universa Synodo tradiderunt jus & potestatem Carolo: at qui confirmat nihil de novo dat, sed jus quæsitum declarat, & qui rem traditam recipit non habebat ante traditionem.

(*g*) Distingue beneficia juris patronatûs Ecclesiastici à beneficiis Laici patronatûs: illa Rex confert in Regalia spreto patrono, quia Regalia est antiquior & potior omni jure Canonico, *Molin. in consuet. Paris. §.* 27. *n.* 9. *Joan. Galli*, *q.* 170. *ubi idem Molin. in verb. Sexti*, *& ad q.* 20. *in princ. in verb. titul. Brod. ad Lovet. litt. R*, *cap.* 47. *n.* 1. *Dufresne in suo causarum Diario*, *lib.* 3. *cap.* 19. & Rex conferendo in Regalia utitur non solum jure ordinarii, sed etiam Papæ, ut ex Molineo ait Author noster infrà hoc *lib. tit.* 18. *n.* 33. at beneficia Juris patronatûs Laïci non confert sine consensu patroni, iidem Authores *ibidem*, quia est jus domaniale: patronus tamen Laïcus Regi præsentabit non autem Capitulo vel futuro Episcopo, Dufresne ubi suprà, *lib.* 4. *cap.* 3. nisi tempore præsentationis intra quadrimestre factæ, sedes Episcopalis sit repleta, quia tunc instituit Episcopus, quamvis nominatio patroni fuerit facta sede adhuc vacua, *ibid.* An autem Rex conferat beneficia electiva, apertâ Regaliâ? negat author ex quo de jure Capitulum Sede vacante confirmat electos: sed eadem videtur ratio in electivis quæ in patronatis: cum etiam de jure Capitulum instituat præsentatos.

(*h*) Hodie in Regno nulla Cathedralis Ecclesia consuetudine vel privilegio à jure Regaliæ eximitur: quia jura Coronæ præscriptioni non subjiciuntur & privilegium hujusmodi ultra vitam Regis concedentis? non extenditur, *Argum. cap. Veniens*, *de transact.* nisi titulo oneroso fuerit exempta ut Ecclesia Altissiodoren. & Rotomagen. *Brodel*, *ad Louët. litt. R*, *cap.* 56. *n.* 2. *&* 3. nec non Ecclesia Ambianensis, quam à Regalia liberam declaravit Senatus die ultima Januarii 1662. Diarii *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 35.

(*i*) Quinto loco excipiuntur à Regalia Præbendæ Theologales, *Brodel. ad Lovet. litt. P*, *cap.* 46. *n.* 2. quia missionem Apostolicam ad prædicandum Verbum Dei continent. Item Præbendæ præceptoriales, ut vult Brodellus; non autem præbenda pœnitentiarii, nec præbenda Archipresbyteri, quamvis annexam habeat curam animarum, idem *ibid.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 3. SIVE *de facto solum vacent.* Vel tantùm de jure, ut Philippina constitutione declaratur, nec verum est quod Pastor asserit N. præcedenti Oeconomum à Rege datum, Sede Episcopali vacante, beneficia conferre in Regalia, quia imò ipse Rex solus jus illud regium exercet.

Eodem N. 3. *& controversias litigantium dirimit.* Rex apertâ Regaliâ litigiosa beneficia confert, ita tamen, ut si possessor beneficii bonum jus foveat, regalistam excludat, si vero pars altera qui possessionem non habet jus tamen habeat, regalista vincet utrumque, quia ex parte possessoris beneficium vacat de jure, ex parte verò jus habentis, & non possessionem, beneficium vacat de facto, & Regaliæ subjicitur, æque ita ut regalista excludatur, & Regaliæ non sit locus, requiritur quòd beneficium sit repletum de jure & de facto in una & eadem persona.

N. 6. *Beneficia patronata.* Perfunctoria excidisse videtur exceptio hæc, cum certum sit beneficia juris patronatûs Ecclesiastici Regem omisso patono, Laïci verò ad præsentationem patroni in Rega-

lia conferre quoties inſtitutio ad Epiſcopum ſede repleta ſpectaret, *Brodel. ad Lovet. litt. R, cap.* 47. Author noſter infra hoc libro, *tit. de jure pat. n.* 33. de quo ſtat Senatuſconſultum Pariſienſe in cauſarum Diario, *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. ſed iſtud & quod ſuprà hîc *litt. G*, annotavimus nuperrimè piâ Regis declaratione fuit immutatum, quâ Princeps religioſus ſe impoſterum non alio jure in Regalia, quàm quod Epiſcopo ſede plenâ competeret uſurum fore profeſſus eſt, & ſic quamvis indiſtinctè beneficia patronata cadant in Regalia conferenda, veniunt ad præſentationem patroni Eccleſiaſtici, ac Laïci.

TITULUS XIV.

Quibus modis libertas Ordinariorum minuatur.

SUMMARIUM.

I. Collatio ordinariorum libera.
II. Vt procedatur in collatione Eccleſiæ Parrochialis.

I. ORDINARII liberè conferunt, *c. Omnes Baſilicæ* 16. *q.* 7. *c. Decretum*, *c. Sic quidam* 10. *q.* 1. ſicut electores liberè eligunt, *c. Quia propter de electione* : tamen in certis caſibus libertas Ordinarii tollitur ; nimirùm, ſi Eccleſia Parrochalis vacet ; ſi Beneficium vacans ſit reſervatum, reſervatione generali aut particulari, privilegio Graduatorum, Litteris expectativis, mandato de providendo, indultis, præſentatione Patroni, & reſignatione factâ ex cauſa permutationis.

II. Nam vacante Eccleſiâ Parrochiali, ex Concilio Tridentino (*a*) Clerici aſpirantes ad illa munera, edicto propoſito convocantur, & præmiſſo examine Beneficium confertur digniori ; in quo examine non tam attenditur doctrina, quàm probitas, & aptitudo actualis ad muneris exercitium & curam animarum, ut multis probat *Riccius deciſ.* 414. & notavimus ſuprà *in tit. de electione* : alioquin ſi Beneficium conferatur minùs digno ; prætermiſſo digniore, eodem conquerente collatio infirmatur ; & ſi non conqueratur, firma manet, *arg. leg. Filio præterito. ff. De injuſto rupto & irrito facto teſtamento* : optimum eſſet ob regimen animarum jus illud introducere in Gallia, ubi Concilium nondùm fuit receptum : hoc jure tolleretur prævention Papæ & Legati, acceptatio perſonarum ſubmoveretur, virtus præmiaretur, & ſaluti animarum conſuleretur : an liceat appellare à Judicio Epiſcopi, dicam infrà *tit.* 15. *lib.* 2.

SOLIER.

(*a*) *Seſſ.* 24. *cap.* 18. *de reformat.* aliàs collatio eſt ipſo jure nulla, etiam ſi Epiſcopus contulerit perſonæ quantumvis notoriè doctæ, idoneæ & bene meritæ, *Garc. de benefic. p.* 9. *cap.* 2. *n.* 102. *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 60. *n.* 13. ubi adducit Aloyſ. Riccium tenentem proviſum de Parrochiali non ſervatâ formâ Concilii non eſſe tutum in foro conſcientiæ ; quod apud nos non obtinet.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. IN *certis caſibus libertas Ordinarii tollitur.* Apud nos libertas Ordinarii in Parrochiali Eccleſia non minuitur concurſu, reſervatione, vel mandato, vel providendo, concurſus enim pro Parrochiali non obtinet in Gallia, ut conſtat ex uſu regni, & voto Authoris concurſum optantis ; item reſervationes hinc jam diu ſublatæ ſunt per concordata, & pariter mandata Apoſtolica exularunt, per Concil. Triden. penitus aboleta, & ſucceſſerunt Graduati, indultarii, & nominati Regii ob jucundum regni adventum, & præſtitum à novo Præſule fidelitatis ſacramentum.

N. 2. *Clerici aſpirantes ad illa munera edicto propoſito convocantur.* Ut ſcilicet ſcientiæ periculum faciant ; ſunt tamen caſus nonnulli, in quibus ceſſat concurſus : *Primò*, in Parrochiali acceſſoriæ unita dignitati, *Garcias*, *part.* 9. *cap.* 2. *n.* 192. *& ſeq. Secundò*, in Eccleſiis Collegiatis curam animarum habentibus, ut *ex cap. Statutum*, *de elect. in* 6. declaravit ſacra Congregatio Concilii Teſte Garcia *ibidem. Tertiò*, in beneficiis regularibus curatis, idem, *ibidem*, *n.* 197. etiam ſi ſint ſolita commendari ſæcularibus, ut ſubdit, *n.* 199. *Quartò*, in Parrochialibus juris patronatûs Laïcorum non requiritur concurſus, ſed ſolùm præſentatus examinandus eſt ab ordinario cum tribus ſaltem examinatoribus Synodalibus, & illi idoneo reperto inſtitutio concedenda, *cap.* 18. *Seſſ.* 24. *Concil. Tridentini*, niſi plures præſentati ſint, tunc enim inter ipſos requiritur examen per concurſum, *Gonzalez*, *Gloſſ.* 6. *n.* 138. ſecùs in Parrochialibus juris patronatûs Eccleſiaſtici, vel etiam mixti, *Garcias ubi ſupra*, *n.* 261. & 278. *Quintò*, in Vicariis perpetuis, *Regolin. de offic. & poteſt. Epiſc. cap.* 50. §. 3. *verſic.* 8. in concurſu debet præferri dignior, *Garcias dicto cap.* 2. *n.* 229.

TITULUS

TITULUS XV.

De Reſervationibus.

SUMMARIUM.

I. II. & III. Caſus in quibus collatio Beneficii Papæ reſervatur.
IV. & V. Reſervatio tacita.
VI. Reſervationes ſublatæ. Reſervatio Beneficiorum in Curia vacantium.

I. RESERVATIONIBUS libertas Ordinariorum minuitur: nam ſi Beneficium ſit reſervatum à Papa, collatio facta ab Ordinario infirmatur, ſi Papa conferat alteri; ſi verò Papa non conferat, collatio Ordinarii firma manet, ex tacita conditione juris, quæ in reſervatione ineſt, ſi Papa eo jure utatur.

II. Reſervatio fit expreſsè aut tacitè per manûs appoſitionem: (*a*) expreſsè fit Conſtitutione generali aut ſpeciali. Nam, *Primò*, Beneficia eorum qui moriuntur in Curia, vel intra duas diætas à Curia, reſervantur Papæ, *c. 2. & c. præſenti, de præb. in 6.* niſi Eccleſia Parrochialis vacet, quo caſu ob periculum animarum ab Ordinario conferri poteſt, *c. Si Apoſtolica, de præb. in 6.*

III. *Secundò*, Beneficia vacantia per adeptionem alterius Beneficii incompatibilis reſervantur Papæ, *Extravag. execrabilis, de præb.*

Tertiò, Beneficia Cardinalium, Officialium, & Legatorum Sedis Apoſtolicæ, per obitum ipſorum vacantia ſimiliter reſervantur, *Extravag. ad regimen, de præb. & Extravag. ad Romani Pontificis providentiam, de conceſſ. præb.*

Quartò, Beneficia quæ vacant Epiſcopali Sede vacante, fuerunt reſervata Sedi Apoſtolicæ Conſtitutionibus Pii V. & aliorum Pontificum.

Quintò, Beneficia vacantia ex delicto hæreſeos reſervantur Conſtitutione Pii V. nec non ea quæ vacant ex confidentia, Conſtitutione Pii IV.

Sextò, Pontifices variis Conſtitutionibus certos menſes anni reſervaverunt in gratiam pauperum? Paulus V. Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. & Sixtus V. ut notat *Garcias parte 5. c. 1.* Quibus Conſtitutionibus in Gallia ſucceſſit privilegium Graduatorum, de quo dicemus infrà.

IV. Manus autem apponitur, & ſic Beneficium tacitè reſervatur. *Primò*, per collationem etiam nullam & invalidam, ſive ſit defectus formæ in Litteris, aut capacitatis requiſitæ in proviſo, *c. Inter dilectos, de exceſſu prælatorum:* ſecùs ſi collatio ſit invalida ob defectum cauſæ, vel falſum vacandi modum.

Secundò, Per Commendam ad tempus, vel ad vitam, aut unionem Beneficii factam in gratiam perſonæ, *Garcias part. 5. c. 1.*

Tertiò, per depoſitionem factam in Curia, caſſationem electionis aut collationis, aut per renunciationem Beneficii ibi factam & admiſſam, *Extravag. ad regimen, de præb.*

Quartò, ſi collatio facta à Papa fiat inutilis ob defectum regulæ de viginti, (*b*) aut regulæ de publicandis reſignationibus, vel ob defectum promotionis. (*c*) In quibus caſibus Beneficium cenſetur reſervatum; nam per appoſitionem manuum ſuperioris ligantur manus inferioris.

V. Verum ne illis reſervationibus Ordinarii nimium diſpendium paterentur, in Concilio Lugdunenſi cautum fuit collationem Beneficiorum in Curia vacantium reſervatione generali aut particulari expreſſa vel tacita, poſt menſem ad Ordinarios liberam redire, niſi intra illud tempus à Papa collata fuerint, *c. Statutum, de præb. in 6.* Quod capitulum licet loquatur ſolùm de Beneficiis in Curia vacantibus, ad cæteras reſervationes tùm generales tùm particulares ob eandem rationem extenditur.

VI. Et jure novo reſervationes ſublatæ ſunt in Concilio Baſilienſi, & Concordatis de reſervationibus ſublatis, quòd jus commune læderent, excepta reſervatione Beneficiorum vacantium in Curia per ceſſum vel deceſſum, depoſitionem aut nullitatem (*d*) tituli, in quibus caſibus collatio Papæ reſervatur: & poſt menſem Ordinariis ea conferre licet, quod tempus numeratur à die vacationis, *dicto c. Statutum*; & poſt ſemeſtre, ſi Ordinarius non conferat, jus devolvitur ad Superiorem, ut dicetur infrà.

SOLIER.

(*a*) Hæc tacita reſervatio dicitur propriè affectio & naſcitur ex appoſitione manûs Papæ, cui datum eſt in prærogativam ſupremæ poteſtatis, ut in quibus manum appoſuerit alii ſe non intromittant. Sic ex quo ad cauſam coram alio pendentem manum appoſuit, inferior ille ampliùs cognoſcere non poteſt, *cap. Ut noſtrum, de appellat.* & ut primum jura alterius confirmavit, de illorum validitate alius non cognoſcit, *cap.* 1. *&* 2. *de confirmat. util. vel inutil.* Similiter ſi Papa manum appoſuit aliquem ordinando, nullus niſi Papa poteſt ad ſuperiores ordines promovere, *cap. Cum in diſtribuendis, de temp. ordin.* & pari ratione cum de Beneficii proviſione agitur ex Papæ manûs appoſitione Beneficium ejus eſt diſpoſitioni affectum donec ſit plenè proviſum, ut videre eſt in commenda juxta notata per Archidiaconum & Joann. Andr. *in cap. Is cui, de elect. in 6.* Sed iſta manûs appoſitio Papæ non afficit in Gallia, *Rebuff. in praxi, tit. de reſervat. n.* 35. *Molin. ad regul. de infirm. reſig. n.* 178. *& ad regul. de veriſ. not. obitus, n.* 67. obſtante decreto de reſervat. ſublat. in Concordat.

(*b*) Contrarium eſt tenendum, nedum in Francia ſed ubique contra *Gomeſ. ad Regul. de infirm. reſig. q.* 33. *&* 34. *& ad regul. de impet. benefic. vacant. per obit. famil. Cardin. q.* 5. quia vacatio per obitum inducta per regul. de infirm. reſig. vel per regul. de public. reſig. eſt vera & non ficta vacatio ut probat *Molin. ad regul. de infirm. n.* 284. *& ad regul. de public. n.* 106. & ita tenent nedum *Molin. d. n.* 284. ſed etiam ipſe Simoneta *de reſervat. q.* 28. *n.* 6.

(*c*) Quinto loco beneficia afficiuntur per reſervationem revocatam, aut per mortem Papæ, vel aliàs ante effectum ſuum extinctam, *Simonet. de reſervat. q.* 63. nec obſtat textus *in cap.* 2. *&* 3. *de Præb. in* 6. ubi poteſtas redit ad ordinarium quia ibi expreſsè hoc cautum eſt, alioquin propter, affectionem ordinarius non potuiſſet ſe intromittere, licet expiraſſet reſervatio; ſed vana eſt apud nos hæc indagatio.

(*d*) Reſervatio ex nullitate tituli Papæ inſurgens non agnoſcitur, in Gallia tum quia manus appoſitio ibi nihil operatur ut jam monuimus, tum etiam quia in patria obedientiæ, ubi reſervationibus locus eſt, tamen adhuc quando Papa ſimpliciter procedit conferendo non cenſetur ſibi afficere nec reſervare beneficium: & ſic nihilominus poteſtas redit vel remanet penes ordinarium, ut ex Panorm. *in cap. Inter dilectos, de exceſſib. Prælat. tradit Molin. ad regul. de veriſim. not. obit. n.* 67. unde ſi beneficium morte, ceſſione, vel aliàs vacans in curia, Papa infrà menſem contulerit incapaci vel alias nulliter, manus appoſitio nullomodo impedit poteſtatem redire ad ordinarium ſtatim poſt menſem juris à die vacationis non à data collationis computandum juxta *cap. Statutum de Præb. in* 6. *Molin. ibid. n.* 68. ubi notanter ait quod menſis continuò currit etiam ſi collatarius Papæ nolit acceptare, vel Sedes Apoſtolica vacet, contra *Gloſſ. & DD. in d. cap. Statutum, & in cap. Si Apoſtolica, de Præb. in* 6. & quòd Parrochiales Eccleſiæ numquam vacant in curia ad effectum reſervationis Sede Apoſtolicâ vacante, licet antè vel poſt ſit vel fuerit repleta, his adde à nobis dicenda infrà, *lib.* 3. *tit.* 10. *litt. C.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. EXPRESSE *ſit conſtitutione generali.* Et hæc reſervatio dicitur in corpore juris clauſa, quæ propriè unica eſt, quæ ſcilicet per obitum apud ſedem contingit, vel intra duas dicetas à curia, *cap.* 2. *& cap. Præſenti de Præb. in* 6. beneficia verò reſignata in curia dicuntur quidem vacare in curia, ſed non apud ſedem, quia iſte modus reſervationis non eſt in corpore juris clauſus; item reſervatio poſita in extravag. ex debito, & alia inducta per extravagantem ad regimen, & alia poſita *in extravag. execrabilis de Præben.* non dicuntur in corpore juris clauſæ, quia imò extra jus vagantur, *Gomeſius ad regulam de trien. poſſeſſ. q.* 31. ubi alias reſervationes in corpore juris clauſas commemorat; *Prima*, eſt in tranſlationibus Epiſcoporum, *Secunda*, in Epiſcopatu, vel dignitate vacante per depoſitionem, *cap. Inter de tranſlat. Epiſc. cap. Niſi, & cap. Poſt tranſlationem de renunciat. Tertia*, quando Epiſcopus eſt captus à Paganis vel Schiſmaticis, *cap. Si Epiſcopus, & ibi Gloſſa ult. de ſupplem. negligentiæ Prælatorum in* 6. *Quarta*, quando Epiſcopus propter ſenium, aut aliud impedimentum corporale perpetuum non poteſt officium ſuum exercere, tunc enim ſolus Papa poteſt providere, *cap.* 1. *§. Si autem Epiſcopus, de cleric. ægrot. in* 6. *Quinta*, quando Cathedralis Eccleſia clero & populo Chriſtiano caret, *Gomes. ibidem.*

Eodem N. 2. *aut ſpeciali.* Duplex itaque eſt reſervatio generalis, & ſpecialis; temporibus autem Alexandri VI. à quibuſdam Doctoribus excogitata fuit, & poſtmodum uſitata tertia ſpecies, videlicet reſervatio mentalis, per quam Papa reſervabat beneficium vel in ſpecie, vel in genere per Bullam, vel breve, ut perſonæ gratæ provideret, quam non exprimebat, ſed in mente retinebat, *Simoneta de reſervat. q.* 4. verùm enim verò Trident. Concilium non modò has mentales reſervationes abſtulit, ſed quaſcumque pariter gratias ad vacatura, mandatave de providendo, & expectativas, nemini ampliùs etiam Collegiis, Univerſitatibus, Senatibus, aliiſque ſingularibus perſonis, etiam ſub indulti nomine, neque illuſtriſſimis adhuc Cardinalibus aut ad certam ſummam, vel alio quovis colore concedi decrevit, quin imò hactenùs conceſſis uti licere vetitum eſſe ſtatuit, atque penitùs abrogavit, *Seſſ.* 24. *cap.* 19. *de reformat.*

TITULUS XVI.

De Privilegio Graduatorum.

SUMMARIUM.

I. Graduatis Beneficia reſervata.
II. & III. In Graduatis qualitates requiſitæ.
IV. Graduatorum differentia. Gradûs inſinuatio.
V. & VI. Inter Graduatos an ſit locus gratificationi.
VII. Inter Graduatos qui præferantur.
VIII. & IX. An Papa, vel Legatus jure præventionis uti poſsit contra Graduatos.
X. XI. XII. XIII. XIV. & XV. Caſus in quibus Graduati non poſſunt uti privilegio.
XVI. Gradus non excuſat ab examine.
XVII. & XVIII. Quando Graduatus dicatur ſufficienter proviſus.

I. PRIVILEGIO Graduatorum libertas Ordinariorum infirmatur, ut reſervationibus quæ in gratiam pauperum à Paulo V. & aliis Pontificibus factæ fuerunt: nam ex Concilio Baſilienſi, Pragmatica ſanctione, & Concordatis, Beneficia vacantia in menſibus Aprilis, Julii, Octob. & Janu. Graduatis reſervantur, §. *Præfati in Concordatis, de collat.* ut nec aliis quàm Graduatis Ordinarii conferre poſſint, licet ſint Cardinales, §. *Si quis in Concord. de collat.* nec patroni Clerici alios præſentare: ſic tertia pars Beneficiorum reſervatur benemeritis Conſtitutione ſanctiſſimâ: & ſi Ordinarius alii conferat, tenetur Graduato ad id quod intereſt; ipſe verò ſuſpenditur per octo menſes à poteſtate conferendi, ex eadem Conſtitutione.

II. Verùm ut Graduatus hoc privilegio uti poſſit, hæc requiruntur.

Primò, quòd Graduatus fuerit in Univerſitate famoſa Regni: Univerſitas Avenionenſis cenſetur Regni, & quidem famoſa, ut qui in ea Graduati ſunt hoc privilegio gaudeant, ut notabitur infrà. Eodem jure uti poſſunt Graduati in Univerſitate Aquenſi, & cæteris Univerſitatibus Regni, in quibus Profeſſores ſunt inſtituti, & Lecturæ publicæ fiunt.

III. *Secundò*, quòd Graduatus per legitimum tempus ſtuduerit in Regno vel extra Regnum. In Doctore Theologo ſtudium decennale deſideratur; in Doctore Juris Civilis aut Canonici, aut Medicinæ, ſtudium ſeptennale; in Artium Magiſtro quinquennale; in Baccalaureo Theologiæ, qui gradus etiam ſufficit, ſtudium ſex annorum: in Baccalaureo Juris Civilis aut Canonici, aut Medicinæ, ſtudium quinque annorum: & ſi Graduatus ſit Nobilis ex utroque latere, triennium ſufficit, §. *Præterea in Concordatis de collat.*

IV. *Tertiò*, requiritur quòd Graduatus inſinuet gradum collatori: nam Graduati ſunt in duplici differentia; alii à Rege nominati, vel Univerſitate famosâ, alii non nominati. Graduati nominati inſinuare debent gradum, nominationem, & atteſtationem Studiorum: (*a*) quæ nominatio fit à Rectore & Profeſſoribus per Scribam Univerſitatis cum Sigillo, *Duarenus de Benefic. lib. 5. c. 13.* & Graduati ſimplices inſinuant atteſtationem Studiorum & gradum, ex Conſtitutione Ludovici XII. Debet autem inſinuatio fieri intra triginta annos à Graduatis nominatis & non nominatis; alioquin eo tempore elapſo, à die promotionis aut nominationis, jus illud fit caducum. *Papon lib. 2. tit. 5. num. 4.*

V. Præterea Graduatus, ſive nominatus, ſive non, inſinuare debet ſingulis annis nomen ſuum & cognomen collatori, quod regulariter fit in Quadrageſima, ut collator recordetur illius; alioquin ſi Beneficium vacet eo anno quo omiſit inſinuare nomen & cognomen, privilegio uti non poteſt pro illo anno, tametſi gradum, nominationem & atteſtationem inſinuaverit antè, §. *Teneantur, in Concordatis, de collationibus.* Idem cautum fuit Conſtitutione Ludovici XII. *ſuprà citata.*

VI. Inter Graduatos nominatos non eſt locus gratificationi; nam antiquior præfertur, etiam ſit inſinuatione poſterior: & ſi Ordinarius contulerit poſteriori, conquerente priore collatio irritatur; ſi verò prior non conqueratur, collatio firma manet, *c. Si Clericus, de præb. in 6. arg. leg. filio præterito, ff. De injuſto rupto & irrito facto teſtamento.* At inter Graduatos ſimplices locus eſt gratificationi, *Papon loco citato.*

VII. Eodem jure Graduati nominati ſimplicibus præferuntur, & in concurſu Doctor præfertur Licentiato aut Baccalaureo, Doctor Theologus Doctori in Jure Canonico,

Doctor in Jure Canonico Doctori in Jure Civili, & Doctor in Jure Civili, Doctori in Medicina, §. *Statuimus in Concordatis, de collationibus.* Quare ſibi caveant Profeſſores & Rectores Univerſitatum, qui ad gradus hujuſmodi ſine ullo examine imperitos & ignorantes admittunt; nam benemeritis, qui ſtudio diuturno gradum adepti ſunt, injuriam faciunt, & publicam fidem fallunt.

VIII. Ceſſat autem hoc privilegium; *Primò*, ſi Papa rebus integris in menſibus Graduatorum Ordinarium prævenerit, §. *Declarantes, in Concordatis, de mandatis Apoſtolicis*: poteſt enim Papa Ordinarium prævenire etiam in præjudicium Graduatorum: Legatus verò non poteſt; nam Legatus in Gallia ſub illâ conditione admittitur, ne poſſit derogare Concordato, & Conſtitutionibus Regni, *Rebuff. in tractatu nominationum, q.* 17. *n.* 16. *Molin. de infirmis reſignantibus, n.* 450. At ſi res integra non ſit, Ordinarius non poteſt præveniri. Res deſinit eſſe integra, actu valido vel invalido; nimirùm ſi Graduatus in vim gradûs ab Ordinario priùs impetraverit, licèt non obtinuerit; aut Ordinarius per collationem utilem vel inutilem Papam prævenerit, ut ſi Beneficium non Graduato in menſe Graduatis affecto contulerit: nam actu etiam inutili voluntas declaratur, *l. Et ſi transferam, ff. De adimendis legatis, Loët. in lit. P. n.* 41. *Papon loco citato, num.* 10. *Rebuff. in tractatu nominationum q.* 19.

IX. *Secundò*, hoc privilegium ceſſat ſi Beneficium vacaverit per ſex menſes, & intra id tempus Graduatus illud non impetraverit; nam poſt ſemeſtre elapſum jus devolvitur ad Superiorem, & alteri conferri poteſt. At ſi Ordinarius intra ſex menſes contulerit, & collatio ſit nulla defectu formæ, vel capacitatis requiſitæ in proviſo, jus non devolvitur in præjudicium Graduati, ut diximus ſuprà: Graduatus enim intra idem ſemeſtre conqueri poteſt, & Ordinarius tenetur *ei conferre*, ut executor Concordatorum; ſi verò conferre nolit, jus devolvitur ad Superiorem, cum ſuo onere, ut eidem Graduato conferat, §. *Si quis verò in Concordatis, de collat. Rebuff. in tractatu nominationum q.* 15. 17. *&* 18.

X. *Tertiò*, hoc privilegium non habet locum in Beneficiis juris patronatûs laïcalis, aut mixti, ſeu laïcalis & Eccleſiaſtici: nam jus patronatûs Laïcorum in reſervationibus ſemper exceptum intelligitur, *Garcias* 5. *parte, c.* 1. *n.* 571. *Rebuff. loco citato.*

XI. *Quartò*, hoc privilegium ceſſat in Beneficiis vacantibus tempore Regaliæ, *Rebuff. loco citato, q.* 15. *n.* 8.

XII. *Quintò*, ſi Beneficium vacet in Curia per ceſſum aut deceſſum, aut depoſitionem poſſeſſoris: huic enim reſervationi non fuit derogatum privilegio Graduatorum, ut diximus ſuprà, *in tit. de reſervationibus.*

XIII. *Sextò*, ſi Béneficium vacet ex cauſa reſignationis, §. *Volumus, in Concordatis*: nam etiam in reſervationibus Pauli V. in gratiam pauperum caſus reſignationis excipitur; & Papa & Legatus, apud quos reſignatio fit, Regulæ de viginti derogare poſſunt, etiam in præjudicium Graduatorum, modò fraus abſit in reſignatione, *Papon loco cit. n.* 14. *Loët. lit. B. n.* 8.

XIV. *Septimò*, in Dignitatibus Eccleſiarum Cathedralium hoc privilegium non habet locum, obſtante Conſtitutione Henrici IV. *anni* 1606. *art.* 1.

XV. *Octavò*, ſi Graduatus concurrat cum Indulctario à Rege nominato, vel à Senatoribus Curiæ Pariſienſis, indulctarius vincit: (*c*) nam indulcta hujuſmodi antiquiora ſunt privilegiis Graduatorum, *Loët, in lit. B. num.* 10. Indulcta verò Cardinalibus conceſſa in Beneficiis ſuorum familiarium non nocent Graduatis, *Molin. de infirmis reſignant. num.* 201. nec Indulctariis à Rege nominatis, vel à Curia.

XVI. *Nonò*, ſi Graduatus non reperiatur idoneus, hoc privilegio uti non poteſt, gradus enim & privilegium Graduatorum ab examine non excuſat, nec ſupplet defectum qualitatis ſtatuto vel conſuetudine requiſitæ, ut dicemus infrà, *in tit. de executione Litterarum Beneficiariarum.*

XVII. *Decimò*, ſi Graduatus ſit ſufficienter proviſus, hoc privilegio uti non poteſt cenſetur enim ſufficienter proviſus, ſi poſſideat Beneficium reditûs ducentorum florenorum, ex Pragmaticâ ſanctione, quorum florenorum idem erat valor qui ducatorum de Camera, vel nummorum noſtri temporis, *Loët. loco cit. num.* 1. Et ex Conſtitutione Gallica Henrici IV. ſæcularibus ſufficit Beneficium reditûs quadrigentarum (*d*) librarum, & Regularibus Beneficium cujuſcumque reditûs ſit. Quamobrem Graduati in nominationibus Beneficia quæ poſſident exprimere jubentur, §. *Volumus in Concordatis, de collationibus.*

XVIII. *Vltimò*, ſi Graduatus ſit ſæcularis, in vim gradûs non niſi Beneficium ſæculare petere poteſt; ſi Regularis, Regulare, *ex Concordatis, tit. de collat. §. Volumus.*

SOLIER.

(*a*) Et duplicatas dare, aliàs ſola inſinuatio non ſufficeret, *text. in Concord. §. Teneantur, & ibi Rebuff. de collat.* & notandum quod contra atteſtationem ſtudiorum probatio admittitur, ut in Senatu Pariſienſi die 6. Martii 1648. judicatum refert Bengeus de benef. *c. de Can. inſt. cond. §. 3. n. 24.* quamvis admitti neget *Rebuff. in tract. nomin. q. 11. n. 5.*

(*b*) Etiam per ſimplicem requiſitionem: per eam enim impeditur Papæ prævention, adeò ut poſtmodum non poſſit Papa etiam per viam gratificationis uni graduato inſinuato & debitè qualificato conferre, ut vult *Molin. ad regul. de infirm. n. ult.*

(*c*) Contrarium tamen mordicùs, ſed fruſtrà tenet, *Rebuff. Conſil. 15.* cum de hac indultariorum prælatione extent Ordinationes Franciſci I. de menſe Januario 1541. & Junio 1543. quin etiam nominati ob jucundum regni adventum vel præſtitum ab Antiſtite fidelitatis ſacramentum eandem prælationem à Patribus magni conſilii meruerunt.

(*d*) Hodie Graduatus minori ſexcentarum librarum reditu non repletur, *Bengeus de benefic. tit. de Canonic. inſtit. conditionib. §. 4. n. 35.*

(*e*) Quantumvis ſæcularis ad regularia vel regularis ad ſæcularia fuerit diſpenſatus, *text. in Concord. §. Volumus:* ibi prætextu cujuſvis diſpenſationis Apoſtolicæ. Regularis tamen unius Monaſterii, diſpenſatus ad beneficia alterius Monaſterii, vel ordinis rectè utitur gradu & diſpenſatione, *Rebuff. ad d. §.* quia Concordatum id non prohibet.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Ut *nec aliis quàm Graduatis, Ordinarii conferre poſſint.* An autem Collator, qui non Graduato contulit, poſſit poſtmodum Graduato conferre? affirmat *Rebuffus in praxi, tit. Collationes plures verſic. limita, & Duarenus de Beneficiis, lib. 5. cap. 13. §. 6.* qui ſolum hanc ſententiam probabilem dicit, negant verò *Corraſius in paraphraſi benefic. part. 4. n. 64. & Adrian. Jaqueſlot in ſua compendioſa beneficiorum expoſitione, n. 13.* idque triplici ratione. *Primò*, quia functus eſt officio, *L. Judex, ff. de re judicata: Secundò*, quia jus devolutum eſt ad ſuperiorem, *cap. Cum in cunctis, §. ult. de elect.* quia non poteſt revocare jus quod contulit, *cap. Si tibi, de Præben. in 6.* cum de evictione liberalitatis teneatur, maximè ex proprio facto, *cap. Inter cætera, de Præb.* quod verum puto, licet contrarium ſervetur.

N. 3. *Studium ſex annorum.* Hoc verum juxta Concordata, §. *Præterea, de collat. & Edictum Ludovici XII. anni* 1498. *art. 5. & anni* 1510. *art. 8. 9. 10. 11. & 12. & Henrici III. de anno* 1585. & ſexennium debet eſſe completum, ut vult *Rebuffus ad dict. §. in verbo Studuerint*, ſcilicèt per tempus competens, nam dictio *per* denotat perfectionem, *L. Urbana, §. Pernoctare de verb. ſignif.* & verbum *ſtuduerint*, præteritum tempus denotat, contrarium tamen ſervatur in praxi, juxtà quam ſufficit ſtuduiſſe per quinquennium, quia concordatum, vel edicta regia non diſtingunt, & verbum, *ſtuduerint*, poteſt poni in præterito & futuro, & utrumque tempus complecti, ita ut reſiduum temporis ſtudii poſt gradum perfici poteſt, *Rebuffus* ibidem, *& Tournet. litt. G, n. 5. Arg. L. Verbum oportebit, ff. de verb. ſignif.* cæterùm tempus ſtudii in pluribus Academiis, vel in pluribus facultatibus perfici poteſt, *Rebuffus in tract. nominat. q. 11. n. 13. Bengeus cap. de forma condit. & qualit. ſcholaſt. nominat. §. 3. n. 17. conſtitut. Ludovici XIII. de anno* 1629. *art. 46.* ſed una Univerſitas atteſtari non poteſt de tempore ſtudii in aliâ Univerſitate peracti, ſed utraque certificari debet cum quis in duabus ſtuduit. *Rebuffus ibidem*, & ſtudium Medicinæ poteſt conjungi cum ſtudio Legum ad conficiendum quinquennium ſtudii neceſſarium ad nominationes, *Rebuffus in dict. tract. nominat. q. 11. n. 13.* in impreſſis in quarto; item tempus lecturæ conjungi poteſt cum tempore ſtudii, *ibid. n. 15.*

N. 8. *Deſinit eſſe integra actu valido, vel invalido.* Duplici modo poteſt impediri prævention Papæ: *Primò*, per requiſitionem graduati validam, vel invalidam, modò is qui requirit, ſit graduatus, aliàs Beneficium non afficeret. *Rebuffus ad §. Si quis vero in verbo*, diſpoſuerit, *verſic. quarto quod, de collat. in concord. Secundò*, per collationem Ordinarii etiam nullam & invalidam, id eſt quæ annullanda venit, *Loet. litt. P, cap. 43. & Brodell. ibid. n. 7. poſt Chopp. n, lib. 1. de ſacra Polit. tit. 5. n. 6. & de Domanio, lib. 2. tit. 8. n. 2. Papon. in ſua farragine, lib. 2. tit. 5. n. 16. Rebuffus in concord. §. Si quis vero in verbo, diſpoſuerit. ſub fin. & titul. de mandatis Apoſtolicis, §. Declarantes in verbo* jure præventionis. Secus autem ſi collatio eſſet ipſo jure nulla, veluti ſi facta eſſet ad favorem graduati, vel alterius, qui jam vitâ functus erat, ut nuper in facti contingentia reſpondi, vel non ab habente poteſtatem, vel de Beneficio nondum vacante.

N. 14. *Obſtante conſtitutione Henrici IV. de anno* 1606. Conſtitutionem hanc, nec-non Senatuſconſultum Pariſienſe de die 23. Februarii 1688. relatum in cauſarum publicè peroratarum diario *Tomo 1. lib. 3. cap. 21.* intelligerem de dignitatibus poſt Pontificalem majoribus, vel propriè electivis, & non ſolùm dignitates Cathedralium graduatis non ſufficiuntur, ſed nec etiam dignitates principales Collegiatarum juxtà eandem conſtitutionem, quod maximè obtinet in electivis graduatis, tamen debentur Beneficia affecta Choriſtis & Muſicis Eccleſiæ, ſi notitiam habeant pleni cantûs, quem vocant, aliàs non, *Loet. & Brodell. litt. G, cap. 4.* Item Præbendæ Theologalis, & Pœnitentialis, ut de Theologali ſolemniter judicatum refertur in cauſarum diario, *Tom. 1. lib. 3. cap. 54.* & de Pœnitentiali, *lib. 5. cap. 50.*

N. 16. *Si graduatus non reperiatur idoneus.* Ideò ordinatione Ludovici XIII. de anno 1629. *art. 10.* graduati nullum poſſunt in vim gradûs Beneficium aſſequi, antequam per Ordinarios fuerint examinati, quamvis examinandos nolit Concilium Triden.

nominatos ab Univerſitatibus, *Seſſ. 7. cap.* 13. an autem graduatus habens Beneficium ſit idoneus ad aliud incompatibile obtinendum, aut requirendum, diſcutit *Rebuffus ad §. Volumus in verbo, tempore vacationis, in concord.* & negativè concludit, & ſic tenendum ait, licèt contrarium ſervare dicat, *vide Gloſſam Pragmaticæ ad §. Quod ſi quis, in verbo, Tempore vacationis.* Certum eſt tamen minùs obeſſe incompatibilitatem quam repletionem, *Loët. & Brodell. litt. G, cap.* 5.

Eodem N. 16. *nec ſupplet defectum qualitatis ſtatuto vel conſuetudine requiſitæ.* Secluſa fundationis diſpoſitione, Beneficia poſt concordata non poſſunt affici certo generi perſonarum in præjudicium graduatorum, ut judicavit Senatus Pariſienſis *die* 15. *Decembris* 1625. Dufreſne in ſuo cauſarum diario *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 71. nec ſupprimi vel uniri ut ibidem differitur, ſed ſupprimi poſſe ait *Rebuffus de nominat. q.* 15. *n.* 67. ſed pone quod graduatus ſit idoneus, an repulſam paſſus poterit poſt debitam requiſitionem ſuperiorem adire, & ab eo in recuſationem Ordinarii provideri? Reſpondetur ſuperiorem conferre non poſſe, etiam poſt requiſitionem Ordinario factam, ſi intra ſex menſes Ordinarius qualificato conferat. *Rebuffus ad §. Si quis vero, in verbo, Diſpoſuerit, de collat. in concordat.* & licèt in mandatis de providendo attendatur idoneitas impetrantis à tempore dati mandati, *cap. Si eo tempore, de reſcript. in 6.* ſecus tamen eſt in nominationibus graduatorum, *Papon. lib. 2. tit. 5. n. 16. Joan. Chokier ad regulam Cancellariæ* 17. *n.* 23. ſed re vera idem eſt in mandatis de providendo ceſſante ſubreptione, *cap. Ei cui, de Præb. in 6.*

N. 17. *Si Graduatus ſit ſufficienter proviſus.* Et quamvis proviſus non ſit, non poterit pinguius Beneficium optare, quando duo ſimul vacaverunt, quod ſi Epiſcopus ambo confert, graduatus ultimum evincet, *Gloſſa Pragmaticæ, §. Ita tamen in verbo, nominatorum, de collatione.*

N. 18. *Beneficium ſæculare petere poteſt.* Quid ſi Beneficium vacavit ante datam gradûs, aut nominationis, vel ante ejus inſinuationem tempore graduatis præſtituto? Illud petere poterit, modo reperiatur adhuc vacans tempore inſinuationis, *Gloſſa Pragmaticæ in §. Si autem, in verbo, Inane, de collat. Rebuffus de nominat. q.* 15. *n.* 41. nec ſint alii qui ante vacationem inſinuaverint, *Rebuffus in §. Præfatique graduati, in verbo, Ante vacationem, de collat. in concordato*, ſed ſi collatio Beneficii etiam non qualificato facta præceſſerit gradum, aut inſinuationem, tenebit collatio hujuſmodi, quia non debet retractari, etiam ſi deveniat ad caſum à quo incipere non poterat, *cap. Factum legitimè de regul. juris in 6. Rebuffus in dicto §. verſic. intellige.*

TITULUS XVII.

De Expectativis, & Mandatis de providendo.

SUMMARIUM.

I. Vſus expectativarum.
II. Expectativæ in certis Beneficiis locum non habebant.
III. Expectativæ ſublatæ.

I. ANTE Concilium Baſilienſe Litteræ expectativæ, & mandata de providendo, à Sede Apoſtolica dari ſolebant, quibus libertas Ordinariorum valdè minuebatur. Primis temporibus Summi Pontifices ſcribebant Ordinariis de primo vacaturo in certa Eccleſia vel diœceſi, conferendo Apoſtolico impetranti: ſcribebant autem monendo, ne eorum Juriſdictionem infringerent, *c. Accepimus, de ætate & qualitate ordinandorum*, poſteà mandando & præcipiendo ſcribere cœperunt, *c. Dilectus, de præb.* Quæ Litteræ monitoriæ, præceptoriæ & expectativæ dicebantur. Poſtremò dati ſunt executores, qui Ordinarium compellerent ad conferendum, vel ipſi conferrent mandatario Apoſtolico, *c. Si Capitulo, de conceſſ. præb. in 6.* Tamen ſi Ordinarius Beneficium vacans alteri contuliſſet, ejus collatio non infirmabatur. Verùm is Beneficium ſimilis reditûs mandatario Apoſtolico conferre tenebatur, eique neceſſaria ad vitam miniſtrare donec proviſus eſſet, *c. Inter cætera*, & *c. Dilectus, de præb.*

II. Ne verò daretur votum captandæ mortis, certæ perſonæ expectativæ non de certo Beneficio certi poſſeſſoris, ſed de primo vacaturo in certa Eccleſia vel Diœceſi dari ſolebant, *c. Conſtitutus, de conceſſ. præb.* Et ne Ordinarii nimis gravarentur, in Litteris illa clauſula ſubjungebatur, ſi pro alio non ſcripſerimus: & ſi executor non contuliſſet intra menſem, poſt illud tempus Ordinarius liberè conferre poterat, *c. Statutum, de præb. in 6.* tamen nec in Beneficiis electivis, aut patronatis juris laïci, nec in Beneficiis vacantibus ex cauſa reſignationis illa mandata admittebantur, *c. Unico, de rerum permutatione, in 6. & c. Fin. de præb.*

Expirabant autem illa mandata morte mandantis, (*a*) aut mandatarii, *c. Si ſuper gratia, de off. Judicis delegati, in 6.*

III. Sed (ut de reſervationibus ſuprà diximus) ſic uſus expectativarum & mandatorum de providendo inolevit, & Concilio Baſilienſi prohibitus eſt; mox Concordatis

Summus Pontifex eandem potestatem sibi vindicavit, hoc adjecto temperamento, quòd quilibet Pontifex semel in vita Ordinarium habentem collationem decem Beneficiorum gravare possit in uno, & habentem collationem quinquaginta Beneficiorum, aut plurium, gravare possit in duobus, sed jus illud Concilio Tridentino, *Sess.* 24. *de reformat. c.* 19. sublatum fuit, expectativis & mandatis de providendo penitùs explosis, (*b*) sive in gratiam privatorum, sive ea sint in gratiam Universitatis.

SOLIER.

(*a*) MANDATA Apostolica morte concedentis revocabantur, ubi Executoribus, ut fieri solebat, essent directa, *cap. Si super gratia de offic. deleg. in 6. cap. Si cui nulla de Præb. eod. lib.* secus verò cum Collatoribus tantum, *Bald. in L. Mandatum, Cod. Mandati.* Imò neutro casu in hoc regno morte mandantis expirabant; cum per viam contractûs, & sub præscripta forma concederentur, *Corras. in paraph. Sacerdot. cap. de mandat. Apost. n.* 54.

(*b*) Jura de mandatis Apostolicis ad vacatura, licèt à Concil. Trid. penitus abrogatis, non sunt omnino otiosa cum ad multa dubia resolvenda conducant, maximè in Gallia, ubi adhuc in Graduatis Academiarum & Indultariis curiæ Parisiensis; qui in locum mandatariorum successerunt, nec-non a Rege Nominatis pro jucundo regni adventu, & præstito ab antistite fidelitatis Sacramento expectativarum usum agnoscimus.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. QUIBUS *libertas Ordinariorum valde minuebatur.* Mandata de providendo sunt odiosa, & restringenda, *cap. Quamvis, de Præb. in 6.* duplici ratione: *Primâ*, propter ambitionem impetrantium, ut dicit textus *ibidem. Secundâ*, quia præjudicatur Ordinariis collatoribus, *Panorm. in cap. Olim in fine de verb. signif.* quamobrem litteræ etiam ad lites restringuntur, *cap. Sedes, cap. Causam quæ, cap. Rodulphus de rescript.*

N. 3. *Usus expectationum & mandatorum de providendo inolevit.* Qui tamen postmodum penitùs explosus fuit, sed extant nihilominus in jure sparsæ decisiones non paucæ circà expectativas & mandata ejusmodi, quæ adhuc in praxi ad multa dubia resolvenda non parum inserviunt, ejusmodi sunt quæ sequuntur. *Primò*, inter duos impetrantes gratiam expectativam ad idem Beneficium, verbi gratiâ Canonicatum in certa Ecclesia, is qui priùs impetravit litteras, ei qui posteriùs impetravit, sed priùs eas præsentavit, & priùs receptus est in canonicum, præferri debet in assecutione Præbendæ, *cap. Tibi qui, de rescriptis in 6.* quia præventio & juris acquisitio in una parte, ut in Canonicatu, non inducit juris acquisitionem & præventionem in altera parte ipsi connexa, ut in Præbenda, quia licèt Canonicatus & Præbenda sint inter se connexa, sunt tamen distincta, & separabilia: *Secundò*, si primò sub conditione provideri mandatur, & secundus jure impetrans antequam veniat conditio à Papa vel executore suo Canonicatum obtineat, in assecutione Præbendæ, primò præfertur, *cap. Si pro te, eodem tit. & lib.* Ratio est, quia primò impetranti facta est gratia solùm conditionalis, per conditionem autem de futuro contingenti suspenditur quælibet dispositio, ac proinde primus non censetur gratiam impetrasse, priusquam conditio evenerit, nisi conditio sit de præsenti, vel tacitè insit, verbi gratiâ, si impetrans est idoneus, vel si acceptaverit actum, ut bene distinguit *Molineus ad regulam de public. n.* 180. *Tertiò*, restituatur quis ad expectativam revocatam, sine alterius præjudicio intelligitur restitutus, unde alteri ante restitutionem impetranti præferri non debet, *cap. Quamvis, dicto tit. in 6. Quartò*, in litteris ad Beneficia inspicitur tempus datæ, & non vacationis, unde per illas Beneficium curatum obtinere non poterit, qui licet nunc sit major, illo tempore minor erat, *cap. Si eo tempore, eodem tit. & lib.* sed hoc provenit ex obreptione, quâ cessante inspicitur tempus vacationis, *cap. Ei cui, de Præben. in 6.* ut suprà monuimus. *Quintò*, mandatum de providendo de Beneficio ad collationem Capituli pertinente, non tangit jus singularis Canonici, *cap. Mandatum, de Præben. in 6. Sextò*, si mandatarius Beneficium primum vacans non acceptat, ejus gratia omnino expirat, nec poterit postea aliud Beneficium acceptare, *cap. Si Clericus, de Præben. in 6.* nisi primum Beneficium fraudulenter vacaverit ut mandatarius excluderetur, *cap. Si te Præbendam, de renunciat. in 6.*

TITULUS XVIII.

De Indultis Regiis.

SUMMARIUM.

I. Indulta Galliæ expectativis successerunt.
II. Indulta non ligant, nisi ordinario intimata sint.
III. De indultis curiæ Parisiensis.
IV. Indultarii præferuntur graduatis.
V. Indulta in certis casibus locum non habent.

I. VERUM in Gallia, ubi Concilium Tridentinum in iis quæ pertinent ad reformationem nondùm fuit receptum, Indulta dantur à Rege, in quibus idem fermè

jus observatur, quod in mandatis Apostolicis observabatur: nam illis Ordinarius rogatur ut primum vacaturum conferat Indulctario; qui si mandatum fuerit insinuatum sibi, semel in vita nominati; aut si mandatum sit in gratiam (*a*) alicujus universitatis, semel in vita Regis, qui mandavit, primum vacaturum nominato conferre debet; si verò Ordinarius alteri conferat, collatio non irritatur, (*b*) sed ipse tenetur dare nominato Beneficium reditûs ejusdem, vel tantumdem erogare de suo, *c. Dilectus, de præb. Loët. in lit. P. n. 6.*

II. Hæc Indulcta dantur ob publicam hilaritatem, cùm Rex inauguratur, vel uxorem ducit, aut nascitur primogenitus futurus Regni successor, vel ob aliam causam publicæ lætitiæ, non ubique, sed ubi ea viget consuetudo; nam in cæteris Ecclesiis Indulcta hujusmodi non ligant Ordinarios, ut notavit Scholiastes Loëtii *loco citato*, & expirant morte Regis, ut mandata Apostolica, *c. Si super gratia, de off. deleg. in 6. & c. Si cui, de præb. ibidem.* Si indulctum Ordinarios aut ejus Vicario intimatum non fuerit, non ligat, nam justa ignorantia eum excusat; & quamvis ei insinuatum fuerit, eodem defuncto, vel deposito, vel resignante, debet insinuari successori, ne is causetur ignorantiam, *Molin. de infirmis resignant. n. 245. Duarenus de Benef. lib. 1. c. 8.*

III. Alia sunt Indulcta, quæ Curiæ Parisiensi fuerunt concessa ab Eugenio IV. & à Paulo III. renovata; quibus ad nominationem Regis singulis ejusdem Curiæ, si Clerici sint, aut Clericis ab eis nominandis, de Beneficio sæculari, (*c*) aut Cluniacensis Ordinis, semel in vita nominati, debet provideri: in quibus casibus Ordinarius qui se exonerare desiderat; primum vacaturum nominato etiam absenti conferre potest. Idem dicitur de Regio Indulctario; & Indulctarius id Beneficium tenetur acceptare, si tale sit quod ipsum deceat, si reditus sit ad minus ducentarum librarum, & si Beneficium vacet de jure & de facto: nam si possessor sit expellendus, Indulctarius potest illud recusare, ne litibus implicetur; non est vituperanda cogitatio illius qui lites execratur, *l. 2. ff. De alienatione judicii mutandi causa facta, Molin. de infirmis resignantibus, num. 20.*

IV. Quibus Indulctis nec privilegia Graduatorum, nec Indulcta Cardinalibus concessa in Beneficiis suorum familiarium (*d*) nocent; nam hæc antiquiora sunt, *Mol. de infirm. resign. n. 229. Loët. in lit. G. n. 16.*

V. Cessant autem hæc Indulcta in Beneficiis vacantibus ex causa resignationis, qui casus in privilegiis pauperum, Graduatorum, & in mandatis Apostolicis excipitur, ut vidimus suprà, & non extenduntur ad casum fictum: nam si Beneficium fuerit resignatum, & post resignationem admissam resignans decedat intra viginti dies, Beneficium non censetur vacare per obitum, in gratiam Indulctarii: Indulcta enim hæc sunt odiosa, & non extenduntur ad casum fictum, *Molin. de infirmis resignantibus, num. 294.* & in Beneficiis electivis aut patronatis locum non habent, ut diximus suprà de mandatis Apostolicis, & notat Molineus, *loco citato, n. 201.* nam hæc Indulcta mandatis Apostolicis successerunt, eodemque jure reguntur: & ubi numerus Beneficiorum non est major decem, locum non habent, ut de mandatis Apostolicis dictum fuit.

SOLIER.

(*a*) DIC in gravamen: nam idem Ordinarius non potest gravari nisi semel in vita sua, & quia Capitulum non moritur, posse indulto subjici semel tantùm in vita Regis programmate speciali declaravit Henricus II. mense Novembris 1558. teste *Molin. ad regul. de infirm. resign. n. 241.*

(*b*) Ratio est quia indulta hujusmodi, ut sunt nominationes Regiæ pro jucundo Regni adventu aut præstito fidelitatis Sacramento non habent clausulam decreti irritantis, quam habet indultum curiæ Parisiensis, licèt, *Brodell. ad Loët. litt. P, cap. 6. n. 1.* & illam in præfatis nominationibus contineri asserat ex diplomate Regio id statuente de anno 1610. in regestris magni Consilii verificato, quod nihilominus ibidem non servari audivi à Domino magistro Petro Dubuisson Rivensi Canonico praxis dicti Consilii Callentissimo.

(*c*) Aut Regulari cujusvis etiam Cluniacen. ordinis ex textu Paulinæ concessionis.

(*d*) Indultum Cardinalium, quo reservationes, & prærentiones Apostolicæ, ac derogationes Regulæ de viginti diebus à Beneficiis ad ipsorum dispositionem quomodolibet spectantibus arcentur, passim confundit author cum Regulis Cancellariæ circa Beneficia familiarium Cardinalium editis, de quibus factæ sunt tres Regulæ, videlicet quarta, aliàs tertia, quà dicta Beneficia Papæ reservantur, non autem ipsis Cardinalibus, ut supra voluit author, *tit. 9. n. 6.* altera est 32. quæ expressionem nominis, & tituli, ac consensum Cardinalis, si in Curia fuerit, in impetratione Beneficii familiaris ipsius Cardinalis requirit: reliqua est 33. excludens necessitatem expressionis & consensûs hujusmodi, ubi Beneficia familiarium Cardinalis ad collationem, seu quamvis dispositionem alterius Cardinalis spectaret, *Lotter. de re benef. lib. 2. q. 32.* de istis regulis non loquitur Molineus ab authore laudatus, neque enim recipiuntur in Gallia, sed de primò

mò dicto indulto apud nos in viridi observantia existente, in quo nulla familiarium mentio habetur.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. HÆc *indulta dantur ob publicam hilaritatem.* Nihil aliud sunt, quàm nominationes Regiæ, quibus Ordinarius monetur ut primum vacaturum nominato conferat, & his nominationibus duobus tantùm casibus locus est: *Primò*, quidem cum Rex inauguratur, seu ob jucundum regni adventum: *Secundò*, ob præstitum Regi ab Antistite fidelitatis Sacramentum, in aliis autem casibus hujus generis indulta respuit *Cabassut. in sua juris Canonici Theoria, lib. 2. cap. 5. n. 19.* sanè inquit aulicorum avaritia, & ambitio nisi reprimantur, Ecclesiam miserrimè dissipabunt, novasque adhuc artes ultra jam commemoratas exagitabunt pro nuptiis Regis, pro natalibus primogeniti Franciæ, aut etiam insequentium liberorum, pro nova victoria, aliaque in infinitum. Hæc ille.

N. 3. *Alia sunt indulta.* Duo potissimùm circa rem Beneficiariam occurrunt indulta Apostolica juris specialis introductiva in hoc regno: *Primum*, est quod Paulus III. ordinibus Cardinalibus Franciæ concessit, ut liberè de quibuscumque Beneficiis ad suam dispositionem vacantibus, ratione quarumcunque dignitatum, vel Beneficiorum quæ in titulum, vel commendam habent, vel habebunt, disponerent absque ulla reservatione, vel præventione Papæ, vel Legatorum suorum etiam à latere; quia tamen idem Pontifex sæpè solebat specialiter indultis hujusmodi derogare præveniendo, tandem in electione Pauli IV. omnes Cardinales in Conclavi pepigerunt, quòd futurus Papa non posset his indultis derogare in præjudicium Cardinalium, quod pactum post electionem Pauli IV. repetitum fuit, & ab eodem solemni voto & juramento confirmatum, *Molin. ad regulam de infirmis, n. 163. Secundum*, ab Eugenio anno Domini 1433. ad instantiam, ut fertur, Caroli VII. Francorum Regis, & postmodum anno 1538. à Paulo III. ad instantiam Francisci I. renovatum Cancellario, Præsidentibus & Consiliariis Curiæ Parlamenti Parisiensis concessum, & aliis de ejusdem Curiæ corpore & gremio existentibus, in forma gratiarum expectativarum, seu mandatorum de providendo, ut ad nominationem Regis per Ordinarios collatores regni singulis ex eis, vel Clericò per Laïcum dicti corporis nominato de uno Beneficio sæculari, vel cujusvis etiam Cluniacensis ordinis regularis, semel in personæ nominandæ & Ordinarii vita dumtaxat per eundem Ordinarium, vel executores deputatos provideretur, de quo indulto plenè tractat *Molineus ad regul. de infirm. resignant. n. 224.*

Eodem N. 3. *si reditus sit ad minus ducentarum librarum.* Sed cum nimis exilis pro Senatoria dignitate hujusmodi reditus videretur, ad Regis postulationem Clemens IX. constitutione suâ datâ 16. Aprilis 1667. indulxit, ut Senatoribus regularia Beneficia jam antea commendata in similem commendam jure regiæ nominationis ab Ordinariis Collatoribus habere liceat, ita tamen ut infra octo menses novam commendam à sancta Sede Apostolica impetrare teneantur, & jura Cancellariæ Apostolicæ persolvere, aliàs cessabit ipso jure commenda, & Beneficia vacabunt, nec imposterum Parrochiales Ecclesias, quibus inservire non valent, cujuscumque reditus, nec ulla Beneficia infra sexcentarum librarum proventuum annum acceptare compellantur.

Eodem N. 3. *indultarius potest illud recusare.* Tenetur enim primò vacans acceptare, nisi sit litigiosum, aliàs cadit à gratia spectativa: limita, nisi sit Ecclesia Parrochialis, ut proximè diximus.

N. 4. *Nec indulta Cardinalibus concessa in Beneficiis suorum familiarium nocent.* Non enim impediunt quin Collatores ordinarii, qui Cardinales non sint, indultariis Curiæ Beneficia hujusmodi conferre teneantur, licèt Papæ reservata per regulam 4. Cancellariæ, quæ in Gallia non recipitur. An autem indultum Curiæ Parisiensis præferatur indultis Cardinalium, ita ut ipsi indultariis conferre teneantur, affirmat *Molineus ad regul. de infirm. n. 229.* quia de facto præfertur Graduatis, & nominatis, quibus indulta Cardinalium subsunt. *Negat Cabassut. in sua Theoria, lib. 2. n. 11. in fine.* Quia Cardinales eximuntur ab indulto Curiæ per Bullam ampliativam Clementis IX. Circa indultum hujusmodi notandum ultra prædicta: *Primò*, quòd Papa illud prævenit etiam post insinuationem, ante tamen requisitionem Beneficii specificam, nisi Ordinarius sit Cardinalis, *Molin. ubi supra, n. 237. Secundò*, quòd ante requisitionem, aliis facta collatio valet, resolubili tamen jure ut indultario consequente intra semestre resolvatur, sicut de collatione non graduati, vel recentioris nominati dicitur *ibidem: Tertiò*, ex communi observantia indultarii, ut aliàs mandatarii debent requirere collationem Beneficii vacantis intra sex menses, licèt constitutione id non sit expressum. *Jacqueslot in sua Benefic. expositione, n. 103. Quartò*, Senatorum nominationes ante litterarum insinuationem pereunt morte concedentis, *Loët. ad regul. de infirm. n. 266. Quintò*, quia Senatorum alii sunt Clerici, alii Laïci; facultas Laïcis conceditur, ut quibus Rex indultum concesserit, possint loco sui nominare ad Beneficia Clericum qui sit de Curiæ numero & gremio, ut expresè conceditur per Pauli III. & Clementis IX. litteras. *Sextò*, nominatus gaudet indulto, quamvis nominans in officio tempore nominationis, tempore vacationis non fuerit, *Bengeus de benefic. cap. de Canonicis instit. condit. §. 4. n. 21. Septimò*, variis tum Regum nostrorum sanctionibus, tum Senatûs Parisiensis, & magni Consilii decretis decisum indultarios Graduatis omnibus potiores, & præferendos; tum jure antiquitatis, tum eminentioris tituli, maximè cum Paulus III. rescripto suo solos mandatarios exceperit, & indultarii præposuerit, *Loët. litt. B, cap. 16. & ibi Brodell. Octavò*, nominatio indultaria debet Ordinario Collatori ante vacationem insinuari, seu intimari, & exemplar regiæ nominationis tradi, & de hoc confici instrumentum publicum; *Bengeus ubi supra, n. 4. Loët. ad regul. de infirm. n. 256. Nonò*, insinuationis hujusmodi ea est virtus, ut de pluribus nominatis à Senatoribus Curiæ Parisiensis, qui primus Ordinario insinuaverit, præferatur, licèt in litterarum datta posterior, Loët. *dicto n. 256.* sed contrarium videtur verius ex deductis à Bengeo loco citato, *n. 47. Decimò*, ordinario, cui indultum regium fuit insinuatum, defuncto, vel depositio, vel resignante, debet insinuari successori, ut author

hic *n.* 2. sed contra Loët. *de infirm. n.* 245. *Undecimò*, in Priori illa insinuatione si absentis nomine fieri contingat, speciale mandatum non requiritur, cum in ipsa litterarum nominationis exhibitione & traditione fieri soleat quæ sufficiunt mandatum argui, ut decrevere magni Consilii Patres die 28. Novembris 1652. *Bengeus ubi supra*, *n.* 41. *Duodecimò*, si Ordinarius collationis gratiam denegaverit, adiri debent indulto implendo executores demandati, scilicet Abbas sancti Maglorii, sancti Victoris Cænobiarcha, & demum Academiæ Parisiensis Cancellarius. Bengeus *ibidem*, *n.* 50. *Decimo tertiò*, facultas insinuandi superannalitati non subjacet, *idem ibidem*, *n.* 47. & potest in præjudicium indulti Curiæ Legatus derogare regulæ de infirmis per regulam quod quisque juris; quia Curia admittit Legatum posse derogare in præjudicium graduatorum. *Molin. ad regul. de infirmis*, *n.* 230. *Decimo quartò*, Lege Patrum magni Consilii de anno 1652. demissio simplex Beneficii ad excludendos indultarios debet insinuari duobus ante obitum dimittentis diebus integris, juxta edictum annotationis de anno 1638. *art.* 17. *Decimo quintò*, indultum Cardinalium, ut non possit derogari regulæ de infirmis prodest indultariis Curiæ, & mandatariis etiam invito Cardinali, licet non prosit, aut communicetur graduatis. Loët. *ad regul. de infirmis*, *n.* 219. & rationem differentiæ, quæ mihi non arridet, assignat, *n.* 231.

TITULUS XIX.

De Jure Patronatûs.

SUMMARIUM.

I. Patroni plures præsentari possunt.
II. Quid in præsentatione fieri debeat.
III. Si Episcopus instituere præsentatum recusat.
IV. Patrono datur tempus ad præsentandum.
V. Patronus Laïcus variare potest semel.
VI. VII. VIII. IX. & X. Patronus in certis casibus non potest variare.
§. 1. Patronus Clericus variare non potest.
XI. & XII. Patronus per Procuratorem præsentare potest.
XIII. Præsentandi forma.
XIV. Patronus non potest seipsum præsentare. An Patronus possit præsentari à suo Procuratore.
XV. Si plures sint Patroni.
XVI. Si plures Patroni præsentent ut universi unam habent vocem.
XVII. Per unum actum præsentationis possessio acquiritur. Præsentatus à possessore præfertur.
XVIII. Ordinarius in concursu præsentatum à proprietario debet instituere.
XIX. Patrono habenti possessionem præsentandi præsentatio facta ab alio non obest.
XX. Si Patronus sit excommunicatus. Si Patronus sit Hereticus.
XXI. Si plures fuerint præsentati quis præferendus.
XXII. Si jus Patronatûs Papæ aut Legato non sit expressum.
XXIII. Papa non potest derogare Iuri Patronatûs Laïcali.
XXIV. Si Patronus non conqueratur.
XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. & XXX. Casus in quibus Iuri Patronatûs Laïcali Papa derogare potest.
XXXI. Papa & Legatus Juri Patronatûs Ecclesiastico derogare possunt. Si Jus Patronatûs sit mixtum.
XXXII. & XXXIII. Jus Patronatûs quando dicatur Ecclesiasticum.
XXXIV. Ordinarius Juri Patronatûs derogare non potest.
XXXV. Patroni jura & onera.
XXXVI. Legi fundationis non derogatur.
XXXVII. Patrono consentiente derogatur fundationi.
XXXVIII. An liceat Patrono novas conditiones apponere.
XXXIX. An liceat Ordinario Missas reducere.

I. JURE Patronatûs libertas Ordinariorum minuitur; nam præsentatum à Patrono Ordinarius instituere tenetur, si intra tempus Patronis concessum præsentatus sit, & reperiatur idoneus, *c. Decernimus 16. q. 7. Nov. 57. c. 2.* & si plures fuerint præsentati; Ordinarius unum ex illis debet eligere & instituere, *Clement. plures, de Iure Patronatûs.*

II. Jus Patronatûs indulgentiâ conceditur Patronis, ne illorum munificentia in Ecclesiam retardetur. Jus instituendi reservatur Ordinariis, ne eorum Jurisdictio extinguatur, & disciplina Ecclesiastica violetur: nam priùs Ordinarius de præsentatione debet inquirere, an canonicè, sine dolo aut simonia, ea facta sit: an communi consensu, si plures sint Patroni, citatis opponentibus & dissentientibus, *c. Finali, de elect. in 6. Garcias par-*

te 9. c. 4. Præsentatum examinare ; & si is sibi notus non sit, debet Patrono præsentationis actum concedere, & de moribus & capacitate præsentati priùs inquirere, *Molin. in consuet. Paris. tit. 1. §. 5. Gloss. 10. num. 21.*

III. Patronis tempus præscribitur ad præsentandum, Ordinario verò nullum tempus præscribitur ad instituendum : nam si is nolit instituere, vel differat sine legitima causa, provocare licet ad Superiorem, qui vel instituit, aut præcipit Ordinario quod instituat, *Abbas in c. Pastoralis, de Jure Patronatûs.*

IV. Patronis Clericis datur semestre ad præsentandum, & Laïcis quadrimestre, *c. Eam te, de Jure Patronatûs, & c. unic. eod. tit. in 6.* Et si Jus sit mixtum, pertinens ad Clericos & Laïcos simul, Laïcis similiter datur semestre, ratione communionis, *A Curte verb. jus, q. 1.* Quod tempus currit à die notitiæ veræ aut præsumptæ, seu ex quo Patronus scire potuit vel debuit vacationem Beneficii ex rumore & publicâ famâ in loco Beneficii, *Clement. unic. de conceff. præb. Rota decis. 556. in antiq. Molin. in consuet. Paris. §. 55. Gloss. 10. n. 32.* Verùm ex causa Episcopus potest prorogare tempus ad præsentandum, sicut Judex terminum temporis legitima ex causa prorogare potest, *Riccius decis. 217.*

V. Est alia differentia inter Patronos Clericos, & Laïcos, nam Laïci semel variare possunt, *c. Cùm autem, & c. Pastoralis, de jure Patr.* certis casibus exceptis, in quibus variatio non admittitur.

VI. *Primus*, est, si Patronus præsentaverit eum quem ex pacto tenebatur præsentare ; valet enim pactum de præsentando, si Beneficium vacet, secùs si nondùm vacet, *c. Fin. de conceff. præb. Decius cons. 541.* Probabilius tamen est neutro casu pactum valere : nam consensus Patroni debet esse liber in ipso præsentationis actu, ut consensus collatoris in conferendo, tametsi Beneficium vacans aut vacaturum alicui se collaturum promiserit, *Garcias parte 10. c. 1. n. 35. Rebuff. in Conc. in Proem. lit. O.* Quid enim, si tempore præsentationis aut collationis alius se offerat dignior.

VII. *Secundus*, si Patronus jam variaverit : nam facultas variandi uno actu consumitur, *l. Boves, ff. de verb. signific. Faber de jure Patronatûs, def. 10. Garcias parte 5. c. 8. num. 214.*

VIII. *Tertius*, si res desierit esse integra, nam post institutionem variatio non admittitur, *c. 2. Vt lite pendente nihil innovetur, in 6.*

IX. *Quartus*, si jus sit mixtum, pertinens ad Laïcos & Clericos simul ; communio enim illa prodest quidem Laïcis, ut habeant semestre ad præsentandum, ut suprà diximus, at variandi facultatem non admittit, *A Curte in Tract. de jure Patronatûs, §. septimò quæro.*

X. *Quintus*, etiam si Patroni sint ambo Laïci, si convenerint, & simul præsentaverint, alter altero invito non potest à conventione & præsentatione factâ resilire, pro bono pacis.

§. 1. Clerici verò post factam præsentationem variare non possunt, (*a*) *De Selva 3. part. vers. 25.* Idem dicitur de Rege in Ecclesiis in quibus præsentandi jus habet, qui tamen in nominatione ad Prælaturas variare potest, ut diximus suprà, *Papon lib. 2. tit. 9. n. 13.*

XI. Præsentatio fit à Patrono per se vel per Procuratorem habentem speciale mandatum, sive illud mandatum factum sit ante vacationem Beneficii, aut post vacationem, *Riccius decis. 189.* aut præsentatio fit per epistolam à Patrono missam collatori, aut per Tutorem vel Curatorem Patroni, per Syndicum vel Oeconomum, si jus Patronatûs ad universitatem pertineat, vel Capitulum, per maritum, per Usufructuarium Castri vel hæreditatis, per Colonum ad longum tempus, *c. Ex Litteris, de Jure Patronat.* Fit etiam per sequestrum, *De Selva 2. part. q. 6. Molin. in consuet. Paris. tit. 1. §. 55. Gloss. 1. n. 1. Loisellus de Officiis lib. 5. c. 2.* creditor enim qui petiit rem sequestrari non potest præsentare, *c. Cùm Bertoldus, de re judicata.* Et si pupillus aut uxor, aliusve proprietarius præsentaverit, præsentatus à Tutore, vel Marito, vel Usufructuario, præfertur. Idem dicitur de sequestro, & possessore bonæ fidei. Quoniam (ut de collatione suprà diximus) non tàm proprietas quàm possessio in præsentatione est attendenda, *De Selva loco citato, q. 7.* nisi fraus adsit : nam si Tutor præsentaverit in fraudem pupilli jam pubertati proximi, cùm dies tutelæ exiret, & pupillo supereffet tempus quo pubes factus posset præsentare, talis præsentatio non debet obesse pupillo. Idem dicitur de Sequestro, si dies sequestrationis exeat, ante lapsum temporis, quod datur ad præsentandum ; & de marito, si bonorum separatione facta præsentaverit, *Rebuff. in Tract. nominat. q. 12. n. 8.*

XII. At si Patronus constituerit Procuratorem ad præsentandum, & post præsentatio-

nem à Procuratore factam, nondùm admiſſam, ipſe Patronus præſentaverit alium, ſi Patronus ſit Laïcus præſentatus ab eo præfertur; nam Laïci variare poſſunt, & à præſentatione facta reſilire, ſive ipſi, ſive eorum Procuratores præſentaverint; ſecùs ſi Patronus ſit Clericus.

XIII. Forma verò præſentandi hæc eſt: Præſentatus perſonaliter exhibetur collatori; & ſi plures præſententur, omnes exhiberi debent, ut collator ex illis inſtituat quem voluerit: tamen ſi præſentatus non comparuerit, præſentatio facta à Patrono, vel ejus Procuratore, ſuſtinetur, ſi præſentatus ſit alioquin notus Ordinario, *Riccius deciſ.* 156. & 158. Poſt exhibitionem præſentatio debet inſinuari collatori apud acta: nam ante inſinuationem præſentatio eſt potiùs animi deſtinatio quàm irrevocabilis præſentatio, *Gloſſ. in Clem. dudùm, de ſepulturis, Molin. conſil.* 58. & *ad regulam de infirmis reſign. num.* 221. Si verò intra tempus juris præſentatio collatori inſinuata non fuerit, poſt illud tempus elapſum is liberè conferre poteſt, *Rota deciſ.* 211. *in novis.*

XIV. In præſentatione ordo naturæ requirit diverſitatem perſonarum, præſentantis & præſentati, nam Patronus non poteſt ſeipſum præſentare, *c. Per veſtras, de Jure Patron.* Verùm ſi plures ſint Patroni, unus ab aliis Compatronis præſentari poteſt, & collator ipſi Patrono liberè conferre poteſt, *Panorm. in d. c. per veſtras*, & nihil vetat quominùs pater poſſit præſentare filium: nam in ſpiritualibus fictio juris non attenditur, *c. Si annum: de judiciis, in 6.* Si verò Patronus præſentet ſeipſum, abutitur jure ſuo, & Ordinarius non tenetur eum inſtituere, *Chopin de ſacra Politia lib.* 1. *c.* 2. *n.* 5. Tamen Patronus à Procuratore ſuo dato ad præſentandum præſentari poteſt, (*b*) modò in mandato ſeipſum non deſignaverit, *Riccius deciſ.* 197.

XV. Si plures ejuſdem Collegii vel Univerſitatis præſentandi jus habeant, intra ſtatutum tempus debent ſimul convenire collegialiter, ut dictum fuit ſuprà de electione; & aliis abſentibus, vel nolentibus præſentare, jus præſentandi & nominandi reſidet integrum penes alios, *c. de Jure Patronatûs, A Curte verſ. ſextò quæro.*

XVI. At ſi plures jus habeant præſentandi ut ſingùli, jus abſentium, vel nolentium præſentare, non accreſcit cæteris, quibus tamen non obeſt poſt tempus juris elapſum. Et ſi plures præſentent ut univerſi, cum altero Patrono, aut pluribus ut ſingulis, univerſitas habetur loco unius, & unam tantùm habet vocem. Idem dicitur ſi plures ejuſdem familiæ, habitâ ratione ſtirpis ex qua deſcendunt, præſentent cum aliis ut ſingulis, *Clement. ſi plures, de Jure Patronat. c. Scriptum, de electione, Romanus conſil.* 99. *Riccius deciſ.* 177.

XVII. In rebus ſpiritualibus & mixtis poſſeſſio & proprietas diſtinguntur, ſicut in rebus corporalibus, *l.* 1. §. 2. *ff. uti poſſidetis*: at rerum ſpiritualium aut mixtarum non dicitur propriè poſſeſſio, ſed quaſi poſſeſſio, quoniam poſſeſſio denotat contactum rei corporalis; *tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res*, ut ait Lucretius. Jure conſultorum ſubtilitas, vel (ut loquitur Seneca) ſtulta avaritia mortalium obtinuit, quòd in judiciis proprietas à poſſeſſione diſcernatur, quoniam faciliùs probatur poſſeſſio quàm proprietas, & ordo juris eſt, quòd priùs de poſſeſſione quàm de dominio agatur inter litigantes, ut alter rei, alter actoris partes agat, & actore non probante reus in judicio obtineat, *l. Exitus, ff. de acquir. poſſeſſ.* Sic in jure Patronatûs poſſeſſio à proprietate ſecernitur, ut de jure eligendi & conferendi diximus ſuprà: acquiritur autem poſſeſſio præſentandi, cum titulo colorato, bona fide poſſeſſoris, & patientia Patroni etiam per unicum præſentationis actum, *c. Ex Litteris, de jure Patronatûs, Molin. in c. Cum Eccleſia Sutrina, de cauſa poſſeſſionis & proprietatis, poſt Gloſſam & Abbatem quos citat, Loët. lit. P. num.* 20. nam imputatur Patrono quòd cùm ſcire aut ſcire deberet vacationem Beneficii, per ſe, vel Procuratorem, non præſentaverit, & contra præſentationem alterius & inſtitutionem ſpreto ſe factam non reclamaverit: & ſi vacante Eccleſiâ talis poſſeſſor juris Patronatûs proprietarium prævenerit, ejuſque præſentatio fuerit admiſſa, & inſtitutio ſecuta, inſtitutus non debet removeri, *Gloſſ. in d. c. Ex Litteris, Loët. loco citato*, cùm præſentatus fuerit ab eo qui in poſſeſſione erat, & in Beneficiis ultimus ſtatus ſit attendendus, rerum expediendarum gratiâ, ne litibus cultus divinus retardetur, præſentatio ſit ſolùm diſpoſitio ad inſtitutionem, & jus proviſi principaliter pendeat ex inſtitutione.

XVIII. At ſi proprietarius poſſeſſorem Juris Patronatûs prævenerit, aut ſimul cum eo præſentaverit, & doceat de jure ſuo præſentatus ab eo eſt præferendus: etſi enim per unum præſentationis actum, & inſtitutionem ſubſecutam ſpreto ſe factam, poſſeſſionem

juris illius amiserit, jus tamen proprietatis non amisit, quod non nisi pluribus actibus præsentationis repetitæ sine interpellatione, & prescriptione longissimi temporis, amittere potest, ut dicemus titulo sequenti: quo jure in possessionem amissam debet redintegrari; & in concursu si de eo liqueat Ordinarius præsentatum à proprietario debet instituere; si verò non liqueat, partes ad Judicem Laïcum debet remittere, cujus est cognoscere de possessione rerum spiritualium, ut alibi dicemus, apud quem lis finiatur intra semestre, sive agatur inter Laïcos, sive inter Clericos, non ultra: nam post semestre jus devolvitur ad Superiorem ex Concilio Lateranensi, cui Ordinarius non potest derogare: & si Ordinarius nullum tempus præscripserit litis persequendæ & finiendæ, post quadrimestre jure concessum Laïcis, & post semestre datum Clericis ad præsentandum, sive lis sit inter eos finita, sive non, liberè conferre potest, sine præjudicio Patroni jus habentis in futurum, cui liberum est post sententiam evictionis juris Patronatûs provisum ab Ordinario durante lite ei repræsentare, ad jus suum conservandum, *c. Si verò, de Jure Patronatûs.*

XIX. Si verò Patronus sit in possessione præsentandi: præsentatio ab alio facta prætenso Patrono, & institutio secuta, ei non obest quominùs jure suo utatur, *c. Consultationibus, de Jure Patronatûs*: nam alteri per alterum iniqua conditio non debet inferri. Sic si Jus Patronatûs sit annexum feudo, & ob jura non soluta dominus feudum cui Jus Patronatûs est annexum apprehenderit, vassalus vacante Ecclesiâ præsentare potest, & præsentatum à domino feudali excludere: nam per apprehensionem manûs dominicæ, quæ fit ut vassallus tædio affectus solvat, & recognoscat, vassallus non censetur à possessione præsentandi excluſus, ut docet Molineus, *in consuetud. Paris. tit.* 1. §. 55. *Gl.* 10. *num.* 11. Secùs in sequestro, in quem possessio omnis transfertur, ut diximus suprà. Eodem jure Patronus non excluditut à possessione per violentum & malæ fidei possessorem, & præsentatio facta à tali possessore, cui jus commune resistit, & institutio Ordinarii decepti non obstat Patroni querimoniæ, & præsentationi alterius Rectoris; nam mala fides nemini debet patrocinari, & possessor malæ fidei non facit fructus suos, *l. Certum est, C. de vindic.* ut de præsentatione facta à malæ fidei possessore dicitur, *in decis. Rotæ* 268. *in novis.* Quamobrem Ordinarii non debent admittere præsentationes hujusmodi, nisi constet de Jure Patronatûs, aut quasi possessione, ex titulo fundationis vel dotationis, aut præsentationibus admissis, ne Ecclesia gravetur, vel fiat præjudicium vero Patrono: tamen si Patronus tacuerit per quatuor menses, aut sex, institutum ad præsentationem possessoris malæ fidei non potest excludere; nam post illud tempus Ordinarius liberè conferre potest, & potestate ordinariâ illius, provisio instituti sustinetur, tametsi contra præsentatorem possit agere interdicto recuperandæ possessionis, ut imposterum inhibeatur in casu vacationis præsentare.

XX. Si Patronus sit excommunicatus, nec per se, nec per Procuratorem præsentare potest; tamen si præsentaverit, ejusque præsentatio fuerit admissa, institutio sustinetur potestate ordinariâ, ut diximus suprà, modò institutus habilis sit & idoneus ad muneris exercitium, *Rota decis.* 161. *&* 527. *in antiquis.* Idem dici potest de Patrono in hæresim lapso. Verùm apud nos excommunicati per Procuratorem habentem speciale mandatum præsentare possunt, sine designatione Clerici præsentandi in mandato. Hæretici ex Constitutione Gallica retinent sua bona in quibus censentur Jura Patronatûs, ob spem postliminii; & per Procuratores, modò illi Catholici sint, & præsentatio eorum relinquatur arbitrio, præsentare possunt. Idem de Hæreticis decreto Regis Christianissimi 8. Julii anni 1651. cautum fuit, ut per Procuratores Ccthollcos in casu vacationis possint præsentare, notat Bengeus in libro de Beneficiis, nuper edito à Pinsonio suo nepote, & additionibus aucto, *tit. de onerib. Ecclesiarum*, §. 6. quem vidi post editionem primam istius Tractatûs. At si Patronus sit suspensus Judicis decreto à munere præsentandi, ob culpam in præsentatione commissam pro una vice, aut pluribus, nec per se, nec per Procuratorem poterit præsentare, ne decreto illudatur.

XXI. Si plures fuerint præsentati ab uno eodemque Patrono, vel pluribus, ille præferendus est qui plurium juvatur suffragiis, *c. Quoniam, de Jure Patronatûs*: quo casu si divisa sint suffragia Patronorum circa plures, suffragia solùm numerantur, non ponderantur, ut in electione, nam inter Patronos non pluris æstimatur suffragium unius quàm alterius: & si suffragia sint paria, ille præfertur qui dignior est, & majoribus pollet meritis, ut de electione diximus: si merita sint æqualia, locus est gratificationi, *Gloss. in c.*

Si plures 16. quæst. 2. arbitrio Episcopi, aut ejus Vicarii, *Riccius decis.* 219.

XXII. Collatio Beneficii patronati facta spreto Patrono nulla est, aut venit annullanda: nam vel à Papa ejusve Legato beneficium datur, vel ab Ordinario, si à Papa, vel Legato collatio fiat, aut in supplicatione jus Patronatûs fuit expressum, aut non; si non sit expressum, rescriptum collationis est obreptitium; nam illa qualitas est exprimenda, ut notabitur infrà, sive Beneficium vacet per cessum, sive per decessum, & illud vitium obreptionis non purgatur consensu Patroni, *Molin. de infirmis resign. num.* 53.

XXIII. Si verò Jus Patronatûs in supplicatione fuerit expressum, distinguitur; aut tale Jus est Laïcale, & Papa ei derogare non potest, *c. Decernimus 16. q.* 7. *Conc. Trid. de reform. Sess.* 25. *c.* 9. nam Jus illud est aliquatenus temporale in bonis privatorum, de quibus Papa non potest disponere, *c. de cætero, de Jure Patronat. notat Ferrerius ad Guid. Pap. q.* 170. & si deroget, ab executione rescripti appellare licet tanquàm ab abusu.

XXIV. Admittitur autem ad appellandum Patronus, & devolutarius qui Beneficium impetravit ut vacans, ob defectum tituli, nisi Patronus collationem illam ratam habuerit, aut præscriptione legitimi temporis sit excluſus; sic enim purgatur abusus, quando agitur de interesse privatorum, expresso aut tacito consensu illorum, nisi in illo casu justa & probabilis ignorantia Patronum excuset, *Federicus de Senis de permut. Benefic. Garcias parte* 5. *c.* 9. *n.* 232. *Molin. de infirmis resignant. n.* 54. *&* 59.

XXV. Tamen in certis casibus Juri Patronatûs Laïcali Papa derogare potest. *Primò*, si non constet de fundatione, aut dotatione, sed de sola consuetudine præsentandi ex indulgentia Ecclesiæ: sic enim jus quæritur Patrono, ut precario utatur, *Abbas in c. Dilectus, de officio Legati, Decius cons.* 117. Verùm in Gallia tametsi de sola consuetudine constet, Papa derogare non potest: nam talis consuetudo ex fundatione vel dotatione præsumitur orta, quoniam Laïci aliter ad hæc munera non admittuntur, *Ferrerius ad Guid. Pap. q.* 370. *Rebuff. lib.* 1. *tit.* 3. *pars signaturæ, n.* 13.

XXVI, *Secundò*, si jus illud indulcto aut privilegio à Papa sit concessum, idem qui concessit, ejusque successor, derogare potest; quoniam privilegiati suis privilegiis precariò utuntur: quod tamen in indultis Universitatibus concessis & in hoc Regno solemniter approbatis, locum non habet.

XXVII. *Tertiò*, si plures sint Patroni Laïci, & vota sint inter eos divisa, ad postulationem Oratoris habentis mediam partem suffragiorum, Papa & Legatus pro alia parte derogare possunt, ut arbitri controversiæ pro bono pacis, *Flaminius de resign. lib.* 2. *q.* 4. *num.* 55. *Garcias* 5. *parte, c.* 1. *n.* 585. *Rebuff. in praxi, tit. de signat. provisionis simplicis, n.* 11.

XXVIII. *Quartò*, si possessor Beneficii patronati sit expellendus, ob defectum tituli; incapacitatem, non residentiam, assecutionem secundi incompatibilis, delictum, aliamve justam causam, consensus Patroni non expectatur, & derogatio valet, tametsi jus Patronatûs ad Principem pertineat, *Rebuff. in praxi, de signatura, parte* 3. *num.* 37.

XXIX. *Quintò*, si inter collitigantes alter subrogetur in jus alterius, in vim regulæ de subrogandis collitigantibus; novæ provisionis rescripti, si neutri, si nulli, consensus Patroni non desideratur, *Riccius decis.* 150.

XXX. *Sextò*, si permutatio fiat de Beneficio patronato, in consulto Patrono, valet, *Faber C. de Jure Patron. def.* 2. *Papon Placitorum, lib.* 3. *tit.* 9. *n.* 1. sive talis permutatio fiat in gratiam Ecclesiæ, sive in gratiam personæ; & Episcopus permutationes hujusmodi potest approbare, *Rebuff. in praxi, tit. tertia pars signaturæ, n.* 40.

XXXI. At verò si jus Patronatûs sit Ecclesiasticum, Papa & Legatus indistinctè derogare possunt, nam Papa liberam habet administrationem bonorum Ecclesiæ; ea est communis sententia. Si verò sit mixtum, partim Laïcale, partim Ecclesiasticum, Papa & Legatus derogare possunt Juri Ecclesiastico, ob rationem suprà allegatam; non Juri Laïcali, ne Laïci ex illa communione dispendium patiantur: alii verò voluerunt quòd etiam Juri Laïcali possunt derogare, quia magis nobile, seu Jus Ecclesiasticum trahit ad se minus, *c. Quod in dubiis, de cons. Eccl. l. Quæritur, ff. de statu hominum, Rota decis. 266. in antiquis.* Apud nos prior sententia certior est, nisi Jus Laïcale sit litigiosum, *juxta decisionem Riccii* 219. *Rebuff. in praxi, tit. tertia pars signaturæ, num.* 69.

XXXII. Censetur Ecclesiasticum, si de bonis Ecclesiæ quæsitum sit; Laïcale verò licet à Clerico de suo patrimonio aut reditu sui Beneficii acquisitum fuerit, *de Selva* 3. *parte, q.* 11. *Garcias parte* 5. *c.* 1. *n.* 593. nisi Jus illud in Ecclesiam translatum sit: & non

deſinit eſſe Laïcale, quamvis præſentatio fieri debeat ab Operariis (*f*) ſeu Rectoribus Fabricæ, aut Fratribus Diſciplinatis, etiam adjunctâ perſonâ Eccleſiaſticâ, *Riccius deciſ.* 169. ex variis Authoribus quos citat.

XXXIII. Eodem jure ſi Beneficium vacet in Regalibus, Beneficium à Rege vel Oeconomo dato conferri poteſt ſine conſenſu Patroni Eccleſiaſtici, ſi tale Jus ſit Eccleſiaſticum: nam ut aiunt Pragmatici Galliæ, in Regaliâ Rex utitur non ſolùm Jure Ordinarii, ſed etiam Papæ, *Molin. in reg. de infirmis reſign. Scholiaſtes Loëtii in litt. R, n.* 47. At ſi Jus Patronatûs ſit Laïcale, conſenſus Patroni requiritur, *idem Scholiaſtes ibid.*

XXXIV. Sed ſi collatio fiat ab Ordinario, vitium obreptionis objici non poteſt: nam apud Ordinarium non fit ſupplicatio in ſcriptis, ut ſolet fieri apud Papam vel Legatum, in qua exprimuntur omnia quæ collatorem poſſunt retrahere: verùm ſi Ordinarius ſuis Litteris derogaverit Juri Patronatûs, eſt abuſus, ſive Jus illud ſit Laïcale, ſive Eccleſiaſticum: & ſi tacito Jure Patronatûs Beneficium contulerit, collatio eſt nulla ex tunc, ſi Patronus conqueratur tacita conditione juris, *c. Illud, de Jure Patronatûs*; ſicut teſtamentum patris eſt nullum ſi filius præteritus conqueratur, *l. Filio præterito, ff. Injuſto rupto & irrito facto teſtamento.* Et ſi Patronus non conqueratur intra tempus Juris ſibi conceſſum ad præſentandum, aut ſi collationem talem factam ipſo inconſulto ratam habeat, talis collatio valet; his enim exceptionibus Patronus ſubmovetur, ut diximus ſuprà, *Rota deciſ.* 528. *in antiq.*

XXXV. Alia jura competunt Patrono; quòd alatur (*g*) de reditibus Eccleſiæ ſuper extantibus, ſi ſit inops, *l. Si quis*, §. *Vtrum, ff. de lib. agnoſc. & alend. Doctores in c. A nobis, de Jure Patronat. Riccius deciſ.* 170. Pari jure ſi Patronus ſit locuples, & Eccleſia ſit inops, tenetur contribuere ad refectionem Eccleſiæ, *Capell. Toloſ. deciſ.* 498. *Riccius deciſ.* 78. Quòd de bonis temporalibus Eccleſiæ poſſit rationem exigere, ſi ſit Clericus, *c. Cùm & plantare*, §. *In Eccleſia, de privilegiis*: nam ſi Laïcus ſit, non poteſt ſe immiſcere, *Abbas in c. In Lateranenſi, de Præb.* Quòd fundando Eccleſiam poſſit ſua Inſignia apponere, honeſtam ſedem eligere, & primus offerre, ſi conditio illius id ferat, *Choppin. de ſacra Politia, lib.* 1. *c.* 2. *n.* 5. Quòd cognati ſi velint vacare officiis Eccleſiæ, cæteris præferantur, ſervatâ inter eos prærogativâ gradûs quoties Beneficium vacaverit, *Dominicus in c. Cùm in Eccleſia, de Præb. in* 6. *& c. Cùm Dilectus, de conſuet.* quod jus non competit cognatis niſi in fundatione fuerit reſervatum: aliæ conditiones apponi ſolent; ut quòd Rector illius Beneficii ſit Sacerdos actu, vel aptitudine: in primo caſu illa qualitas deſideratur actu in proviſo tempore inſtitutionis; in ſecundo aptitudo ſufficit quòd intra annum poſſit promoveri.

XXXVI. Quæri ſolet an liceat collatori inſtituere præſentatum à Patrono non habentem qualitatem requiſitam ex lege fundationis, ob defectum Ordinis, vel ætatis, alteriuſve qualitatis. Reſpondetur non licere Ordinario, *Riccius deciſ.* 174. *Farinacius* 4. *part. deciſ.* 171. nequidem ex conſenſu Patroni; & Papam non ſolere derogare legi fundationis, ſine clauſula ſpeciali, *Mohedan. de conceſſ. præb. deciſ.* 7. Apud nos locus eſt appellationi ab abuſu ſi Papa deroget fundationi juris Patronatûs Laïcalis ſine conſenſu Patroni, ob rationes ſuprà allatas.

XXXVII. Verùm ex conſenſu fundatoris Ordinario licet pro una tantùm vice à lege fundationis recedere, *Riccius loco citato, poſt Felinum, & alios*; & Papæ toties quoties, per clauſulam ſpecialem, *Rebuff. in praxi, tit. tertia pars ſignaturæ, n.* 44. *Riccius deciſ.* 202. nam clauſula generalis non ſufficit, niſi in ſupplicatione impedimentum fuerit expreſſum: & ſi Jus Patronatûs ſit Eccleſiaſticum, conſenſus Patroni non deſideratur, ut conſtat ex ſupradictis.

XXXVIII. Cæterùm ut in fundatione licet Patrono conditiones licitas & honeſtas apponere in favorem ſui & ſuorum ſucceſſorum, cum conſenſu Superioris, ſic poſt fundationem augendo dotem Eccleſiæ ob neceſſitatem, vel majorem utilitatem, licet cum Superioris conſenſu ſibi ſuiſque omiſſas conditiones reſervare, quas in fundatione apponere licuiſſet.

XXXIX. Nec dubitatur quin liceat Ordinario; vocatis Patronis etiam invitis, Miſſas Eccleſiæ aut Capellaniæ reducere, ſi reditus non ſufficiant Rectori ſuſtentando, & Patroni ſupplere non poſſint, vel nolint, vel Capellaniam aliò transferre, urgente neceſſitate; quæ alioquin fieri non poſſunt ſine conſenſu Patronorum, *c. Ad Audientiam, de Eccleſiis ædificandis.*

SOLIER.

(*a*) Modo præsentatio fuerit collatori intimata : quia antea quantumvis à præsentato acceptata nullum jus tribuit in re, nec ad rem, perfectum, nec imperfectum, ideo non impedit præventionem Papæ, nec variationem, *Brodell. ad Lovet. litt. P, cap.* 25. *n.* 9. *in fine*, dixi ad Flam. *de resign. lib.* 7. *q.* 11.

(*b*) Contrarium verius, quia jure Patroni præsentat, ideo subintrat dispositio Capituli *per nostras de jure pat.* prohibentis ne Patronus se ipsum præsentet. Sic Vicarius non potest Episcopo conferre, quamvis substitutus à Vicario habente potestatem substituendi possit Vicario conferre, quia substitutus capit potestatem ab Episcopo, non autem à Vicario, *Rebuff. in tract. nom. q.* 8. *n.* 38.

(*c*) Ante vacationem Beneficii constitutos & mandato apud acta vicinioris Judicis Regii insinuato, Bengeus loco ab authore citato. Sed hodiè recentioribus secretioris consilii decretis ab hac facultate arcentur, & Ordinarius liberè confert, donec ad fidem revertantur.

(*d*) Rejice distinctionem Authoris ex Molinco advectam, prout eam rejicit Lovet. *ibid.* ut collatio solius ordinarii facta spreto Patrono veniat annullanda, Papæ verò sit ipso jure nulla propter obreptionem, quia neutra est nulla, sed utraque est in actu validitatis, donec annulletur per quærelam vel præsentationem Patroni intra legitimum tempus factam : quia utraque intelligitur facta sub conditione si Patronus consentiat, *Lovetius d. loco* : secùs esset ubi Papa juri Patronatûs Laico derogaret, ut idem subjicit.

(*e*) Hoc verum non credo nisi tempus à jure præfixum ad præsentandum sit elapsum, per ea quæ dixi *ad Flamin. Paris. de Resign. lib.* 14. *q.* 2. *in addit. ad Duclosium*, *n.* 6.

(*f*) Operarios Ecclesiarum seu ædituos quamvis ipsi Laici sint, esse Patronos Ecclesiasticos validis argumentis probat. Lambertin. *de jure Patr. lib.* 1. *q.* 1. *art.* 10. & tenent post eum Rebuff. in praxi, *tit. de præsentatione*, *n.* 6. Garcias de benefic. *p.* 5. *cap.* 1. *n.* 598. negant Gambarus de Legat. *lib.* 3. *tit.* 1. *n.* 371. *& seqq. & n.* 382. & Author hic. An autem jus Patr. confraternitatum Laicorum sit Laicale an Ecclesiasticum ? esse Ecclesiasticum tenet *Garc. d. cap.* 1. *ex n.* 604. quia sunt loca pia & Religiosa ac privilegiis Ecclesiarum gaudent.

(*g*) *Arrestum*, Unde cùm anno Domini 1664. Carolus Lartigue Patronus Capellaniæ sanctæ Quiteriæ nuncupatæ magistrum Antonium de Peyre dictæ Capellaniæ possessorem lite pulsasset ad sibi egestate presso pensitationem, quâ aleretur erogandam, quæstione in publicis causarum actionibus agitatâ, Senatus Tolosanus die ultima Julii ejusdem anni, tertiam partem fructuum dictæ Capellaniæ memorato Carolo annuatim quoad viveret persolvendam adjudicavit, perorantibus Boisset & Prevost.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 4. Patronis *Clericis datur semestre*. Scribit Cabasus in sua juris Canonici Theoria, jus Patronatûs Ecclesiasticum differre à Laïco : *Primò*, in eo quòd Clerici Patroni habeant semestre, *cap. unic. de jure Patr. in* 6. *Secundò*, quia Laïci possunt semel variare, Ecclesiastici nequaquam, *cap. Quod autem de jure Patr. & cap. Ut lite pendente, in* 6. *Tertiò*, quia potest Papa & Legatus à latere propria authoritate de benefic. vacan. juris Patr. Ecclesiastici ad libitum disponere citra patroni consensum, quod tamen non potest in Beneficio juris Patronatûs Laïci, *cap. Cùm dilectus, & ibi Glossa in praxi recepta, de jure Patr.* sed quadraginta & octo differentias inter jus Patronatûs Ecclesiasticum & Laïcale affert post Lambertinum Vivianus in tractatu *de jure Patr. p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 20. quarum aliquæ veniunt hic notandæ : *Prima*, quia Patroni Ecclesiastici erant, & sunt capaces juris Patronatûs ; Laïci verò non, quia ex gratia fiunt capaces, *cap. Si quis Episcoporum* 16. *q.* 5. *ibi*, hæc gratia reservatur ; Ecclesia enim sustinet patronis ex gratia, *cap.* 3. *de jure Patr. Secunda*, quia licet in limine fundationis patronus seu fundator volens jus Patronatûs esse Ecclesiasticum, potest apponere conditionem cum consensu Episcopi, quod nulla requiratur institutio ; ut tradit *Lambert. p.* 1. *lib.* 1. *q.* 9. *art.* 3. secùs de Patronatu Laïco, quia Laïcus non est capax juris spiritualis : *Tertia*, Laïcus non potest acquirere jus Patronatûs ex privilegio Episcopi, cùm circa ejus incapacitatem Episcopus non possit providere, & de hac differentia vide Lambertinum, *part.* 1. *lib.* 1. *q.* 10. *art.* 4. *Quarta*, Laïcus non potest præscribere jus Patronatûs contra Ecclesiam liberam, cum sit incapax illius juris, nisi fundaverit, construxerit, vel dotaverit Ecclesiam ; Clericus verò potest per ea quæ tradit Lambert. *d. quæst.* 10. *Quinta*, in translatione juris Patronatûs de Laïco in Laïcum requiritur consensus Episcopi, in Clericum vel pium locum non requiritur : *Idem*, *d. quæst.* 4. *art.* 10. *Sexta*, Ecclesiasticus potest cum electoribus eligere in Ecclesia Collegiata, & præsentare Rectorem Ecclesiæ hujusmodi, Laïcus verò non potest præsentare ; nec eligere, sed tantùm consentire. *Lambert. p.* 1. *lib.* 2. *q.* 5. *art.* 1. *Septima*, Capitulum secundum *de Præb. in* 6. disponens quod Beneficia vacantia in curia sunt Papæ reservata, procedit, si Beneficia sint juris Patronatûs Ecclesiastici, non Laïcalis ; *Lambert. p.* 3. *lib.* 2. *q.* 9. *art.* 13. *Octava*, Patronus Ecclesiasticus præsentans non idoneum, vel indignum scienter, vel ignoranter indistinctè, privatur illâ vice jure præsentandi ; *cap. Cùm vos, ubi Glossa in verbo, Minùs idoneæ, de offic. ordin.* secùs si præsentaverit incapacem. *Brodell. ad Lovet. litt. P, cap.* 25. *n.* 10. Laïcus verò non privatur, si ignoranter indignum præsentaverit ; *Lambert. part.* 1. *lib.* 2. *q.* 10. *art.* 4. imò sivè Laïcus præsentaverit incapacem, sivè indignum, potest indistinctè variare ; ut vult Brodell. *ibidem* : *Nona*, Patronus Ecclesiasticus non potest præsentare alternative, Laïcus verò potest. *Clemen. plures, §. finali de jure Patr. Decima*, jus Patronatûs Laïci non dicitur mere spirituale, per ea quæ Lambertinus deducit, *lib.* 3. *q.* 9. *Undecima*, in jure Patronatûs Ecclesiastico ad hoc ut præsentatio valeat, debet fieri à majore parte respectu omnium, non autem, respectu minorum partium, at præsentatio Laïcorum valet, etiam non facta à majori parte omnium, sed à

majori

majori parte respectu minorum partium. *Idem lib. 2. q. 2. art. 19. Duodecima*, in renunciatione Beneficii de jure Patr. Laïco requiritur quod fiat Episcopo cum consensu Patroni, at in Beneficio Patroni Ecclesiastici poterit fieri in manibus solius Patroni, *idem lib. 3. q. 5. art. 5.*

N. 5. *Laïci semel variare possunt.* Quamvis pluries posse teneat *Glossa in Clementina, plures, §. finali, de jure Patr.* & adhuc cumulativè tantùm, & non privativè, ita ut superior qui habet instituere, possit quem voluerit ex præsentatis gratificare, Antonius Maceraten in suis variarum rerum resolut. *lib. 1. resolut. 104. n. 10.*

N. 11. *Creditor enim, qui petit rem sequestrari, non potest præsentare.* Idem si ei datum sit pignus Universitatis bonorum, in qua existit jus Patronatûs, *Textus & Glossa in cap. Bertoldus*, ab Authore citato, quia creditor percipit fructus nomine debitoris cosque, soluto debito, tenetur restituere, vel in sortem imputare, *cap. 1. & 2. de usuris, Leg. 1. & 2. Cod. de pignor. act on.* fructus autem præsentationis nec debitori potest restitui, neque cum credito compensari, *Gloss. in dicto cap. Bertold. de re judicata.*

Eodem N. 11. *sive illud mandatum factum sit ante vacationem Beneficii, aut post.* Non tamen potest constitui procurator in specie ad præsentandum ad vacaturum, *Rebuffus de Vicariis Episcopi, n. 2. Garcias, part. 10. cap. 1. n. 14.* nisi ex juxta causa Patronus ad longinquas partes esset discessurus, vel daretur potestas præsentandi in genere, *Garcias ibidem, n. 18. & 19.* vel constitueretur procurator generalis negociorum patroni cui præsentationem committeret, quia tunc valeret mandatum, etiam si unicam præsentationem haberet, *Rebuff. in forma Vicariatûs, n. 23. & n. 71. & alii relati à Garcia, ubi supra n. 20.* non tamen in mandato debet nominari persona præsentanda *ibidem n. 22.*

Eodem N. 11. *aut præsentatio fit per Epistolam.* Hæc præsentatio per Epistolam non valeret in Gallia, ubi in præsentatione debent adhiberi duo testes cogniti domicilium habentes, non consanguinei, vel affines patroni in secundo gradu ex præscripto declarationis Regiæ de anno 1646. *art. 9.* quæ clausulam continet irritantem.

Eodem N. 11. *præsentatus à Tutore, vel marito præfertur.* Pupillus major septennio præsentare potest, etiam sine Tutore, per ea quæ latè deducit *Lambert. de jure Patr. part. 1. lib. 2. q. 2. art. 9. n.* 8. eâ potissimum ratione, quia jus Patronatûs est spirituale, seu spiritualitati annexum, super quo spirituali nihil operatur nec patria, nec tutoria, nec curatoria potestas, *cap. Si annum de judic. in 6.* quod si tutor & pupillus præsentant, potius præsentatus à pupillo majore septennio admitti debet, quàm præsentatus à tutore, si vero est minor septennio, præsentabit tutor, & non ipse pupillus. Si autem pupillus habet jus Patronatûs aliunde, quam à patre, præsentabit pater, aut tutor, si non habeat patrem, *Lambert. dicta quæst. 2. art. 10. n. 3.* an autem præsentatus à marito præferatur præsentato ab uxore, ut vult Author, magna est inter Doctores controversia, ut videre est apud Lambert. *p. 2. lib. 1. q. 10. art. 2.* qui negativam tenent plurimis fulciuntur fundamentis, quorum præcipua sunt: *Primum*, quia dos ex se non est quid universale, dando enim omnia bona, generalitas resolvitur in suas singularitates, & perinde est, ac si diceret, do hoc & illud, nec bona dotis, vel etiam hæreditatis manent penes virum, ut universitas, sed ut res singulares, ut notat Hostien. *in cap. Ex litteris de jure Patronatûs*, ideò jus Patronatûs non transit cum universitate rerum, nisi cum titulo universali, ut *in L. Quædam, ff. de acq. rer. dom.* ubi res sacra, vel alias alienari prohibita, quæ transit cum universitate bonorum, prohibetur legari, quia legatum non est titulus universalis: *Secundum*, quia vir percipit fructus rei dotalis propter onera matrimonii, *L. Pro oneribus, Cod. de jure dotium*, sed ex præsentatione nullum fructum re ipsa æstimabilem consequitur maritus, nec prodest ad onera matrimonii supportanda: *Tertium*, quia præsentatio non est fructus, vir namque habet fructus dotis, sed humanum corpus prodiens ex ancilla dotali non est in fructu propter reverentiam humani generis, *L. In pecudum, ff. de usuris*, & ideò non cadit lucro mariti, *L. Plerique, §. Si secundum, ff. de jure dotium*, hic autem Patronus habet producere corpus humanum ad Rectoriam Ecclesiæ, quod priùs non erat, habito respectu ad ipsam Ecclesiam, & quantùm ad eam, per institutionem præsumitur nasci, & per destitutionem mori, *cap. Ne pro cujuslibet 16. q. 1. cap. Si quis jam translatus, eadem causa, q. 2.* Ex hac ergo ancilla scilicet Ecclesia nascitur, Rector præsentatus & instituendus, qui non cedit lucro mariti; sed verior est affirmativa, quia imo dos est quid universale, & jus Patronatûs conducit ad onera matrimonii adveniente egestate, & quod dicitur in tertiò motivo est mera subtilitas sine soliditate; ratio autem differentiæ cur præsentatio pupilli septennio majoris præferatur, non autem uxoris, est, quia tutor non est Dominus, nec usufructuarius bonorum pupilli, nec sibi possidet, sed pupillo, *L. 1. §. Adipiscimur, ff. de acquir. possess.* maritus autem jure suo fructus percipit, & suos facit.

N. 12. *Laïci variare possunt, & à præsentatione facta resilire.* Imò non potest resilire, sed alteram tantùm cum prima cumulare, quod Patrono Ecclesiastico non licet, *cap. Quod autem, cap. Pastoralis, & cap. Cum autem de jure Patr.* potest autem Patronus Laicus variare, vel plures præsentando unico contextu ut Episcopus instituat quem vult, *Clementina plures, §. ult. & ibi Glossa & DD.* vel unum præsentare, & successivè postea alium non recedendo à prima præsentatione, & sic privativè secundum præsentare nequit; *Abbas in dicto cap. Quod autem, n. 3. Garcias de benefic. part. 5. cap. 9. n. 211.*

N. 22. *Et illud vitium obreptionis non purgatur consensu patroni.* Sibi ipsi contrarius est Pastor, nam infrà, hic *n.* 24. ait patronum ratam habere posse collationem illam, & sic purgari abusum, & quamvis primò loco loquatur de Patrono Laïco, & non solum de obreptione simplici, sed de abusu, qui gravior est, & locum habet specialiter in Patronatu Laïco, utpote patrimoniali, revera tamen utrobique eadem ratio; imo major videtur in Patrono Ecclesiastico, ut per consensum possit ratificare collationem obreptitiam, tum quia obreptio est minor abusu, tum maximè quia de jure nullomodo opus est derogatione, sed ne quidem mentione juris Patronatûs Ecclesiastici, quia Papa & Legatus jure suo conferunt, & nemini injuriam faciunt, per ea quæ deducit *Gonzalez ad regul. 8. Cancell. §. 1. & §. 2. Pramial.* & tenent in Gallia

Joann. de Selva, de benefic. p. 3. n. 22. Rebuffus in praxi tertia pars signaturæ, in verbo, Nec non juris Patr. n. 6. & convincitur *ex cap. Dilectus, de jure Patr.* quibus consonat praxis, & communis observantia.

N. 27. *Ad postulationem oratoris habentis mediam partem suffragiorum Papa & Legatus pro alia parte derogare possunt.* Derogatio pro medietate patronorum non est aliud, quàm reducere consensus per plures Patronos præstandos ad medietatem, ita quod sufficiat habere tot voces, quæ pro medietate faciant majorem partem, *Flamin. de resig. lib. 2. q. 4. n. 55. Garcias part. 5. cap. 1. n. 585.* sed hæc derogatio apud nos solùm operatur, ut data vocum paritate gratificationi Papæ, vel Legati locus sit, quod intra tempus quadrimestre ordinario non licet, ex quo interim Patroni in unum convenire, & consentire possunt.

N. 34. *Si collatio fiat ab ordinario, vitium obreptionis objici non potest.* Atque ita subreptio non inducitur in impetratione Beneficii coram ordinario ex reticentia obtentorum, *Clement. 2. de officio ordinarii*, ratio duplex affertur: *Prima*, quia ordinario Beneficiorum suæ Diœcesis qualitates nec-non impetrantium cognitæ præsumuntur, cum præsumatur diligenter visitare suam Diœcesim, *Felin. in cap. Ad aures, n. 15. de rescrip. Secunda*, quia ordinarius videtur conferre motu proprio, Papa verò solet conferre ad supplicationem, *Felin. in d. cap. Ad aures*, illudque procedit, non solum in gratia Beneficiali, sed etiam in qualibet gratia ordinarii, quæ non vitiatur subreptione, *Flamin. de resignat. lib. 8. q. 9. n. 71. Garcias, post alios quos* citat, *p. 9. cap. 3. n. 3.* (licet contra teneant *Sanchez de matrimon. lib. 8. disput. 21. n. 4. Suarez de Religione tract. 6. de voto, lib. 6. cap. ult. n. 14. & sequentibus*) unde infert Garcias *n. 76.* quod quælibet gratia ab ordinario per subreptionem, seu deceptionem obtenta, erit valida, quamvis obtinens decipiendo peccet.

N. 35. *Nam si Laïcus sit, non potest se immiscere.* Sed cur jus præsentandi ad Beneficia Ecclesiastica Patronis Laïcis ab Ecclesia concedi possit, & soleat, *cap. Quoniam, cap. Quod autem de jure Patr.* non item jus eligendi, *cap. Massana, de elect.* Ratio diversitatis est, quia per præsentationem non initiatur spirituale aliquod matrimonium inter præsentatum & Ecclesiam, sicuti per electionem, *cap. Cum inter, de elect.* sed præsentatus omne jus spirituale ad Beneficium per institutionem superioris acquirit, ad quem proximè dirigitur præsentatio, cum electio proximè dirigatur ad electum, cui per illam jus spirituale acquiritur, ideoque cum jus eligendi sit magis spirituale, & potentius, quàm jus præsentandi, non conceditur Laïcis, licèt alterum concedatur, *ita Pirhing. de elect. n. 19.*

TITULUS XX.

Quibus modis Jus Patronatus acquiratur, vel amittatur.

SUMMARIUM.

I. Modi acquirendi jus Patronatûs.
II. Pluribus Jus Patronatûs acquiritur.
III. Jus Patronatûs in donatione vel usufructu relicto omnium bonorum.
IV. Jus Patronatûs non potest vendi.
V. Jus Patronatûs alio Jure Patronatûs potest permutari.
VI. Cognitio Juris Patronatûs ad quos Judices pertineat.
VII. & VIII. In Jure Patronatûs ut succedant hæredes.
IX. §. 1. Patroni debent convenire de præsentando alternis vicibus.
X. §. 1. Si Jus Patronatûs sit legatum primogenito, an transmittatur.
XI. & XII. Ut succedant in Jure Patronatûs qui nomine familiæ vel stirpis fuerunt vocati, vel universitatis.
XIII. An Jus Patronatûs veniat in confiscatione, & bonorum distributione.
XIV. Ut jus Patronatûs consuetudine acquiratur, quæ requirantur.
XV. & XVI. Jus Patronatûs variis modis amittitur. Jus Patronatûs præscribitur. Arrestum. Ut Jus Patronatûs conservetur.
XVII. Ut præscriptio Juris Patronatûs interrumpatur.

I. VARIIS modis Jus Patronatûs acquiritur, fundatione, dotatione, privilegio, donatione, legato, permutatione, jure successionis, & consuetudine. In fundatione & dotatione dos sufficiens desideratur, & consensus Episcopi, *c. 1. de Jure Patronat. in 6. n. 5. & 63. &* 123. Sic jus illud fundatori acquiritur, (*a*) modò ex consensu Episcopi fundatio facta sit, nisi fundator jus illud Ecclesiæ remiserit, *Garcias parte 5. c. 8. n. 62.* Si verò non constet de consensu Episcopi in fundatione, jus Patronatûs non acquiritur fundatori, nisi ex præsentationibus admissis consensus Episcopi præsumatur interveniisse, *Socinus consil. 1. vol. 3. Riccius in praxi Juris Patronatûs*, augmento dotis non acquiritur, nisi ob necessitatem Ecclesiæ ex consensu, *Concil. Trident. Sess. 25. c. 9. Riccius decis. 167. &* 190.

II. Sic Jus Patronatûs interdùm pluribus acquiritur, aliis ratione soli, aliis ratione

ædificationis, aliis ratione dotationis, *Rota de Iure Patronat. deciſ.* 14. *in antiquis*: nam ſi n tra corpus Eccleſiæ Capella fundata fuerit, fundator ſit Patronus ratione fundationis, &i Rector Eccleſiæ Compatronus ratione ſoli, niſi Rector ad inducendum Patronum jus ſuum illi remiſerit, *Rota loco citato, Felinus in c. Venerabilis, col. 7. de except.* Et ſi plures ſint fundatores, Jus Patronatûs ſingulis æqualiter acquiritur, etiam ſi alii plus, alii minùs contribuerint, niſi inter eos aliud conventum ſit, *Gloſſ. in Clement. finali, de Iure Patronatûs.* Si Abbas habeat Jus Patronatûs alicujus Eccleſiæ, Capellaniarum quoque in ea fundatarum habere videtur, niſi fundatori jus illud reſervatum ſit, *Rota deciſ.* 872. *in antiquis*: & regulariter jus præſentandi Vicarios pertinet ad Abbates, Dignitates, aut Capitula, ad quos Beneficia unita ſpectant, ex Bulla Pii V. & reſolutione Congregationis Cardinalium, *notat. Farinacius, ad Concilium Tridentinum, Seſſ. 7. c. 7. Iuxta, c. ad audientiam, de Eccleſ. ædific.*

III. Donatione, & legato, Jus Patronatûs in alium transferri poteſt, modò Epiſcopi (*b*) accedat aſſenſus, *c. Quod autem, de Iure Patronatûs*, ſive Epiſcopus eodem tempore conſentiat, ſive poſt, *Rota dec.* 873. *in antiquis*: & ſi Epiſcopus nolit conſentire ad Metropolitanum licet appellare, *Riccius dec.* 180. & in donatione univerſali omnium bonorum, vel uſufructu relicto jus Patronatûs continetur, *Riccius dec.* 178.

IV. Venditio verò ſimoniaca cenſetur, & irrita judicatur, ſi Jus Patronatûs venundatum ſit, ob mixturam ſpiritualitatis, & Patronus privatur (*c*) jure ſuo in pœnam delicti, *c. quia Clerici, de Iure Patronatûs*, niſi jure acceſſionis Jus Patronatûs ſequatur emptorem, cum hæreditate vendita, aut univerſitate bonorum, aut Caſtro cum pertinentiis ſuis, *d. c. ex Litteris*: nam, ut ait Tacitus, *lib. 1. Annalium*, non fit contra Religionem quòd Simulachra Deorum rebus venditis accedant: nec officit venditioni expreſſio Juris Patronatûs, ſi declarativè non diſpoſitivè facta fuerit, *Dominicus in c. unico de Iure Patronatûs, in 6.* & in foro conſcientiæ intentio ſecundaria non nocet emptori, *Panormit. in c. Tua nos, de ſimonia.*

V. Ob eandem rationem Jus Patronatûs non poteſt permutari cum re temporali, (*d*) nec cum re ſpirituali, ut cum Beneficio, ob mixturam temporalitatis: at cum alio Jure Patronatûs permutari poteſt, authoritate Epiſcopi interpoſita, *d. c. Quod autem, & c. nemini Regum 16. q. ult. Gl. in c. cùm ſæculum, de Iure Patron.*

VI. Ex quibus ſequitur cognitionem Juris Patronatûs eſſe Fori Eccleſiaſtici, ſi de jure & proprietate agatur, ob ſpiritualitatem, quæ prævalet temporalitati: at ſi de poſſeſſione controverſia ſit, cognitio apud nos eſt Judicis Laïci, quia jus poſſeſſionis temporale eſt: idem dicitur ſi de Jure Patronatûs incidenter quæratur coram Judice Laïco, ob cauſæ continentiam.

VII. Jure ſucceſſionis hæreditariæ Jus Patronatûs tranſmittitur ad hæredes, (*e*) nullo habito diſcrimine ſexûs, *Gl. in Clem. 2. de Jure Patron. Riccius deciſ.* 175. Verùm ubi viget Statutum, quòd extantibus maſculis fœminæ non ſuccedant, etiam in Jure Patronatûs habet locum, *idem Riccius deciſ.* 162. & 192. Et licèt hæredes ſuccedant ex teſtamento, vel ab inteſtato, vel ex æquis portionibus, aut diſparibus, in Jure Patronatûs omnes æqualiter ſuccedunt; nec pluris æſtimatur ſuffragium illius qui ſuccedit ex dodrante, quàm ejus qui ſuccedit ex quadrante vel uncia: nam in juribus honorificis hæredes æqualiter ſuccedunt, non habitâ ratione diſparitatis portionum bonorum temporalium in quibus ſuccedunt, ut de jure ſepulchrorum dicitur, *l. Vel quod, ff. De Relig. & ſumptibus funerum.*

VIII. Si ex hæredibus alii ſuccedant in ſtirpes, alii in capita; ut ſi duo fratres ſuccedant cum filiis alterius fratris prædefuncti, omnes in Jure Patronatûs æqualiter ſuccedunt, (*f*) ob rationem ſuprà allatam, quia Jus Patronatûs eſt jus honorificum & individuum in hæreditate; ſicut in ſucceſſione liberti, liberi Patroni ſuccedunt in capita, non in ſtirpes, (*g*) §. *Sed noſtra, Inſtit. de ſucceſſ. libert.* Et ea fuit opinio Vincentii, & Gloſſæ, *in Clementina fin. de Iure Patron.* ad vitandas innumeras difficultates quæ occurrerent, ut obſervat ibi Gloſſa.

IX. Tamen ſi jus Patronatûs in ſua origine diviſum fuerit ratione fundationis aut dotationis factæ à pluribus, plures ab uno ex Patronis relicti hæredes habent tantùm vocem unius in præſentando Rectore, *ex dicta Clementina*: nam nemo plus juris in alium transferre poteſt quàm ipſe habeat, quare debent ſeparatim inter ſe convenire de Rectore præſentando; & ſi alium præſentent ab eo qui fuerit à Compatrono præſentatus, vox illo-

rum neque numeroſior neque ponderoſior cenſeri debet voce Compatroni, aut intra tempus juris ſimul cum eo debent convenire, aut poſt illud tempus Ordinarius liberè confert, *c.* 3. *de jure Patronat.* §. 1. Quamobrem ad vitandam diſcordiam, & ut faciliùs Eccleſiis provideatur, in dicta Clementina monet Pontifex ut Patroni inter ſe conveniant de præſentando Rectore alternis vicibus, ſeu, ut dici ſolet, per turnum.

X. His conſequens eſt quòd ſicut in ſucceſſione feudali filius primogeniti excludit Patruos, *Aufrerius q.* 433. *& alii*, ſic excludit eos in ſucceſſione Juris Patronatûs feudo annexi; major eſt difficultas ſi de ſolo Jure Patronatûs agatur primogenito relicto, & is prædeceſſerit relicto filio, avo ſuperſtite, an avo defuncto filius primogeniti concurrens in ſucceſſione illius cum patruis, ſolus in Jure Patronatûs patri prælegato ſuccedere debeat: nam tale prælegatum videtur factum caducum ob mortem primogeniti, vivo teſtatore prædefuncti: tamen Riccius *deciſ.* 222. poſt Covarruviam *pract. quæſt. c.* 38. quem refert, exiſtimat filium primogeniti eſſe præferendum patruo. Nam ſi ab aſcendente tale legatum relictum ſit, jure tranſmiſſo conſervatur liberis legatarii prædefuncti, *l. unica, C. de his qui ante apertas tabulas hæreditatem tranſm.* tùm ob majorem affectum quem teſtator habuit in primogenitum, tùm ob dignitatem familiæ, tùm ob qualitatem rei legatæ: nam teſtator vocando primogenitum, cæteros ſuos liberos à ſucceſſione Juris Patronatûs videtur excluſiſſe, ut una vox eſſet in præſentando: quæ ratio in legato ab extraneo relicto non habet locum, quoniam morte legatarii, vivo teſtatore, legatum fit caducum, & remanet penes hæredes teſtatoris, cui ſuccedunt in capita in Jure Patronatûs, ſive ex æquis ſive ex diſparibus portionibus fuerint inſtituti; quod dictum fuit ſuprà de avo, etiam in matre & avia locum habet, de quibus etiam loquitur dicta Conſtitutio; quæ licet loquatur de hæredibus aut legatariis qui moriuntur ante apertas tabulas, etiam de iis qui moriuntur liberis relictis, vivo patre, vel matre, intelligitur, ob rationem Legis, ne fortuitas ob cauſas, vel caſus humanos, nepotes vel pronepotes, avita vel proavita, ſucceſſione fraudentur.

XI. Si alii à teſtatore collectivè, celeritate orationis, & verborum compendio, fuerint vocati nomine ſtirpis aut familiæ, alii diſtributivè; omnes in Jure Patronatûs æqualiter ſuccedunt, & præſentant ut ſinguli, nam jus hoc acquiritur illis ut ſingulis, non ut univerſis; ſecùs ſi conſilio collectivè vocati ſint, ut eorum una vox eſſet: at ſi nomine univerſitatis, vel Collegii, alii vocati fuerint, & cum illis alii ut ſinguli vocati ſint, univerſitas & collegium habetur tantùm loco unius in ſucceſſione, & in præſentatione unam tantùm habet vocem; nam jus quod acquiritur collegio vel univerſitati, acquiritur ſingulis ut univerſis, prout faciunt unum corpus, non ut ſingulis, *l. Collegium, C. de hæred. inſtit.* ut de electione ſuprà dictum fuit.

XII. Et quamvis ſuprà dictum ſit in hæreditate Jus Patronatûs contineri; tamen communis ſententia eſt, quòd hæres gravatus de reſtituenda hæreditate non tenetur reſtituere Jus Patronatûs in hæreditate contentum, *Bartol. Alexander, & alii quos refert Molin. in conſuet. Pariſ. tit.* 1. §. 55. *Gloſſ.* 1. *n.* 5. nam regulariter hæres ſolùm cenſetur rogatus de iis quæ reſpiciunt commodum pecuniarium, & recipiunt æſtimationem, non de Jure Patronatûs, nec de jure ſepulchrorum, quæ non recipiunt æſtimationem, nec imputantur in Trebellianicam, *(h)* ut de jure ſepulchrorum dicitur, *in l. Quia proinde, ff. Ad Trebell.* ſi hæres gravatus ſit extraneus, aut Jus Patronatûs inhæreat Caſtro quod in reſtitutione venit; *Garcias parte* 5. *c.* 9. *n.* 16.

XIII. Unde infertur quòd in confiſcatione, publicatione, vel generali diſtributione bonorum Patroni, quæ fieri debet inter creditores illius, Jus Patronatûs non continetur niſi acceſſoriè, ſi Caſtro quod venit in confiſcatione, publicatione, vel diſtributione, illud annexum ſit; *Garcias loco cit. n.* 27. *Riccius deciſ.* 179.

XIV. Conſuetudine præſentandi Jus Patronatûs acquiritur, *c. Conſultationibus, de jure Patronatûs*, ut de jure eligendi & conferendi ſuprà diximus: in qua conſuetudine hæc requiruntur. *Primò*, titulus ſaltem coloratus aut præſumptus ex enunciatis in aliis inſtrumentis, & bona fides, *Concil. Trident. Seſſ.* 75. *de reformat. c.* 9. *Secundò*, tres præſentationes illius qui conſuetudine nititur, vel ſuorum authorum, quæ fuerint admiſſæ ab Ordinario, vel à Papa, & ſortitæ effectum, nemine opponente, aut contradicente: nam unica præſentatio non ſufficit, ut in acquirenda poſſeſſione, conſuetudo venit ex uſu ſeu actuum frequentia. Tres igitur aut ſaltem duæ præſentationes requiruntur, ſicut in probatione vocali deſideratur teſtimonium duorum vel trium. *Tertiò*, poſſeſſio continua requi-

ritur non interpollata vel interrupta, *ex Concilio Trident. loco citato.* Continuata dicitur si constet de extremis: nam in hac præscriptione, sicut in aliis casibus Juris, probatis extremis media præsumuntur, *Felinus in c. Inter dilectos, de fide instrum. Riccius decis.* 224. Extrema autem, seu actus quibus consuetudo nititur, probantur instrumentis, non testibus, *Riccius ibidem. Quartò*, præscriptio legitimi temporis desideratur: nam si consuetudo nitatur titulo colorato fundationis aut dotationis, præscriptio quadragenaria sufficit, *c. Auditis, & c. de quarta, de præscrip.* Si verò non constet de titulo, præscriptio temporis excedentis hominum memoriam, quæ tituli instar est, requiritur, ut in cæteris casibus, *l. Hoc jure, §. Ductus aquæ, ff. de aqua quot. & æst. Rocchus à Curte, de Jure Patr. sub finem, Concil. Trid. loco citato*: ubi tamen Concilium subdit, quòd si sit suspicio usurpationis in præscribente, qualis præsumitur contra universitatem, vel ut possumus subjungere contra Dominum loci, ubi situm est Beneficium, præscriptio temporis immemorialis non aliter suffragatur, quàm si præter reliqua ad eam necessaria præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum fuerint sortitæ, authenticis scripturis probentur: quibus verbis probatio vocalis excluditur, *Riccius loco citato.*

XV. Jam videamus quibus modis Jus Patronatûs finiatur. *Primò*, cessione & renunciatione facta Ecclesiæ: nam remittentibus jura sua non datur regressus, nisi beneficium ætatis restitutionem indulgeat. *Secundò*, privatione ex delicto simoniæ commisso in venditione vel emptione Juris Patronatûs, vel in præsentatione, *c. Quia Clerici, de Jure Patronatûs. Tertiò*, ex delicto publicatione & confiscatione bonorum digno; nam Jus Patronatûs non sequitur confiscantem, sed vel retinetur, si jus civitatis Patrono relictum sit, vel finitur, & Ecclesia liberatur, ut notavimus suprà, *Decius in c. Quanto, de jud. A Curte, sub finem, q.* 30. *Quartò*, Jus Patronatûs amittitur præscriptione; nam possessor bonæ fidei, cum titulo colorato, causam habens ab alio qui erat in possessione præsentandi titulo successionis, donationis, legati, vel permutationis, de quibus suprà diximus, submovet proprietarium venientem post quadraginta annos, in servitutibus discontinuis tempora duplicantur, *l. Si sic, ff. Quem adm. servit. amitt.* Sic Jus Patronatûs Ecclesiasticum præscribitur à possessore bonæ fidei spatio quadraginta annorum, cum titulo, *Auth. quas actiones, C. de Sacrosc. Eccl.* & spatio centum annorum, sine titulo: nam tanti temporis possessio tituli instar est, *l. Hoc jure, §. Ductus aquæ, ff. de aqua quot. & æst.* In quibus casibus Jus Patronatûs non finitur, sed mutatur de manu ad manum: hîc verò quærimus an Ecclesia seu Ordinarius liberetur à Jure Patronatûs, quo Ecclesia gravatur, præscriptione temporis alicujus: nam liberum est Patrono repræsentare, vel non, & nullum fit ei præjudicium si præsentare omittat, (*i*) *c. Cùm propter, de Jure Patronat.* Et quæ sunt meræ facultatis non præscribuntur, *l. Hæc autem jura, ff. de servit. urb. prad.* Tamen si Ordinarius Patroni præsentationem admittere noluerit, quòd titulum Juris Patronatûs non exhiberet, aut non sufficienter probaret, & Patronus intra triginta annos non appellet à decreto Ordinarii, aut sufficienter probet, post illud tempus non auditur, remedium appellandi denegatur, nisi justa causa restitutionem indulgeat.

XVI. Et si Ordinarius Beneficium patronatum bis aut ter contulerit, sine consensu Patroni, & per quadraginta annos Patronus conquestus non fuerit, status Beneficii mutatur usu contrario quadraginta annorum, *c. Cùm de Beneficio, de præb. in 6.* nam usu contrario Ordinarius vindicat libertatem; & talis usus probatur triplici collatione libera, aut duplici modo illæ fuerint sortitæ suum effectum, *c. Cùm Ecclesia Sutrina, de causa possess. & propriet.* ubi casus proponitur de trina electione, quâ probatur jus eligendi: sed æquè duplici electione animus & intentio declaratur. Idem dicendum est de collatione, & patientiâ & taciturnitate per decursum longissimi temporis quadraginta annorum Patronus videtur renunciasse juri suo, juxta regulam Juris, qui tacet consentire videtur, si bis aut ter Beneficium vacare contigerit; quod tempus numeratur ab ultima collatione; longissimum tempus desideratur hîc, quoniam casus vacationis rarò contingit, quo Patronus possit præsentare, sicut in servitutibus discontinuis præscribendis tempus duplicatur, *dictâ l. Si sic.* Sic in casu Clerici instituti à Vicario Episcopi ad præsentationem Marchionis de Canillac, contra alterum provisum liberè ab Episcopo, allegantem Patronum jus suum amisisse, ob varias collationes ab Episcopo priùs factas sine consensu Patroni; coram Senatu, præsentatus à Patrono, iis non obstantibus, obtinuit, quia præscriptio quadraginta annorum non erat completa ad submovendum Patronum, Arresto mensis No-

vembris anni 1637. non enim ſolis collationibus contrariis Jus Patronatûs finitur, *c. Cùm propter, de Jure Patronat.* niſi præſcriptio quadragenaria accedat. Idem dicendum eſt de collationibus Papæ aut Legati, cum clauſula derogatoria Juris Patronatûs, aut ſine: nam ſi Jus illud ſit Laïcale, Patrono licet appellare ab abuſu; ſi ſit Eccleſiaſticum, Rector Eccleſiæ uti poteſt actione confeſſoria, titulis exhibitis; Ordinarium rogare ut jus Eccleſiæ ſuæ conſervet in caſu vacationis futuræ, vel repræſentare proviſum, juris ſui tuendi gratiâ, ut monet Alexander III. *in c. Si verò, de Jure Patr.* alioquin jus illud ammittitur ſpatio quadraginta annorum, quo Eccleſia contra Eccleſiam præſcribit, *c. placuit*, 16. *q.* 3. nam in omiſſis Eccleſia patitur pœnas negligentiæ ſui Rectoris, *Gloſſ. loco citat. in princip.* cùm ſpatio quadraginta annorum Jus Patronatûs à poſſeſſore bonæ fidei cum titulo acquiri poſſit, ut ſuprà oſtenſum eſt: non dubitandum eſt quin eodem temporis ſpatio Eccleſia, quæ libertate nititur, idem jus poſſit præſcribere, cùm in omnibus Juris articulis potior ſit cauſa libertatis, & favorabilis ſit reditus rei in ſuum priſtinum ſtatum, *l. Si unus, ff. de pactis.*

XVII. Quid ſi plures ſint Patroni, & alii præſentaverint, aut reclamaverint, alii non; reſpondetur quòd in illa communione jus eorum qui omiſerunt ſervatur (*k*) jure aliorum qui præſentaverunt, & interruptio facta ab illis prodeſt aliis qui tacuerunt, ſicut inter concreditores ſocios interruptio facta ab uno prodeſt aliis, ſecùs ſi jura ſint diviſa, *l finali, C. de duobus reis, Riccius deciſ.* 209. Aliis etiam modis Patronus præſcriptionem interrumpere poteſt, nempè Eccleſiam patronatam reparando, vel rationes adminiſtrationis à Rectore exigendo, ſi Patronus ſit Eccleſiaſticus: hæc enim munera ſunt annexa Juri Patronatûs; illi & jus præſentandi conſervatur, & præſcriptio interrumpitur, ut per ſolutionem partis debitæ quantitatis, *l. Cùm notiſſimi*, §. *Imò*, *C. de præſcr.* 30. *ann.*

SOLIER.

(*a*) ETIAMSI illud non reſervaverit, *Gloſſa in cap. Si quis Baſilicam de conſec. diſt.* 1. & latè probat *Lambert. de jure Patr. lib.* 1. *q.* 2. *art.* 4. niſi Eccleſia eſſet Collegiata in qua non acquiritur jus Patr. quoad præſentationem niſi reſervetur, *cap. Nobis, de jure Patr.*

(*b*) Modo caſtrum non ſit domaniale: jus enim Patronatûs ei inhærens ad emptorem non tranſit, *Chopp. de Domanio, lib.* 3. *tit.* 19. *n.* 7.

(*c*) Niſi tranſlatio fieret cum univerſitate bonorum; in qua eſt jus Pat. *cap. Ex litteris & cap. cum ſæculum, de jure Pat.* Ratio eſt, quia tunc jus Pat. tranſit acceſſoriè, nec videtur aliquis Contractûs initus ſuper ipſo jure Pat. ſed ſuper ipſa univerſitate temporali, vel niſi fieret ad favorem Eccleſiæ vel pii Loci, *cap. Unic. in princ. eod. tit. in 6.* vel compatroni, *cap. Ex inſinuatione, & ibi Gloſſ. d. tit.* quia non eſt tranſlatio, ſed remiſſio juriſp. in compatronum, *Gloſſ. ibid.*

(*d*) Ipſo jure: & excommunicationis & interdicti pœnis ſubjicitur, *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 9. *de reform.*

(*e*) Sive ſint hæredes ſanguinis, ſive extranei; quia jus Pat. tranſit cum univerſitate bonorum *d. cap. ex litteris*, niſi ex fundatione ſoli hæredes ſanguinis ſint patroni: quia tunc etiamſi non ſint hæredes, erunt tamen patroni, *Lambert. lib.* 1. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 2. *n.* 7.

(*f*) Ita determinat Gloſſ. notabilis *in cap. de jure Pat. & in can. piæ mentis* 16. *q.* 7. quia jus Pat. eſt apud quemlibet hæredum cum ſit res ſimplex & indiviſibilis.

(*g*) Tamen jus Pat. tranſit per ſtirpes in plures hæredes unius ex patronis, *Clem. plures, de jure Pat.* & ex quatuor Patronis ſi unus ſit hæres, donatarius, vel legatarius alterius habebit duas voces, *Lambertin. lib.* 1. *p.* 2. *q.* 1. *art.* 29.

(*h*) Quia in fideicom. hæres habet deducere quartam eorum, quæ reſtituit, *l.* 1. §. *Si hæres, cum ll. ſeqq. ff. ad Trebell.* ſed jus Pat. non recipit æſtimationem, *cap. De jure, de jure Pat.* ideo non venit reſtituendum, unde ſi hæreditas pio loco reſtituenda ſit, quia tunc non detrahitur trebellianica ſecundùm *Bart. in l. Marcellus, ff. ad Trebell. & Bald. in l. id quod pauperibus, Cod. De Epiſcop. & Cleric.* jus Pat. in hoc caſu tranſit ad fideicommiſſarium ex ſententia Lambertini, *lib.* 1. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 35. *a. n.* 12. & idem dicit ſi teſtator trebellianicam hæredi prohibuerit: quia ex quo in totum hæreditas tranſiret in fideicommiſſarium, tranſiret etiam jus Pat.

(*i*) Lite ſcilicet ſuper jure Pat. pendente: aliàs ſecùs.

(*k*) Quia ad hoc ut quis amittat quaſi poſſeſſionem requiritur, quod ſpolians habeat animum ſpoliandi, *Lambertin. de jure Pat. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 3. *art.* 16. ſed cum compatroni non habeant aut præſumantur habere hunc animum ſpoliandi, ſed tantùm utendi jure ſuo meritò non præſentantes non amittent poſſeſſionem ut concludit Lambertin. *ibid.* quod verum ait indiſtinctè ſive patroni præſentent ut univerſi, ſive ut ſinguli: niſi diverſo jure præſentarent, veluti cum unus præſentat aut eſt patronus quia fundavit; alter quia dotavit; tertius quia conſtruxit Eccleſiam, *ibid. n.* 12.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. VARIIS *modis jus Patronatûs acquiritur fundatione, dotatione.* Adde & constructione: de fundatione est textus, *in cap. 3. de jure Pat.* de dotatione habetur, *in cap. Piæ mentis 16. q. 7.* de constructione, *in cap. Nobis de jure Pat.* ex reparatione verò, vel reædificatione, seu restauratione non acquiritur jus Patronatûs, *Lambertin. p. 1. lib. 1. q. 6. art. 1. n. 2.* Nisi Ecclesia esset omninò destructa, tunc enim Episcopi consensu acquiritur jus Patronatûs, & tunc dicitur destructa, quando si reædificetur, indiget novâ consecratione, juxta textum, *in cap. de fabric. ubi Glossa, in verbo innovata distinct. 1. de consecrat.* Si autem antiquus Patronus velit eam reædificare, non eget Episcopi consensu, *Glossa in cap. 3. De jure Pat.* Vivianus in tract. *de jure Pat. p. 1. lib. 2. cap. 5. n. 2. & seq.* & uterque erit compatronus, à primo enim constructore, lapides, cæmenta, & fundamenta proveniunt. *Lambertin. ubi suprà, art. 4. n. 8.* pariter redotans cum consensu diœcesani, qui in totum dotem amisit acquirit jus Patronatûs, & primus Patronus, qui eam antiquitus dotavit, nullum causâ dictæ dotationis jus Patronatûs in tali Ecclesia habebit. *Lambertin. ibidem, art. 6. n. 1.*

Eodem N. 1. *privilegio, donatione, legato.* Jus Patronatûs non potest competere ex concessione, seu privilegio Episcopi, *cap. 2. De rebus Ecclesiæ non alien. in 6. Rebuffus in praxi p. 3. signat. in verbo, nec non juris Pat. n. 3. Lambert. part. 1. lib. 1. q. 10. art. 4. Garcias p. 5. cap. 9. n. 128.* quin imò hodiè jus Patronatûs competens ex privilegio Apostolico cum quibusvis clausulis concesso, vel ex præscrip. aut consuetudine, prorsus est sublatum, & abrogatum per *Concil. Triden. Sess. 25. cap. 9. de reformat.* quod apud nos non obtinet. Quando autem jus Patronatûs transfertur cum universitate bonorum testamento, vel emptione, non requiritur consensus Episcopi, *cap. litteris, & cap. cum secundum de jure Pat.* si vero transfertur per se, puta donatione, vel legato, in Laïcum requiritur consensus hujusmodi, quia Laïcus non est capax, nisi de gratia: si verò in Ecclesiam, aut pium locum, non requiritur, quia res revertitur ad naturam suam, *cap. unic. de jure Pat. in 6.* non tamen requiritur consensus Episcopi, quando jus Patronatûs donatur Laïco compatrono, quia non est translatio, sed remissio juris Patronatûs, *cap. Ex insinuatione, & ibi Glossa.* ut suprà dicebamus.

N. 7. *Jure successionis hæreditariæ jus Patronatûs transmittitur ad hæredes.* In successione, donatione, legato translatio fit per stirpes, non autem per capita; ita ut plures ab uno ex patronis relicti hæredes, vocem dumtaxat unius habeant, *Clemen. plures, de jure Patronatûs*; sed ut solvantur intricationes, quæ de facili occurrere solent circà hoc, notanda sunt aliqua Doctorum dicta, ex Lambertino, *lib. 1. part. 2. q. 1. art. 25. n. 19. Primò*, quando sunt duo Patroni ab initio, & ex uno remansit unus, vel duo ex altero decem, tunc illi omnes non habebunt, nisi duas voces, sicut duo primi, ita ut si illi duo hæredes, vel unus præsentet unum, & illi decem alium, locus erit gratificationi; si verò decem discordant inter se, major pars ipsorum etiam partium comparatione minorum faciet unam vocem, & si alii duo hæredes alterius Patroni, vel unus, si unus est hæres concordabunt cum eis, erunt duæ voces, ac si omnes simul præsentassent. *Secundò*, quando Ecclesia habet plures Patronos, tunc hæredes unius ex Patronis succedent per stirpes in ejus locum, juxta *Clemen. plures de jure Pat.* sed quando Ecclesia unum tantùm haberet Patronum, & illi succedunt plures hæredes, tunc omnes illi hæredes succedunt per capita, quia non vertitur in præjudicium alterius compatroni, benè verùm est filios eorum succedere in stirpes, *Lambert. ubi supra. Tertiò*, quando sunt plures Patroni, & unus decedit, relictis pluribus hæredibus, omnes illi habentur pro uno, *ut in dicta Clement. plures.* Si ergo discordant isti inter se, stabitur majori parti, quia quod major pars facit, omnes facere dicuntur, *l. duo, ff. De re judicata, cap. Gratum, de postul. prælat.* & intellige de majori parte simpliciter, non autem partium comparatione minorum, quia cum vox sit unica, oportet dici illam esse apud omnes, vel apud majorem partem ipsorum, secùs autem quando sunt plures patroni totius juris Patr. & discordant præsentando, quia tunc bene præfertur præsentatus à majori parte comparatione minorum partium, & sic fac differentiam inter discordiam hæredum unius Patroni, quia stabitur majori parti simpliciter, & discordiam omnium Patronorum, quia stabitur majori parti comparatione minorum.

N. 9. *Ab uno ex Patronis relicti hæredes habent tantùm vocem unius.* Ad vocem perficiendam attenditur major pars ab uno ex Patronis descedentium, & inter se discordantium, nec sufficeret major pars comparatione minorum, nam omnes habentur pro uno corpore, & unam tantùm vocem habent: non potest ergo dici actum esse factum ab illo corpore, nisi saltem major pars omnium de corpore conveniant, & ipsum actum faciant, & sic non obstat, quod ad præsentationem, quæ competit pluribus ut singulis, sufficiat major pars comparatione minorum, quia in casu isto non comperit pluribus ut singulis, sed competit pluribus tanquam uni, ita quòd omnes habeantur pro uno, & sic militat eadem ratio, ac si competeret pluribus ut Collegio. Lambert. *ibidem, art. 27. n. 3. & 4.*

N. 10. *Filius primogeniti excludit patruos.* Jure Patronatûs reservato proximioribus, nepotes excludunt avunculos, quia præferuntur à jure, *Authent. Post fratres, Cod. de legitim. hæred.*

N. 15. *Privatione ex delicto simoniæ commisso in venditione, vel emptione juris Patr.* Emens jus Patronatûs, per Episcopum spoliandus est, *cap. Quia Clerici de jure Patr.* non per sententiam sed executionem facti, quia est privatus ipso jure, & pretium emptionis debet remanere penes Ecclesiam, cui fuit facta injuria, *Authent. Quomodo oportet Episc. §. Verumtamen, & §. Si quis autem, & seq.* facit text. *in cap. de hoc in fine, de simonia, & cap. Si quis rapuerit, 27. q. 1.* & Ecclesia fit libera.

TITULUS XXI.

De jure præventionis Papæ & Legati.

SUMMARIUM.

I. Ius præventionis Papæ in Beneficiis.
II. Jus præventionis Legati.
III. Beneficia quorum collationem Legatus non habet.
IV. Præventio locum habet rebus integris.
V. Electores non poſſunt præveniri.
VI. De Patronis.
VII. VIII. IX. X. XI. XII. & XIII. De graduatis.

I. SUMMUS Pontifex in collatione Beneficiorum Ordinarios prævenire poteſt: nam Ordinarios ordinando non amittit poteſtatem ordinandi, & ſibi retinet majorem, *c. omnes, d. 22. c. eum cui, & c. ſi à Sede, de præb. in 6.* Quod jus, ut damnoſum poteſtati Ordinariorum, correctum fuerat in Concilio Baſilienſi, & Pragmatica Sanctione, *in §. item circa, de collat.* ubi prohibentur (*a*) præventiones Apoſtolicæ Sedis, & ſuorum Legatorum, ut collatoribus jus unicuique ſuum ſervetur illæſum. Verùm in Concordatis, *tit. de mandatis Apoſtolicis, §. declarantes*, Papa ſibi reſervavit jus præventionis in mandatis Apoſtolicis quæ ſcribebat Ordinariis, ut providerent Apoſtolicis impetrantibus de Beneficis vacaturis, ut dictum eſt ſuprà *tit.* 17. Et poſterioribus Conſtitutionibus, mandatis Apoſtolicis pro Beneficiis vacaturis, & expectativis, ſublatis, retinuit jus præveniendi Ordinarios in caſu vacationis, quò citiùs Eccleſiis vacantibus provideatur, & acceptatio perſonarum Ordinariis ſubtrahatur: de quo videndus Loëtus, & ejus Scholiaſtes, *in lit. P. n.* 43.

II. Idem jus conceditur Legatis (*b*) à Latere in Provinciis ſibi commiſſis, *c. ſi à Sede, de præb. in 6.* Nunciis verò Apoſtolicæ Sedis non ſolet dari, niſi mittantur cum poteſtate Legatorum à Latere, *gl. in d. c. ſi à Sede, Garcias parte 5. c. 3.*

III. Excipiuntur Dignitates Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, poſt Pontificalem majores, in quibus per viam electionis procedi ſolet, quæ non veniunt in mandato Legati, niſi fuerint expreſſæ, *c. de liberatione de off. Legati, in 6.* & alia Beneficia, quorum collationem Papa ſibi reſervavit, reſervatione generali, aut particulari: apud nos nec Legato nec Papæ (*c*) Statutis Eccleſiarum ſolemniter approbatis pro electione derogare licet, ut dicemus infrà; & de reſervationibus, vide quæ ſuprà dicta ſunt *tit.* 15.

IV. Verùm cùm præventiones ſint odioſæ, quòd lædant ordinariam Juriſdictionem, in variis caſibus non admittuntur. *Primò*, ſi coram Ordinario res deſierit eſſe integra, puta ſi reſignans coram eo Beneficium dimiſerit, aut ſi ab eo Beneficium vacans abſenti jam collatum fuerit, & abſens nondùm acceptaverit, *c. ſi tibi abſenti, de præb. in 6.* nam ſi acceptet, proviſio valida eſt; ſi non acceptet, nulla: debet autem intra certum tempus ab Ordinario præfixum acceptare, non ultra ſemeſtre, *gl. in d. c.* Interim verò non poteſt Ordinarius à Papa vel Legato præveniri: & ſi Ordinarius Beneficium incapaci contulerit, vel non obſervatâ formâ Juris, non eſt ſupplicandus Papa vel Legatus jure præventionis, ſed jure devoluto.

V. *Secundò*, ſi de electione agatur, & intra tempus Juris electores elegerint abſentem: & electus intrà menſem non acceptet, electores ſi non peccaverint in electione ad novam electionem procedere poſſunt, *c. quàm ſit, de electione, in 6.* Et dùm electus deliberat, electores non poſſunt præveniri, quia res non eſt integra.

VI. *Tertiò*, Patronus Laïcus intra tempus Juris non poteſt præveniri, Eccleſiaſticus verò poteſt, cum derogatione pro illa vice, ut dictum eſt ſuprà *de Jure Patronatûs*, niſi Ordinario jam præſentaverit, *Loët. lit. P. n.* 25.

VII. *Quartò*, Graduatus poſt inſinuationem non poteſt præveniri à Legato; nam in Gallia Legati ſub ea conditione admittuntur, ne Concordato & privigeliis Graduatorum & Indulctariorum poſſint derogare, ut conſtat ex Arreſtis Curiæ Pariſienſis, à Domino Præſide Thuano relatis, *Lib. 3. Hiſt. Gall.* A Papa verò Graduati poſſunt præveniri in menſibus ſibi affectis, ut ex variis Arreſtis probat Scholiaſtes Loëtii *lit. P. n.* 43. poſt Rebuffum *de mandat. Apoſt. §. ſtatuimus.* Quod intellige ſi Graduatus nondùm Beneficium

neficium vacans requisierit: nam per insinuationem tribuitur jus Graduatis conditionaliter si requisierint, & ante requisitionem à Papa præveniri possunt, ex Concordato suprà citato: at post requisitionem Graduati non possunt præveniri, ut constat ex Constitutione Ludovici XII. *anni* 1498. *art.* 14. Ratio colligitur ex supra dictis, quia per requisitionem factam res desiit esse integra coram Ordinario: requisitio fieri potest à Graduato intra semestre vacationis, *Rebuff. in Tractatu nominationum q.* 17. *n.* 2. quo elapso non auditur: & si intra semestre requisierit, & Ordinarius neget, aut differat, jus devolvitur ad Superiorem, qui Beneficium jam affectum, per requisitionem, Graduato petenti conferre debet: requisitio autem per ipsum Graduatum, vel per Procuratorem, (*d*) fieri potest, *Rebuff. loco citato.*

VIII. *Quintò*, Indultarii à Papa post insinuationem & requisitionem præveniri non possunt, ob eandem rationem, quia per requisitionem jus quæritur ipsis ad Beneficium, non antè; accidere enim potest quòd Beneficium vacans Graduatum vel Indultarium non deceat, & ab illis spe melioris omittatur: debet autem Indultarius requirere per se vel Procuratorem intra mensem à die vacationis, *Papon lib.* 2. *tit.* 6. ut impediat præventionem: tamen si fuerit impeditus per Ordinarium, post mensem requisitio facta retrotrahitur, ut in gratiis expectativis Apostolicæ Sedis, *Rota decis.* 164. *in antiquis*, *juxta Clementinam unicam*, *de conces. præb.* Et si Ordinarius neget aut differat providere Indultario intra semestre, post illud tempus, ab executore sibi dato indultarius illud Beneficium potest obtinere, *ex Papone loco cit. n.* 3. nam etiam post mensem re integrâ requisitio fieri potest, *Rota decis.* 34. *in antiquis.*

IX. *Sextò*, in Regaliâ præventio non habet locum, ut notavimus suprà *tit.* 13. tamen Regalista à triennali possessore pacifico submovetur, ut dicemus infrà *lib.* 3. *tit. ult.*

X. *Septimò*, Capitula Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, vel Monasteriorum, Statuto vel consuetudine immemoriali illud jus possunt obtinere, ne præveniri possint intra semestre, in certis Beneficiis, quæ ratione officii annexi concedi solent, ut in Præbenda Theologali, vel Scholasteria, vel Pœnitentiaria, aliisve Beneficiis minoribus quæ Musicis & Cantoribus dari solent, in quibus attenditur industria, quæ personalis est, *l. inter artifices*, *ff. de solutionibus*, ut observant Doctores; *Loët. in lit. G. n.* 4. *Chopinus*, *de sacra Politia lib.* 1. *c.* 2. Sic judicatum fuit in Senatu Aquensi, in gratiam Semipræbendarii Ecclesiæ Metropolitanæ provisi à Capitulo, contra Paulet, qui provisus fuerat per resignationem à Legato, juxta Indultum à Papa Martino Capitulo concessum; quod tamen solùm loquitur de mandatis Apostolicis, & Litteris expectativis.

XI. *Octavò*, Papa non præsumitur voluisse prævenire collatorem monoculum, ut loquuntur Doctores, seu habentem collationem unius tantùm Beneficii, nisi in Litteris id expresserit, *De Selva* 3. *parte q.* 11.

XII. *Nonò*, Cardinales ex Indulto suo Collegio concesso, & singulis in particulari à Pontificibus, & à Paulo IV. solemniter firmato, non possunt præveniri à Papa vel Legato in Beneficiis ad collationem illorum conjunctim, vel divisim, electionem, nominationem, præsentationem, institutionem, & aliam quamcumque dispositionem, pertinentibus; sunt verba Indulti, quo Cardinales in jure præsentandi præveniri non possunt, si sint Patroni, salvatur Jus Patronatus Ecclesiasticum, si institutio fieri debeat à collatore Cardinali, salvatur etiam jus eligendi & conferendi, Capitulis & Monasteriis per tempus Juris, si electio aut collatio fieri debeat conjunctim cum Domino Cardinali, ratione adjunctionis; magis dignum trahit ad se minus, *c. quod in dubiis*, *de consecratione Ecclesiæ*, *l. quæritur*, *ff. de statu hominum*, necessitate Juris; nam Papa derogando juri Capitulantium, aut Patronorum, derogaret Indulto Cardinalium, quod se servaturum promisit: Patroni & Capitulantes utuntur Jure communi, sine metu præventionis, exceptis Beneficiis vacantibus per resignationem factam in Curia, vel coram Legato: in quibus tamen Paulus IV. voluit regulam de viginti integram servari sine ulla derogatione, ut Beneficium vacans dicatur per obitum, si regnans post resignationem admissam non supervixerit viginti dies, ne per resignationes factas in Curia, aut coram Legato, Indulto Cardinalium illudatur. Hoc Indultum displicet Rebuffo, *in tit. forma novæ provisionis*, *in verb. seu si*, ob abusum collatorum qui Beneficia vendunt: aliis placet, & probatur Arrestis magni Consilii, *Loëtus lit. B. num.* 15. nam præventiones sunt odiosæ; & Cardinales, quos virtus eminens & generositas in tantum fastigium honoris evexit, φιλαργυρίας καὶ αἰσχροκερδείας suspicionem vetant: tamen Graduatis & Indultariis

à Rege nominatis non nocet, *Rebuff.* §. *de mandatis Apoſtolicis q.* 8. *verſ. decimò quæro:* in collationibus hujuſmodi addi ſolet illa clauſula, *vigore indulti conferimus*, quâ omiſsâ collatio valet tantùm Jure communi, *Bengeus* §. *de collat. Reg.* At verius eſt valere Jure ſpeciali, tametſi illa clauſula omiſſa ſit: nam collator confert eo meliori modo quo poteſt, ut actus potiùs valeat quàm pereat; & clauſula hujuſmodi ex ſtylo apponitur, ad oſtendendam facultatem collatoris, quæ ſatis nota eſt ex qualitate & dignitate expreſſâ; & ſi à Secretario fuerit omiſſa, ſuppleri debet, *l. Si librarius, ff. de reg. juris.* Idem dicendum puto de collationibus Regiis.

XIII. Præventio non habet locum ubi Statuto vel conſuetudine, vel privilegio jus conferendi eſt diviſum inter Epiſcopum, vel Abbatem, & Capitulum, vel inter Papam, & Epiſcopum, aut Abbatem; & alternatim aut per turnum collatio fit, ut in Britannia, ubi Papa habet collationem Beneficiorum vacantium in octo menſibus anni, & Ordinarii habent reliquos quatuor menſes alternativè, *Molin. de infirmis reſignantibus, num.* 236. Idem Jus obſervatur in aliis Terris obedientiæ, in quibus nec Ordinarii poſſunt prævenire Papam, nec ab eo præveniri in menſibus (*e*) ſibi affectis, ex Lege præſcriptâ, quæ non ſolùm habet locum in illis Terris, ſed etiam in beneficiis alibi ſibi in Terris libertatis ejuſdem Monarchiæ vel diverſæ iiſdem Ordinariis ſubditis, *Gonzales ad regulam de alternativa, Gloſſ.* 10. *n.* 38. *Mohedan. deciſ.* 72. *de præb.* ut obſervatur in beneficiis Epiſcopatûs Cabalionenſis ſitis in hac Provincia: at jure Regaliæ Rex confert beneficia ſita in Regno, Sede vacante, tùm in menſibus Capituli, Epiſcopi, vel Papæ, ut ſi ad Epiſcopum pleno jure collatio Beneficii vacantis pertineret: nam jus Regaliæ prius eſt & antiquius jure præveniendi, Statutis, privilegiis, & conſuetudinibus, quibus authoritas Epiſcoporum fuit diminuta, ut ex variis Arreſtis probat Bengeus, §. *de collationibus Regiis, n.* 18.

SOLIER.

(*a*) Mal è aſſerit author prohibitas à Concilio Baſilienſi & pragmatica ſanctione fuiſſe Papæ præventiones: quin potiùs liberas & illibatas præſervavit eadem Synodus, *Seſſ.* 21. *de collat.* & apud nos confirmavit pragmatica ſanctio, *tit. de collat.* §. *Neque etiam.* Nec in contrarium facit §. *Item circa, eod. tit.* quia decretum Gallicanæ Congregationis non continet, ſed tantùm admonitionem & ſupplicationem patribus ipſius concilii per Oratores Regios faciendam & reverà ab ipſis habitam ut patet ex actis ipſiuſmet concilii & obſervavere *Coſmas Guimerius & Philippus Probus ibid. in verb. Item circa, & Bengeus de Benefic. cap. de modis adquirendi beneficii,* §. 10. *n.* 5.

(*b*) Modò legati adeantur per vulgares diœtas, non autem per curſorem, & beneficium vacet in menſe libero, *Molin. ad regul. de infirm. reſign. n.* 140. *aliàs ſecùs.*

(*c*) Papa tamen apud nos duobus caſibus dignitates electivas conferre poteſt. *Primò*, in caſu reſignationis in favorem, *Choppin. de ſacra polit. lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 4. *Secundò*; per nullitatem electionis celebratæ, aut ſemeſtris lapſum ejuſdem omiſſæ, *Lovet. ad regul. de infirm. n.* 6. *in fine.*

(*d*) Imò ipſemet graduatus debet requirere ut poſſit collator. Si velit illum examinare juxta facultatem ſibi conceſſam edicto Molinenſi, *art.* 75. itemque altero Ludovici XIII. anni 1629. *art.* 10. licèt Concil. Trident. aliud voluerit, *Seſſ.* 7. *cap.* 13. & Rebuff. *de collat.* §. *Præterea, in verb. Quinquennium, in concordat.* injuriam fieri univerſitati per examen & reprobationem graduati contendat.

(*e*) Quidquid dicat Author poteſt Papa in iſtis menſibus ordinariis jure præventionis providere & cum ordinariis concurrere, *Joann. de Selva, de benefic. p.* 2. *q.* 46. *Puteus, lib.* 3. *deciſ.* 48. *Rebuff. in praxi, tit. de devolut. n.* 47. *& in concordat. Apoſt. in verb. Jure præventionis, de mand. Gonzalez regul.* 8. *Cancell. de menſib. & alternativa,* §. 2. *Præmiali:* quia etſi Epiſcopis poteſtatem conferendi in dictis menſibus conceſſerit, penes ipſum tamen remanſit eadem poteſtas & major, *cap. Dudum, de Præb. in* 6. Cæterùm quod in principio numeri ait Author, præventionem non habere locum ubi ſtatuto vel conſuetudine, vel privilegio jus conferendi eſt diviſum inter Epiſcopum vel Abbatem & capitulum, nuſquam dictum vel auditum ſi de præventione Papæ intelligatur.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Ordinarios *prævenire poteſt.* Inter Papam & Ordinarium in conferendis Beneficiis præventioni locus eſt, *cap. Dudum,* §. *Nos igitur, de Præb. in* 6. *cap. Si à Sede, eod. tit. & lib. cap. Si plures,* §. *Porro de offic. delegati in* 6. Legatus quoque à latere concurrit in ſua Provincia, ſicut Papa in collatione Beneficiorum cum quolibet ordinario & inter eos locus eſt præventioni, *dicto cap. Si à Sede, Gloſſ. & Doctores in cap.* 1. *de offic. legat.* quod etiam procedit inter Epiſcopum, & ſuum Vicarium, *Felin. in cap. Capitulum ſanctæ Crucis, n.* 16. *de reſcript.*

N. 3. *Quorum collationem Papa ſibi reſervavit.* Beneficia reſervata collationi Papæ non confert Legatus ſine ſpeciali mandato, *cap. Licet, de Præb. in* 6. *cap. Quod tranſlationem, de offic. legat. Imola in Clemen.* 2. *de Præb.* ubi dicit, quod quamvis Legatus conferat Beneficia devoluta, non tamen confert reſervata, & Beneficia vacantia in Curia ſpecialius cæteris ſunt affecta Papæ, & non veniunt ſub ge-

nerali facultate, *Gloss. in cap. 1. de offic. legati.* an autem Beneficium in Curia per procuratorem resignatum, quando Dominus est extra, dicatur vacare in Curia, *vide Gloss. in Clem. 1. in decima collat. circà medium, ut lite pendente, speculat. de act. & petit. §. Super actionibus in fine.*

N. 4. *Si coram ordinario res desierit esse integra.* Quod variis modis evenit: *Primò*, quia Ordinarius jam contulit, quamvis incapaci, *Lovet. litt. P, cap. 43. in fine*, modo facta sit ab habente potestatem, *Brodell. ibidem, cap. 25. n. 7.* vel collatio ordinarii non sit nulla ipso jure, sed veniat annullanda, *Lovet. ibid.* quia quod nullum est, nullum operatur impedimentum, *cap. Non præstat, de reg. jur. in 6. Secundò*, quia collatum est absenti qui ignoravit, vel non acceptavit, *Brodell. ad Lovet. litt. P, cap. 25. n. 10.* contrarium tamen vult *Molin. ad regul. de infirm. n. 72. Tertiò*, si quid de collationis substantialibus factum fuerit à collatore, cessat omnis Papæ præventio, *Lovet. dicto cap. 43.* & nedum per actus substantiales electionis, sed etiam per actus præambulos, & præparatorios, verb. grat. per primum sonum campanæ, & primam electorum convocationem, aut aliorum interesse habentium, ut tradit, & judicatum refert *Brodell. dicto cap. 25. n. 7. Quartò*, quando quoquomodo inchoatum est negotium, tunc enim res desinit esse integra, *lib. 1. §. Cœpisse de pollicit. cap. In causis, §. Quia vero, de elect.*

N. 7. *Antè requisitionem à Papa præveniri possunt.* Sicut collatio ordinarii etiam nulla impedit præventionem Papæ, ita requisitio etiam invalida graduati impedit præventionem eandem, modo collatio data sit, vel petita ab habente potestatem, *Brodell. litt. P, cap. 25. tit. 5.* aliàs præventio Papæ includit graduatos, quamvis non fuerit expressum vacationem contigisse in eorum mensibus.

N. 13. *Præventio non habet locum.* Multi sunt casus ultra memoratos in quibus cessat Papæ præventio: *Primò*, ubi cadaver defuncti Beneficiarii occultatur, ut præventioni Pontificiæ locus fiat, contra ordinationem Francisci I. de anno 1539. *art. 55.* tunc enim subducitur tempus occultationis, ita ut collatio post mortis publicationem facta prævaleat Papæ collationi, quantumvis Priori, *Papon. lib. 3. Placitorum, tit. 4. Secundò*, Papa non prævenit præsentatos à Patronis Ecclesiasticis, quamvis prævenire possit ab eis nominatos, antequam nominatio notificatur habenti instituere, *Brodell. dict. cap. 25. n. 7.* ubi multa præjudicia commemorat, nam ante intimationem est potius animi destinatio, quàm irrevocabilis præsentatio, *Gloss. in Clem. Dudum de sepult. Molin. consil. 58. & ad regul. de infirm. resig. n. 27.* ut suprà notavit Author noster, *tit. 19. n. 13. Tertiò*, cessat prærentio in Beneficiis aperta regalia vacantibus, ut noti juris est, nisi ad collationem Episcopi Sede plenâ non spectarent, ut Rex nuperrimè declaravit. *Quartò*, ubi deesset tempus verisimilis notitiæ obitus juxta regulam Cancellariæ, quæ tamen officium suum perdit, quoties impetrans per obitum, ex capite resignationis iter arripit, & in supplicatione præfatæ regulæ fuit derogatum, ut moris est, sed obtinet prærentio in aliis quibusdam casibus, quorum Author non meminit: *Primus*, est in nominatis à Rege pro jucundo adventu, & fidelitatis Sacramento, quos Papa prævenit ante specificam requisitionem, ut sæpe judicavit magnum Regis Consilium, teste *Brodello ad Lovet. litt. P, cap. 44. n. 6. Secundus*, est in Indultariis, qui à Papa præveniri possunt, nisi intra mensem Beneficium vacans requirant *juxta Clem. unic. de concess. Præb. & Gloss. ibidem, in verb. Intra mensem*, ut vult Cabassutius *in praxi, lib. 2. cap. 19. n. 6.* quod tamen à vero multum deviare videtur, nam quocunque tempore ante requisitionem Beneficii vacantis à Papa præveniri possunt: *Tertius*, est in dignitatibus, sive electivis, collectivis aut electivis confirmativis (exceptis consistorialibus regiæ nominationis, nec-non vacantibus in Regalia, & capitibus ordinum) ita ut resignari possint in favorem coram Papa jure electionis dumtaxat obtinente in casu simplicis dimissionis ut puræ resignationis, aut vacationis per obitum juxta præjudicia tam Senatûs Parisiensis, quàm secretioris Consilii relata per *Brodell. ad Lovet. litt. P, cap. 43. n. 6. Quartus*, est in Beneficiis devolutis in quibus Papa prævenire potest, quia concurrit cum quolibet inferiore, *Gonzalez, §. 3. Præmiali, n. 5.* cæterùm nota dictum Molinei ad regul. de infirm. *n. 74.* quod prærentio activa Episcopi etiam inefficax non prodest papistæ nec legatario, sed Patrono, graduatis, nominatis & mandatariis.

TITULUS XXII.

De Jure devoluto.

SUMMARIUM.

I. *Devolvitur jus conferendi variis modis.*
II. *Jus non devolvitur ab Epiſcopo ad capitulum.*
III. *Jus conferendi non devolvitur ad Patriarcham.*
IV. V. VI. & VIII. *Caſus in quibus jus conferendi devolvitur ad Superiorem.*
VII. *Caſus in quibus Epiſcopus qui contulit Beneficium variare poteſt.*

I. SI jus fuerit devolutum, Ordinarius privatur poteſtate conferendi pro illa vice, nam jus ſemel devolutum non revertitur. Jus autem devolvitur ratione communionis, aut ſuperioritatis: nam ſi collatio Beneficii ad Epiſcopum & Capitulum, alioſve, conjunctim pertineat, aut diviſim, & alter conferre nolit, aut non poſſit, poteſtas devolvitur ad alterum ratione communionis, vel accreſcit ut conferat intra idem tempus, quo alter conferre debuit, ſine dilatione nova, ne per diviſionem Juriſdictionis ordinariæ, Juriſdictio Superioris, ad quem jus conferendi debet devolvi, lædatur, in fraudem Concilii Lateranenſis. Verùm in Gallia, (*a*) ſi collatio pertineat ad Epiſcopum & Capitulum diviſim, jus non devolvitur ab Epiſcopo ad Capitulum, *Scholiaſtes Loët. in lit. R. n. 56. Chopinus de ſacra Politia lib. 1. c. 3. n. 13. Molin. de infirmis reſignantibus, n. 75.*

II. Ratione ſuperioritatis, jus pertinens ad Capitulum ſolùm, aliumve Ordinarium inferiorem, devolvitur ad Epiſcopum quamvis ordinariis ille ab Epiſcopi Juriſdictione ſit exemptus: quia non ratione Juriſdictionis ordinariæ, ſed ut delegatus à Sede Apoſtolica Epiſcopus ſupplet negligentiam illius, *c. Cùm ſingula, de præb. in 6. Clement. unica de ſupplenda negligentia Prælatorum*: & ab Epiſcopo jus devolvitur ad Metropolitanum, ſive collatio pertineat ad Epiſcopum jure ordinario, ſive jure devoluto, à Metropolitano ad Papam: non enim ab Archiepiſcopo jus devolvitur ad Patriarcham, aut Primatem, niſi alia ſit conſuetudo, ut in Primatu Lugdunenſi, *teſte Rebuffo, tit. de devolutionibus.*

III. Tamen quotieſcumque jus devolvitur ad Epiſcopum aut Metropolitanum, Papa concurrit cum illis, eoſque prævenire poteſt, ut patet ex iis quæ diximus, *in tit. præcedenti*: concurrit & Legatus, niſi ad Epiſcopum jus ſit devolutum per negligentiam Ordinarii ab ejus Juriſdictione exempti: nam tunc Epiſcopus authoritate Sedis Apoſtolicæ ſibi delegata fungitur, cui non cenſetur derogatum mandato generali Legati, ſine clauſula derogationis expreſſa, *Rebuff. in tit. de devolutionibus, num. 37. Garcias parte 5. c. 1. num. 32.*

IV. Devolvitur autem jus; *Primò*, ſi Ordinarius non contulerit intra ſex menſes, ex dicto Concilio *loco citato*: quod tempus currit non à die vacationis, ſed à die notitiæ veræ aut præſumptæ, ceſſante legitimo impedimento, *c. Quia diverſitatem, de conceſſ. præbendarum, c. Licet, de ſupplenda neglig. Prælatorum*, & notitia ex rumore & publicâ famâ præſumitur, *Clement. 1. de conceſſ. præb.* Epiſcopis autem & ſucceſſivè Archiepiſcopis, ad quos jus devolvitur, datur aliud ſemeſtre, quo elapſo jus devolvitur ad Papam.

V. *Secundò*, jus devolvitur ſi Ordinarius ſit ſuſpenſus, & ſit in mora petendi abſolutionem, *c. 1. De ſupplenda negligentia Prælatorum, in 6.* Nam ſi ille ſit ſuſpenſus, Vicarii poteſtas ſimul ſuſpenditur; *c. 1. De off. Vicarii, in 6.* Si verò non ſit in mora petendi abſolutionem, jus non devolvitur, quia impedimentum Juris aut facti excuſat, *Rebuff. tit. de devolutionibus, n. 11.*

VI. *Tertiò*, ſi Ordinarius contulerit Beneficium, & collatio ſit nulla, ob defectum formæ, vel incapacitatem proviſi: Ordinarius enim poſt collationem, ſive benè, ſive malè, officio functus ſit, collator eſſe deſinit pro illa vice, *c. Litteras, & c. dilecto, de ſupplenda negligentia Prælatorum*, ut Judex poſt latam ſententiam, *l. Judex poſtea quàm, ff. De re judicata.*

VII. At ſi Ordinarius Beneficium non vacans falſo rumore deceptus contulerit, non prohibetur idem Beneficium cùm vacaverit conferre; & ſi contulerit abſenti, & is acceptare nolit, alteri illud conferre poteſt, *c. Si electio, de electione, in 6. c. Si tibi ab-*

ſenti, *de præb. ibid. Rebuff. in tit. de devolut. n.* 35. Prætereà ſi Beneficium patronatum ſine conſenſu Patroni contulerit, præſentatum ab eo inſtituere poteſt: ſi Beneficium vacans in menſibus Graduatorum non Graduato conceſſerit, idem Beneficium Graduato petenti conferre poteſt; his enim caſibus licet Ordinario variare; nam in duobus prioribus caſibus collatio nulla eſt defectu conditionis inſitæ; collator enim non intendit dare Beneficium ſi non vacet, aut ſi proviſus acceptare nolit; & in duobus caſibus poſterioribus collator utitur jure diverſo, ſcilicet ut conſervator & executor privilegii Graduatis & Patronis conceſſi, & Juriſdictionis neceſſariæ, *Rebuff. de nominat. fol.* 12. Et ſi Vicarius Epiſcopi Beneficium contulerit indigno, nihil vetat quominùs Epiſcopus intra ſemeſtre illud digno conferre poſſit, *Rebuff. lib.* 1. *praxis*, *c.* 22. *n.* 139. At non ècontra ſi Epiſcopus indigno conferat, Vicarius digno conferre poterit, quia ab Epiſcopo jus devolvitur ad Superiorem.

IV. VIII. *Quartò*, jus devolvitur ab Ordinario, ſi ille renunciationem coram ſe factam admiſerit, & intra menſem Beneficium ſic vacans non contulerit, ex Conſtitutione Gregorii XIII. *Garcias parte* 11. *c.* 3. *n.* 274. Et ſi ex cauſa permutationis, aut cum reſervatione penſionis renunciatio facta ſit, jus devolvitur cum ſuo onere. Verùm quia apud nos illa Conſtitutio non obſervatur, Ordinario jus non cenſetur ademptum, niſi poſt ſemeſtre Concilii Lateranenſis; quo durante Papa cum eo concurrit poſt menſem ab admiſſa reſignatione, ob rationem capituli, *ſtatutum*, *de præb. in 6.* (*b*)

Alius ſupereſt modus, quo poteſtas Ordinarii reſtringitur, permutatio, quæ quia ad materiam reſignationis pertinet, commodiùs infrà tractabitur.

SOLIER.

(*a*) Ex generali regni conſuetudine, *Rebuff. in praxi*, *tit. de devolut. n.* 23. rationem aſſignat, quia hodiè, inquit, parva eſt communio inter Epiſcopum & capitulum, ſed frequentiùs rixæ & controverſiæ.

(*b*) *Quintò* loco, majores dignitates, ut Epiſcopales & Regulares, debent intra tres menſes tribui; aliàs jus devolvitur ad ſuperiorem, qui intra tres alios menſes providere tenebitur, *cap. Ne pro defectu*, *de Elect. Sextò*, in Inſtitutione certum tempus non eſt præſtitutum, *Gloſſ. & dd. in cap. Cum in cunctis*, *§.* 1. *eod. tit.* Idem in approbatione permutationis, *Gloſſ. Pragm. Sanct. §. Viſum*, *in verb. Reſpectivè*, *de collat. Septimò*, devolutio fit ad Epiſcopum loci, in quo Beneficium ſitum eſt: Ideò ſi Abbas ſancti Germani ſit negligens ad conferendum Beneficium ſitum Aureliæ, devolvetur collatio ad Epiſcopum Aurelianenſem per *Gloſſ. in Clem. unic. in verb. Locorum*, *de ſuppl. neglig. Prælat.* quia omnes baſilicæ conferendæ ſunt ab eo Epiſcopo in cujus territorio ſunt, *Can. Regenda & Can. Noverint* 1. *q.* 1. *Can. Omnes baſilicæ*, 16. *q.* 7.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. SI *jus fuerit devolutum.* Devolvitur autem ad proximum ſuperiorem, ſi ihi ad quos ſpectat non provident de Beneficiis vacantibus intra tempus præfixum, *cap. Licèt de ſupplend. neglig. Prælat. & cap.* 2. *de conceſſione Præbendæ*; & idem eſt ubi provident indignis, ſeu inhabilibus & incapacibus, *cap. Cum in cunctis*, *§. fin. de electione*, *cap. Scriptum*, *eod. tit. & cap. Si compromiſſarius eodem in 6.* quod etiam locum habet in Patronis etiam Laïcis, *Garcias de Beneficiis part.* 10. *cap.* 3. *n.* 4. quamvis contra teneat *Gloſſa in cap. Cum vos*, *in verb. Minus idoneæ*, *de Elect.* & quamvis Molineus *ad regul. de infirmis n.* 64. dicat Epiſcopum Beneficia Patronata poſt quadrimeſtre, vel ſemeſtre non conferre jure devoluto, ſed proprio & primævo, de qua tamen devolutione de Patrono ad inſtituentem non eſt textus, ſed *Gloſſa Singularis in Clementina prima*, *in verbo Diſpoſitionem*, *de ſupplend. neglig. Prælat.*

Eodem N. 1. *ordinarius privatur poteſtate conferendi pro illa vice.* Nec poteſt purgare moram, *cap. Licet de ſupplend. neglig. Prælat.* niſi per patientiam toleretur, *cap. Litteras*, *eod. tit.* quia expreſſa tolerantia jus dat in Beneficio, præſertim ſi à Papa fiat, ut vim novæ collationis habet, *dict. cap. Litteras*, *& ibi Gloſſa in verb. Patientiam.*

Eodem N. 1. *ſine dilatione nova.* Dictum Authoris ſtare non poteſt, ubi enim collatio ad Epiſcopum, vel Capitulum diviſim ſpectat, alter alterius intra terminum juris negligentiam ſupplere non poterit, cum nulla intra terminum juris negligentia dari poſſit, nec locus fieri devolutioni; quòd ſi conjunctim conferre debeant alter intra primum ſemeſtre non poterit conferre jure devoluto, cum non datur devolutio ante finem termini, dic ergo in primo caſu quod inſpecto jure communi, ſicut de Capitulo ad Epiſcopum, ita de Epiſcopo ad Capitulum fit devolutio, *cap.* 2. *de conceſſione Præbendæ*, *cap. Cum in cunctis*, *§. fin. de electione*, ob magnam quæ eſt inter eos communionem, *c. Requiſiſti de teſtament.* & data devolutione, alter alterius ſupplet negligentiam, & novum habet ſemeſtre ad conferendum, in ſecundo caſu, ſi electio, vel collatio Beneficii communiter ac ſimul ad Epiſcopum & Capitulum ſpectet, ut in caſu *cap. penult. de conceſſione præbendæ*, *& in cap. ult. de ſupplend. neglig. Prælat.* tunc ſi Capitulum eligere, vel conferre velit, inſtante termino temporis ſemeſtris, monere debet Epiſcopum, ut ſimul cum Capitulo eligat, vel conferat, quòd ſi is negligat, vel mo-

ram trahat, ſolum Capitulum ſine Epiſcopo poterit providere, & viciſſim Epiſcopus abſque Capitulo, ſi Capitulum admonitum conferre negligat, vel cunctetur, *Layman, de electione Prælat. quæſt.* 98. *& in dicto cap. ult. n.* 2. quod ſi uterque negligat, devolutio fit ad Archiepiſcopum *dict. cap. ultimo de ſupplend. neglig. Prælat.* ſed Epiſcopi in hoc regno ſibi ſolis etiam ſine conſenſu Capituli uſurparunt, teſte Molineo ad regul. de infirmis, *n.* 75. in tantum ut non ſoleat fieri devolutio de Epiſcopo ad Capitulum, velut penitùs extraneum, ſed ad ſuperiorem Epiſcopi immediatum.

N. 3. *Concurrit & legatus.* Sed an ſicut ordinario, ita etiam legato currat ſemeſtre ad conferendum? negat *Gambarus, de officio & poteſt. legat. lib.* 3. *n.* 14. *& n.* 622. & benè, nam devolutio non poteſt ab eo fieri niſi ad Papam, cum nulli alii ſubſit, & devoluta ad Papam ipſe conferat.

Finis Libri primi.

LIBER SECUNDUS DE LITTERIS BENEFICIALIBUS.

TITULUS PRIMUS.

De Parvis Datis. (a)

SUMMARIUM.

I. & II. Potestas conferendi Beneficia minor est & diversa in Ordinario, quàm in Papa.
III. Papa & Legatus conferre tenentur impetrantibus.
IV. Data Benficii ut probetu. Datarii Liber.
V. Si Datarius neget, quid agendum.
VI. Data conditionalis.
VII. Data fit caduca.

I. POTESTAS Ordinarii unâ vice consumitur: nam ejus negligentia vel excessus suppletur authoritate Papæ, ad quem jus devolvitur, ut diximus suprà; ideòque idem Beneficium pluribus eodem jure Ordinarius conferre non potest, *Rebuff. in Concordata, de collat. §. Si quis.* At Papa idem Beneficium pluribus conferre potest, nam ejus potestas nunquam exhauritur, nec devolvitur, quia Superiorem in Terris non agnoscit: idem dicitur de Legatò, cùm sit imago Legantis. Verùm ex pluribus provisis à Papa vel Legato de eodem Beneficio, unus tantùm admittitur, ne Beneficium dividatur, & cæterorum rescripta conditionalia censentur si jus alteri non sit quæsitum.

II. Ordinarius confert sibi notis & probatis, Papa verò & Legatus conferunt etiam ignotis, cum clausula futuri examinis; ex quibus non qui dignior est, sed qui diligentior est, præferri solet, modò reperiatur dignus: sic, ut lepidè Molineus ait, Cancellaria Romana velut Fortuna Dea cæca non meliorem ditat, sed diligentiorem.

III. Ordinarius liberé confert, ut diximus suprà: at Papa & Legatus Beneficia Galliæ Gallis impetrantibus conferre tenentur ex privilegio Ecclesiæ Gallicanæ: alioquin à negata gratia, velut à negata justitia & abusu, eisdem licet appellare ad Parlamenta, quorum Decretis Ordinarius monetur Litteras provisionis appellanti concedere, quæ tempore retroacto valent à die Datæ à Datario concessæ, vel negatæ, *Pytheus in Tract. de privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ, Papon lib. 1. tit. 9. n. 17. Molin. ad regulam de publicandis resignat. n. 119. Scholiastes Loët. in lit. M. num. 10.* modò de concessione Datæ aut negatione constet, extra ordinem Senatus succurrit. Sic anno 1528. grassante peste, cùm non liceret adire Legatum Avenionensem ad resignandum, Senatus Aquensis resignantes aut eorum Procuratores ad Ordinarios remisit, qui Litteras provisionales darent, & fungerentur vice Legati ex præsumpta & verisimili mente Papæ, ob rerum necessitatem.

IV. Constat autem de Data ex Libro Datarii, in quo nomen impetrantis & Beneficium vacans exprimuntur, & Datarius subscribit, datum, cum adjectione diei, & anni

currentis, initio ducto à die vigeſima quinta menſis Martii Feſtivitatis Annuntiationis Virginis Deiparæ, ex ſtylo Romano, pro Gallis & Germanis. In quo Libro nulla interpollatio fieri debet, ad vitandas fraudes: ad eum enim recurritur, (*b*) ſi ſit contentio inter plures impetrantes; & ex ordine temporis, aut ſi ſint pares tempore, ex ordine ſcripturæ prioritas colligitur, ut dicemus infrà *tit.* 17.

V. Si verò Datarius latitet, aut Librum datarum nolit exhibere, & neget Datam impetranti concedere, negatio ipſa pro Datâ ſumitur, modò de negatione conſtet, aſſertione Notarii ejuſdem Civitatis, & duorum teſtium; ſi Notarii illius Civitatis ſui copiam facere nolint; extraneus cum duobus teſtibus adhiberi poteſt. Sic Gallis apud Papam & Legatum concurſu jus quæritur, tàm illorum Reſcriptis, quàm proviſione Juris.

VI. Verùm jus illud per Datam quæſitum, conditionale eſt, ſi impetrans intra præſcriptum tempus oblatâ ſupplicatione ſignaturam collatoris & gratiam obtinuerit, & conditionis defectu ſit caducum, quòd tempus olim uno menſe finiebatur apud Legatum, & quatuor apud Papam; hodié verò eſt bimeſtre apud Legatum, & ſemeſtre apud Papam, juxta Conſtitutionem Gallicam, quâ tempus inſinuationis Litterarum Beneficialium eodem ſpatio præſcribitur, eoque elapſo Datæ à Datario uri debent, ex ſtylo Cancellariæ, *Rebuff. lib.* 1. *Praxis*, *tit. de parva data*, *n.* 3.

VII. Prætereà Data fit caduca morte impetrantis, aut Capitis diminutione intra præſcriptum tempus: nam ante ſignaturam obtentam impetrans cedendo aut renunciando in gratiam alterius nihil agit, quoniam ſola Data tribuit jus ad rem, non in re, ut de præſentatione ſuprà dictum fuit: at morte Papæ vel Legati Datæ ab illis conceſſæ non fiunt caducæ, quia Dignitas numquam moritur, *c. Quoniam*, *de officio Judicis deleg. l. quod Principi*, *ff. De leg.* 3. ſed Litteræ à ſucceſſore ſolent expediri, commemoratione factâ Datæ prioris, à qua tempore retroacto vires ſumunt, etiam ſi temporis ſint diverſi; quemadmodum Papa aut Legato mortuo, poſt ſignaturam conceſſam Litteræ ſolent expediri à ſucceſſore, juxta tenorem ſignaturæ, *in forma*, *ratione congruit*, ut dicemus infrà.

SOLIER.

(*a*) In proviſionibus Apoſtolicis duplex incurrit data: prior eſt quæ parva dicitur; altera quæ major ſive extenſa nuncupatur, ubi enim porrecta & ſignata eſt ſupplicatio tranſmittitur ad Officialem præfectum parvæ datæ; qui in calce ſupplicationis apponit datam ſub eamet die, quâ illa ſibi eſt conſignata, ſed abbreviatè per hæc verba: *III. non Dec. mm.* & hæc dicitur parva data, quam poſteà datarius ſic extendit. *Datum Romæ, apud ſanctam Mariam Majorem tertio nonas Decembris anno ſecundo.* Et hæc dicitur data major, ſive extenſa, deſumpta ex parva data, quæ poſtmodum ſcinditur, illiuſque ſciſſura ponitur in filcia ſive funiculo ad id deſtinato, & litteræ, quæ mox expediuntur, ſeu expediri poſſunt recipiunt eandem datam, *Melchior Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *q.* 23. *a. n.* 14. Datam autem reſignationis capi facere nefas apud nos antequam procuratorium ad reſignandum in manus Procuratoris devenerit, prohibente id Edicto Henrici II. contra parvas datas nuncupato, magnaque parvæ datæ, id eſt abſque procuratorio captæ, cùm per quinque vel ſex menſes data extenſa non fuit, quod videre licet à tempore datæ ad diem miſſionis ad Regiſtrum tergo ſignaturæ annotatam: hæc enim dilatio vera expectatio incerti eventûs mortis Reſignantis ait *Lovetius ad Regul. de infirm. reſign. n.* 150. Sed & aliam parvæ datæ præſumptionem infert ex quo mandata ad reſignandum in favorem ejuſdem perſonæ ſingulis annis confecta reperiuntur per decem annos continuos, quam tamen ſolam non ſufficere judicaſſe Senatum Pariſienſem teſtatur *ad regul. de public. reſignat. n.* 5.

(*b*) Vanus eſt in Gallia hic recurſus per ea quæ nos *infrà*, *lib.* 2. *tit.* 17. *litt. B*, Deo adjuvante dicemus.

NOVÆ ADDITIONES.

Ad *Rubricam de Parvis Datis.* Duæ proviſiones ejuſdem datæ, & ejuſdem Beneficii ad favorem duorum ab eodem collatore manantes mutuo concurſu ſe impediunt, & neutra valet, *Arg. L. Duo ſunt Titii*, *ff. de teſtam. tutel. L. Si fuerit*, *ff. de rebus dubiis*, *cap.* 2. *de elect. in* 6. nec poſſeſſionis ulla ratio habenda, *Lovet. ad Molineum ſuper regul. de infirm. reſignant. n.* 256. cum tamen inter ſolos concurrentes in data controverſia movetur, attenditur prioritas poſſeſſionis ex ſententia *Roffiniaci*, *lib.* 3. *cap.* 12. *verſic. aliquo poſt tempore*, ſecus de tertio cum nova ſeu poſteriori proviſione Beneficium contendente, quod deffendi poſſe ait *Lovet. ibidem*, is enim inquit primam gratiam, propter incertitudinem temporis, nullam rite contendere poteſt; quæ nullitatis exceptio ceſſat in perſona concurrentium in data, & certè bonum eſſet quid certum circa hoc ſtatuere, nam quotidiè dolemus, partes in data concurrentes ſe ſe invicem collidere, & ſumptibus, ſaltem ex una parte, inanibus conſumi, dum retentâ hinc inde datarum numeroſitate, tandem in earum expeditione deficiunt, vel perpetuo conflictu perimuntur. Cautiùs agunt exteri, qui regulam Cancellariæ 16. ſervant, quam in Gallia ſervari ſummopere optarem, quâ cavetur habentes gratiam, *Per fiat*, præferri habentibus,

habentibus, *Per concessum*, etiam ex motu proprio; habentes verò gratiam, *motu proprio*, præferri non habentibus similem gratiam; graduatos, non graduatis; possessores, non possessoribus; præsentes in Curia, non præsentibus; & inter præsentes, non beneficiatos, beneficiatis; & inter absentes, oriundum, non oriundo; Diœcesanum, non Diœcesano; priùs præsentantes executoribus litteris, posteriùs præsentantibus; vides quantâ ratione & sapientia concepta sit & procedat regula.

N. 3. *Valent à die datæ à Datario concessæ.* Licèt gratia Principis perficiatur solâ signaturâ, quin imo & solo verbo, tamen signatura hæc non perficitur, nisi post appositionem datæ, *L. Si quæ beneficia, Cod. de diversis rescript.* tunc enim demum nedum sumit vires & efficatiam, sed sui ipsius initium, ut per textum *in cap. Si eo tempore, de rescriptis in 6.* notat *Gigas de pensionibus, quæst.* 22. *n.* 16. & anno Bissextili scribi debet, primus dies Bissexti; sic, primo sexto Kalendas Martii, secundus sic, secundo sexto Kalendas Martii, *Provincial, fol.* 1. ubi etiam ait, quòd hodiè in litteris Apostolicis non ponitur indictio, cæterùm duos, aut etiam tres effectus notabiles habet parva data, *prior est* ut in ipsa supplicatione signata possint expediri diversæ litteræ sub diversis formis, & semper cum eadem data, ut censuit Rota *decis.* 514. *n.* 4. *lib.* 3. *part.* 3. *diversor. Tertius*, ut si supplicatio patiatur defectum aliquem, possit suppleri per aliam & rursus per aliam supplicationem, & quoties videbitur ipsi datario, & huic quidem novæ ac succedaneæ supplicationi, ubi est signata adjicitur eadem data prioris veluti dependenti ab illa, sed ut hoc etiam dignoscatur bonaque fide, non autem per errorem factum censeri possit, inscribitur in ejus principio titulus hic, *cui prius*, ad demonstrandum illam esse novam signaturam, pro eo cui priùs est provisum, ac præterea recipere Datam procedentem à qua dependet. *Lotter. lib.* 2. *quæst.* 23. *n.* 18. *& 19.*

TITULUS II.

De Litteris Beneficialibus.

SUMMARIUM.

I. Gratia litteris non testibus probatur.
II. Bullarum forma.
III. & IV. In Bulla Ordinarii requiruntur testes.
V. In Bulla Papæ testes non requiruntur. Bullæ suspectæ.

I. AD probandam gratiam Litteræ desiderantur, *l. Matriculam, C. de agentibus in rebus, lib.* 11. *l. Neminem, C. de re militari, ibid.* Gratia enim testibus probari non potest, nisi Litteras amissas esse constet, & earum probetur amissio, *l.* 1. *C. De probatione instrumentorum, & amissione eorum, Joannes Faber ad l. Si quis, C. De mandatis Principum.*

II. Forma autem Litterarum hæc est. In membranis scribuntur ad majorem diuturnitatem: collator salutat Clericum cui Beneficium confert; merita illius commemorat animum suum moventia; Beneficium vacare asserit, expresso titulo, loco, & vacationis modo, & illud ei confert, mandando Presbyteris, Clericis & Notariis, ut eum in possessionem mittant: dies adjicitur, collator subscribit, & sigillum suum jubet apponi: nomen Clerici & Beneficii olographicè, seu litteris integris, debet exprimi, ut de testamentis cavetur, *no.* 107. *& notat. Rebuff. in Praxi, tit. quæ contra Bullam opponi possunt, n.* 27. Dies quoque adjicitur, ut in testamentis, *l.* 2. §. *Diem, ff. Testamenta quemadmodum aperiantur*, & cæteris Rescriptis, *l. Si qua Beneficia, C. De diversis Rescr. l. dicenti* 25. *q.* 2. non notis aut zephiris uti licet, sed litteris integris, ne prælato die, falsi vitium committatur, in fraudem alterius impetrantis: collator manu propriâ debet subscribere, si possit, *l.* 3. *C. De diversis Rescr. & Can. dicenti, jam cit.* & sigillum integrum non deletum desideratur, *c. Inter dilectos, de fide instrument.* Alioquin Litteræ non probant, ex eodem capitulo: & neque subscriptio collatoris supplet defectum sigilli, nec sigillum defectum subscriptionis, *Guid. Pap. decis.* 178. *Covarruvias practicarum quæstionum c.* 22. *Loisellus de Officiis lib.* 2. *c.* 4. nisi sigillum aliis adminiculis adjuvetur, ut in Litteris Apostolicis, in quibus sigillum Bullæ juvatur signaturâ, juxta cujus tenorem solet expediri.

III. Præterea in Litteris Ordinariorum duo saltem testes desiderantur; non domestici aut familiares (*a*) Ordinarii, ut Placito Senatûs Parisiensis definitum fuit; quod refertur sub finem Edicti Henrici II. Junii anni mellesimi quingentesimi quinquagesimi, juxta communem Doctorum sententiam, ne Ordinarii nimis indulgentes cognatis aut amicis, aliquid agant in fraudem (*b*) Apostolicorum impetrantium, *De Selva* 3. *parte, q.* 23. *Molin. de publicandis resignat. n.* 388. *Rebuff. in Praxi lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 12. *Papon lib.*

2. *tit. 9. n. 5.* niſi alia ſit conſuetudo, *De Selva loco citato:* in inſtrumento Vicariatûs duo ſimiliter deſiderantur teſtes, ad vitandam fraudem, ex Arreſtis citatis, *Rebuff. in concord. de collat. §. teneantur.*

IV. At in Litteris cenſurarum vel Ordinum teſtes non requiruntur, quia in illis non agitur de præjudicio tertii, *c. Poſt ceſsionem, de probat.* Jus enim conſtitui oportet in iis quæ ἐπὶ τὸ πλεῖσον accidunt; non iis quæ ἐκ παραλόγου, *l. 3. ff. De legibus:* nec in Litteris gratioſis Papæ aut Legati: nam ſignaturæ eorum & Litteræ ſtatim in publicis Regeſtis inſeruntur, & privato teſtimonio non eſt opus, cùm publica monumenta ſufficiunt, *l. in donationibus, C. de donat.*

V. Ex quibus colligere potes quæ contra Bullam opponi poſſunt: inſuper objici poteſt ſuſpicio falſi, ſi in verbis ſubſtantialibus & diſpoſitivis ſit litura, *c. Ex Litteris, & ibi Abbas de fide inſtrument. Rebuff. in Praxi lib. 1. c. 8.* vel diverſa ſcriptura, *c. Inter dilectos, de fide inſtrum. & l. Sacri affatus, C. De diverſis Reſcr.* aut ſi in falſa Latinitate vel diverſo ſtylo litteræ ſint conceptæ, *Abbas & Decius in c. ad Audientiam, de Reſcr. Felinus in c. ex parte, eodem tit.* niſi in prædictis caſibus, ex ſignaturâ vel Regeſto fides habeatur: nihil autem refert per ſe, vel Procuratorem, vel amicum, hujuſmodi Litteræ obtentæ fuerint, *c. Nonnulli, &c. ad aures, de Reſcriptis*, nam proviſus gratiam acceptando negotium ratum habet.

SOLIER.

(*a*) AUT conſanguinei vel affines in 2. gradu ut cavetur edicto inſinuationum, *art. 9.*

(*b*) Quia reſpectu collationis Ordinarii cadit ſuſpicio antidatæ, niſi purgetur per inſtrumentum ſolemne, *Lotter. de re benefic. lib. 2. q. 23. n. 11.* ita ut non ſufficiat quòd collatio fuerit facta coram Secretario Epiſcop. & teſtibus, ſi Secretarius non ſit Notarius, *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. §. 3. Præmial. n. 153.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. AD *probandam gratiam litteræ deſiderantur.* Litteræ collationis ordinarii non ſolum requiruntur ad probationem, & executionem gratiæ, ſed etiam ad validitatem, neque enim collatio teſtibus probari poteſt, ut patet ex congeſtis per *Mandoſium, in Rubric. de conſtitut.* litteræ autem Apoſtolicæ, tunc expeditæ dicuntur, cum ſunt plumbatæ plumbo ſummi Pontificis pro tempore exiſtentis, caſque poterit reſignatarius expedire, etiam mortuo Papa, qui gratiam fecit, & ſupplicationem ſignavit, juxta regulam Cancellariæ 7. de litteris in forma rationi congruit expediendis; ſed ubi bullâ plumbo fuerit munita, quamvis nondum ei manus ſuprema impoſita fuerit, ut quia illi non ſubcripſerunt, qui Janiſeri vocantur, nec ad regiſtrum Bullarum delata ſit, & in ipſo regiſtro deſcripta, vel à Cancellariæ Notario, qui ſupremam annatæ portionem recipit, ſubſcripta, non minus tamen pro perfecta habenda eſt *Cucchus, lib. 1. Inſtitut. tit. 5. n. 5. & 6.* & ſi gratiam contineat, ſerices funiculo croceo, rubeique coloris, ut plurimùm ſexdecim filorum annecti, vincirique moris eſt: verùm Bullæ, quæ juſtitiam continent, canapeo filo annectuntur, *cap. Quam gravi, cap. Licet, de crimine falſi*, ſed in Gallia Bullis non egemus, ſolâ ſignaturâ contenti in Beneficiis inferioribus.

N. 2. *Collator manu propria debet ſubſcribere.* Quocunque modo ſubſcriptio fiat, vel quibuſvis verbis concipiatur, dummodo de illa conſtet, ſufficiet. *Argum. Leg. In nomine, Cod. de teſtament. §. Si quis in nomine, inſtitut. de legatis;* ac proinde ſive Epiſcopus in ſubſcriptione ponat ſolum nomen, & cognomen proprium, ſive ponat ſolum nomen, ſive non ponat nomen, nec cognomen, ſed ſolum nomen dignitatis, ſive ponat nomen proprium, & inſimul nomen dignitatis, ſive ſubſcriptio fiat per litteras abbreviatas, licèt hoc interdum reprobetur, *ut in L. 1. §. Legi, ff. de his, quæ in teſtament. delentur* nihil intereſt, *Gonzalez, Gloſſ. 6. 67. & ſeq.*

N. 3. *Inſuper objici poteſt ſuſpicio falſi.* Quamvis litteræ Papales multa cum diligentia, & exquiſitâ curioſitate fiant, ut *cap. Cum à Deo, de reſcriptis*, tamen in illis, tales plerumque committuntur falſitates, quæ nec de facili cognoſci, nec acerrimâ indagatione percipi poſſunt, *ut in cap. Licet de nomine falſi*, quare qui per ſe, vel per alios litteras Papæ falſant, ſivè ſint Laïci, ſive Clerici excommunicati ſunt cum ſuis fautoribus, & Clerici Officiis & Beneficiis privati ſunt, & degradandi, ac Curiæ ſæculari tradendi, *cap. Ad falſariorum, de crim. falſi;* novem autem modi falſandi litteras Papales ponuntur *in dicto cap. Licet*, quos forſan ignorare ſatiùs eſt, ſed legimus quædam, ut cognoſcamus & reprobemus, *cap. Legimus, diſt. 37.* idem dicendum de falſariis ſignaturarum & brevium, *Fagnan, in dicto cap. Ad falſariorum à n. 21. & n. 36.*

TITULUS III.

De Signaturis Beneficialibus.

SUMMARIUM.

I. An poſt ſignaturam obtentam reſignare liceat.

II. In curia ſignatura ſine Bulla non facit fidem.

III. Sola Signatura in Gallia fidem facit. Bulla debet levari ſi de Beneficio Conſiſtoriali agatur.

I. SIGNATURA eſt Reſcriptum collatoris Papæ vel Legati, ad preces ſupplicantis; quod iis verbis concipitur, *conceſſum eſt, ut petitur, fiat*, (*a*) aliiſve ſimilibus: Ordinarii provident Eccleſiis, nullâ ſupplicatione porrectâ: Papæ verò & Legato fit ſupplicatio in ſcriptis; nam Ordinarii ſtatum Eccleſiarum quibus præſunt non ignorant, ſicut Papa & Legatus: apud Ordinarium Litterarum expeditione jus quæritur proviſo: apud Papam vel Legatum, ſi Beneficium vacet de Jure & de facto, ſolâ ſignaturâ jus quæritur impetranti, veruſque titulus, ſi gratiam acceptaverit, *c. Inſtitutionis c.* 25. *q.* 2. ut morte, delicto, vel reſignatione ejuſdem, Beneficium vacare dicatur, tametſi Bullas nondum levaverit, aut poſſeſſionem Beneficii adeptus fuerit, *Rota deciſ. ult. de Reſcr. in antiquis*, *Molin. de publicandis reſignat. n.* 207. *Faber. C. De Sacroſ. Eccl. def.* 58. Unde ſequitur, quòd ſic proviſus de Beneficio vacante ipſo jure & ipſo facto reſignare poteſt, poſt ſignaturam obtentam, etiamſi nondum examinatus fuerit, non obſtante clauſulâ in ſignaturâ appoſitâ, *& committatur in Forma Dignum*, *aut dummodo idoneus repertus fuerit*: nam talis clauſula, ut loquuntur Doctores, non facit gratiam conditionalem quoad ſubſtantiam, ſed quoad executionem gratiæ, ne ſic proviſus poſſeſſionem Beneficii poſſit adipiſci, niſi dignus repertus fuerit, & liberum ei eſt, vel examen ſubire, vel gratiæ renunciare, re integrâ, ſeu antequam jus alteri quæſitum fuerit, modò renunciet purè: an verò poſſit renunciare in favorem, aut retenta penſione, aut ex cauſa permutationis, dicemus infrà *de renunciatione*: tamen ſi ille proviſus fuerit ex cauſa reſignationis factæ in ſui favorem à Papa, non poteſt reſignare vivo reſignante, niſi poſſeſſionem Beneficii priùs apprehenderit, ex conditione reſignationi inſita, ne Beneficium vacet, niſi reſignatio fuerit admiſſa, & Sedes à reſignatario repleta. Verùm hæc conditio in gratiam ſolius reſignantis eſt, & reſolvitur eo non conquerente.

II. Ex regulâ Cancellariæ 28. ſignatura ſine Bulla non facit fidem: nam ſignatura eſt velut ſcheda Notarii, quæ non facit fidem niſi in formam publicam fuerit redacta, *l. Contractus, C. de fide inſtrument.* Bulla verò eſt ſolemnis expreſſio gratiæ, ſignatura, conceſſæ: quæ in ſignaturâ compendiosè continentur, in Bullis latiùs extenduntur. Signatura ſcribitur in papyro, & Bulla in membranis: ſignatura ſola ſubſcriptione collatoris firmatur; Bulla verò firmatur ſignaturâ quam exprimit, & ſigilli authoritate, nam Bulla nihil alienum exprimit à ſignatura; aut ſi quid contineat alienum, illud rejicitur, quoniam (*b*) ſignatura prævalet Bullæ, ſi de ſignatura conſtet, producto originali, vel ejus exemplo, ſi originale in Cancellariâ fuerit retentum, *Faber C. de Sacroſ. Eccl. def.* 5. At ſi in Bulla aliquid omiſſum fuerit ex ſignatura, illud ſuppleri poteſt, etiam invito adverſario, quod ſolet fieri, non per additionem, ſed per tranſcriptionem Bullæ, ab ejuſdem Curiæ Officialibus, *Rebuff. in Praxi, tit. de reformatione Bullæ n.* 8.

III. Tamen in Galliâ ſola ſignatura Romanæ Curiæ ſine Bullâ; fidem facit in Judiciis, ad vitandos ſumptus majores, ſufficitque ad poſſeſſionem Beneficii adipiſcendam; nam ſi de ſignatura dubitetur, fides habetur ex Regeſtis Trapezitarum & Sollicitatorum, *Molin. de publicandis reſignationib. n.* 142. *Chopinus de Sacra Politia lib.* 3. *c.* 2. *n.* 13. non obſtantibus Regulis Cancellariæ, quibus ſignatura annullatur, aut fides rejicitur, niſi Bullæ fuerint levatæ; quæ Regulæ ut burſales & quæſtuoſæ, non ſervantur in Gallia, niſi de Beneficio Conſiſtoriali agatur, ut teſtatur, *Molin. loco citato, n.* 142. *&* 207.

SOLIER.

(*a*) SIGNATURA gratiæ per verbum, *fiat* ab ipso Papâ vel *per concessum*, à præfecto signaturæ, justitiæ verò per verbum, *placet* signatur, *Gomes. in compendio utriusque signaturæ q. 16. pag. mihi* 308. & 309. *Per fiat*, signata præfertur signaturæ, *per concessum* dum in data concurrunt *per Regul. Cancell.* 33. quam licet aliàs *ad Flamin. Paris. de Resig. lib.* 10. *q.* 1. dixerim non servari in Gallia, reperio tamen fuisse servatam Senatusconsulto Parisiensi de die 8. Augusti 1626. relato in libro cui titulus est, *Instruction & Pratique des matieres Beneficiales*, in additionibus, *p.* 151. *& per Brodell. ad Lovet litt. M, cap.* 10. *n.* 3. ubi plura de concursu videre est.

(*b*) Quia in Bulla non possunt substantialia ampliari, nec omissa suppleri, aut clausulæ restringentes omitti, *Papon. in compilat. decretorum, lib.* 2. *n.* 1. ubi autem Bulla & signatura contraria & pugnantia continent, neutri fides adhibetur, *Tornet. litt. P, n.* 206.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. TALIS *clausula, ut loquuntur Doctores, non facit gratiam conditionalem.* Dicunt tamen communiter Doctores gratiam in forma dignum ante ejus executionem non dare jus in re, sed ad rem; *Flamin. de resig. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 149. *Garcias de benefic. part.* 4. *cap.* 2. *n.* 17. *Gonzalez ad regul.* 8. *Gloss.* 15. *§.* 2. *n.* 59. *Vivianus in praxi juris Patronatûs, part.* 2. *lib.* 13. *cap.* 2. *n.* 15. unde per obitum habentis gratiam ejusmodi ante collationem non vacat beneficium, sed ut priùs, *Bonif. in Clement.* 1. *Ut litè pendente, n.* 49. *Garcias & Gonzalez ubi suprà.* Ad hæc si gratia non est conditionalis, unde est quod per acceptationem non quæratur jus in jure, sed tantùm ad rem, nec vacet per obitum impetrantis, sed ut priùs. Et certè negari non potest, quin clausula illa, quam involvit gratia in forma dignum, quatenus idoneus reperiatur, sonet potiùs in monitionem, quàm in conditionem, ut advertit *Lotterius, lib.* 3. *p.* 14. *n.* 67. *juxta Glossam, in Clementina unica, in verbo, Repererint, de off. Legat.* proindeque, inquit, ubi illa idoneitas est detecta, non dicitur facta collatio in eo instanti, quo executor exequitur, vel etiam detegit, sed dicitur facta tempore rescripti Apostolici, & sic nulla prorsùs fit retrotractio, quia Papa supposuit idoneitatem impetrantis, tunc cum fuerint sibi pro eo oblatæ preces, & tunc voluit illi providere? Quid verò mandavit inquiri per executorem, nihil est aliud præter veritatem talis suppositi, juxta regulam quæ habetur *in Lege, ut responsum, Cod. de transact.* & sic nihil mirum, si moriente proviso, antequam constet de ejus idoneitate, Beneficium per ejus obitum vacare non censeatur, cum forsan, data incapacitate, nullum jus haberet, nec qualitates extrinsecæ præsumantur, ergo interim jus cedere non potuit, cum nullum habuit in re, sed ad rem tantùm, quod cedi non potest, saltem in favorem, cum sit personale, licèt purè renunciari posset. *Flamin, dicta q.* 1. Dico jus ad rem cedi non posse ad favorem, nisi de facto tantùm, Beneficium tamen acquiri cessionario, non ex capite cessionis, sed ex capite antiquæ vacationis in vim clausulæ *sive præmisso, sive alio quovis modo, vel ex alterius cujuscunque persona*, id est, ut loquuntur præfati Authores, modo quo priùs vacabat, atque ideò non vacabit per ejus obitum, sed remanebit vacans ut priùs.

TITULUS IV.

De Partibus Supplicationis Beneficialis.

SUMMARIUM.

I. II. & III. In prima & secunda parte signatura quid contineatur.
IV. & V. In signatura quæ non sint exprimenda.
VI. De signatura in forma pauperum.
VII. Casus in quibus alia Beneficia non sunt exprimenda.
VIII. Clausula quòd obstantia oratoris habeantur pro expressis.

I. SUPPICATIO Beneficialis duas habet partes, & in utrâque signatura collatoris desideratur: Prima pars continet seriem eorum quæ ad collatorem certificandum exprimi debent, & Oratoris desiderium & petitionem. Altera pars continet clausulas ad effectum gratiæ necessarias. Nam, *Primò*, collator debet certificari de persona impetrantis, expresso nomine & cognomine illius, loco originis, Diœcesis, & Clericaturæ. Cæteras qualitates, sit sit Sacerdos, aut Doctor, aut Nobilis, non est necesse exprimere, quamvis earum expressio prosit ad movendum animum collatoris. Tamen error in designatione loci, originis, vel Diœcesis, (*a*) non nocet, modò constet de persona impetrantis, *Felinus in c. Significante, de Rescriptis.*

II. *Secundò*, aut petitur Rescriptum in forma gratiosa, vel in forma pauperum; si Rescriptum petatur in forma gratiosa, orator in supplicatione debet exprimere (*b*) cæ-

tera Beneficia quibus proviſus eſt, dignitatem & valorem illorum, quantulacumque ſint, *c. Si motu proprio, de præb. in 6. c. Ad aures, de Reſcrip. Gloſſ. Pragmaticæ, in §. Item quod univerſitas, de collat. Rebuff. in Praxi, tit. forma novæ proviſionis, Molin. de infirmis reſignantibus, num. 4. & 47. Loëtius in lit. B. n. 3.* ſive orator de illis Beneficiis proviſus fuerit in Commendam, ſive in titulum, ſi Commenda ſit ad vitam, ſecùs ſi ſit ad tempus, *c. Poſtulaſti, de Reſcriptis.*

III. Prætereà exprimere debet Beneficia ſibi collata, quorum proviſionem nondùm acceptavit, niſi probabilis ignorantia (*c*) eum excuſet: exprimere etiam debet Beneficia quibus ſpoliatus eſt, ſi ſpes ſit poſtliminii, non ea quibus per ſententiam Judicis depoſitus eſt, ſi ſententiæ acquieverit, *Felinus in c. In noſtra, de Reſcr.* alioquin collatio cenſetur obreptitia, ex capitulis ſuprà citatis.

IV. At non tenetur exprimere Beneficia manualia, nec quæ habet in Commendam ad certum tempus, aut ad nutum Superioris, contra Rebuffum *in Concordatis, tit. formâ mandati, n.* 10. nec penſiones quas habet ad vitam loco Beneficii dimiſſi; nec præſtimonia. Nam Jura ſuprà allegata loquuntur de Beneficiis; & cùm pœnalia ſint, ſtrictè intelliguntur, non de Beneficiis manualibus, quæ non habentur in titulum Beneficii; nec de præſtimoniis, aut penſionibus, quæ (ut diximus ſuprà *lib.* 1.) Beneficia propriè dici non poſſunt. Similiter orator non tenetur exprimere expectativas, aut Indulta, aut nominationes, quibus jus habet ad Beneficium acquirendum: hæc enim non tribuunt jus in re, licèt tribuant jus ad rem, & non veniunt nomine Beneficii.

V. Nec obſtat, quòd illorum expreſſio collatorem reddere poſſet difficiliorem: nam, ut ait Molineus, non omnia quæ Collatorem difficiliorem reddere poſſunt ſunt exprimenda, ſed illa ſola quæ invehunt Juris impedimentum; difficultas ex impedimento Juris, non ex affectu privato Collatoris, eſt æſtimanda.

VI. Si verò Reſcriptum petatur in forma pauperum, non ſolùm Beneficia manualia, penſiones, præſtimonia, (*d*) Indulta, nominationes, & præſentationes, exprimi debent: ſed ipſum quoque patrimonium oratoris exprimi debet; alioquin Reſcriptum eſt obreptitium, ut conceſſum contra formam privilegii, & Collatoris intentionem, *c. In noſtra, & c. Poſtulaſti, de Reſcript.*

VII. Sunt tamen caſus in quibus expreſſio Beneficiorum non deſideratur in ſupplicatione Beneficiali gratioſa, aut omiſſa ſuppletur. *Primò*, ſi collatio fiat à Rege in Regalibus, expreſſio Beneficiorum non eſt neceſſaria, nam Rex non ſubditur his Regulis; *Joannes Gallus q.* 170.

Secundò, ſi Beneficium petatur ex cauſa permutationis, reticentia aliorum Beneficiorum non nocet impetranti, *idem Gallus q.* 170.

Tertiò, ſi collatio fiat à Papa motu proprio, taciturnitas impetrantis non obeſt, *c. Si motu proprio, de præb. in 6. Clement. ſi Romana, eod. tit.* Tamen per illam clauſulam, ſi proviſus aliud Beneficium incompatibile poſſideat, non cenſetur diſpenſatus ut utrumque Beneficium poſſit retinere, *Ancharanus conſ.* 137. *Decius in c. Ad aures, de Reſcr.* nec cenſetur factus habilis, ſi ſit inhabilis, *Rota deciſ.* 112. *in novis.*

Quartò, ſi clauſula apponatur in ſignatura, quòd obſtantiæ oratoris habeantur pro expreſſis, omiſſio in Bullis ſuppleri poteſt, modò jus alteri non ſit quæſitum, quæ clauſula ex ſtylo Curiæ in ſignaturis apponi ſolet.

Quintò, juſta & probabilis ignorantia excuſat impetrantem: juſta dicitur, ſi Beneficium tacuerit, quòd nondùm acceptaverat, & ignorabat ſibi collatum, ut notavimus ſuprà. At ſi ſimplicitatem cauſetur, aut Juris ignorantiam, aut culpam Procuratoris, non excuſatur, *Gloſſ. in d. c. Si motu proprio.*

Sextò, Beneficium unitum alteri Beneficio non debet exprimi, *Rota deciſ.* 319. *in antiquis, Rebuff. in Concord. de collat.* §. 1. nam expreſſo principali veniunt acceſſoria, *De Selva* 3. *parte, q.* 17. niſi Beneficium unitum ſit æquè principale, *Gloſſ. in c. Gratia, de reſ. in 6. Rebuff. in Praxi, da unionibus.*

Septimò, in ſignatura novæ proviſionis, aut ſubrogationis alia Beneficia Oratoris non ſunt exprimenda, ſi in priori fuerint expreſſa, *Rota deciſ.* 274. *in novis.* Et ſi Canonicus præbendatus expreſſerit præbendam, & Canonicatum tacuerit, talis omiſſio non nocet, *Rota deciſ.* 547. *in antiquis.*

Octavò, in collationibus Ordinarii (*e*) hoc vitium objici non poteſt, quia apud eum non fit ſupplicatio in ſcriptis, ut coram Papa, & Ordinarius ſtatum rerum & perſonarum ſuæ Diœceſis non ignorat.

SOLIER.

(*a*) Imò contrarium tenet Felinus loco ab authore citato, ubi expressè tradit errorem circa expressionem diœcesis impetrantis viciare rescriptum, & Felinum sequitur *Rebuff. in praxi, tit. forma signaturæ, in verb. Ejusdem diœcesis.* Ego distinguerem, ut sententiæ Felini & Rebuffi sit locus, quando impetrans & beneficium sunt diversæ diœcesis & tamen expressum fuit esse ejusdem : quia inde resultat obreptio ex quo Papa faciliùs providet oriundis quàm aliis, *Can. Neminem, dist. 70. L. In Ecclesiis, Cod. de Episc. & cleric.* sententia verò authoris obtineat ubi alia quàm beneficii fuit Oratoris expressa diœcesis. Neque arridet ratio nullitatis à Rebuffo adducta, quasi non sit sanæ mentis impetrans, qui propriam diœcesim ignorat; cum non ipse sed alius ferè semper supplicationem concipiat & porrigat.

(*b*) Defectus tamen expressionis obtenti Beneficii non nocet, quando illud dimittitur ante captam possessionem secundi, *Brodell. ad Lovet. litt. B, cap. 33. n. 4.*

(*c*) Cum scilicet absenti & ignoranti collatum est beneficium, *cap. Gratia, de rescript. in 6.* idem cum quis dedit mandatum ad resignandum, & dum putat illud executum impetrat aliud non facta mentione prioris, nam tunc valet nihilominus impetratio secundi ob bonam fidem, *Molin. ad regul. de infirm. resig. n. 4.*

(*d*) Hinc videtur quod præstimoniæ, & id genus veniant exprimendæ in nominationibus Graduatorum, contrarium tamen tenet *Lovetius ad Regul. de infirm. resig. n. 147.* & benè, cum, ut ipse ait, lege concordatorum beneficia tantùm exprimi debeant.

(*e*) Collatio Ordinarii non subest subreptioni, quia subreptio introducta est contra provisiones Papæ, vel Legati *Clem. 2. de offic. ordin.* subest tamen rationi, & dispositioni juris communis, *Molin. ad Regul. de infirm. resign. n. 376.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 4. Non *tenentur exprimere Beneficia manualia.* Exprimenda esse tutius asseritur, & verius, quia beneficia manualia verè & propriè sunt Beneficia, & quidem perpetua per ea quæ scitè & subtiliter deducit *Lotterius de re benefic. lib. 1. q. 7. à n. 14.* quia manualitas non radicatur in substantia Beneficii, sed in persona obedientiarii, non enim est de essentia Beneficii, ut perpetuò remaneat penes provisum, cum continuò quilibet removeri possit ex causa legitima, & Regulares sine causa amoveri non possint *Clement. 1. & ibi Doctores de supplen. negligen. Prælat.* ità quòd Beneficia ejusmodi sint perpetua, & de his judicatur ut de perpetuis, *Petrus de Murga de benefic. q. 1. n. 8.* quidquid sit de manualibus sæcularibus quæ non dantur in titulum, *Gamb. de offic. & potest. Legati, lib. 4. n. 14.* quare possunt permutari, sicut perpetua. *Federic. in tract. de permut. q. 16. Glossa Pragmat. §. Item quod, in verbo, Perpetuis de collationibus*, & verè vacant per obitum *Bonifac. de Vitalin. in dicta Clement. 1. §. In quibus de supplen. negligen. Prælatorum* undè innuitur, quod possidentur in titulum, & sunt in se perpetua. *Gambar. dicto lib. 4. n. 15.* & debent exprimi in impetratione Beneficii. *Felin. in cap. In nostra, n. 18. de rescript. Joan. de Selva, part. 3. q. 11. n. 8. Rebuffus de nomin. q. 9. n. 26.*

N. 6. *Si rescriptum petatur in forma pauperum.* Hæc forma quoad Beneficia jamdiu exolevit, & in ejus locum successerunt expectativæ Graduatorum. *Rebuffus in praxi, tit. de rescript. in forma pauperum pro graduatis, n. 2.* sed in aliquibus conveniunt, in aliis discrepant; & quidem conveniunt, quòd sicut Clerici pauperes in litteris, ita graduati nominati in nominationibus de hospitali, quamvis in titulum Ecclesiasticum minimè possesso, nec non de pensione, mentionem facere tenentur, *Glossa Pragmat. §. Item quod Universitates, in verbo, Beneficiorum, de collat. Corras. in paraphrasi Benefic. part. 4. cap. 4. n. 46.* sed contrarium sentit *Lovet. ad regul. de infirm. n. 147. in fine* item provisiones, tam in forma pauperum, quàm pro Graduatis, sunt rescripta, seu concessiones justitiæ, potiùs quàm gratiæ, *cap. Postulasti, cap. Si pauper, cap. Si pro Clericis, de Præbendis in 6. Glossa Pragmat. §. Item quod Universitates, in verbo, Exprimere, de collat. ibid.* collatio autem quæ fienda est nominato in vim nominationis est necessaria, quo fit ut Capitulum possit Graduatis Beneficia conferre in eorum mensibus vacantia, *Rebuffus §. Si quis verò, in verbo, Disposuerit, de collationibus, in Concordato, Fevret de abusu, lib. 3. cap. 6. n. 6. Pastor, lib. 1. cap. 12. n. 1.* licèt secùs sit de Beneficiis liberæ collationis, *cap. Illa, ne Sede vacante*, item Pauper, & Graduatus, non nisi ad certam summam Beneficia petere possunt; differunt autem in eo quòd, in forma pauperum, debet exprimi patrimonium, *cap. Postulasti de rescript.* in provisione verò Graduati, à Papa concessâ in recusationem ordinarii collatoris; ne quidem Beneficia obtenta exprimere necesse est, quia collatio est necessaria, *Gloss. Pragmat. ubi suprà.* Item differunt, quia Pauper impetrans aliquod Beneficium tempore impetrationis habere non debet, *dicto cap. Postulasti, de Præb. in 6. cap. Accepimus, de ætat. & qualit.* at graduatus semper requirendi facultatem habet, usque ad summam ducentorum florennorum reditûs annui, juxta concordata. Item gratia, seu rescriptum in forma pauperum expirat assecutione Beneficii, *cap. Si pauper, de Præb. in 6.* privilegium verò graduati durare quo usque Beneficium, seu Beneficia valoris supra dicti sit assecutus explorati juris est; participant tamen litteræ utriusque rescripti de natura gratiosarum, nam & ipsæ dici possunt gratiosæ, ex parte concedentis, Papæ scilicet, qui ut est Lege solutus, *Lege Princeps, ff. de Legibus, cap. Cuncta per mundum 9. q. 4. cap. Proposuit de concessione Præb.* ita concedendo litteras, ad quas de jure non adstringitur, dicitur gratiam facere.

N. 7. *Non sunt exprimenda, si in priori fuerint expressa.* In gratia reformatoria primæ, non est opus exprimere Beneficia expressa in prima, quia quandò secunda gratia subintrat in locum primæ, ut operetur solùm illos effectus, quos debebat operari prima, si fuisset valida, ex quo Papa est plenè informatus ex narratis in primâ, non est opus re-

plicatione, quia ſicùt conceſſit primam, ita concederet ſecundam, *Felin. in cap. In noſtra, n. 17. de reſcript.* undè ſi impetrans Beneficium, expreſſis Beneficiis obtentis, ſed tacita pendentia litis ſuper eo, ſi poſteà reformat primam impetrationem, expreſsâ lite, non nocet taciturnitas Beneficiorum ſemel in prima expreſſorum, *Rota. deciſ. 17. de Præb. in novis*, Limita, niſi jus in ſecunda augeretur, *Gloſſa in cap. Si Apoſtolica, in verbo, Præferri, de Præb. in 6.*

TITULUS V.

De Qualitatibus Beneficii vacantis exprimendis,

SUMMARIUM.

I. Error in valore non nocet.
II. & III. Error in titulo Beneficii non nocet.
IV. V. VI. & VII. Quæ qualitates Beneficii ſint exprimendæ.
VIII. Commenda & unio debent exprimi in ſignatura.
IX. & X. Qualitas Beneficii debet exprimi in ſignatura.

I. TERTIÒ, in ſupplicatione exprimi debent qualitates Beneficii vacantis, loci, Diœceſis, tituli, valoris reditûs annui; ſi Beneficium ſit Curatum, ſi Dignitas ſit, aut Perſonatus, ſi ſit Eccleſiæ Cathedralis, *c. Ad aures, de Reſcriptis, c. Quamvis, de præb. in 6. Felinus in c. Noſtra, de Reſcr. ſub finem.* Tamen erronea valoris expreſſio non nocet: & juxta ſtylum Curiæ ſufficit exprimere valorem communem, *Rebuff. lib. 1. tit. pars ſignaturæ*: maximè in Gallia, ubi regula de exprimendo valore creditur introducta propter Annatas, quæ fuerunt exploſæ, ut dicemus infrà.

II. Similiter error in nomine Beneficii, tituli, vel Diœceſis, non nocet, modò conſtet collatori de corpore Beneficii, *Felinus in c. ſignificante, de Reſcriptis*: nam falſa demonſtratio non nocet, ſi de re conſtet, *l. Falſa demonſtratio, ff. de cond. & demonſtr. l. Patronus, §. 2. ff. De leg. 3.* & in venditione error nominis non nocet ſi conſtet de corpore, *l. In venditionibus, ff. De contrah. empt.*

III. Et ſi orator dixerit eſſe Beneficium Curatum & ſit Beneficium ſimplex, talis error non nocet: nam Papa ut ſimplex illud contuliſſet, cùm contulerit ut Curatum, *Rota deciſ. 563. in antiquis.*

IV. Qualitates, quæ inſunt in Beneficio, & veniunt nomine Beneficii, non eſt neceſſe exprimere; ut ſi Archidiaconatus petatur, non eſt neceſſe dicere quòd Curam, vel Juriſdictionem habet annexam, cùm nomine ipſo & ſignificatione vocabuli id notum ſit: ſed illæ qualitates neceſſariò ſunt exprimendæ, quæ non intelliguntur niſi fuerint expreſſæ, *De Selva 3. parte, q. 11. n. 12. Rota dec. 13. in antiquis, & dec. 257.*

V. Si Beneficium ſit gravatum Jure Patronatûs, in ſupplicatione id debet exprimi, (*a*) ſive Jus illud ſit Laïcale, ſive Clericale: nam, ut diximus ſuprà *in tit. de Jure Patronatûs*, Juri Laïcali Papa derogare non poteſt, & non cenſetur derogaſſe Juri Clericali, niſi in ſupplicatione id fuerit expreſſum & petitum, *c. Dilectus, de officio Legati.*

VI. Similiter debet fieri mentio conſuetudinis, Statuti vel Indulti obſtantis, ſi Beneficium ſit electivum, aut reſervatum reſervatione generali vel particulari, *Rota deciſ. 257. in antiquis*: alioquin Papa non cenſetur derogare, *c. Cùm in illis, de præb. & c. Cum aliquibus, de Reſcr. in 6.* Et ſi Beneficium pertineat ad familiarem Papæ vel Cardinalis, nomen familiaris, & Cardinalis nomen debent exprimi, quia regulariter Papa non cenſetur derogare reſervationibus, Indultis, aliiſve privilegiis, *vide ſuprà tit. 21. & infrà tit. 10.* ſi dubitetur an Beneficium ſit electivum, vel collativum, ultimus ſtatus attenditur, *Faber C. de Sacroſ. Eccleſ. def. 18.* & unicus actus ſufficit ad probandum ultimum ſtatum, *ibid. def. 34.*

VII. Si Ordinarius habeat dumtaxat collationem Beneficii quod impetratur, quaſi monoculus, id exprimi debet Papæ aut Legato: nam Papa vel Legatus non præſumitur eum velle prævenire, & eo commodo privare quo fortè nunquam utetur, niſi id ſibi fuerit expreſſum, aut Beneficium vacet jure devoluto, vel ex cauſa reſignationis, aut depoſitionis, aut mortis in Curia, *De Selva 3. parte, q. 11.*

VIII. Si Beneficium ſit datum in Commendam, vel alteri unitum, de Commenda & unione debet fieri mentio, ſive ad tempus, ſive ad vitam illa Commenda vel unio ſit: alioquin collator non cenſetur Commendam vel unionem revocare, *De Selva loco citato, n. 14.* Tamen expreſſo Beneficio principali, venit etiam unitum, *Rota deciſ. 319. in an-*

tiquis, *Rebuff. de nominat. verb. collatio.* Sic qui impetrat Canonicatum ultimi possessoris, non tenetur facere mentionem de Beneficiis unitis Præbendæ, *De Selva 3. parte, q.* 11. & collatione Præbendæ Canonicatûs etiam comprehenditur, *Dominicus in c. Si Clericus, de præb. in 6.*

IX. Et si Beneficium sit Regulare, & impetrans Sæcularis, vel contrà, illud discrimen in supplicatione est exprimendum: nam Regularia Regularibus, & sæcularia sæcularibus debentur; aut si ordo pervertatur, & Regularia dentur sæcularibus, vel contrà, non nisi in Commendam id solet fieri, ne jura confundantur. Si verò Beneficium sit mixtum, (*b*) per Regulares & sæculares regi solitum, dari potest in titulum impetranti, sive sit sæcularis, sive Regularis ille sit: at similiter illa qualitas exprimenda est, ne Regularibus aut sæcularibus fiat præjudicium.

X. Insuper si Beneficium sit Regulare, debet fieri mentio Monasterii & Ordinis à quo dependet, quoniam Monachus alterius Ordinis non potest illud in titulum obtinere, nec Monachus alterius Monasterii, nisi transferatur, *c. Cùm singula, de præb. in 6.* sunt enim Monachi suis Monasteriis adscripti: additur alia ratio ex dicto capitulo, ne jura Ordinum aut Monasteriorum diversa confundantur.

SOLIER.

(*a*) Imò inutiliter exprimitur, nam si jus Patr. sit Laïcum Papa non derogat, nec in Gallia derogatio reciperetur, nisi tempus patronis Laïcis à jure præstitutum elapsum sit, & tunc Papa derogat in genere per clausulas signaturæ, etiamsi jus Patr. in supplicatione non exprimatur, nec petatur derogatio, quæ etiam necessaria non est, cum Patronus per negligentiam à jure suo pro hac vice ceciderit. Si verò sit Ecclesiasticum non est necessaria expressio juris Patr. nec petitio derogationis: tum quia Papa concurrit cum omni patrono & collatore Ecclesiastico: tum etiam quia derogatio generatim semper apponitur.

(*b*) Quales sunt Ecclesiæ Parrochiales, seu Vicariæ perpetuæ ordinis sancti Joannis Hyerosolimitani, in quibus per statuta ipsius ordinis, Presbyteri sæculares, de expressa licentia Magistri ordinis, Priorum, Præceptorum, vel Fratrum, quos id contingit, instituì possunt, & quotidiè à summo Pontifice instituuntur, seu instituì mandantur, toto tamen reluctante Ordine, quasi Papa non possit, quod ipsi ex ejus indulto possunt, contra *cap. Dudum, de Præb. in 6.* aut ei à propria lege recedere non liceret.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 4. *Non est necesse dicere quod curam, vel Jurisdictionem habet annexam.* Cura animarum dupliciter consideratur, largè, & strictè, sive propriè, & impropriè; impropria dicitur potestas fori contentiosi, sive judicialis, quæ versatur circa exercitium Jurisdictionis spiritualis, prout est, suspendere, excommunicare, absolvere, visitare, & alia hujusmodi, quæ ad correctionem morum spectant, *cap. Dudum Ecclesia, de elect.* & hanc curam possunt habere Archidiaconi, & alii inferiores Prælati, *cap. 1. de offic. Archid. DD. in cap. Cum contingat, de foro competenti*; strictè verò & propriè cura dicitur potestas ligandi & solvendi in foro pœnitentiali, cujus nemo est capax, nisi sit Sacerdos, *cap. In novo, dist. 21. cap. Omnis, de Pœnit. & remission.*

N. 7. *Quasi monoculus id exprimi debet.* Beneficium monoculum licèt non subjiciatur Graduatis, *Glossa Pragmat. §. Ita quod Parrochialis, in verbo, Turnum, de collat.* cum tertia tantum Beneficiorum pars sit ei debita, *text. in Pragmat. §. Insuper, de collat. & §. Præfatique, eodem tit. In concordato*, subjacet tamen præventioni, ut advertit, nota marginalis ad Joann. de Selva, *part. 3. q. 11.* qui malè allegat Glossam Pragmat. cum solùm de gratiis expectativis loquatur, non autem de præventionibus, nec necesse est de hac monoculi qualitate mentionem habere, quia non omnia quæ Papam difficiliorem reddere possunt, sunt exprimenda, sed ea tantùm quæ jus exprimi præcipit. *Flamin. de resignat. lib. 10. q. 2. n. 13.*

N. 8. *De commenda & unione debet fieri mentio sive ad tempus, sive ad vitam.* Palinodiam canit author, nam *tit. præcedenti, n. 4.* dixit impetrantem exprimere non teneri Beneficia quæ habet in commendam ad certum tempus, hic verò admonet exprimenda, nec refert, quod in primo loco de rescriptis ad vacatura, secundo loco de rescriptis ad vacantia loquatur, quia in utrisque eadem ratio & necessitas exprimendi, quamvis enim sit differentia inter gratias ad vacatura Beneficia, & ad vacantia, *cap. Si super gratia, de offic. delegat. in 6. Gloss. & DD. in cap. Eum qui, & cap. Si cui de Præb. eodem lib.* tamen quantùm ad expressionem, non fit à jure differentia. *Dominic. & alii in cap. Non potest in fine, de Præb. in 6. Rebuffus in forma mandati, in verb. Pro expressis, versic. Advertendum in concordat.* certum tamen est commendam perpetuam exprimendam esse, imò idem ait de temporali. *Glossa in cap. Nemo deinceps, in verbo, Commendare, de elect. in 6.* quod ultimum de jure verum numquam credidi.

N. 10. *Nisi canonicè transferatur, cap. Cùm singula, de Præb. in 6.* Hoc capitulum *in §. Prohibemus* continet novum jus, & correctionem veteris, ideò ut minùs corrigat, debet intelligi, quòd collatio facta Monacho alterius Monasterii ejusdem ordinis, est nulla, nisi facta sit animo transferendi, & translatio realis posteà saltem intra semestre vacationis sequatur; ideo impetratio intermedia non valet. *Molin. ad regul. de infirm. n. 434.* Abbates autem Commendatarii licèt habeant jus conferendi, tamen non habent jus transferendi, translatio enim Monachi à Priore Claustrali fieri debet,

ut

ut vult author noster *infra lib. 3. tit. 25. n. 7.* quod tamen non est indistincte verum quando translatio fit ad effectum collationis ad ipsum Abbatem spectantis, quia ejus est transferre, cujus est conferre, concesso enim aliquo, veniunt & ea sine quibus. *Fevret, de abusu, lib. 2. cap. 3. n. 9.* secùs autem ubi agitur simpliciter de transferendo Monacho ad aliud Monasterium ejusdem ordinis, quia hæc sunt partes Prioris Claustralis cum consilio Capituli, cum ejus sit novitios ad professionem admittere, ut in terminis judicatum refert *Fevret, ibidem, n. 10.* quid si Monasterium ad quod recuset translatum recipere an satis sit Priorem & Conventum in scriptis requirere, ut illum recipiant, respondetur quod debet insuper recusantes in jus vocare, causas dicturos suæ recusationis, & si opponantur demerita, & probentur, à jure suo eo ipso decidit, alias recusantes ad receptionem judicis authoritate coguntur. *Fevret, ibidem.*

TITULUS VI.

Ad Regulam de annali Possessore.

SUMMARIUM.

I. & II. In signatura devolutarii contra annallem possessorem, quid exprimi debeat?
III. Resignatarius excusatur si non expresserit verum vacandi modum.
IV. & V. Clausula, aut aliàs quovis modo & ex cujuscumque persona vacet.
VI. Ordinarii non tenentur in Bullis vacationis modum exprimere.
VII. VIII. IX. & X. Quando hæc Regula non habet locum.
XI. Regulæ de annali, Papa & Legatus in Litteris derogare solent.
XII. Devolutarii tenentur possessorem Beneficii in jus vocare, & satisdare.
XIII. Constitutionibus Gallicis contra devolutarios Papa derogare non potest.
XIV. L'Edit du Contrôlle *contra devolutarios.*
XV. Devolutarii instar accusatorum.
XVI. Si devolutarius resignaverit, vel obierit ante litem motam.
XVII. Casus in quibus devolutarius non tenetur satisdare.

I. QUARTÒ, ex Regula (*a*) Cancellariæ ab Innocentio VIII. condita, & à Julio III. renovata, si devolutarius impetret Beneficium annalis possessoris pacifici; ut vacans de jure, aut vacuturum per sententiam, exprimere debet nomen, gradum, nobilitatem possessoris, tempus possessionis, & certum vacandi modum; licèt possessio illius sit asinina possessio, seu sine titulo, *Gomesius ad eandem Regulam, q. 8. Faber C. de Sacros. Ecclesiis, def. 81.* sive illud Beneficium defectu tituli, sive ex nova causa vacare dicatur, *Molin. ad eandem Regulam, n. 118. Gomesius q. 55.* alioquin modus vacationis omissus non suppletur, & sub expresso non continetur, etiam si vacationis modus verbis generalibus conceptus sit, illis verbis adjectis, *aut aliàs quovis modo & ex cujuscumque persona Beneficium vacet:* nam dicta Regula impedit extensionem, ne modus omissus addatur, aut suppleatur, per correctionem vel transcriptionem Litterarum, aut per Litteras *perinde valere*: neve expresso vero vacandi modo, idem devolutarius possit illud Beneficium de novo impetrare, aut Litteris subrogationis in jus possessoris vel alterius collitigantis subrogari, quòd temerè litem exquisierit; etiam si verum vacandi modum ignoraret tempore impetrationis: certus enim esse debet & venire paratus, instar accusatoris, *Molin. ad eandem Regulam, n. 126.* nec admittitur si impetret ex nova causa, si Beneficium vacet per cessum aut decessum possessoris, aut excessum depositione dignum; quòd Beneficio viventis inhiaverit, & ob id inhabilis factus sit, pro illa vice, ad illud Beneficium obtinendum, *c. 1. de conces. præbend.*

II. Tamen si devolutarius erraverit in nomine, aut qualitate possessoris, aut tempore possessionis, excusatur, *Faber C. de Sacrosanctis Ecclesiis, def. 28.*

III. Et in resignatario hæc Regula non habet locum: nam si is impetraverit Beneficium ut vacans ex causa resignationis, & illam clausulam generalem addiderit, *aut aliàs quovis modo & ex cujuscumque persona Beneficium vacet*, deficiente modo expresso, quòd ante resignationem admissam, vel intra viginti dies post eam admissam, resignans mortuus, vel depositus fuerit, sit transitus ad modum vacationis per obitum, aliumve modum existentem tempore impetrationis, sub illa clausula generali contentum: quoniam resignatarius, quem juvat bona fides, non videtur habuisse animum calumniandi, *Mo-*

lin. ad eandem Regulam, n. 136. Ad alios verò modos contingentes poſt impetrationem non fit extenſio, nam Beneficium ut vacaturum ex cauſa futura impetrare non licet, *c.* 2. *de conceſſ. præb.*

IV. Per clauſulam, *aut aliàs quovis modo*, fit extenſio de modo ad modum, ſeu de caſu ad caſum; & per clauſulam, *ex cujuſcumque perſona*, fit extenſio de perſona ad perſonam: quæ clauſulæ ideò conjunguntur, quoniam ab unâ ſpecie expreſsâ, ſi ſit falſa, fit tranſitus ad aliam ſpeciem ejuſdem generis, vi clauſulæ generalis appoſitæ, quâ diſpoſitio ampliatur, *l. quæſitum*, §. *penult. ff. de fundo inſtructo legato*, *l. Titia*, §. *qui Mævio*, *ff. de annuis legatis*: at non fit tranſitus de perſonâ ad perſonam, niſi clauſula poſterior addita fuerit, *Rota deciſ.* 483. *in antiquis*, *De Selva* 3. *parte*, *q.* 12. *n.* 15.

V. Si verò reſignatarius clauſulam illam generalem non addiderit, modus omiſſus non continetur ſub expreſſo, *c. ſuſceptum*, *de Reſcr. in* 6. *c. cùm illis*, *de præb. l. commodiſsimè ff. de liberis & poſthumis hæredibus inſtituendis*: is tamen non prohibetur de novo idem Beneficium impetrare, aut Litteras *perinde valere* obtinere, ut modus omiſſus ſuppleatur, ſi jus alteri non fuerit quæſitum.

VI. *Secundò*, dicta Regula non habet locum in collationibus Ordinariorum, ut conſtat ex ſupradictis: illi enim provident Eccleſiis nullâ ſupplicatione porrectâ in ſcriptis, & non tenentur in ſuis Litteris modum vacationis exprimere, & ſi exprimant, ad modum omiſſum non fit extenſio, *d. c. ſuſceptum*, *& c. cùm in illis*, niſi clauſulam generalem, *aut aliàs quovis modo & ex cujuſcumque perſona Beneficium vacet*, adjecerint: quâ etiam eos uti (*b*) poſſe aſſerit, *Molin. poſt Geminianum & Philippum Francum, quos refert, ad Regulam de publicandis reſign. n.* 200.

VII. Cùm verò Ordinarii conferunt nullo modo expreſſo, Litteræ valent, quovis modo & ex cujuſcumque perſona Beneficium vacet, quia nullo modo expreſſo: venit omnis vacandi modus, *Molin*, *loco citato*, niſi Lex requirat expreſſionem in ſpecie, ut cautum fuit Regulâ ſuprà dictâ contra devolutarios, ut litibus obvietur & temeritas litigantium coërceatur.

VIII. *Tertiò*, hæc Regula non nocet Graduatis, aut nominatis impetrantibus in vim gradûs, aut nominationis, *Peleus in Regulas Cancellariæ.*

IX. *Quartò*, in Beneficiis Conſiſtorialibus non habet locum: hæc enim Beneficia ſine cognitione cauſæ non conferuntur in Conſiſtorio, *Gomeſius ad eandem Regulam q.* 24. *Flaminius de reſignatione q.* 2. *n.* 7. & in Gallia nominatio fit à Rege, & nominati impetrant in vim nominationis.

X. *Quintò*, ſi clauſula motu proprio fuerit adjecta, vitium taciturnitatis ſuppletur, ut ſuprà diximus.

XI. *Sextò*, Papa & Legatus huic Regulæ derogare poſſunt, *Gomeſius*, *& alii*, *ad eandem Regulam*, *Faber. C. de Sacroſ. Eccleſ. definit.* 81. Solent autem his clauſulis derogare, *quòd verus vacationis modus habeatur pro expreſſo quòd major in Litteris expreſsio fieri poſsit*, *non obſtante Regulâ de annali*: quæ clauſulæ, quia libertatem Ordinariorum non onerant, & ſupplent errorem impetrantium, & libellos concipientium, tolerantur in Gallia.

XII. Alia inſuper dictâ Regulâ ſtatuuntur contra devolutarios, quòd intra ſex menſes in jus poſſeſſorem vocent, & poſt citationem intra annum, uſque ad definitivam ſententiam, litem perſequantur: & Conſtitutionibus Gallicis Caroli IX. & Henrici III. devolutarii intra ſex menſes ab adepta poſſeſſione litem conteſtari jubentur, electo priùs domicilio ubi lis agi debet, & datis idoneis fidejuſſoribus pro ſumtibus litis, (*c*) & intra biennium litem debent inſtruere, alioquin ex dictis Conſtitutionibus repelluntur, & privantur jure agendi: nam accuſator qui deſtitit à lite, ampliùs non debet admitti, *l. qui deſtitit*, & *l. accuſatione*, *ff. de accuſationibus*: & quamvis Regulæ de annali in Litteris Apoſtolicis derogetur, dictis Conſtitutionibus Gallicis non derogatur, nec derogari poteſt: & novo Edicto Gallico ſuprà allegato, anni 1638. *art.* 22. proviſiones tùm Ordinarii, tùm Sedis Apoſtolicæ, & Legati, obtentæ ſuper incapacitate aut irregularitate poſſeſſoris, incompatibilitate Beneficiorum, aut nullitate tituli poſſeſſoris, irritæ fiunt ſi impetrans non fuerit adeptus poſſeſſionem, poſſeſſorem in jus non vocaverit, & per Procuratorem in jure non comparuerit intra annum à Data earumdem proviſionum: quo Edicto tempus levandi Bullas, annotandi, inſinuandi, poſſeſſionis adipiſcendæ, non porrigitur; ſed trimeſtre, quod præcedentibus Conſtitutionibus ad litem

contestandam præscribebatur ob difficultates, & varia impedimenta quæ occurrunt, in annum integrum prorogatur; & intra biennium lis debet instrui, ut suprà dictum fuit, juxta Constitutiones Cæsareas, quibus cunctatio accusatorum biennio coërcetur *l. finali, C. ut intra certum tempus quæstio criminalis terminatur:* nam devolutarii, qui possessorem Beneficii in jus trahunt, accusatores sunt: quod jure meritò constitutum fuit, ad coërcendas lites veras & fictas quibus Ecclesia vexatur: nam plerumque possessor Beneficii dubitans de jure suo, devolutarium accersit collusoriè ad Beneficium conservandum aut retinendum cum alio incompatibili, prætextu litis: ea est nonnullorum avaritia, sacris Canonibus damnata: & quamvis biennio transacto cunctator non sit audiendus, alius devolutarius est admittendus, ut ex Senatusconsulto Turpiliano, uno accusatore desistente, si crimen sit publicum, alius admittitur, licèt accusatio desistentis sit extincta, crimen non extinguitur, *l.* 1. *&* 2. *ff. ad Turpilianum*; & novus devolutarius Litteris Regiis, aut supplicatione oblata, subrogari debet in instantiam motam à priore devolutario, sive is obierit, aut à lite destiterit.

XIII. Quid si devolutarius resignaverit jus quod habet? distinguitur; aut enim possessorem Beneficii in jus vocavit, & ipse per suum Procuratorem comparuit in judicio, & eo casu resignatarius admittitur, & subrogatur in jus resignantis, & instantiam motam, ut dictum est suprà: si verò devolutarius resignaverit ante litem motam, locum facit resignatario ut possessorem Beneficii possit accusare. At si interim ante litem motam possessor Beneficii resignaverit, aut obierit, & alter per cessum aut decessum illius provisus sit, resignatarius devolutarii illi objicere non potest vitia sui resignantis, aut defectum tituli, seu (ut loquuntur Pragmatici) resignatarius possessoris non tenetur repræsentare suum resignantem, nec titulum illius exhibere, ut dicemus infrà *in tit. de triennali possessore*, quoniam resignatarius à collatore jus habet non à resignante; non obstante provisione quam devolutarius contra resignantem obtinuerat, quòd ea non fuerit sortita effectum, & devolutarius ante litem motam obierit, aut juri suo renunciaverit, seu accusationi instituendæ; nam accusationes ut sunt odiosæ, ita restringendæ, *vide infrà lib. 3. tit. 3. n.* 18.

XIV. Quod autem suprà diximus de satisdatione à devolutariis exigendâ, limitatur si satisdatio fuerit petita à possessore Beneficii, ne temerè devolutarii lites instituant, ut contra accusatores & instigatores observatur: hæc enim exceptio, ut cæteræ exceptiones dilatoriæ & declinatoriæ, ante contestationem litis opponi debet; & si non fuerit petita, censetur remissa, *l. finali, C. de except. Loëtus in lit. D. num.* 19. Limitatur *secundò* in devolutariis impetrantibus ob incapacitatem possessoris, aut nullitatem tituli, de quibus Constitutiones loquuntur: nam Graduati, Indulctarii, & præsentati à Patronis, provisi jure devoluto à Superiore in vim gradûs, Indulcti, nominationis, aut præsentationis, non tenentur satisdare, quia (ut suprà diximus) jus devolvitur cum onere suo, ex Arresto Curiæ Parlamenti modificativo suprà dictæ Constitutionis, relato à collectore Constitutionum Gallicarum, *lib.* 1. *tit.* 3. Limitatur *tertiò*, si mortuo possessore Beneficii devolutarius priùs possessionem Beneficii adeptus sit quàm resignatarius defuncti possessoris, ex alio Arresto ab eodem collectore relato, *ibidem, vide infrà lib. 3. tit. 3. n.* 17.

SOLIER.

(*a*) Hæc Regula otiosa est apud nos, quia quoad primam ejus partem quatenùs scilicèt restringit & coërcet impetrationes contra annalem possessorem, ei semper derogatur: secunda verò pars, quæ processum judicialem concernit & formam futuræ instantiæ præfigit, non servatur quia nihil potest Papa statuere circa causas judiciales & earum formam in hoc Regno, *Molin. ad eandem Regul. n.* 112.

(*b*) Contrarium tenet Gregorius Tolosanus, *de Benefic. cap.* 25. *n.* 11. sed opinio Molinei verior, quam præter Geminianum & Francum quos citat tenuere ante eum *Archid. in Can. Pastoralis* 7. *q.* 1. *Felin. in cap.* 2. *de appellat. Gloss. Pragm sanct. §. Item quod in verb. Aliàs quovis modo, de causis, Ruzæus in tract. proem. Archiep. dig. privil.* 1. *n.* 28. ratio est, quia non reperitur, in jure prohibitum.

(*c*) Pro quibus hodiè devolutarius in limine litis & antequam audiatur, tenetur, cavere possessori de summa quingentarum librarum intra terminum à judice præstituendum, quo elapso moram purgare non poterit ut cavetur, novella ordinatione Regia de anno 1667. *tit.* 15. *art.* 13.

NOVÆ ADDITIONES.

AD *Rubricam de annali possessore.* Non parvum Reipublicæ Gallicanæ commodum accideret & Curiæ Romanæ, ac ejus suppositis detraheretur ex observantia trium, vel quatuor præcipuè Cancellariæ regularum, quæ in Gallia non attenduntur, quamvis juri & rationi admodùm consentaneæ : *Prima* est de signatura *per fiat*, & *per concessum*. *Secunda* de concurrentibus in data. *Tertia* de non impetrando Beneficium per obitum viventium : *Quarta* de annali possessore, *Prima & secunda* à multis, & plerumque inanibus laboribus & expensis ob iterùm atque iterùm repetitas ejusdem Beneficii, in eadem vacatione litterarum expeditiones, & litium anfractus relevant : *Tertia & quarta* possessoribus favent adversus ambitiosas aucupes alienis Beneficiis inhiantes, unde mirum quòd non serventur in Gallia, sed quod non placet in regula, arrideat in jure : quæ enim invidia quod in concursu datarum habens gratiam *per fiat*, præferatur habenti *per concessum*, ut disponit prima regula, quæ est ordine 31. quando quidem explorati juris est provisum per ipsum Episcopum præferri, proviso eodem die per Vicarium Episcopi; quid obstat quod graduatus præferatur, non graduato, *Argum. cap. de multa, de Præb.* possessor, non possessori, *juxta capitulum Si à Sede Apostolica, de Præb. in 6.* non Beneficiatus, Beneficiato, jura enim abhorrent aliud Beneficium Beneficiato conferri in tantum, ut nisi de Beneficio quod obtinet fiat mentio resultet nullitas provisionis, *cap. Cum à Deo, cap. Postulasti, & cap. Si proponente, de rescript.* oriundus, non oriundo, *ut vult Lex, in Ecclesiis, Cod. de Episc. & Cleric. & cap. Nullus invitus, dist. 61. cap. Bonæ memoriæ 2. de postulat. Prælat.* Diœcesanus, non Diœcesano, quia Clericus unius Diœcesis non debet recipi in alia, *cap. Fraternitatis, de cleric. non resid.* in reliquis verò singuli, qui priùs litteras executoribus præsentaverint, aliis præferuntur, quod probatur etiam *in cap. Duobus, de rescript. in 6. Tertia* verò regula ex quatuor prædictis extracta est, ex visceribus juris communis videlicet, *ex cap. 1. & 2. de concess. Præb. Quarta* regula inficiari non potest quin contra devolutarios Beneficiis alienis insidiantes, & lites exquirentes emanaverit, quos frænare intendit, odio prosequi, & coërcere ad communem utilitatem, favorem publicum, & animarum salutem, favorabilis extendenda, & interpretatione adjuvanda censeri debet, ut omnes conveniunt, & sic recipienda, de qua Molineus Commentariolum contexuit ejus utilitatem, & sedes patefaciens, sed antè eum fusiùs & luculentius conscripsere Quintilianus, Mandosius, & Gomesius, & post eum Joan. à Chokier.

N. 1. *Aut vacaturum per sententiam.* Qui ex crimine aliquo vacationem Beneficii ipso jure inducente ante sententiam declaratoriam impetrant, non provisionem, sed rescriptum ad litem obtinent, quo mandatur ordinario ut de crimine diligenter inquirat, & reum convictum Beneficio privet, seu privatum declaret, & illud conferat impetranti, quod rescriptum in parte executoria sic concipitur. Et commitatur Episcopo, sive ejus Officiali privatio, seu privationis declaratio in forma juris, & prout de jure, & de provisione in eventum, cum clausula, si per diligentem, nec in rescriptis ejusmodi agitur de titulo Beneficii, sed privanda persona Beneficiati propter delictum, *Gomes. ad regul. de annali q. 42. & ad regul. de surrogandis collitigantibus q. 7.* & ante sententiam Beneficium non censetur vacans, sed per privationem vacare speratur, licèt delictum tale sit quod privationem ipso jure inducat, quia Papa antequam vacare censeatur ad effectum collationis, utramque vacationem juris & facti requirit ; sed impetrationes hujusmodi non recipiuntur in Gallia tanquam rescripta ad lites duplicem abusum continentia, contra decretum de causis & de reservationibus sublatis, *Molin. ad regul. de infirm.* sed tanquam veræ & puræ provisiones accipiuntur juxta ordinationem Blesensem, *art. 46.* vide *Lovet. ad regul. de publicandis, n. 203.*

TITULUS VII.

De Aliis Impedimentis Exprimendis.

SUMMARIUM.

I. II. In supplicatione quæ sint exprimenda.
III. In Rescripto, si alteri, quæ sint exprimenda.
IV. Qui impetrat Beneficium à patre possessum.
V. Qui Beneficium impetrat viventis.
IV. Crimina & defectus.

I. QUINTÒ, in supplicatione debet fieri mentio de priori (*a*) resignatione, si quis priùs resignaverit, & ante resignationem admissam, aut possessionem apprehensam ab eo in cujus favorem regnaverat, velit de novo resignare, *Molin. de infirmis resignantibus, n. 207.*

II. *Sextò*, si nova provisio petatur, aut Litteræ reformatoriæ, aut perinde valere, debet fieri mentio de priori collatione, quæ tamen in prioribus Litteris fuerunt expressa, non sunt repetenda, nisi petatur jus novum, *Felinus in c. nostra, verb. titulus, de Rescriptis.*

III. *Septimò*, si provisio petatur, cum clausula, *si alteri*, non solùm debet fieri men-

tio de priori Reſcripto, ſed etiam de qualitate Beneficii, modo vocationis, & litis pendentiâ; quoniam jus novum quæritur per ſubrogationem: ſi verò tertius petat ſubrogari, cum clauſula, *ſi neutri, ſi nulli*, non tenetur ſtatum litis exprimere, *Felinus in dicto c. cum noſtra, corollario* 15.

IV. *Octavò*, filius (*b*) impetrans Beneficium immediatè antè à patre poſſeſſum exprimere debet, quòd illud immediatè antè à patre poſſeſſum fuerit: nam liberi ſine diſpenſatione, paterna Beneficia non poſſunt obtinere, ne ſucceſſio hæreditaria in Eccleſiam induci videatur: ſecùs ſi mediatè antè pater vel avus eidem Eccleſiæ præfuerit, *c. præſentium, & c. ex tranſmiſſa, de filiis Præsbyterorum.*

V. *Nonò*, ſi quis vi & violentia poſſeſſionem alicujus Beneficii invaſerit, fit intruſus & inhabilis ad Beneficia: quamobrem impetratione Beneficii delictum à ſe commiſſum debet exprimere, & abſolutionem petere, ne Reſcriptum ſit obreptitium, *c. ad aures, de exceſsibus Prælatorum.*

VI. *Decimò*, qui impetrat Beneficium viventis, ut vacans per obitum, fit inhabilis ut intruſus, non poteſt idem Beneficium cùm vacaverit obtinere, nec alia, ſi ſciens id fecerit, niſi vitium purgatum fuerit: nam ſi ſciens Beneficium viventis, ut vacans per obitum, impetraverit, fit inhabilis ad omnia Beneficia, *c.* 1. *de conceſsione præbendarum:* & ſi ignorans id fecerit cùm crederet poſſeſſorem obiiſſe, tametſi quoad alia Beneficia excuſetur, quoad idem Beneficium quod ſic impetravit, non excuſatur, *Molin. ad Regulam de veriſimili notitia n.* 14.

VII. *Undecimò*, crimina & defectus quibus orator irregularis eſt, exprimi debent: alia verò crimina & defectus qui non faciunt irregularem, non debent exprimi, quamvis orator ob eaſdem cauſas Judicis ſententiâ privari debeat, & earum expreſſio collatorem difficiliorem reddat, *Felinus in c. ex parte, de Reſcriptis: vide ſuprà tit. 4. n. 6.*

SOLIER.

(*a*) INUTILIS eſſet hæc prioris reſignationis expreſſio: nam ſi ſecunda reſignatio ſit ad favorem ejuſdem perſonæ nulla eſt, nec Papa illam admitteret, cum expreſsè velit eſſe nullam per hanc clauſulam, dummodo ſuper reſignatione dicti Beneficii anteà data capta & conſenſus extenſus non fuerint; aliàs præſens gratia nulla ſit eo ipſo, quæ in fine cujuſvis ſignaturæ reſignationis inconcuſsè apponi conſuevit juxta Decretum Urbani VIII. de anno 1634. cui Papa in Gallia derogare non poſſet obſtante edicto *du Contrôlle*, *art.* 20. & edicto inſinuationum, *art.* 3. ſi verò ſit ad favorem alterius impeditur per primam, nec Papa poſſet tollere jus quæſitum primo Reſignatario, nec ante ejus repudiationem alteri conferre: niſi à prima triennium effluxerit, quo caſu pro infecta habentur, quoad omnes ejus effectus ut memorato edicto inſinuationum cavetur, *art.* 14. nec in conſequens ejus mentio neceſſaria eſt in ſecunda reſignatione.

(*b*) De filio legitimo intelligit, qui non poteſt immediatè Eccleſiam paternam obtinere, *cap. Præſentiam, de filiis Præsbyt.* ſed mediatè poteſt, *cap. Ex tranſmiſſa, eod. tit.* id eſt per mediam perſonam quæ fuerit in poſſeſſione, & miniſtraverit, *cap. Ad extirpandas, eod.* aliàs præſumeretur fraus, *Rebuff. in praxi tit. de diſpenſ. ſuper defectu natal. n.* 35. ſicut ſi reſignationem patris extraneo factam mox ſubſecuta ſit ſucceſſio filii, *Papon. in Collect. decretorum, lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 1. *Bengeus, de Benefic. cap. de qualitatib. Ordin. §.* 4. *n.* 13. Secus dicendum de nepote, *Garc. de Benefic. p.* 7. *cap.* 1. *n.* 21. *& ſeqq.* quamvis, & is aliàs fuerit excluſus à Beneficio avitino decreto Senatûs Toloſani relato à Papon. *ibid. n.* 2. quia in odioſis, & pœnalibus filiorum appellatione non veniunt nepotes; *Bartol. communiter receptus L. Liberorum, ff. de verb. ſign.* filius verò illegitimus nunquam poteſt mediatè vel immediatè Beneficium patris obtinere, *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *cap.* 15. quamvis diſpenſatus ad Beneficia, *Mandoſ. de ſignaturis gratiæ, tit. de diſpenſat. ad Benefic. in quo pater*, nec penſionem ſuper fructibus dicti Beneficii, *Concil. Trid. ibid.* licèt pater in eo non miniſtraverit, quia Concilium id non requirit, modò fuerit in poſſeſſione, *Garc. d. loco, n.* 56. nec Beneficium habere in Eccleſia, in qua pater aliud etiam diſſimile habet, *Concil. Trid. ibid.* licèt ſecùs de nepote etiam illegitimo, vel ex filio illegitimo, ac etiam ſecus de filio legitimo, uterque enim poteſt habere Beneficium in Eccleſia in qua avus aut pater aliud obtinet, *Garc. ubi ſupra, n.* 61. ſed pater non prohibetur, habere Beneficium filii ſive legitimus ſive illegitimus, *Gloſſ. in Can. Apoſtolica in verb. Præbendas* 8. *q.* 1.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 5. SIT *intruſus, & inhabilis.* Si tamen haberet Canonicum titulum, licèt per vim occupaverit Beneficium non diceretur intruſus, *Geminian. in cap. Eum qui, n.* 1. *de Præb. in* 6. maximè ſi violentia facta non ſit propria temeritate, ſed judicis authoritate, *dicto cap. Eum qui, §. Inſuper ut violenti.*

N. 6. *Quoad idem Beneficium quod ſic impetravit non excuſatur.* Veriùs eſt nullomodo fieri inhabilem ubi aderit probabilis ignorantia. *Panorm. in cap. de conceſs. Præb. Molin. ad regul. de veriſim. not. obitus, n.* 14. quamvis hîc contrarium velit Paſtor, fretus authoritate Molinei, qui tamen oppoſitum tenet, ut ſatis apparet ex his verbis, quæ

ibidem habentur 12. 15. & dato, inquit, quòd, propter probabilem ignorantiam, non fieret inhabilis, secundum veram opinionem Panormitani, &c. vide à nobis dicenda *infrà lib. 3. tit. 2.*

N. 7. *Crimina & defectus quibus orator irregularis est exprimi debent.* Quia irregularitas inhabilem ad Beneficium obtinendum efficit; & collatio est ipso jure nulla ex communi Doctorum sententia, cum Beneficium detur propter officium clericale, *cap. ult. de Rescript. in 6.* quod procedit etiam in pensione *Sayzum in thesauro, lib. 6. cap. 2. n. 21. & 22.* licèt per supervenientem irregularitatem non sit quis privatus obtentis, ipso jure, sed tantùm veniat privandus per sententiam. Textus loquens de homicida *in cap. Cleric. ne Clerici, vel Monachi, Flamin. resignat. tit. 5. quæst. 3. n. 180.*

TITULUS VIII.

De Clausulis Signaturæ Beneficialis Absolutoriis & dispensatoriis.

SUMMARIUM.

I. Octo sunt clausulæ signaturæ.
II. III. Clausulæ absolutoriæ prosunt pro forma Litterarum.
IV. Absolutio intra quod tempus peti debeat.
V. Papa & Legatus conferendo dispensant.
VI. In Litteris Ordinarii expressa dispensatio requiritur. Arrestum.
VII. Casus in quibus dispensatio non admittitur.

I. ALTERA parte Signaturæ clausulæ continentur; quarum aliæ sunt absolutoriæ, aliæ dispensatoriæ, aliæ suppletoriæ, derogatoriæ, ampliativæ seu extensivæ, executivæ, conditionales, & modales.

II. Absolutoriæ sunt, quibus orator absolvitur à censuris (*a*) excommunicationis, aut suspensionis, quibus innodatur, gratiæ effectum impedientibus, *c. 1. de rescr. in 6.* Quæ clausulæ positæ in Litteris Papæ prosunt contra censuras, quarum absolutionem Papa sibi reservat: & positæ in Litteris Legati aut Episcopi juvant adversus censuras, à quibus Legatus & Episcopus possunt absolvere, *Garcias parte 7. c. 12. n. 6.*

III. Verùm hæ clausulæ generales ad effectum Litrerarum dumtaxat juvant, ut gratia suum sortiatur effectum, seu justificant formam Litterarum, non autem personam impetrantis, ut loquitur Geminianus; nam provisus cum dicta clausula non potest celebrare, Divinis interesse, comparere coram Commissariis delegatis ut examinetur, nec possessionem Beneficii apprehendere, nisi causâ expresâ fuerit absolutus, *Garcias loco citato:* & si adversus censuram insurduerit, & non curaverit absolvi intra præscriptum tempus, gratiâ juvari non potest.

IV. Nam qui rei judicatæ non obtemperant, Incendiarii, Violatores Ecclesiarum, Falsificantes, aut falsum procurantes, in Litteris Apostolicis, Receptatores & Fautores eorumdem, res vetitas deferentes Infidelibus, Violatores Ecclesiasticæ libertatis, viâ facti, ausu temerario mandatis Apostolicis non obedientes, qui nuncium vel Executores Apostolicæ Sedis mandata exequentes impediunt, excommunicantur, & dictis clausulis non juvantur, nisi intra quatuor menses curent absolvi: idem de cæteris statuitur ex aliis causis excommunicatis ipso jure, aut per sententiam, si per annum insurduerint, ut Constitutione Julii III. cautum fuit, & notant *Rebuff. in Praxi, in tit. forma novæ provisionis, n. 12. Tolet. lib. 1. Instit. Sacerdotalium c. 12.*

V. Dispensatoriæ sunt quibus juris impedimentum removetur, & impetrans fit habilis, qui ex delicto aut defectu erat inhabilis. In dispensationibus hæ regulæ observantur: *Prima*, dispensatio non censetur concessa nisi fuerit petita: *Secunda*, dispensatio non extenditur ad similia aut minora, nisi ex ordine rerum inseparabiliter ea includantur in majori, *Rota decisione 136. in novis, De Selva 2. parte, q. 6.* In Rescriptis Apostolicæ Sedis aut Legati expressio impedimenti in supplicatione sufficit, (*b*) clausula dispensationis expressa non desideratur: nam Papa concedendo gratiam tollit impedimenta obstantia, quæ fuerunt expressa, ut gratia suum sortiatur effectum, verbum *dispensamus* subauditur, *gloss. & Panorm. in c. 2. de Schismaticis, Rebuff. de dispensatione super defectu natalium, num. 9. Duarenus de sacris Ecclesiæ ministeriis lib. 4. c. 5. allegat l. quidam, ff. de re judicata*, ubi dicitur minorem à Principe datum Judicem censeri dispensatum super defectu ætatis, Beneficia Principum latissimè interpretantur. Sic non legiti-

mus provisus de Beneficio censetur dispensatus super defectu natalium in supplicatione expresso, ut servus à domino hæres institutus censetur manumissus, §. *Idemque*, *Institut. qui & quibus ex causis manumittere non possunt.* Idem dicitur de Signaturis & Litteris Legati in iis, in quibus dispensare potest, quoniam coram Papa & Legato in supplicatione impedimenta obstantia possunt exprimi.

VI. At in Litteris Ordinariorum dispensatio non continetur nisi fuerit expressa, verbum *Dispensamus* requiritur, *Rebuff. loco citato*, *Glossa & Panormitanus in capite* 2. *de Schismaticis*, *Staphyleus de litteris gratiæ parte* 1. *capite ultimo*, *numero* 12. nam coram Ordinario non fit supplicatio in scriptis, & ille impedimentum ignorasse præsumitur, nisi clausula dispensationis in Litteris fuerit expressa, juxta illud, quod non exprimitur omissum intelligitur: *Leg. Quidquid adstringendæ*, *ff. de verborum obligatione.* Sic judicatum fuit in Parlamento hujus Provinciæ, anno elapso, in causa evocata Præbendæ Ecclesiæ Diensis, inter Dominum de Pilon resignatarium Fortini; qui Fortinus cùm non haberet qualitatem Statuto illius Ecclesiæ requisitam, de non admittendis ad Præbendas & Canonicatus ejusdem Ecclesiæ vacantes extraneis nisi Nobiles sint aut Doctores, provisus fuerat à Capitulo habente potestatem dispensandi ex eodem Statuto sine dispensatione expressa; & Dominum de la Baume, qui habens qualitatem requisitam, Nobilitatis, & gradûs Doctoratûs, de eadem Præbenda à Legato provisus fuerat, vacante ob nullitatem tituli: quo Judicio præfatus de la Baume definitivè fuit manutentus in possessione dictæ Præbendæ.

VII. In iis quæ sunt contra bonos mores, & invehunt occasionem peccandi, Papa dispensare non potest; in iis quæ jure positivo prohibita sunt Conciliis & Constitutionibus Ecclesiasticis, dispensare potest, *capite Proposuit*, *de concessione Præbendarum*, non tamen in iis quæ scandalum pariunt, & statum Ecclesiæ decolorant, *Glossa in dicto capite*, nec in iis quæ Constitutionibus aut consuetudinibus patriis, vel Statutis usu diuturno approbatis, apud nos pro regimine Ecclesiæ constituta sunt, ut scripsimus in Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica: Legatus non potest dispensare in iis quæ Conciliis & Constitutionibus Apostolicæ Sedis prohibita sunt, nisi eam habeat facultatem in mandatis: Ordinarii non possunt dispensare in iis quæ Jure prohibita sunt, nisi Jus id illis permittat, (*c*) ut in casibus occultis, & aliis casibus specialibus, suis locis notabimus.

SOLIER.

(*a*) Cum irregularitas non sit censura, *capite Quærenti*, *de verborum significatione*, sed impedimentum, *capite ultimo*, *de temporibus Ordinationum*, *Canone Curandum*, *& Canone Præcipimus*, *distinctione* 34. sequitur absolutionem à censuris quoad irregularitatem nihil suffragari, ut dixi ad Flaminium Parisiens. *de confidentia*, *quæstione* 61. & docent *Navarrus Consilio* 17. *numero* 1. *de Clericorum excommunicatione*, *Flaminius de Resignationibus*, *libro* 4. *quæstione* 5. *numero* 10. *Garcias parte* 7. *capite* 11. *numero* 56. nec suffragatur etiam ad censuras nisi provisus in forma dignum absolvatur à Commissario ante collationem: aliàs collatio est nulla, *Garcias parte* 7. *capite* 13. *numero* 62.

(*b*) Hoc negat *Flaminius*, *de Resignationibus libro* 4. *quæstione* 3. obstante Regulâ Cancellariæ 46. sed affirmativa verior saltem apud nos ubi dicta Regula non attenditur, sed Jus Commune, ex quo certa scientia Papæ importat dispensationem, *Glossa finalis in Clementina Etsi principalis*, *de rescript. & in Clementina* 1. *de electione*, imò ubique verissima, quia dicta Regula partem hanc non tollit, sed potiùs confirmat, ibi: *Nisi dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat*, *vel aliàs nihil conferat*, *aut operetur.*

(*c*) Lex dispensandi facultatem facit Episcopis aliquando expressè, ut in *capite Sane*, *de Clericis conjugatis*, *& capite penultimo*, *in fine*, *de electione & aliis*, *de quibus per Glossam* 1. *&* 3. *in capite At si Clerici*, §. *de adulteriis*, *de judiciis*, aliquando verò tacitè, & virtualitèr, veluti quandò lex imperfonaliter dispensandi facultatem facit, prout in *capite* 2. *de eo qui cognovit*, *& capite Postulasti ubi Glossa & DD. de Clericorum excommunicatione*, *& capite penultimo*, *de pœnis*: tunc enim quia frustra concederetur, dispensatio Summo Pontifici, qui illam de jure habet, *capite Proposuit*, *de concessione Præbendæ*, censetur illa facultas data Prælatis inferioribus, *Glossa ultima in dicto capite penultimo*, *de pœnis*, quod intelligendum est de Canone Pontificio, nam si Concilii Generalis sit, quamvis absolutè permittat dispensationem, non poterit Episcopus dispensare: nec ideò ea verba Concilii erunt frustratoria, quia nihilominus duos habent effectus, prior est ut ad ei Concilii decreto derogandum non desideretur specialis ejus mentio, prout alias requiritur. Posterior est Papam reddi faciliorem ad

dispensandum in eo, ut cum aliis advertit *Sanchez, de matrimonio libro 8. dispensation. 6. numero 5.* Et Cave ne dispensationem cum absolutione confundas : illa denegatur Episcopo, nisi permittatur, *capite Dilecti, de temporibus Ordinationum*, ista permittitur, nisi denegetur, *capite Nuper, de sententia excommunicationis.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. ABSOLUTORIA *sunt, quibus orator solvitur à censuris.* Hæ clausulæ in provisionibus Apostolici apponi solitæ supplicantes à delictis non absolvunt ; nisi ad effectum gratiæ consequendum, cujus aliàs essent incapaces excommunicati, suspensi, vel interdicti, *capite Postulastis, de Clericor. excommunicat. ministr. Glossa in capite Cum bonæ, de ætate & qualitate, & in capite Propterea, de usuris, capite Is qui, & capite Is cui, de sententia excommunicat. in 6.* Sed quamvis generaliter loquantur clausulæ hujusmodi ad graviora crimina non extenduntur, quæ privant ipso jure & in consequens prosunt tantùm quoad ea, ob qua quis veniret privandus, *Lovetius ad Regulam, de infirm. numero 5.* item non prosunt insurdescentibus. *Boërius, decisione 29. Flaminius de resignationibus libro 4. quæstione 8. numero 44.* nec hæreticis, *capite Excommunicavimus, §. Credentes, de hæreticis*, nec incendiariis, violatoribus Ecclesiarum, & aliis personis relatis in Regula Cancellariæ 61. *Flaminius libro 8. quæstione 7. numero 120.*

N. 5. *Dispensatio non extenditur ad similia aut minora.* Dispensatio est quid odiosum, & stricti juris strictèque intelligenda, *capite 1. & 2. de filiis Presbyterorum, in 6. capite Non potest, de Præbend. eodem libro capite Quoad dilectio, de consanguinitate & affinitate, Leg. Ex facto in principio, ff. de vulgari & pupillari*, nam dispensatio vocatur vulnus quia per eam jus ipsum vulneratur, *capite Ipsa pietas 23. quæstione 4.* undè ne quidem fit extensio ad casum minorem, licèt majorem habeat rationem, *Panormitanus in capite Ad aures, de rescript. Barbosa de Officiis, & potestate Episcoporum part. 2. allegat. 33. numero 9.* ubi limitat quandò dispensatio fit motu proprio, vel ratione connexitatis & accessorii, vel in jus quæ recipiunt interpretationem à Jure Communi, vel quando proprietas verborum extensionem requirit, aut quando dispensatio est favorabilis ex causa necessaria, vel est necessaria ex causa favorabili, & quando alicui data est potestas dispensandi contra jus, tunc enim & favorabilis extenditur.

N. 7. *In his quæ sunt contra bonos mores & invehunt occasionem peccandi Papa dispensare non potest.* Quia ut inquit *Molineus ad Regulam, de publicandis, numero 3.* esset dispensare ad delinquendum, & ad hoc invitare & authorisare, cujus nulla est potestas, nam peccare, infirmari, deficere non est posse, sed non posse, *textus in capite ultimo, in fine, de pœnitentia, distinctione 2.* unde ille solus vocatus omnipotens, qui hoc non potest, quia omnia potest, *textus in capite ultimo, ibidem.*

Eodem N. 7. *Legatus non potest dispensare.* Quidquid potest circa dispensationem Episcopus, vel Archiepiscopus, vel Primas, seu Patriarcha, vel quilibet alius Ordinarius, hoc totum potest legatus de latere, quia ipse Ordinarius est in Provincia sibi decreta, utpote in ea vices Domini Papæ gerens, & pleniſſimam ac majorem omnibus post Principem habet in ea potestatem, sibique competit merum & mixtum imperium in omnes subditos Provinciæ, quos judicat, corrigit, punit, excommunicat, incarcerat, deponit, degradat, suspendit, interdicit, *capite Legatos, de Officio legati, in 6. capite Prælectis, distinctione 25. capite Corripiantur 24. quæstione 4.*

TITULUS IX.

De Clauſulis ſuppletoriis.

SUMMARIUM.

I. Clauſula, quod obſtantiæ oratoris habeantur pro expreſsis, quid operetur.
II. Reſervationes in reſcriptis debent exprimi.
III. Clauſulæ, ſi alteri, ſi neutri, ſi nulli.
IV. Clauſula, motu proprio.

I. CLAUSULÆ ſuppletoriæ ſunt quibus omiſſa in ſupplicatione ſupplentur, quæ exprimi debuerant, aut in Bullis levandis ſuppleri poſſunt; cujuſmodi eſt illa clauſula, quòd obſtantiæ oratoris habeantur pro expreſſis, vel in Litteris exprimi poſſint: nomine obſtantiarum veniunt alia Beneficia ab oratore poſſeſſa, quæ ſi in ſupplicatione fuerint omiſſa, in Bullis exprimi poterunt; & ſi in Bullis fuerint etiam omiſſa, in Litteris perinde valere exprimi poſſunt, ſi alteri Jus non ſit quæſitum: veniunt etiam in illa clauſula Juris impedimenta ex perſona oratoris: his clauſulis purgatur defectus Litterarum, ne eæ videantur obreptitiæ: at non purgatur defectus perſonæ impetrantis, *Geminianus in capite Si cui, de Præbend. in 6.* nam tali clauſula orator non cenſetur diſpenſatus, ut plura Beneficia poſſit retinere, ſi ea ſint incompatibilia: nec fit habilis ſi ſit inhabilis, *Rota deciſion. 3. in novis*: & tali clauſula Statutis, privilegiis & conſuetudinibus contrariis non derogatur, *Rota deciſion. 627. & 628. in antiquis*, niſi fuerint expreſſæ, *vide infrà tit. ſeq.*

II. Altera clauſula ſubnectitur, *quòd verus valor* (*a*) *Beneficii, & vacationis modus habeatur pro expreſſo, vel in Litteris exprimi poſsit*: & quoniam interdùm collatio Beneficii vacantis eſt reſervata diſpoſitione Juris, privilegio, vel conſuetudine, ſubjungitur clauſula, *licèt de illa vacatione reſervatio reſultet ex diſpoſitione Juris, privilegio, aut conſuetudine, non obſtantibus Conſtitutionibus Bonifacii Pontificis*: quibus cautum fuit collationes Beneficiorum vacantium in Curia non aliter valere, niſi expreſſa & ſpecialis mentio facta ſit de vacatione in Curia, *Rebuff. in titul. Forma novæ proviſionis*: quibus clauſulis error in expreſſione valoris Beneficii, aut modi vacationis, purgatur, & regulæ de annali, ſeu de exprimendo certo vacationis modo, derogatur; tamen ſi orator dixerit Beneficium vacare per obitum, & poſſeſſor vivat, hoc vitium non purgatur. Eiſdem clauſulis reſervatio omiſſa in ſupplicatione ſuppletur: nam ſi collatio Beneficii ſit reſervata Sedi Apoſtolicæ, aut Prælato inferiori, id debet exprimi, ad certificandum Papam vel Legatum, ut dicemus infrà; & iſtis clauſulis vitium obreptionis excluditur.

III. Subjungitur clauſula, quòd nomina litigantium, merita cauſæ, nomina Judicum, & ſtatus litis, habeantur pro expreſſis, ſi Reſcriptum petatur in forma, *ſi alteri*, in quo illa omnia ſunt exprimenda: ſi verò Reſcriptum petatur à tertio in forma, *ſi neutri, ſi nulli*, non debent exprimi, quas clauſulas expeditionarii ſimul congerunt, ut liceat oratori uti quo voluerit in Bullis utiliore modo.

IV. His clauſulis purgatur vitium obreptionis; idem operatur in Litteris Papæ (*b*) clauſula *motu proprio, & de certa ſcientia, Dominicus in capite Si propter tua, de Reſcript. in 6. & capite Si motu proprio, de Præbend. eodem libro.* Verùm iſtis clauſulis non derogatur Statutis & conſuetudinibus contrariis non expreſſis, nec fit præjudicium tertio, *Dominicus loco citato*: & falſitas cauſæ expreſſæ non approbatur, *Anchar. conſ.* 188. & irregularitas aut defectus oratoris non tollitur, *Rota deciſ.* 445. *in ant.*

SOLIER.

(*a*) Hujus clauſulæ nullus eſt effectus in Gallia, ubi verus valor non exprimitur, ſed dicitur fructus Beneficii 24. ducatos auri de camera non excedere ad vitandam annatam quæ non ſolvitur, niſi triginta valeant, *Rebuff. in praxi titul. Forma ſignat. in verb. Cujus fructus.*

(*b*) Appoſitè dicit de litteris Papæ juxtà *Clement. Si Romanus, de Præbend.* motus enim proprius Legati non purgat obreptionem, *Panorm. & Molin. in d. Clem.* contra Gloſſ. *ibid. Lovet. & Brodell. litt. B. cap.* 3. *n.* 10.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. QUOD *obſtantia oratoris habeantur pro expreſſis.* Hodiè hæc clauſula non apponitur, ne fortè illius prætextu idem orator multis oneretur Beneficiis inſcio Papâ, contra ipſius intentionem & mentem Sacrorum Canonum, *cap. Sanctorum, diſt.* 70. *cap.* 1. 21. *q.* 1. *cap. Quia in tantum, de Præbend.* ſed ubi poneretur, duo tantùm exprimenda venirent, ſeu pro expreſſis haberentur, unum inſtitutum, alterum in commendam, *cap. Non poteſt, de Præb. in 6. Rebuff. in praxi tertia parte ſignat. n.* 9. & per hoc inquit evitantur calumniæ trapezitarum Beneficiorum qui nunquam exprimunt Beneficia putantes iſtam clauſulam ad omnia porrigi, quod verum non eſt.

N. 2. *Altera clauſula ſubnectitur, quod verus valor Beneficii.* Hæc clauſula, nec-non, *ſi nulli, ſi alteri*, Officium ſuum perdunt in Gallia, quia ubi nullus ex omiſſione, ſeu taciturnitate reſultat defectus quem ſupplere poſſint, burſalem veri valoris exprimendi conſtitutionem non ſervamus, nec poſſe nobis ex capite collitigantium aliquod jus acquiri reputamus, ſi nullum habeant, ut cantant clauſulæ; & ſic ſufficit nobis jus proprium, quòd ſi de eo diffidimus, & dubitamus, quærimus aliundè per novam proviſionem quæ reſcripto *ſi neutri, ac perinde valere*, ſucceſſit.

N. 4. *Idem operatur, in litteris Papæ, clauſula motu proprio.* Licèt per Regulam Cancellariæ clauſula, motûs proprii, non ſuffragetur in alio, niſi ſolùm ad tollendam & excludendam ſubreptionem, *Straphis, de litteris gratiæ tit. de vi & effectu clauſul. verſic. Subſequenter, n.* 1. tamen ex diſpoſitione Juris Communis non ſolùm operatur excluſionem ſubreptionis: *cap. Si motu proprio, de Præbend. in 6.* ſed etiam plura alia quæ longo Ordine recenſet *Rebuff. in forma mandati, in verb. Motu proprio, in concordat.* Imperator vocat ſpontaneum motum, *in L.* 3. *Cod. de Legibus*, & non habilitat incapacem, *Gloſſa in Clement. Si Romanus, de Præbend. Felin. in cap. Cauſam* 2. *de teſtibus.*

TITULUS X.

De Clauſulis Derogatoriis, & Clauſula anteferri.

SUMMARIUM.

I. *Clauſula derogatoria quid operetur.*
II. *Indulctis, privilegiis & Statutis Eccleſiarum Papa non derogat.*
III. *Clauſula, anteferri, nullius effectus in Gallia.*
IV. *Facultas Legati in Gallia limitata.*

I. CLAUSULÆ derogatoriæ ſunt, quibus Papa derogat reſervationibus contrariis, Indulctis, privilegiis, Statutis, conſuetudinibus, electionibus, nominationibus, & præſentationibus: quibus clauſulis derogatur quidem reſervationibus inſertis in corpore juris, quamvis eæ non fuerint in ſupplicatione expreſſæ: nam Papa non ignorat reſervationes contentas in corpore juris. At non derogatur Statutis, privilegiis, conſuetudinibus non contentis in corpore Juris, nec aliis Conſtitutionibus, nec Regulis Cancellariæ à prædeceſſoribus ſuis conditis, neque nominationibus, electionibus, aut præſentationibus, niſi eæ in ſupplicatione fuerint expreſſæ, *c. Si propter tua, & c. Cum aliquibus, de Reſcr. in 6. L. Si quis, ff. de leg.* 2. *de Selva* 3. *parte, c.* 14. *Caſtrenſis conſil.* 14. neque alternativæ Ordinarii in menſibus ſuæ collationis, *Mohed. ex deciſione Rotæ deciſ.* 354. habent enim Ordinarii ſex menſes ſibi affectos, ſi reſideant, Februarium, Aprilem, Junium, Auguſtum, Octob. Decemb. & quatuor ſi non reſideant, Martium, Julium, Septembrem, Decembrem, ex Bullis Pii V. & Gregorii XIII. *Riccius deciſ.* 394. Nam Papa non præſumitur ſcire reſervationes quæ ſunt extra Corpus Juris, niſi ſibi fuerint expreſſæ, nec eis derogare velle, cùm deceat ſucceſſores ea ſervare quæ à ſuis anteceſſoribus conſtituta ſunt, *c. Decet, & c. Privilegium, de reg. Juris, in 6. c.* 1. *&* 2. *cauſa* 25. *q.* 1. Derogare tamen poteſt ſive à ſe, ſive à ſuis prædeceſſoribus illæ regulæ conditæ fuerint, aut privilegia conceſſa ſint: nam Papa non poteſt ſibi legem imponere, à qua ſibi non liceat recedere, nec ſucceſſorem ſuum obligare, *c. finali, de reſcr. in 6.* & ſubditi Indulctis & privilegiis ſibi conceſſis à Papa precariò utuntur quandiù ei placuerit, tametſi Papa ſe ea ſervaturum promiſerit, eiſque minimè derogaturum, aut etiam clauſulam irritantem addiderit, ob rationem ſuprà allatam, *Garcias parte* 5. *ſub finem.*

II. Verùm in Gallia, alternativæ, Indulctis, privilegiis, Statutis, (*a*) & conſuetudinibus

dinibus Ecclesiarum solemniter approbatis, Juri Patronatûs Laïcorum, Regulis Cancellariæ de verisimili notitia, & publicandis resignationibus, Papa derogare non potest, ut suis locis ostendemus; & si deroget, appellatur ab executione rescripti tanquàm ab abusu: olim libello supplicatorio opponebatur executioni rescripti apud Papam vel Legatum, *c. Si quando, de rescr.* Hodiè verò post Concordata, ne partes extra Regnum extrahantur, per appellationem tanquàm ab abusu causa devolvitur ad Senatum, ut scripsimus in Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica, & abusus tollitur.

III. Subjungitur clausula gratificationis, quâ Papa vel Legatus jubet provisum in assecutione Beneficii concessi cæteris anteferri qui generales aut speciales litteras provisionis ejusdem Beneficii obtinuerint, etiamsi per eas ad inhibitionis aut reservationis decretum, aut aliàs quomodolibèt sit processum: quâ clausula expectativis & mandatis de providendo derogatur pro illa vice, & in futurum nullum fit eis præjudicium, ut in Litteris exprimi solet.

IV. Eâdem clausulâ olim derogabatur Regiis nominationibus, & privilegiis Graduatorum: & si duo pluresve essent tempore pares, ille præferebatur qui clausulam gratificationis obtinuerat: sed temporibus Henrici II. Litteræ Cardinalis Sancti Gregorii, Legati à Latere, Placito Senatûs Parisiensis fuerunt insinuatæ in Regestis Curiæ; hoc adhibito temperamento, ne ei liceret hujusmodi clausulam in Litteris apponere, juri Ordinariorum, Patronorum, Concordatis, Statutis aut consuetudinibus Ecclesiarum derogare, ut in Litteris Cardinalium Farnesii & Sadoleti Legatorum à Latere aliis Arrestis antè statutum fuerat, ut observavit Dominus Thuanus *lib. 3. Hist. Gallicæ:* nec Regaliæ, nec Indultis, nec privilegio Graduatorum Papa derogare potest; prævenire tamen potest rebus integris Indultarios, & Graduatos, ut suprà diximus: sed neque Cardinales prævenire potest in Beneficiis collationis suæ, ut diximus suprà, quòd illud Indultum in Magno Consilio fuerit approbatum; neque alios collatores, si simile Indultum obtinuerint, & illud in Senatu fuerit insinuatum, & usu diuturno comprobatum; neque modis & qualitatibus licitis Juris Patronatûs laïcalis in Fundatione appositis derogare potest, & spreto Patrono Beneficium conferre, licèt vacet in Curia, aut in confirmatione Fundationis Papa sibi potestatem derogandi vel præveniendi reservaverit, *Molin. de infirm. resign. n.* 51. nisi in casibus juris, (*b*) vide suprà, *de Jure Patronatûs.*

SOLIER.

(*a*) Licet Papa in Gallia non deroget legibus fundationum, derogat tamen statutis Ecclesiarum, creat enim Canonicos ad effectum obtinendi dignitates, non obstantibus statutis Ecclesiarum, ut habetur, in concordato: nisi longâ & immemoriali consuetudine, aut sacris canonibus innitantur, vel à Senatu fuerint homologata, *Fevret. de abusu, lib. 3. cap. 1. n. 6. & 8.*

(*b*) Isti casus sunt *primò*, ubi jus Patronatûs est mixtum, & non conjunctim, sed alternatim exercetur, tunc enim in turno Ecclesiastici derogatio Papæ recipitur, *Charond. lib. 7. respons. cap.* 191. *Secundò*, cum patronus infra quadrimestre non præsentavit *cap. unic. de jure Patr. in 6. Tertiò*, quando præsentavit, sed nulliter: quia tunc valet collatio; etiam sine derogatione, *Rebuff. in praxi, tertia parte signaturæ, in verb. Nec non juris Patr. n.* 19. *Quartò*, quandò Beneficia habent possessores, quos oportet per lites expellere *Rebuff. d. loco, n.* 37. *Garc. de benefic. p. 5. cap. 1. n. 590. Quintò*, ubi vota sunt inter plures patronos divisa, tunc enim ad supplicationem habentis medietatem suffragiorum Papa, & Legatus pro alia parte derogare possunt, ut arbitri controversiæ, prout observat author post alios, quos citat suprà, *lib. 1. tit. 19. n.* 27. sed derogatio pro medietate non operatur, ut qui majorem partem alterius medietatis pro se habet, vincat, ut aliqui voluerunt, nisi totam habeat: aliàs esset derogare majori parti, nedum medietati. *Sextò*, quandò patroni debitè requisiti nolunt sine causa permutationi consentire, *Rebuff. ubi supra, n.* 21. *& Author. infra, lib. 3. tit. 11. n. 8. Septimò*, quandò subrogatio fit in Beneficiis patronatis sine consensu patroni pro bono pacis, nam subrogatus repræsentat personam subrogantis à patrono jam antea præsentati, *Pastor, tit. seq. n.* 12.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Nec *aliis constitutionibus nec regulis Cancellariæ.* Quamvis per clausulam non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, tollatur constitutio Apostolica, *Gomes. in Proëmio regularum, q. 5. in principio*: non tamen tollitur constitutio conciliaris, cui nominatim derogandum est, *cap. Ex parte, de Capell. Monach. DD. in cap. Non nulli de Rescript.* Excipe Concilium Tridentinum, cui Papa censetur derogasse, speciali de eo non facta mentione; cum *in cap. finali, Sess.* 25. expressè disponatur quòd omnia illius decreta intelligantur facta, salvâ Sedis Apostolicæ authoritate, quâ Papa utendo non videtur aliquid contra illud facere, *Cherubin, in compendio Bullarii, tom. 2. p. mihi* 38. cum autem Regulæ Cancellariæ nihil sint aliud, quàm constitutiones Apostolicæ (sic enim vocantur in illarum Rubrica) consequens est non egere speciali derogatione, sed

contineri ſub præfata generali clauſula derogatoria. Stilus tamen Cancellariæ Romanæ contrarium ſervat, teſte Gomeſ. *dicta quæſt.* 5. cui ſtilo ſtandum eſt, quia pro lege habetur, *cap. Quàm gravi, de crimine falſi.*

N. 2. *Regulis Cancellariæ de veriſimili notitia & de publicandis rationibus Papa derogare non poteſt.* Scilicet in Gallia, ut notat Author in principio articuli, quod veriſſimum eſt, & multis ſummorum Tribunalium placitis comprobatum, uno dumtaxat excepto caſu, quandò ſcilicèt iter Romam arripitur ex capite reſignationis, quamvis Gomeſius ad dictam regulam de veriſimili notitiâ, *q.* 8. tradat ex ſtilo curiæ derogationem iſtius regulæ, non dari niſi ſolùm in Francia, ſed extra Franciam, inquit, ſemper ceſſari ſolet derogatio, ſed quare non derogatur duabus iſtis regulis, ſicut continuò derogari videmus regulæ de infirmis, quandoquidem iſta ſicut hæc illæ receptæ in Gallia, & regiſtrata dignoſcitur, & ſic quaſi Lex Regni fuit effecta, ratio eſſe poteſt, quia derogatio regulæ de infirmis bonis moribus non adverſatur. Derogatione verò regularum de veriſimili, vel de publicandis remitteretur dolus & fraus de futuro, quod nullo pacto, nec inter vivos, nec in teſtamento, nec per legem quidem fieri poteſt, *L. Sumus, §. Illud nulla, ff. de pactis, L. Convenire, de pactis dotal. ut notat Molin. ad regulam de publicandis, n.* 3. ergò pariter derogare poterit etiam in Gallia Urbani VIII. de anno 1634. iteratas reſignationes ejuſdem Beneficii prohibenti, quod nos ſuprà *hoc libro tit.* 70. denegavimus freti authoritate edicti *du Contrôlle* de anno 1637. *art.* 20. & edicto inſinuationum de anno 1646. *art.* 3.

N. 4. *Sed neque Cardinalis prævenire poteſt.* Regulæ tamen de viginti diebus in eorum præjudicium derogare poteſt, modò derogatio ſit expreſſa, ut ſæpiùs placitis Pariſienſibus judicatum refert *Lovet. in ſua Compilatione, lib.* 3. *n.* 107.

TITULUS XI.

De Clauſula Extenſiva in forma Novæ Proviſionis & ſubrogationis.

SUMMARIUM.

I. & II. In Beneficiis collationis plures titulos cumulare licet. Proviſio nova quid ſit, & quid operetur.
III. De ſubrogandis collitigantibus.
IV. V. & VI. Subrogationis effectus.
VII. Subrogatio non fit niſi petatur.
VIII. IX. X. & XI. Subrogatio à quo fiat.
XII. XIII. & XIV. Subrogatio non datur in certis caſibus.
XV. Devolutarii non ſubrogantur.

I. INSUPER additur in ſignaturâ clauſula extenſiva in formâ proviſionis gratioſæ ſimplicis, aut in formâ novæ proviſionis, vel in formâ ſubrogationis, cum clauſula, etiam quoad poſſeſſionem, vel in formâ gratiæ, ſi neutri, ſi nulli, vel in formâ, perinde valere, aut alio oratori utiliore modo.

II. Eſt enim differentia harum formarum: nova proviſio præſupponit titulum priorem inſtitutionis, electionis, aut collationis, de quo in ſupplicatione mentio debet fieri, ejuſque defectum ſupplet, & jus quæſitum confirmat, jus juri addendo, modò alteri jus non ſit quæſitum: nam in Beneficiis collativis, & in iis quæ collativa ſunt, & electiva ſimul, plures titulos cumulare licet, modò non ſint contrarii, & invicem ſe impediant, *Rota deciſ.* 49. *&* 180. *in antiquis*, quod in Beneficiis quæ ſunt ſimpliciter electiva non licet; aut enim electio confirmatur ſi valida ſit, aut rejicitur, *Felinus in cap. cum noſtris, col.* 2. *de conceſſ. præb. cap. in noſtra de reſcript. Molin. de infirmis reſign. n.* 160. Tamen ex nova proviſione non eſt neceſſe poſſeſſionem de novo (*a*) apprehendere, *Papon lib.* 9. *Placitorum*: & nova proviſio non obſtat Regaliæ, ut diximus ſuprà, *lib.* 1. *tit.* 13. at ſimplex proviſio non præſupponit alium titulum.

III. Litteris ſubrogationis, ſi plures ſint proviſi de eodem Beneficio, & lis ſit inter eos, vel ſperetur eſſe, alter ſubrogatur in jus alterius per ceſſum vel deceſſum illius, ex Regulâ Cancellariæ, quæ ab Innocentio VIII. condita fuit ad ſuccidendos litium anfractus, ſuadente ratione juris, ne per novos adverſarios litigia in Eccleſiarum diſpendium contingat prorogari, *c.* 2. *ut lite pendente nihil innovetur.*

IV. Hâc Regulâ Beneficium reſervatur collitiganti, conditionaliter, ſi petat ſubrogari intra menſem, quod tempus numeratur à die mortis, ſi Beneficium vacet per obitum; & ſi per ceſſum, à die præſtiti conſenſûs, *Gomeſius ad d. Reg. q.* 10. *Expily ex Arreſto citato, q.* 48.

V. Unde ſequitur quòd ſi tertius intra illud tempus proviſus fuerit de eodem Beneficio per ceſſum vel deceſſum poſſeſſoris, vel inſtitutus ad præſentationem Patroni, & intra idem tempus collitigans petierit ſubrogari, per ſubrogationem illius proviſio tertii annullatur (*b*) ipſo jure, nec convaleſcit, morte, ceſſione vel depoſitione ſubrogati, obſtan-

te Regulâ juris, quod ab initio non valet tractu temporis non convalescit, *c. 2. de præb. in 6. c. auditis, de præscr. Gomesius ad dictam Regulam q. 13. Riccius in Praxi, de Jure Patronatûs, decis. 176.*

VI. Et subrogatio fit, sive defunctus, aut resignans, per obitum vel resignationem provisus esset, sive à Papa, sive ab Ordinario: nam Regula generaliter loquitur, & ratio illius, ne novi adversarii dentur collitigantibus, utrumque casum complectitur.

VII. At si collitigans amiserit subrogationem petere intra tempus Regulæ, collatio alteri concessa non annullatur, sive à Papa, sive ab Ordinario concessa sit: non enim annullatur nisi subrogatio petatur, ut testamentum, in quo filius præteritus est, non dicitur nullum, nisi filius de præteritione queratur, *l. Filio præterito, ff. De liberis præteritis vel exhæredatis*; & collatio facta spreto Patrono valet, nisi de contemptu queratur; & si collitigans non petat subrogari intra illud tempus, postea non auditur, nec restituitur in integrum prætextu absentiæ, ignorantiæ, vel beneficio ætatis, *Papon lib. 8. tit. 17. num. 3.*

VIII. Hoc jure subrogatus succedit in jus & possessionem alterius, si clausula addita sit, etiam quoad possessionem Beneficii, *Gomesius de subrogat. q. 2.* quod cùm fiat contra Jus commune, quatenùs jus quod per cessum vel decessum resignantis videbatur extinctum, continuatur in persona subrogati, ab Ordinario fieri non potest, neque à Legato, nisi is habeat facultatem subrogandi, in mandatis, *Flaminius de resignat. lib. 3. q. 3. n. 104.* Habent autem ex stylo ordinario Legatus à Latere & Vice-Legatus eam facultatem, & in Rescriptis clausulam subrogationis inserunt.

IX. Verum effectus hujus Regulæ cessat in multis casibus. Nam, *Primò*, Papa Beneficium vacans lite pendente tertio conferre potest, & Regulæ derogare; potest & Legatus si eam habeat facultatem in mandatis, sive Beneficium vacet per cessum, sive per decessum; at si per cessum, illa conditio in subrogatione adjicitur, modò non in potentiorem litis translatio fiat, juxta Constitutiones Cæsareas, *ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare:* quâ clausulâ qui favore aut potentiâ pollent, ut sunt Eleemosynarii & familiares Principum, arcentur.

X. Tamen apud nos tertius non subrogatur in possessionem alterius, aut instantiam motam coram Judice sæculari, sine Diplomate (*c*) Regio: nam instantia & possessio sunt jura temporalia, cognitionis sæcularis: alioquin exceptione instantiæ finitæ repellitur: & si defunctus vindicias obtinuerit, superstes collitigans petere potest manum injectam levari, ut post Paponem & Loëtium observavit Peleus *in Regulas Cancellariæ c. 37.*

XI. Quas Litteras provisus intra annum à die suæ provisionis debet impetrare in Regis Cancellariâ, & anno elapso non auditur, nec restituitur prætextu absentiæ, ignorantiæ, aut beneficio ætatis, ut diximus suprà; & quamvis Litteris hujusmodi subrogatus succedat in instantiam motam, & possessionem defuncti, aut resignantis, non tenetur de fructibus ab eo perceptis, aut litis expensis, nisi periculum litis in se nominatim susceperit, *Rebuff. de subrog. n. 46.*

XII. *Secundò*, si de Beneficio Consistoriali agatur, in Galliâ sine Regis nominatione nullus subrogari potest, ne Concordatis fiat præjudicium, *Rebuff. de subrogandis collitigant.* Tamen subrogatio fit in Beneficiis Patronatis sine consensu Patroni, pro bono pacis: nam subrogatus repræsentat personam subrogantis, quem Patronus jam præsentaverat.

XIII. *Tertiò*, intrusi beneficio dictæ Regulæ uti non possunt, ex eadem Regula.

XIV. *Quartò*, non datur subrogatio si defunctus possessione triennali esset securus, nam possessione triennali pacificâ lis omnis extinguitur, & Regula non habet locum, nisi in Beneficiis litigiosis, *Gomesius de subrogat. q. 16.*

XV. *Quintò*, hæc Regula non suffragatur iis qui spe futuræ subrogationis impetrant Beneficia viventium, quos senio aut morbo confectos sperant brevi morituros, aut metu accusationis Beneficio cessuros, ut Constitut. Pauli II. & aliorum Pontif. definitum fuit, ex quibus colligitur devolutarios hâc regulâ uti non posse; sunt enim odiosi, quia festinant contra jus gentium, disputant de persona possessoris, non de titulo Beneficii, *Rebuff. ad d. reg. gl. 9.* & odia sunt restringenda: & si pendente lite inter possessorem Beneficii, & devolutarium, possessor Beneficii cesserit jure suo, aut obierit, resignatarius aut provisus per obitum illius, à Papa, vel Legato, Litteris subrogatur in jus ejusdem: & si provisus sit ab Ordinario, Litteris Regiis aut libello supplicatorio subrogatur in inst-

tantiam motam inter resignantem, aut defunctum, & in possessionem quam adeptus fuerat, & devolutarium, teneturque ad objecta devolutarii, quæ defuncto opponebantur, respondere, *Rebuff. in praxi, tit. forma Signaturæ simplicis, n.* 13. Si verò lis sit inter duos provisos per obitum, & alter illorum moriatur, aut renunciet juri suo, superstes beneficio hujus Regulæ intra mensem uti poterit, etiam contra resignatarium defuncti: & si lis esset inter tres vel plures provisos per obitum, ex duobus collitigantibus qui supersunt qui prior est tempore subrogandus erit: & si prior negligat subrogationem petere intra idem tempus, subrogabitur posterior: illis enim Regula suffragatur, non devolutariis, quorum libido Constitutionibus Ecclesiasticis coërcetur, ut in Regulâ de annali suprà visum fuit: in quibus casibus fit subrogatio, etiam invito Patrono, suprà *lib.* 1. *tit.* 9. *Riccius decis.* 156.

SOLIER.

(*a*) MAJOR est difficultas an nova provisio in forma dignum expedita, egeat speciali executione, quando prima provisio, quæ Apostolica supponitur fuit debitè executioni demandata: in qua breviter dico executionem veteris provisionis communicari novæ, & alteram alteri influere, cum mille provisiones pro eodem oratore, & Beneficio in eadem vacatione expeditæ non constituant nisi unicum titulum, pro quo satis est provisum semel examinari: nam semel probatus non debet iterùm probari, ut ait Author, *infrà hoc lib. tit.* 13. *n.* 2.

(*b*) Hoc non obtinet apud nos, qui regulam *de subrogandis collitigantibus* non servamus, sed uno ex litigantibus moriente, vel cedente, Papa, vel etiam Ordinarius cuilibet etiam non litiganti confert, & is cui facta est collatio impetrat litteras Regias, ut subrogetur in jus & instantiam defuncti, vel cedentis, *Molin. ad Regul. de public. Resign. n.* 422. Hæc autem subrogatio post annum non admittitur, quia judicium possessorium seu interdicta possessoria sunt annalia, *L.* 1. *ff. de interd.* Molin. *ad dictam Regul. n.* 414. *&* 418. nisi Resignans litem semper prosequeretur, vel per annum lis non fuerit intermissa, tunc enim Resignatarius, aut alius successor subrogatur, etiam post triennium ut idem subdit, *ibid.* & *n.* 416.

(*c*) Tamen superstes collitigans hodie subrogatur in possessionem defuncti libello supplici ad hoc judicialiter porrecto, novellâ Ordinat. Regiâ, *tit.* 15. *art.* 11. Quòd an ad Devolutarios extendatur? hæreo, quia Beneficiorum accupes spoliis viventium inhiantes non videntur tanto favore prosequendi: sed quia lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *L. de pretio, ff. de publiciana in rem act.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. PLURES *titulos cumulare licet, modò non sint contrarii.* Nemo potest ex duobus titulis jus consequi, *cap. Ut quis duas; de elect. in* 6. quia quod meum est ex una causa, non potest effici meum ex alia, *cap. Inter dilectos, de fide instrumentorum*, potest tamen quis uti duplici titulo, non quidem pariter, sed alternativè, *Felin. in cap. In nostra, de rescript. n.* 2. & si dubitans, de viribus primæ collationis, impetrat secundum, per hoc non judicetur renuntiatio primæ, sed poterit uti utrâque ad defensionem suam, quamvis reipsa utraque simul valere non possit, & notandum quòd collatio facta à superiore videtur sperni quandò acceptatur posteà collatio ejusdem Beneficii ab inferiore, & est juxta causa privationis, *cap. Cum olim, juncta Glossa in verbo, Illusionem donationis, & ibi DD. de senten. & re jud. & cap. Post electionem, de conces. Præbend.* nisi fieret ad cautelam, *Joan. Immota, & Petrus de Penesio, in dicto cap. Cum olim, Brodell. ad Lovet. litt. R, cap.* 17. *in fine.*

Eodem N. 2. *quod in Beneficiis, quæ sunt simpliciter electa, non licet.* Capitulum, ut quis, *de elect. in* 6. cujus hæc sunt verba non est rationi consonum, ut qui per duas electiones ad eandem Ecclesiam est electus, utramque prosequatur, & confirmationem ex eis petat, tum non nisi ex una illarum valeat obtinere, idque procedit, etiam si ab initio protestetur se velle contentum esse altera, sive quòd non intendat effectum confirmationis consequi, nisi ex illa quæ valida fuerit, sivè ex qua jus sibi competere constiterit, quarè si electus ne cum ipsius Ecclesiæ ad quam electus est, vel sui adversarii si quem habet, discrimine in incerto vagetur, eligere debet quam ex illis duabus electionem prosequi velit, ejusdemque tantùm confirmationem petere, ita ut ad alteram posteà electionem regressum habere non possit, cui alteram præferendo renuntiasse censetur, profitendo sibi jus ex illa non competere. *Textus in dicto cap. Ut quis.* Secùs in collatione obtinet ut dictum est: ratio diversitatis est quia in collatione, vel institutione non requiritur confirmatio, sed in electione requiritur decretum confirmationis, quod non potest fundari super duobus titulis incertis, quia fieri debet super certo & determinato, *Glossa, ibidem in verb. Protestetur.*

Eodem N. 2. *ex nova provisione non est necesse possessionem de novo apprehendere.* Quia ut inquit Lotterius de re Beneficiaria, *lib.* 2. *q.* 46. *n.* 66. non datur concursus duarum possessionum, non solùm justarum, vel injustarum, *L. Duo in solidum, ff. de precario*, sed etiam unius justæ, & alterius injustæ, cum non multùm intersit, justè quis, an injustè possideat, ex Labeonis sententia, *in L.* 3. §. *Ex contrario, ff. de acquir. possess.* ita ut nullomodo attendatur defectus tituli etiam in Beneficialibus non possit videri ea possessio vacua, quæ quovis modo per aliquem occupatur, etiam si non possideat, *L.* 2. §. *Vacua possessio, de action. empt. Glossa in cap. Cum nostris, in verb. Non vacaret ad finem de conces. Præbend.* & possessio, ex invalido titulo potest adipisci, *L.* 1. §. *Si vir, de acquirend. poss.*

TITULUS XII.

De clausulis, si neutri, si nulli, si alteri, & perinde valere.

SUMMARIUM.

I. *Plures titulos cumulare licet.*
II. *Inter duos colligantes tertius potest intervenire.*
III. *Litteræ, perinde valere, quid operentur.*

I. SI, de eodem Beneficio duo provisi sint, alter qui dubitat de jure suo novam provisionem potest impetrare, in forma, *si alteri jus non sit quæsitum*; nam in collativis plures titulos cumulare licet; & eo casu orator de provisione sibi concessa, de nomine adversarii, & litis pendentia, in supplicatione debet mentionem facere, ut diximus suprà. Verùm provisio hujusmodi non comprehendit modos futuræ vacationis, *Mohedan. decis.* 351.

II. Si verò inter duos pluresve collitigantes novus adversarius oriatur, exceptione Juris submovetur: nam lite pendente Beneficium alteri conferri (*a*) non debet, ne lis proteletur, & fiat immortalis, *c.* 2. *ut lite pendente nihil innovetur.* Cui Constitutioni Alexander III. cœpit derogare, tertium admittendo propter collusionem collitigantium, quæ frequens est in hac materia, *c. super eo*, (*b*) *de off. Legati*: admittitur autem tertius cum clausula, *si neutri, si nulli jus sit quæsitum*, ne fiat præjudicium juri jam quæsito, nam Principes in Rescriptis non intendunt tollere jus alteri jam quæsitum, *c. quamvis, de Rescr. in 6. & d. c. super eo*: quæ sint exprimenda in supplicatione pro validitate horum Rescriptorum, suprà diximus, *tit.* 7.

III. Litteris, *perinde valere*, opus est, si quis in Signaturâ aut Bullâ sit defectus; puta si orator non expresserit alia Beneficia, aut verum vacationis modum, aut qualitatem Beneficii vacantis, aut Jus Patronatûs, aut reservationem collationis Beneficii, aut in Rescripto clausula derogationis, dispensationis, vel absolutionis, fuerit omissa, ut Rescriptum priùs obtentum perinde valeat ac si omnia fuissent expressa quæ exprimi debuerant, & impedimenta remota.

IV. Ea verò impedimenta hoc Rescripto tolluntur, quæ pendent ex nutu (*c*) Papæ, aut Legati: nam si collatio sit nulla defectu mandati ad resignandum, novo mandato opus est; si collatio sit contra bonos mores, publicam disciplinam, Concordata, Constitutiones Regias, Statuta, consuetudines Ecclesiarum solemniter approbatas, & Senatusconsultis firmatas, Litteræ *perinde valere* non admittuntur, *Rebuff. in tit. de Rescripto perinde valere*, 19. & 54. nec nocent juri alteri jam quæsito, obstante clausulâ expresâ, vel tacitè contentâ in Rescripto, de non tollendo jure alteri quæsito: nec alia tolluntur impedimenta Litteris *perinde valere* quàm quæ in supplicatione fuerunt expressa; ut si minor idemque spurius Ecclesiam Parrochialem obtinuerit, & in supplicatione solùm defectum ætatis expresserit, Litteris *perinde valere*, impedimentum ortum ex defectu natalium non censetur sublatum, & utrumque Rescriptum irritum est, & inane.

SOLIER.

(*a*) LICET Ordinarius conferre possit Beneficium per alium possessum, *cap. Licet Episcopus, de Præb. in 6.* secùs tamen est si Beneficium sit litigiosum, quia tunc à nemine conferri potest, *cap.* 2. *Ut lite pendente, eod. lib.* Papa excepto, *Clement.* 1. *eod. tit. in fine.* Sed hæc reservatio non recipitur in Gallia ut suprà dixi.

(*b*) Nullum est capitulum hujus initii in toto titulo de offic. Legati extra nec in 6. nec video quòd Innocentius III. qui centum annis ante Pontificatum Bonifacii VIII. è vivis decesserat, potuerit derogare constitutioni ipsius Bonifacii nempe, *cap.* 2. *Ut lite pendente in 6.*

(*c*) Rescriptum perinde valere est ratificatio & convalidatio actûs præcedentis, & per illud suscitatur spiritus primi rescripti, ac propterea intrat ejus vis retractiva ad tempus actûs ratificati, sive confirmati, *L. Donationes*, la premiere *ad finem*, *Cod. de donat. inter, virum & uxor. L. ult. Cod. Ad Maced.* ita ut si lite pendente inter possessorem & devolutarium possessor obtineat litteras *perinde valere*, per quas prior gratia revalidetur, inde remaneat elisa intentio & impetratio devolutarii, quamvis Papa jus alteri quæsitum tollere non intendat: Ratio est quia ubi Papa per rescriptum *perinde valere* declarat id quod tacitum vel expressum fuit; non fuisse tamen ut inde sibi deficeret mens in providendo, evanescit impetratio, & cessat exceptio ju-

ris quæsiti, quia hoc casu per hujusmodi rescripta revalidatoria, Papa non intelligitur jus quæsitum tollere alicui, sed verius declarare nullum unquam ex hac causa fuisse jus quæsitum. Ita subtiliter deducit *Melchior, Lotterius, de re Benefic. lib. 2. q. 54. à n. 59.* limita nisi prior gratia non sit confirmabilis, ut in casibus ab authore subjectis.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. *De provisione sibi concessa, de nomine adversarii & litis pendentia in supplicatione debet mentionem facere.* Nova provisio supponit primam, quæ enuncianda est, in nova provisione, nec-non adversarii nomen, & litis pendentia, si introducta sit, & indecisa pendeat, prout etiam supponit clausula, (*si alteri*) nihil tamen prodesset litis mentio post sententiam, quia clausula hæc non aufert jus quæsitum, & in consequens, nec actionem judicati, nisi judicatum appellatione, aut aliàs suspenderetur, *Lott. lib. 3. q. 9. n. 41.* quamvis aliàs apud nos litis expressio regulariter non sit absolutè necessaria, quia ratio exprimendæ litis, est, ut Papa sciat non fieri præjudicium alicui inferiori collatori, cum is, qualiscumque sit, non possit Beneficium litigiosum conferre, *cap. 2. Ut lite pendente in 6.* quæ ratio non obtinet in Gallia ubi, dictum capitulum secundum non observatur, ut notat Molin. *ibidem*, & praxis docet insuper, in nova provisione facienda est mentio de possessione priùs adepta & de fructuum indebita perceptione, aliàs nova provisio est nulla, *Lotter. de reb. Benefic. lib. 2. q. 54. n. 42.* sed nullitas hæc non habet locum apud nos, qui fructus aliquos percepisse impunè negamus, an autem nova provisio habeat effectum retroactivum! Respondetur negativè, cum nihil aliud sit, quàm præcedentis quasi quædam confirmatio, nec excedat confirmationis naturam, ut tradit *Puteus, lib. 1. decis. 308.* confirmatio autem non trahitur retro, sed valet à die confirmationis tantùm, *cap. Quia diversitatem de conces. Præbend. DD. in cap. 1. Et per totum tit. de confirmat. util. vel inutil.* etiamsi nulli jus sit aquisitum: secùs de rescriptione *perinde valere*, ut mox dicemus.

N. 3. *Litteris perinde valere opus est.* Nullitas tituli moribundi tribus remediis sanari potest, scilicet, nova provisione, gratiâ si neutri, & *perinde valere*, dictum est suprà de primo & secundo, supereſt aliquid notandum de tertio, & *primò*, *perinde valere* non datur, nisi provisio Apostolica, ut ex pratica Cancellariæ, titulo, *notabilia super clausulis, notabili 2. tradit Lotter. lib. 2. q. 54. n. 8. Secundò*, non impetratur rescriptum, *perinde valere*, sed nova provisione opus est, ubi nullitas provisionis provenit ex obreptione, vel subreptione determinata à jure communi, & concernente formam gratiæ intrinsecam, & intentionis exclusivam: secùs autem ubi obreptio, vel subreptio respicit formam extrinsecam provisionis, id est, eam quæ non est ex juris communis dispositione, sed verb. grat. ex stilo curiæ, aut aliàs quàm à Lege, quia tunc obreptio hujusmodi non causat intentionis defectum, qui annullet gratiam eo ipso, sed tantùm suspendit, donec Papa, vel judex declaret, an quod tacitum, vel expressum fuit, induxerit ipsum ad concedendum, vel non induxerit; ut fusè quamvis subobscurè deducit *Lotterius dict. loc.* & de hac obreptione, circa formam extrinsecam, intelligenda sunt, quæ nos hoc ipso titulo, *litt. C*, aliàs ex eodem authore adjecimus. *Tertiò*, hoc rescriptum valet impetratum antequam jus alii sit quæsitum, impetratum verò post, nihil operatur, obstante regula *de non tollendo jus alteri quæsitum*, in quo differt à nova provisione, & confirmatione quæ nunquam retrotrahuntur, licèt medium non sit impeditum, ut diximus in præcedent. observat. *Quartò*, rescriptum hoc non est provisio, sed litteræ validatoriæ provisionis Apostolicæ aliquo vitio laborantis. *Quintò*, in quacunque Beneficiali supplicatione ponuntur clausulæ, *si neutri, si nulli, si alteri, & perinde valere* & possunt desuper expediri Bullæ in forma cujusvis rescripti, imo sine Bullis possumus uti virtute & efficacia clausarum hujusmodi & aliarum in supplicationibus apponi solitarum, ne frustrà membranas occupent.

TITULUS XIII.

De Clausulis in forma dignum, (a) & missionis in possessionem.

SUMMARIUM.

I. De examine provisi in forma dignum.
II. Provisio in forma gratiosa.
III. Ab Ordinario Litteræ testimoniales dantur.
IV. Forma dignum committitur Ordinario.
Arrestum.
V. Examen fit ab Ordinario vel ejus Vicario.
VI. Provisus debet adire Ordinarium.

I. ALIÆ clausulæ inseruntur in Bullis aut Signaturis pro executione Rescripti: nam si de Beneficio agatur, mandatur Ordinario ut provisum examinet, eumque si idoneus repertus fuerit admittat ad professionem Fidei, & præstationem juramenti. In examine, de vita, moribus, & doctrinâ requisitâ ad muneris exercitium, inquiritur; in professione Fidei, & præstatione juramenti, Mysteria Fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, continentur, & mandata Ecclesiæ, quæ provisus jurejurando inter-

posito ad sancta Dei Evangelia se servaturum promittit : ab examine Graduati in Gallia non excusantur, ut notabitur Titulo sequenti.

II. Verùm illa clausula omittitur in provisione concessa in forma gratiosa, si Papæ vel Legato constiterit ex Litteris commendatitiis Ordinarii, quòd impetrans ab eo priùs examinatus fuerit, & dignus repertus ad Beneficium de quo agitur obtinendum, & Fidem Catholicam professus fuerit : nam semel probatus non debet iterùm probari, ex præteritis præsumitur circa futura, *c. mandata, de præsumpt.* nisi ex temporis intervallo timeatur morum mutatio ; sive illæ Litteræ ad certum Beneficium impetrandum datæ fuerint, sive in genere ad omnia Beneficia tùm simplicia, tum curam animarum habentia, Officium aut Dignitatem annexam ; nam si solùm ad Beneficia simplicia concessæ fuerint, non prosunt ad Beneficia Curata, Personatus, aut Dignitates : ab Episcopo loci domicilii, aut ejus Vicario, hujusmodi Litteræ petendi debent, ex Decreto Regis Christianissimi *anni* 1589. ut observat Fevret *lib. 3. c. 3. n.* 28. nam Ordinarii meliùs sunt informati de vita & moribus Clericorum suæ Diœcesis, quàm extranei : & si Canonicus alicujus Ecclesiæ impetret alium Canonicatum in eadem Ecclesia, aut diversa, à Papa, vel Legato, in forma gratiosa, non est iterùm examinandus, ut responsum fuisse in sacra Congregatione Cardinalium refert Farinacius *decis.* 32.

III. Mandatum hujusmodi Ordinario fieri solet ; ejus enim interest cui cura Beneficiorum suæ Diœcesis incumbit, *juxta Constitutionem Blesensem art.* 12. *& Decretum Regis ad instantiam Cleri, anni* 1635. *relatum à Fevret lib. 3. c. 3. n.* 41. Ex quibus sequitur cognitionem illam esse Jurisdictionis ordinariæ, & per mandata hujusmodi non tribui novam Jurisdictionem, sed Jurisdictionem ordinariam excitari. Hinc etiam sequitur Vicarios Generales Ordinariorum, aut Capituli, (*b*) Sede vacante, idem munus posse exequi, tametsi de illis in mandato nulla mentio facta fuerit ; & si Ordinarius sit suspectus, provisum à Sede Apostolica vel Legato posse ad Metropolitanum (*c*) recurrere sine novo mandato, si Ordinarius nolit abstinere, aut recuset impetrantem, ut decisum fuit Placito Senatûs hujus Provinciæ Pronunciante Domino du Bernet, in causa Præbendæ Ecclesiæ Grassensis : nam si Ordinarius sit suspectus, ejus quoque Vicarius suspectus intelligitur ; de causa suspicionis, & modo proponendi, dixi in Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica : si verò non sit suspectus, ipse per se, vel suum Vicarium (*d*) potest procedere, etiamsi mandatum clusulam illam contineat, *conscientiam tuam oneramus, Rota decis.* 752. *in novis* ; & Vicarius ipse potest substituere, si eam habeat facultatem in mandato : at si Metropolitanus sit suspectus, & constet Papæ, vel Legato, de causa suspicionis, ex natura negotii, mandatum alteri decernitur, Jurisdictionem novæ attributivum : & tale mandatum non censetur factum Vicario Prælati delegati, aut Capituli, Sede vacante, nisi de illis in Litteris facta fuerit mentio, *Garcias parte 6. c. 2. n.* 20. *Rota decis.* 443. *in novis.*

IV. Si verò Ordinarius non sit suspectus, ejusque Jurisdictionem sine justa causa impetrans declinare voluerit, illum quamvis ab alio Prælato fuerit examinatus & admissus, Ordinarius potest accersere, & contumacem suspendere, si idoneus non sit, deponere : nam Rescripto subreptitio vel obreptitio Jurisdictio Ordinarii non violatur, sive contra Clericum sæcularem agatur, sive contra Regularem, de Beneficio non exempto à Jurisdictione ordinaria, *Concil. Trident. sess.* 24. *c.* 18.

V. Præterea eisdem Litteris mandatur Prælatis, Clericis, & Notariis, ut provisum mittant in possessionem Beneficii, & inductum defendant, amoto inde quolibet injusto detentore, & contradicentes compescant censuris Ecclesiasticis : quâ clausulâ olim Jurisdictio Commissariis delegabatur in præjudicium Jurisdictionis ordinariæ & Regiæ : hodiè verò sola executio Rescripti committitur sine Jurisdictione, ne jus Concordatorum tot vigiliis excogitatum subvertatur.

SOLIER.

(*a*) De forma dignum antiqua & novissima dixi *ad Flamin. Purif. de Resig. lib.* 8. *q.* 7. ubi vide quia alibi non invenies.

(*b*) Nam Vicario capituli Sede vacante possunt de jure dirigi delegationes & rescripta, non secùs ac Officiali Episcopi, cùm sit Vicarius seu Officialis Jurisdictionis Episcopalis, *Gloss. in Clem. etsi principalis, in verb. Episcopi, de rescript.* sed in contrarium est stylus curiæ Romanæ, quæ sede Episcopali vacante non dirigit hujusmodi litteras in forma dignum, aut dispensationis Officiali capituli, de quo non confidit, sed Episcopo viciniori seu ejus Officiali ; & quamvis Vicarius Capituli sit Officialis Jurisdictionis Episcopalis, non est Officialis

Episcopi ex præallegata Gloss. unde in Senatu Tolosano inconcussè judicatur commissa Episcopo vel ejus Vicario nulliter & abusivè per Vicarium capituli Sede Episcopali vacante expediri, *Oliveus, lib. 1. notabilium quæst. cap. 13.* juxta sententiam *Garciæ, p. 6. cap. 2. n. 40. contra Molin. ad Regul. de infirm. Resig. n. 271. Flamin. de Resig. lib. 3. q. 11. n. 19. & Pastor hic.*

(c) Quamvis Garcias dicat Papam appellandum, *dicto cap. 2. n. 72.* quod apud nos verum non est, quia Episcopus dum exequitur rescriptum in forma dignum, ordinariâ potiùs, quam delegatâ authoritate procedit, *Fevret. de abusu, lib. 3. cap. 4. n. 16. & 17.*

(d) Dic potiùs Vicarium non posse se intromittere in causa, seu Jurisdictione Episcopo delegata, *Rebuff. in praxi, forma Vicariat. n. 161. Cucchus; instit. lib. 2. tit. 8. n. 116.* nisi Episcopus cum sibi fuerit delegata eam Vicario subdelegaverit, non priùs: nam causas sibi delegandas à Papa & commissiones futuras non potest committere: Jurisdictio enim nondum competens nec actu nec habitu, committi non potest, *Garc. & alii per eum citati, p. 6. cap. 2. n. 22.* sicut è converso non potest Episcopus exequi litteras in forma dignum directas Vicario, *Bonifac. de vital. in Clem. etsi principalis, de rescript.* nam delegatio seu commissio facta Vicario Episcopi, non censetur ab Episcopo.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. SI *idoneus sit, admittat ad possessionem fidei.* Debent provisi de Beneficiis curam animarum habentibus intra duos menses ab adepta possessione in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii fidei possessionem, emittere, & juramentum præstare se in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros fore: provisi verò de Præbendis, vel Dignitatibus in Ecclesia Cathedrali non solùm coram Episcopo seu ejus Vicario, sed etiam in Capitulo idem facere tenentur, alioquin Prædicti omnes fructus non faciunt suos, nec illis possessio suffragatur ex decreto Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 12. de reformat.* at in Præbendis & Dignitatibus Ecclesiæ Collegiatæ vel Semi-Præbendis, Personatibus, & Officiis Cathedralium, vel quibuscumque Beneficiis simplicibus non requiritur professio fidei, vel juramentum obedientiæ, ut monet *Garcias, de Benefic. part. 3. n. 11. & seqq.* sed apud nos *Ordinatione Blesensi, art. 10.* provisi de quibuscumque Beneficiis ante adeptam possessionem fidem profiteri debent.

N. 2. *Non est iterum examinandus.* Puto iterùm examinandum, tum quia examen est de forma, ut convincitur Ordinatione Blesensi, *art. 12.* forma autem omitti non potest, aliàs actus corruit, quamvis provisus qui sit providendus, sit persona nota, bene merita, & famosa *Lambertin. de jure Patr. lib. 2. part. 1. q. 1. art. 3. n. 1. & 2. & licèt Gonzalez ad Regul. 8. Glossa 4. n. 88.* dicat semel approbatum ad curatum, vel Canonicatum, vel Dignitatem in Collegiata, vel Cathedrali, non ultrà examinandum ad simile, vel similem, illud tamen cum vero stare non potest, cùm examen per concursum, ubi Consilium quoad hoc servatur, sit de forma, & essentiâ collationis, ut censuit Congregatio Concilii, teste ipso *Gonzal. ibidem, n. 9.* his verbis, *Doctor, sive Licentiatus in Theologia, sive in jure Canonico, & in publica Universitate Graduatus non excusatur ab examine, quando petit provideri de aliqua Ecclesia Parrochiali.* quia autem neget Parrochialem Ecclesiam esse Beneficium curatum.

Eodem N. 2. *ab Episcopo loci domicilii, aut ejus Vicario hujusmodi litteræ peti debent.* De jure tamen inquisitio meritorum Beneficiandi debet fieri in loco natali, & ubi diutiùs est conversatus, *cap. Scriptum 40. §. Per Apostolica, de elect. cap. Postquam eadem,* maximè si ibi situm sit Beneficium, est enim regulariter, & generaliter observatum, ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manùs spectat, ait textus *in cap. Venerabilem, de elect.* & in Curia Romana desideratur attestatio Episcopi Beneficii, maximè ubi Beneficium est curatum, & hoc casu mittenda est duplex attestatio, altera Episcopi domicilii, altera Beneficii.

N. 4. *Ut provisum mittant in possessionem.* Sed numquid habens Canonicum titulum potest propriâ authoritate vacantem Beneficii possessionem apprehendere auditores Rotæ voluerint quod sic, dicitur in decisionibus diversorum, *part. 2. decis. 21.* & tenet *Garcias de Benefic. part. 4. cap. n. 6.* nec refragatur, inquit, textus *in cap. Ad aures, de excessib. Prælat. & in cap. Quia diversitatem de concess. Præbend. & in cap. Ex frequentibus, de institut.* quia jura ista expressè loquuntur de iis, qui sine justo & Canonico titulo possessionem Beneficii apprehendunt. Iis non obstantibus contrarium est tenendum, possessio enim Beneficii, non acquiritur nisi ex investitura facta à persona Ecclesiastica ad hoc Deputatâ, *cap. Ex frequentibus, de offic. Archid. Flamin. de Resignat. lib. 7. q. 1. n. 103.* & debet qui possessionem adispisci authoritate ejus à quo habet titulum, sive habeat à Papa, *c. Pastoralis, de privileg.* sive ab Episcopo, *cap. Cum venissem, de restit. spoliat.*

TITULUS XIV.

De Modis & Conditionibus Litterarum, & Annatis.

SUMMARIUM.

I. Conditio & modus differunt.
II. In Litteris Beneficialibus modus adjicitur, non conditio.
III. Litteræ Beneficiales ab investituris feudalibus Beneficialibus differunt.
IV. §. 1. *Annatæ explosæ.*
V. Annatæ permissæ.
VI. Beneficium vacans non debet gravari.

I. INTER modum & conditionem est differentia: nam modus modificat dispositionem, aut provisionem, non tamen suspendit ejus effectum, *l. si tibi, ff. de leg. 3.* Conditio verò suspendit effectum dispositionis, donec fuerit adimpleta: itaque in Litteris Beneficialibus onera quædam adjici solent ex natura rei modaliter, (*a*) non conditionaliter; nam actus legitimi, non recipiunt diem neque conditionem; recipiunt tamen modum juxta Juris dispositionem; ut si Beneficium sit Sacerdotale, provisus intra annum debet promoveri; & si provisus aliud Beneficium incompatibile possideat, alterutrum dimittere tenetur: & hæc onera non possunt adjici gratiæ conditionaliter; nam gratia statim suum debet sortiri effectum: possunt tamen apponi modalitèr, sicut ex dispositione Juris modalitèr insunt; ut si provisus intra annum non promoveatur, gratiâ privetur, si Beneficium sit Sacerdotale, & si infra sex menses post adeptam pacificam possessionem non dimiserit aliud Beneficium incompatibile quod possidet, illud ipso jure vacet, ut dicemus infrà: & hæc onera licitè in Litteris adjiciuntur, quoniam ex dispositione Juris exiguntur in Beneficiis hujus generis, modalitèr tamen, non conditionalitèr; nam si conditionaliter adjicerentur in Litteris, novum onus gratiæ imponeretur, cùm conditio sit onerosior modo, & gratia gratis, sine alio onere extrinseco, dari debet, ad differentiam gratiæ, aut Beneficii feudalis; nam in investituris feudalibus conditiones & modi adjiciuntur pro libito concedentis, aliàs non concessuri, & Beneficia Ecclesiastica sine ullâ diminutione conferri debent, *c. unico, ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.*

§. 1. Olim in Litteris Beneficialibus Papa sibi reservabat Annatam (*b*) Beneficii concessi, ex consuetudine generali, que invaluerat temporibus Bonifacii IX. & Joannis XXII. *Extravag. suscepti, de electione*; & variis Constitutionibus firmata fuerat, Pii II. & Innocentii VIII. quibus pœna privationis imminebat non solventi. *Gigas de pension. q. 16.* Verùm Concilio Basilienſi *sess. 22.* illud genus vectigalis sublatum fuit, & variis Constitutionibus Gallicis Ludovici Pii, Caroli VI. & VII. & Ludovici XII. juxta Constitutiones Ecclesiæ antiquas, & Cæsareas, quibus ordinationes & collationes Beneficiorum gratis fieri jubentur, sine ulla diminutione, ut diximus suprà, *& l. si quemquam, C. de Episcopis & Clericis, & Novella 123. c. 16.*

II. Viget tamèn consuetudo in certis Ecclesiis, quòd fructus primi anni cedant Ecclesiæ, & Jure non improbatur, *c. tua nobis, de verbor. signif. & c. ult. de iis quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli, Chopinus de sacra Politia lib. 1. c. 8. n. 12.* & talis consuetudo locum habet etiam in casu permutationis: *gloss. in c. si propter, de reser. in 6. Puteus decis. 331. & 338. Flaminius de resignatione lib. 4. c. 5. Garcias parte 2. c. 3.* & alibi consuetudo est de certa pecunia præstanda pro ingressu, ad fabricam aut ornatum Ecclesiæ, aut sustentationem ministrorum; quam consuetudinem antiquam esse constat, *ex Novella 56.* ubi jus illud à Græcis dicitur ἐμφανίσιμον, & à Latinis *insinuativum, & Novella 133. c. 16.* quâ jus illud taxatur, ne transcendat emolumentum unius anni. Est etiam consuetudo in certis Ecclesiis hujus Regni, quòd fructus primi anni cedant Archidiacono, *Loëtius lit D. n. 62.* Quod jus ut abusivum & abolendum reprobat *Molin. in Placitis Curiæ, n. 103.*

III. Alia onera Statuto imponi possunt ad utilitatem Ecclesiæ in Beneficiis, si ea licita sint & honesta, & imponantur ante vacationem Beneficii: nam Statutum reprobatur si statuentes propriis commodis inhient, aut post vacationem Beneficii onus imponant, quia Beneficia gratis & sine diminutione conferri debent, ut suprà dictum fuit, &

eſt textus in c. ſignificavit, de præb. Attamen ſi proviſus Statuto vel conſuetudine, aut collatoris mandato coactus, aliquid ſolverit, excuſatur à labe ſimoniæ, & titulus illius non vitiatur, nam parendi neceſſitas excuſat, *Rebuff. tit. quib. modis Beneficia amittantur, tit.* 17. *Garcias parte* 8. *c.* 2. *c. ſignificante, de electionibus.*

SOLIER.

(*a*) HAS Scholæ argutias negligit Juriſprudentia Beneficialis, & quem Author modum, illa non dubitat conditionem appellare & in proviſionibus Beneficiorum, excepta electione, quatenus de jure ineſt admittere; ſivè tempus præſens, vel præteritum reſpiciat, ut confero ſi Beneficium vacat, *Gloſſ. penult. in cap.* 2. *de elect. in* 6. quamvis hæc, quia non ſuſpendit, nec reſolvit non ſit propriè conditio, *L. Conditio de condit. inſtitution.* ſivè ad tempus futurum referatur & ſit ſuſpenſiva, quæ propriè conditio dicitur, *L. Cum ad præſens cum L. ſeq. ff. Si certum petatur*, ut reſigno ſi unio ſequatur, confero ſi Patronus conſentiat: vel reſolutiva, ut confero ea lege quod infra annum promovearis; & iſta non ſuſpendit, ſed ſuſpenditur, *L.* 2. *Et per tot. de in diem adject. Molin. ad Regul. de public. Reſignat. n.* 180.

(*b*) Annata quæ Cameræ Apoſtolicæ ſolvitur, ſubrogata fuit in locum decimæ ſive redecimæ, quæ olim in toto orbe ſummo Pontifici colligebatur, ut annotavit Baron. *ad annum* 1156. *ad finem*, & nihil aliud eſt quàm aliqua taxata quantitas fructuum ejus anni, quo Beneficium vacat, *Lotter. lib.* 3. *quæſt.* 20. *n.* 1. Papæ debita in ſignum recognitionis univerſalis dominii, & ſubventionis gratia pro ſuſtentando Pontifice & Cardinalibus indigentibus, *Sarnenſis in præfat. ad Regul. de valor. n.* 6. Quod ſi contingat plures vacationes ejuſdem Beneficii eodem anno, unica dumtaxat exigitur annata, & ubi is qui ultimo loco providetur, de hoc monet Officiales, iſti comperta ſolutione ſemel facta per deceſſorem notant à tergo litterarum hæc verba, *pro annata nihil, Mandoſ. in opuſc. de annal. n.* 168. *caſu* 371. pro quolibet autem Beneficio excedente 24. ducat & pro penſione etiam excedente dictam ſummam ſolvitur annata in expeditione litterarum, id eſt medietas reditnum unius anni, *Flam. de confid. q.* 9. *n.* 56.

NOVÆ ADDITIONES.

AD *Rubricam de modis & conditionibus litterarum.* In electivis vota conditionalia, alternativa, vel incerta penitus reprobantur, *cap.* 2. *de elect. in* 6. quæ diſpoſitio locum habet in collationibus, ut ait *ibi Gloſſa in verb. juxta, & alii, quos citat, & ſequitur Garcias de Benefic. part.* 8. *cap.* 2. *n.* 2. quòd tamen limitatur, ut non procedat in conditione, quæ collationi de jure ineſt, puta, ſi vacet Beneficium, quamvis nec iſta admittatur in electione, *Gloſſa ibidem*, quia electionem præcedere debet cura perſpicua, *cap.* 2. *In princip. diſtinct.* 61. priùs ergo inquirendum, & poſteà eligendum, & licèt conditio de præſenti, vel de præterito, non habeat in ſui eſſe dependentiam, *L. Cum ad præſens, ff. Si certum petat, L. Cum in ſecundo, ff. de injuſto rupto*, tamen neceſſaria eſt cognitio, an ſit ita, & ſic habet incertitudinem, & in electionibus, ob decretum futurum faciliùs interponendum, requiritur major ſimplicitas, & rotunditas, *Molin. de publicandis, n.* 180. nec in eis poni poteſt verbum aliquod ſonans in conditionem, *Geminian. dicto cap.* 2. *de elect. in* 6. in præſentatione tamen non præcedit textus dicti capituli, ſed præſentatio etiam Patroni Eccleſiaſtici, non ſolùm alternativa, ſed etiam conditionalis, incerta, dubia, & obſcura procedet, *Argum. Olim plures, §. finali, de jure Patr. Lambertin. part.* 2. *lib.* 2. *q.* 3. *art.* 6. *n.* 5. *Garcias, dicto loco n.* 3.

N. 2. *Quod fructus primi anni cedant Eccleſiæ, vel Archidiacono.* Ut ſubdit Author: circa quod ſciendum eſt, triplex eſſe annatæ genus, nam alia eſt annata, quæ Papæ ſolvitur ex fructibus ejus anni, quo Beneficium vacat: alia, quæ quindennium nuncupatur ſingulis quindecim annis Cameræ Apoſtolicæ ſolvi debet, pro Beneficiis unitis ſub pœna nullitatis aut reſolutionis unionum, juxta Conſtitutionem Pauli II. datam anno Incarnationis Dominicæ 1469. 8. *idus Januarii*: alia denique, quam deporta vocant, quibuſdam Capitulis vel Dignitatibus, aut etiam Epiſcopis debita, qui Bullis Pontificiis longâ conſuetudine nixi, fructus primi anni vacationis Eccleſiarum Parochialium percipiunt, illiſque toto anno inſervi faciunt, ut licèt jus iſtud Concilio Baſilienſi, imo & ipſo Concilio Tridentino, *Seſſ.* 24. *cap.* 14. *de Reformat.* fuerit indiſtinctè reprobatum, quocumque titulo, colore, aut prætextu, & quâcumque conſuetudine non obſtante, fuit tamen Senatibuſconſultis formatum per Joannem Tournet, *litt. A. n.* 73. *Lovet. & Brodell. litt. D, cap.* 62. *Dufreſne in Diario, lib.* 7. *cap.* 12. exceptis tamen Eccleſiis vacantibus in cauſa reſignationis, ut videre eſt in placito Senatûs Pariſienſis, de die 17. Decembris 1652. relato per eundem Dufreſne, *ibidem*, quare expungenda videntur hæc authoris verba, *talis conſuetudo locum habet in cauſa permutationis.* 1.

Eodem N. 2. *alibi conſuetudo pecuniæ præſtandæ pro ingreſſu.* Hæc conſuetudo damnatur à Concilio Tridentino, *dicto cap.* 14. & Conſtitutione 104. Pii, §. Tanquam ſimoniæ labem redolens, quæ tamen purgatur, ubi pecunia ingreſsûs ad pios uſus certos & determinatos, convertitur. *Lotter. de re Benefic. lib.* 3. *q.* 20. *n.* 13.

TITULUS XV.

De executione Litterarum Beneficialium, & earum inſinuatione.

SUMMARIUM.

I. Annexe. *Forma dignum.*
II. III. IV. V. VI. & *VII. Ab examine qui excuſentur, vel non.*
VIII. IX. & *X.* Inſinuation.
XI. Contrôlle.

I. RESCRIPTA Apoſtolica veniunt aliunde ex alia Monarchia, ex Terris ſummi Pontificis : quamobrem in Gallia non poſſunt executioni mandari, niſi priùs Senatui exhibita fuerint, & Senatus illarum executionem permiſerit *par Lettres d'annexe (a) & pareatis.* Hâc conceſsâ licentiâ proviſus Apoſtolicus adit Commiſſarios Litteris delegatos, regulariter autem Ordinarius deputatur, ut diximus ſuprà, à quo examinatur, (*b*) juxta formam Litterarum, & antiquum Eccleſiæ inſtitutum, cujus meminit Lampridius in vita Severi, dicens, quòd ille Imperator priùs Provinciarum Rectores examinari jubebat, quàm ſe muneri ingererent, quòd audiviſſet Judæos & Chriſtianos in ordinandis Sacerdotibus idem facere conſueviſſe : quod etiamnum in receptione Magiſtratuum noſtri temporis, leviter tamen, fieri ſolet : & ſicut in muneribus ſæcularibus inquiritur de vita & moribus proviſi, opponentibus Edicto evocatis, juxta morem Athenienſium, τὶς βέλεται κατηγορεῖν. Idem potiori jure in muneribus Eccleſiaſticis fieri deberet ; & poſt examen ſi proviſus reperiatur dignus Beneficio, fidem profitetur, & mittitur in poſſeſſionem Beneficii.

II. Excuſantur tamen ab examine præſentati aut nominati ab Univerſitate, *Conc. Trident. ſeſſ. 2. reformat. c. 13.* Si verò nominati non ſint, gradus eos non excuſat, *Congregatio Cardinalium ad dictum Concilium ſeſſ. 29. c. 19.* & in Gallia nec gradus, nec nominatio excuſat, ut rectè conſtitutum fuit Conſtitutione Molinenſi *art.* 75. nam gradus & nominatio plerumque gratiosè dantur : tamen nominatio & atteſtatio Ordinarii de capacitate proviſi ſufficiunt ei ad obtinendum Reſcriptum de Beneficio impetrato, in forma gratioſa, ſine examine, cùm examen fieri debeat ab ipſo Ordinario.

III. Si proviſus non reperiatur idoneus ab examinatoribus repellitur. Verùm ſine juſta cauſa repelli non debet, eaque ab examinatoribus eſt exprimenda, alioquin licet repulſo provocare tanquàm ab abuſu, *ex Conſtit. Gallica Bleſenſi art.* 13. quâ illa forma præſcribitur Ordinariis : ſi verò cauſa fuerit expreſſa, & repulſus dicat eam eſſe injuſtam, aut falſam, apud nos per appellationem ad Metropolitanum recurritur : nam Ordinarius in iſtis caſibus procedit ut Ordinarius, non ut delegatus, ut ſupra dictum fuit *tit.* 14. & à Metropolitano ad Papam, aut Legatum, qui juxta capitulum Concordatorum *de frivolis appellationibus*, dat Commiſſarios in partibus, qui cauſam appellationis judicent, & appellantem iterùm examinent.

IV. Nec priùs ad Papam quàm ad Metropolitanum licet appellare, ut Leonem Pontificem Theodoro Epiſcopo Forojulienſi ſcripſiſſe refert Baronius *anno* 463. Quo Jure utimur in Gallia, *juxta c. Concordatorum, de cauſis*, ut debitus Ordinariis ſervetur honor, ne per ſaltum appelletur ad Papam omiſſo medio, & Juriſdictio Metropolitani ludificetur, ut in cauſa appellationis interpoſitæ tanquàm ab abuſu à decreto Epiſcopi Forojulienſis, à Sede Apoſtolica delegati, ad quam œconomus Monaſterii Maſſilienſis Religioſarum Sanctæ Urſulæ appellaverat, omiſſo Metropolitano, cenſuit Senatus hujus Provinciæ, abuſum declarando.

V. Interdùm fit examen in concurſu, nimirùm ſi de Eccleſia Parrochiali vacante agatur, edicto propoſito aſpirantes citantur, juxta formam præſcriptam Concilio Tridentino, *ſeſſ.* 24. *de reformat. c.* 18. Die indicta examinatores procedunt ad examen, probant idoneos, & reprobant non idoneos ; & ex idoneis Epiſcopus eligit magis idoneum ; à judicio & reprobatione examinatorum appellare non licet ; à judicio & electione Epiſcopi licet appellare, ſi ille ex pluribus idoneis electo minùs idoneo præterniſerit magis idoneum, *Garcias 6. parte, c. 2. n.* 74. ſi electio Epiſcopi irrationalis videatur, ut ait Riccius *deciſ.* 426. alioquin ſalvatur electio Epiſcopi ſi elegerit idoneum, nam parùm & minùs non variant ſpeciem.

VI. Poſt examen, & profeſſionem fidei, proviſus mittitur in poſſeſſionem Beneficii, per ſe, aut per Procuratorem, vel amicum, etiamſi de mandato non conſtet, *Aufrerius q.* 486. mittitur à Prælato, aliove Sacerdote, aut Clerico, qui omnes Litteris delegari ſolent, adhibito Notario & teſtibus; qui fidem faciunt, ut Conſtitutione Gallica Henrici IV. cavetur; & miſſio fit per ingreſſum in Eccleſiam, ſonitum campanæ, ſeſſionem in Choro, in ſignum poſſeſſionis adeptæ: & ſi Beneficium ſit Eccleſiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, proviſus iterùm profeſſionem fidei facere debet in Capitulo, Litteris exhibitis, antequàm poſſeſſionem Beneficii apprehendat, *Conſtitutione Bleſenſi art.* 10. Capitulum verò ſine ulla moratoria cognitione cauſæ eum debet admittere, niſi qualitas ei deſit, Statuto aut conſuetudine Eccleſiæ requiſita: alioquin ab injuſta repulſa aut cunctatione appellare licet tanquàm ab abuſu, ex dicta Conſtitutione, *Chopinus de ſacra Politia lib.* 1. *c.* 8. *n.* 6. & ipſa repulſa aut cunctatio pro miſſione in poſſeſſionem habenda eſt, ut repulſo, quaſi miſſus fuiſſet in poſſeſſionem, judicio poſſeſſorio liceat contendere, *juxta Conſtitut. Henrici II. art.* 13. cùm non aliter judicium poſſeſſorium inſtitui poſſit; at ſi alius ſit in poſſeſſione, œconomus Capituli declarat Sedem repletam eſſe, & cauſa oppoſitionis eſt diſcutienda.

VII. Si verò hâc formâ omiſsâ proviſus poſſeſſionem Beneficii invaſerit, non facit fructus ſuos, cenſetur intruſus: jus tamen quod habet non amittit, niſi vi & violentiâ uſus ſit, *Joannes Andræas in c. cum qui, de præb. in 6. Loëtius lit.* P. *n.* 25. *Rebuff. de pacif. poſſeſſ. n.* 242.

VIII. Moribus tamen Galliæ nominati à Rege ad Prælaturas vacantes, ſi Papa recuſet aut differat inſtitutionem, ex Decreto Magni Concilii mittuntur in poſſeſſionem, & Beneficia conferunt collationis Prælaturæ: ita judicatum fuiſſe in Magno Conſilio pro nominato, Arreſto menſis Martii anni 1646. *tit. de Canonicis inſtitutionum conditionibus*, §. 2.

IX. Poſtremò Signaturæ, Bullæ, procurationes ad reſignandum, nominationes, electiones, præſentationes, Concordata, Litteræ Clericaturæ, Ordinum, profeſſionis Religionis, & acta ipſa miſſionis in poſſeſſionem, debent inſinuari (*c*) Idem ſtatutum fuit de Litteris Vicariatûs ad nominandum & conferendum, de mandatis Apoſtolicis, de Fundationibus divini cultûs, ſive actibus inter vivos, ſive ultimis voluntatibus Fundatio facta ſit, *ex Conſtitutione Gallica anni* 1553.

X. Inſinuatio fit apud Actuarium Regium illius Diœceſis ubi ſitum eſt Beneficium, ad poſtulationem proviſi, aut Procuratoris illius ſpeciale mandatum habentis, intra tempus eâdem Conſtitutione præſcriptum: Litteræ Beneficiales, Signaturæ ad Beneficia aut penſiones, quæ expediuntur in Curia Romana, Concordata quibus penſio extinguitur, & mandata quæ fiunt ad reſignandum & conſentiendum, intra ſemeſtre debent inſinuari cum ipſo mandato quod fit ad inſinuandum, *ex dicta Conſtitutione art.* 2. 7. 8. & 9. Litteræ Legati & Ordinarii intra duos menſes à Datâ illarum: & ſi Actuarius ſit conſtitutus, ubi Litteræ ſunt conceſſæ, eæ inſinuari debent intra dies octo, *ibid. art.* 4. Acta verò miſſionis in poſſeſſionem, intra menſem à die miſſionis elapſum, inſinuanda ſunt, *ibid. art.* 6. Litteræ Tonſuræ & Ordinum, ante acceptationem Beneficii, aut miſſionem in poſſeſſionem, *ibid. art.* 11. Litteræ Vicariatûs ad præſentandum aut conferendum, antequàm Vicarius ſe muneri ingerat, *ibid. art.* 10. alioquin defectu inſinuationis acta ſupradicta fidem nullam faciunt in Judicio, *ex eadem Conſtitutione art.* 17. non tamen irritantur; nam illa Conſtitutio non tàm ad certificandos Ordinarios, & alios quorum intereſt, quàm ad utilitatem Officiariorum, quos Rex ob eam cauſam inſtituit, excogitata eſt; & ſi juſtum ſit impedimentum, quod facilè præſumitur, cùm de jactura agatur, niſi ſit ſuſpicio fraudis & colluſionis, datur reſtitutio in integrum, & poſt præſcriptum tempus inſinuare licet, *ex eadem Conſtitutione art.* 3.

XI. Poſt Edictum Gallicum, inſinuationis Litterarum Beneficialium, præallegatum, aliud Edictum emanavit anno 1638. de eiſdem Litteris annotandis. Quod Edicto poſteriore anni 1647. & Placito Senatûs ſic fuit modificatum: Mandata ad reſignandum in Curia Romana antequàm mittantur ſunt annotanda apud Actuarium ad hoc inſtitutum loci ubi mandata fiunt, exemplari relicto: proviſiones verò Beneficiales Papæ, Legati, vel Ordinarii, annotantur, & inſinuantur intra menſem à die adeptæ poſſeſſionis Beneficii, & Concordata & mandata ad revocandum annotantur & inſinuantur intra menſem à die inſinuationis numerandum, alioquin eodem Edicto Signaturæ & Bullæ non

annotatæ intra præſcriptum tempus irritæ declarantur, & in Judicio nullius ſunt momenti. Verùm hoc Edictum ex Edicto inſinuationum recipit limitationem : ut ſcilicet poſt illud tempus acta prædicta poſſint annotari juxta formam Edicti, ſi juſtum fuerit impedimentum ; quòd Bullæ retentæ fuerint, aliave juſta cauſa reſtitutionem indulgeat, Litteris Regiis obtentis in Cancellaria adverſus præſcriptionem Edicti ; non eſt difficilis reſtitutio, ſi jus alteri non ſit quæſitum, & in locis in quibus Officia annotationis non ſunt inſtituta, vel fuerunt ſuppreſſa, annotatio, *le contrôlle*, non deſideratur, inſinuatio ſufficit.

SOLIER.

(*a*) Hoc in ſola Provincia Provinciæ hodiè, *teſte Fevreto, lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 18. ubi Senatus audito Regio procuratore licentiam exequendi concedit impetranti, his verbis, *ait l'Annexe ſauf l'abus.* Olim in aliis etiam Galliæ partibus reſcripta Apoſtolica arreſtabantur, & in ſuſpenſo manebant donec Commiſſarii ad hoc deputati Bullis perlectis proſpexerint an libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ vel Regiæ Juriſdictioni, & juribus Coronæ adverſarentur ; ut videre eſt *apud Fevret, dicto loco*, ubi multa congerit, ex quibus conſtat hoc cautelæ remedium adhibitum, non quod in Gallia Papa tanquam in partibus ſibi non ſubjectis Juriſdictionem ſpiritualem maximè voluntariam exercere nequeat, niſi ſibi à temporali poteſtate facultas fiat ; quia imò tota Gallia & totus orbis, qui ei ſtat pro Diœceſi in ſpiritualibus ſubjicitur, nec quoad hæc apud nos ejus eſt aliena Monarchia ; ſed ne reſcriptis hujuſmodi juribus Regni aliquod præjudicium inferri contingeret. Et is fuit uſus in Gallia uſque ad tempus inventæ provocationis ab abuſu.

(*b*) Quamtumvis eminentis ſcientiæ & collatori notæ, quia examen eſt de forma, & de eo in Litteris collationis habenda eſt mentio expreſſa ut cavetur Ordinatione Bleſenſi, *art.* 12. aliàs locus eſt appellationi tanquam ab abuſu in Parlamento Toloſano juxta præjudicia ab Oliveo relata, *lib.* 1. *cap.* 16. quod non obtinet in Senatu Pariſienſi, *Fevret. de abuſu, lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 17.

(*c*) Hodiè annotatio ſeu contrarotulatio actuum Eccleſiaſticorum abrogata eſt Edicto inſinuationum de anno 1646. inſinuatio verò arbitrio privatorum relicta ſaltem in Senatu Toloſano Arreſto verificationis edicti hujuſmodi, manet tamen neceſſitas inſinuandi Vicariatum ex antiqua conſtitutione.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 5. Salvatur *electio Epiſcopi, ſi elegerit idoneum.* Peccat autem mortaliter Epiſcopus, ſi dignum eligat, omiſſo digniore, *Sanctus Thomas* 22. *q.* 36. *art.* 2. *& q.* 185. *art.* 3. *Vivianus de jure Patr. part.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 5. *Pyrrhus Corrad. in praxi Beneſic. lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 51. valet tamen inſtitutio non appellante digniore, *Garcias, part.* 9. *cap.* 4. *n.* 32. *in fine, Lambertin. de jure Patr. part. lib.* 2. *q.* 5. *art.* 2. & tenetur Epiſcopus ad reſtitutionem, ubi ſcilicèt deberetur digniori ex aliquo ſtatuto, vel reperto digniori in concurſu, aliàs non, *Navarrus in manuali cap.* 17. *n.* 74. *& alii jam citati :* dignior autem habendus eſt ille, non qui doctior, aut ſanctior eſt, ſed ille qui juxta munus & rem, cui eſt præficiendus eſt aptior, *Vivian. dicto cap.* 9. *n.* 8. *Garcias, part.* 7. *cap.* 6. & ſi dignus ſit pauper, & dignior ſit dives, pauper eſt inſtituendus *Hoſtien. in cap. de ætate & qualit.* ſi verò Eccleſia eſſet debitis onerata, dives eſt inſtituendus. *Lambertin. dicta quæſt.* 5. *art.* 13. item præferri debet tanquam dignior Diœceſanus, etiamſi externus præſentatus, eſſet magis idoneus, *Vivian. poſt alios quos citat, ubi ſuprà n. q.* 12. *& ſeqq. ubi plura.*

N. 11. *Aliud edictum emanavit anno* 1638. *de annotandis eiſdem litteris.* Triplex potiſſimum circa inſinuationes Eccleſiaſticas emanavit, Edictum Regium *primum* de anno 1553. quo neceſſitas inſinuandi quoſcumque actus Eccleſiaſticos, fuit impoſita : *Secundum*, quo inſinuatio fuit remiſſa, & in ejus locum annotatio, quam contrarotulationem vocant, eorumdem actuum, fuit ſubrogata : *Tertium*, quo ſecundum Edictum ejuſmodi fuit abrogatum, & neceſſitas inſinuandi reſtituta ; ſed nullum in Juriſdictione Senatûs Toloſani ſervatur : non etiam ſecundum, quia in ejus locum tertium ſucceſſit : Tertium denique in deſuetudinem abiit, improbatum non quidem Arreſto verificationis, ut nobis ſupra dicere aliàs excidit, ſed altero poſtmodum ejuſdem Senatûs placito de die 17. Novembris 1649. ad inſtantiam Regii procuratoris lato, quo inſinuatio arbitrio privatorum fuit relicta, erat tamen Declaratio Ludovici XIV. de menſe Januarii 1651. quâ mandata quælibet ad reſignandum inſinuari præcipiuntur antequam Romam mittantur ſub pœna nullitatis, ſed quia nondum fuit in hoc Senatu regiſtrata, non eſt hîc effectum ſortita.

TITULUS XVI.

De Judicio possessorio (a) & petitorio Causæ Beneficialis.

SUMMARIUM.

I. II. III. IV. V. VI. & VII. Recredentiarius debet satisdare.
VIII. Judicium possessorium & petitorium Beneficii.
IX. Beneficii fructus à quo tempore debeantur proviso.
X. Fructus Beneficii dividuntur inter hæredes, & successorem Beneficii.

I. ANTE possessionem adeptam non licet in Jure experiri de possessione Beneficii: nam sola collatio non tribuit jus possessionis, *c. Cùm Bertoldus, de re judicata*, nisi constet de injusta repulsa: tunc enim missio in possessionem facta fingitur, utilitatis causâ, ut suprà dictum fuit: nec de possessione agere licet ante insinuationem & annotationem Litterarum, quia Litteræ non insinuatæ nec annotatæ fidem nullam faciunt in Judicio: his verò peractis Judicium possessorium instituitur, Litteris Salvæ-gardiæ obtentis, à Pro-Prætore ejus loci ubi situm est Beneficium: quæ Litteræ conceduntur salvo jure opponentium, ne cuiquam fiat præjudicium, & illa clausula resolvitur in citationem.

II. Coram Judice Ecclesiastico de possessione agere non licet, aut vindicias petere, aut sequestrationem rei Beneficialis, *Molin. de infirmis resignant. n.* 200. nam possessio est quid temporale reale, & plerumque manu militari opus est, ad vim reprimendam, & compescendas rixas litigantium, *l. Æquissimum, ff. De usufructu, l. Nam salutem, ff. De off. Præfecti vigilum*, nec coram Judicibus feudatariis: nam harum rerum cognitio Judicibus Regiis reservata est, à quorum Sententiis immediatè Senatus appellatur, ex Constitutione Ludovici XI. *Loiseau, des Seigneuries, c.* 14. ut citiùs lis finiatur.

III. Devolutarii debent priùs domicilium eligere, & satisdare pro sumptibus litis, alioquin in limine Judicii repelluntur, ut suprà dictum fuit, *tit. De annali possessore.*

IV. Si Judici non liqueat, probatio desideratur; interim verò vindiciæ addicuntur ei qui titulum habet magis coloratum, ad solam inspectionem Litterarum exhibitarum, sine inquisitione testium, ne cultus divinus retardetur: cùm de possessione rei prophanæ agitur, sola possessio sufficit ad vindicias obtinendas: at in hac materia titulus desideratur; nam sine canonica institutione Ecclesiastica Beneficia non licet possidere, *c. De pacificis possessor. in Concordatis*, quod explicabitur infrà, ubi notabimus quando titulus dicatur coloratus, vel non: in causis prophanis consensus partium sufficit: at in hac materia, quæ publici juris est, officium Judicis desideratur, *Loëtius lit. R. n.* 25. *Papon lib.* 2. *tit.* 9. *n.* 14. proinde si ex consensu partium judicetur, judicium debet repræsentari titulis exhibitis, & à Judice approbari.

V. Sententia vindiciarum, *recreance*, executioni mandatur: non obstante appellatione, ob rationem præcedentis articuli, ne cultus divinus retardetur, modò forma Juris in eâ servata fuerit, sex assessores in consilium adhibiti fuerint, & subscripserint, quamvis illa sententia dicatur injusta, modò valida sit, ratione Jurisdictionis, & formæ requisitæ, & à Judice medio, à quo per appellationem immediatè itur ad Senatum, lata sit, *Constitutione Blesensi, art.* 85. *Papon lib.* 8. *tit.* 11. *n.* 13.

VI. Tamen executio fit cautione priùs data ab eo qui vindicias obtinuit de fructibus restituendis, si illa sententia à Senatu super appellatione interpositâ fuerit reformata nisi Placito Senatûs vindiciæ addictæ fuerint, nam authoritas Senatûs à satisdatione excusat, *Papon loco cit. n.* 10. Et ob eam rationem, si sententia vindiciarum Placito Senatûs fuerit confirmata, fidejussores antè dati ad postulationes partis debent liberari, *Loëtius in lit. R. n.* 18.

VII. Adeoque favorabilis est hujusmodi sententia, ne cultus divinus retardetur, quòd appellans non auditur, nisi priùs sententiæ paruerit, vindiciario possessionem reliquerit, & sumptus litis solverit, ut cavetur Constitutione Gallica anni 1539. & notat Loëtius *in lit. R. n.* 23.

VIII. Post vindicias judicium possessorium instruitur, instrumentis & testibus productis si sit opus; & Judicis sententiâ ille vincit qui potior est jure, & manutenetur, ut vulgò dicitur, hoc est, principali authoritate defenditur: nam per manum intelligimus

potestatem Regiam, *l. 2. ff. De origine Juris:* finito judicio possessorio itur ad Judicem Ecclesiasticum pro petitorio, & titulo Beneficii, nisi sententia lata super possessorio, ut sæpè accidit, rei judicatæ exceptionem pariat in petitorio, aut nisi de Beneficio vacante in Regaliâ agatur, de quo Judex Ecclesiasticus cognoscere non potest, nec in possessorio, nec in petitorio, *Molin. ad Edictum Henrici II. art. 1. & ad Reg. de infirmis resign. n. 416.* Idem asserit de Beneficiis Regiæ Fundationis.

IX. Provisus per obitum lucratur fructus à die mortis, nam fructus reservantur futuro successori, nisi Regalia obstet, aliave consuetudo particularis, quâ fructus primi anni reserventur Ecclesiæ, ut dictum fuit suprà: qui verò ex causa resignationis provisus est, lucratur fructus à die provisionis, *Rebuff. de publicandis resignat. Gl. 13. n. 5. Loisellus de Officiis lib. 1. c. 8.*

X. In Gallia mortuo Beneficiario fructus ejus anni quo mortuus est dividuntur pro rata temporis inter novum successorem Beneficii, & hæredes defuncti, *juxta l. Divortio, ff. solut. matr.* At in hac materia initium anni spectatur à primo Januarii; & deducuntur pro Rectore sumptus & expensæ necessariæ pro ministerio Ecclesiæ, *Loisellus loco cit. Expily c. 28.* nam apud nos Beneficiarii sunt domini fructuum, eosque transmittunt ad suos hæredes, ut diximus, *lib. 1. tit. 1.*

SOLIER.

(*a*) Judicium possessorium in Beneficialibus tres habet partes, sequestrum, recredentiam, & pleni possessorii definitionem. Regulariter, sequestratio tam de jure civili, quàm Canonico prohibita est, *tot. tit. de prohibita sequestratione pœcun. cap. 1. d. sequestra. Possess. & fructuum, cap. 1. Ut lite pendente.* Ab hac regula excipiuntur plures casus quos refert *Gloss. fin. in cap. 2. d. tit. de sequest. possess.* & pleniùs *Abbas ibid.* Generaliter Judex ex justa causa sibi bene visa potest ex Officio apponere sequestrum in omnibus casibus, in quibus sequestratio ad instantiam partis fieri non potest, *Gonzalez ad regul. 8. Cancell. §. 7. Proëmial. n. 27.* & interdum solet apponi quando timetur, quòd non possit commodè fieri executio, & recuperatio fructuum, *idem, n. 34.* Recredentia summariè expeditur, cessantibus interim, & ad causæ definitionem rejectis, & remissis partium interrogationibus, litterarum recognitionibus aliisque vocalibus probationibus, & instructivis, atque executioni demandatur quâvis appellatione non obstante, cautione juratoriâ præstitâ de restituendis fructibus, si in fine litis ita dictum fuerit, nec auditur appellans nisi priùs judicato paruerit *Novellâ Constitutione Regiâ anni 1667. tit. 15. art. 9. & 10.* Postquam autem judicium possessorium definitivo Senatûs decreto terminatum est, non licet coram Judice Ecclesiastico super petitorio experiri, ut judicatum refertur, *in additione ad Brodell. apud Lovetium, littera B, cap. 11.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Ante *possessionem adeptam non licet in jure experiri.* Qui possessionem non habet actualem non potest in possessione turbari, & in consequens non possunt sibi interdicta retinendæ, vel recuperandæ competere, *L. 1. ff. Uti possidetis, L. 7. de vi, & vi armata, L. Si ex stipula, de acquir. & admittenda poss.* & ita judicatum refert *Lovet. litt. C. cap. 10.* sed nonne sufficeret possessio civilis à supremis Judicibus indulta in recusationem ordinarii, & duorum ex vicinioribus Episcopis, ut quotidiè praticatur? Credemus quòd sic; quia solùm agitur de possessione & fructibus profanis, & repulsam passus habet, ut supponitur provisionem Apostolicam in forma dignum expeditam, quam executioni demandare Prælati sine causa recusarunt, & ita annuit Author hic: non potest autem iste provisus munia obire Curalia ante obtentum, quem *visa* vocant, titulum, *ut Senat. Consul. Tolosano de die 10. Julii 1663.* inter cognomitanum Hibrard. & Episcopi Vaurensis Promotorem, relato in relationibus Cleri Gallicani, *tom. 1. tit. 3. art. 11. p. 2.* possessionem ex facultate Prætoriani Judicis capta ante provisionis adventum, testante Benchario illam Romæ admissam, non esse credo ejusdem virtutis, cum desit summa potestas ad supplementum Legis, & injustæ recusationis Episcopi Jurisdictioni inferiorum Judicum non subjacentis, prodest tamen ad vitandam regulam de publicandis, & eligendum concursum prærogativæ prioritatis possessionis, juxta *cap. Si à Sede Apost. de Præbend. in 6. cap. 25. & litt. V, cap. 3. n. 4. vide Bengeum de Benefic. cap. de Canonicis institut. condit. §. 2. n. 71. & causarum publicè peroratarum Diario, tom. 1. lib. 4. cap. 34.*

Eodem N. 1. *litteræ non insinuatæ nec annotatæ fidem nullam faciunt in Judicio.* Aliud obtinet in Senatu Tolosano ut supra monuimus.

N. 2. *Nam possessio est quid temporale.* Contrarium tenent exteri fere omnes asserentes possessionem Beneficii esse quid spirituale, seu connexum spirituali, propter administrationem Ordinis, vel Clavium, quæ indè sequitur, *ita Garcias post alios quos citat, de Beneficiis, part. 1. cap. 2. n. 52.* quos ex nostris visus est sequi *Guido Papa, q. 1. in fine* ubi quæritur, an in Beneficialibus sit licitum redimere pecuniis vel aliâ re vexationem suam, & respondet affirmativè, quando scilicet redimens habet plenum Jus Canonici, & est in possessione Beneficii, nec tunc committit simoniam, *cap. Dilectus, de simonia*, quod si non haberet plenum Jus in re, sed ad rem, tunc non esset licitum redimere vexationem, nec etiam si haberet plenum Jus in Beneficio, nec esset adeptus possessionem, nam nec eo casu posset pecuniis redimere vexationem, quia

tunc non redimeretur vexatio, sed expossessio, ergo sentit possessionem Beneficii esse spiritualem, vel spirituali annexam, & eam non posse pecunia redimi absque simonia, quænon cadit in spiritualibus, vel annexis spirituali: sed esto quòd hæc opinio de jure sustineri posset, scilicet possessionem Beneficii esse spiritualem, & notionem non esse Judicis sæcularis secùs, tamen est de consuetudine, quæ in Gallia fuit approbata, per Martin. 5. *Constitutione sua de die* 1. *Maio Pontificatûs ejusdem anno* 12. *relatâ à Guidone Papa dicta q.* 1.

N. 9. *Qui verò ex causa resignationis provisus est lucratur fructus à die provisionis.* Imò duntaxat à die captæ possessionis, ut Praxis docet: & est ratio, quia cum resignatum sit in favorem & non aliàs, conditio non censetur purificata, antequam Beneficium acquiratur Resignatario, non censetur autem acquisitum ante adeptam possessionem *Flamin. de Resignat. lib.* 1. *q.* 7. *n.* 10. & interim Resignans incumbit possessioni, Beneficio inservit, & facit fructus suos usque ad adventum successoris, licèt secùs sit in pura & simplici Resignatione.

TITULUS XVII.

De Pluribus simul provisis.

SUMMARIUM.

I. II. & III. Inter provisos de eodem Beneficio quis præferri debeat.

IV. Si provisi de Beneficio à diversis collatoribus concurrant.

I. SI duo pluresve de eodem Beneficio provisi fuerint eâdem die, distinguitur: aut enim ab eodem collatore, aut à diversis sunt provisi. Si ab eodem collatore, ille præfertur qui tempore prior est, si constet de prioritate horæ aut momenti, sive à Papa, aut Legato, sive ab Ordinario, vel à Rege, ambo provisi sint. Constat autem de prioritate temporis si in utraque provisione hora sit expressa, & altera sit prior, altera posterior: & si in alterâ provisione hora sit expressa, in alterâ sit omissa, illa præsumitur prior in quâ fuit expressa, *Socinus cons.* 67. *vol.* 3. modò sit hora matutina (*a*) *Rebuff. de pacif. possess. n.* 299.

II. Si verò in utrâque collatione hora sit omissa, aut constat de prioritate alterius ex Regesto Datarii, & ordine scripturæ (*b*) *Benedictus in c. Rainutius, verb. testamentum n.* 18. nam ex ordine scripturæ probatur prioritas, *l. quoties, ff. de usufructu, Rebuff. de pacif. possess. n.* 295. modò omnia seriatim sint descripta, sine ulla interlineatura; aut prioritas testibus probatur, *Gl. in c. si à Sede, de præb. in* 6. aut præsumitur pro eo qui priùs possessionem adeptus est *Gl. ib.* nam in dubio sola possessio declarat prioritatem tituli, *Molin. ad regulam de verisimili notit. n.* 36. *Chopinus de sacra Politia, lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 1. Et si uterque eâdem die & horâ in possessionem missus sit, sistendum est in probatione quæ colligitur ex Litteris utriusque, aut testium depositione, *Gloss. in d. c. si à Sede.*

III. Si verò de prioritate nullo modo constet, neuter vincit, nam mutuo concursu se impediunt, *arg. l. Duo sunt Titii, ff. De testamentaria tutela, l. Si ita fuerint, ff. De rebus dub. l.* 3. §. *Si duobus, ff. De adim. legatis, Papon lib.* 2. *tit.* 9. *n.* 6. quoniam Beneficium divisionem non patitur, *c. Majoribus, c. Cum non ignores, c. Dilecto de præb.* etiamsi si clausula, *anteferri*, in Litteris alterutrius fuerit apposita, quæ (ut diximus suprà) apud nos nullius est effectûs: sic neutrius provisio valet ob incertitudinem, & tertius impetrans cum clausula, *si neutri., si nulli*, ob defectum tituli admittitur, quamvis alter eorum qui priùs provisi fuerant non petat, vel etiam renunciet juri suo in gratiam competitoris, quia neuter jus habere videtur, *Rebuff. de pacific. possess. n.* 295.

IV. At si à diversis collatoribus competitores provisi fuerint, putà alter ab Episcopo, alter à Vicario, provisus ab Episcopo præfertur, *Papon lib.* 2. *tit.* 9. *n.* 9. *Rebuff. lib.* 1. *tit.* 34. *n.* 30. nec distinguendum est si provisus à Vicario priùs possessionem adeptus sit; nam etiam in illo casu provisus ab Episcopo debet præferri, (*c*) quia Episcopo conferente suspenditur potestas Vicarii, ut diximus suprà, *lib.* 1. *tit.* 11. Si verò alter ab Ordinario, alter à Papa vel Legato provisus sit, provisus à Papa vel Legato præferri debet, nisi constet de prioritate alterius, ex instrumento de hora, (*d*) vel missionis in possessionem, (*e*) vel testibus, *Gloss. in d. c. si à Sede*; aut nisi alteri absenti collatio facta sit, vel utrique absenti: eo enim casu qui priùs acceptavit præferri debet, *Rebuff. de pacif. possess. n.* 298. Tamen si alter à Papa provisus sit ex causa resignationis, cum clausula derogatoria regulæ de viginti, & alter ab Ordinario provisus sit per obitum eâdem die, provisus à Papa aut Legato præfertur, tametsi constet ex Litteris Ordinarii de collatione ab eo factâ horâ matutinâ,

matutinâ, tùm ob authoritatem Sedis Apostolicæ, tùm ob favorem resignationis, *Papon lib. 2. tit. 9. n. 21.* nam resignatio præsumitur admissa vivo resignante, nisi contrarium probetur, *Rebuff. de pacif. possess. n. 296. & 300. & ad reg. de infirmis resign. Gl. 12. n. 16.* Si verò constaret de obitu resignantis, ante resignationem admissam, cessaret prærogativa resignationis, & provisus ab Ordinario horâ matutinâ præferendus esset proviso à Papa vel Legato eâdem die: nam præsumitur contra eum qui noluit horam quâ provisus est in suis Litteris apponi; & bonum esset, ad vitandas similes controversias, si collatores ex officio horam apponerent.

SOLIER.

(*a*) An ut intret effectus horæ debeat esse matutina? Affirmat *Rebuff. de pacific. possess. n. 299.* quem sequitur Author noster, *negat Gonzalez ad regul. 8. Cancell. §. 3. Proëmiali, n. 103. & 104.* ubi affert pulchram decisionem Crescentii *169. aliàs 4. de præsumpt.* in qua fuit resolutum quòd collatio facta à Papa eâdem die ei qui in partibus hora secunda noctis ejusdem diei factus fuerat Clericus teneat: nam præsumitur posterior Clericatu certam horam continente, quod verum puto.

(*b*) Nulla apud nos ex registro Datarii, & Ordine scripturæ aut aliàs Prioritatis probatio induci potest, cum ea sit Galliæ prærogativa, ut cum primùm Cursor Romam appulit, omnes illicò provisionum, quarum memorialia advehit Datæ captæ intelligantur, *Brodell. ad Lovet. litt. M, cap. 10. n. 9.* unde cum non sit prioritas inter ipsas probari non potest, aut induci ex Ordine scripturæ, aut horæ appositione, aut Prioritate possessionis, vel depositione testium sed omnes ejusdem diei de eodem Beneficio utpotè eodem momento admissæ penitus elisæ & nullæ existunt: nisi una per fiat, aliæ verò per concessum signatæ sint: quia illa cæteris præfertur, ut judicatum refert *Brodell. d. loco, n. 3. juxta regulam Cancell. 33.*

(*c*) Hoc negant *Rebuff. de pacific. possess. n. 372. versic. 4.* & contrarium judicatum refert à Senatu Parisiensi anno 1589. 24. *Julii, & Gonzalez ubi supra, n. 124.* quia stante possessione provisi à Vicario præsumitur anterior Vicarii provisio, quod verum puto, licèt plerique nostri aliud teneant, *Choppin. de sacra Polit. lib. 1. tit. 6. n. 7. Charond. in respons. lib. 10. resp. 8.* & Pastor hîc post Geminian. *in cap. Si à sede, de Præb. in 6.* quem refellit Rebuff. dicto loco.

(*d*) Sed uter erit potior ex duobus provisis eâdem die de eodem Beneficio? An habens horam sine possessione, an verò habens possessionem sine hora? Author annuit pro habente horam, ex quo illam primo loco commemorat, & Paulò ante dixerat ad Prioritatem possessionis esse recurrendum, cum in utraque collatione hora est omissa. Contrarium tamen est verius, quia præsumptio possessionis est potentior horæ præsumptione, & uti talis apponitur *in d. cap. Si à sede, de Præb. in 6. Gonzalez d. §. 3. Proëmiali, n. 64.*

(*e*) Modò collatio, & possessio sint ejusdem diei, vel jam antea Collatarius esset in possessione; aliàs secus, Gambar. *de Offic. & potest. Legat. lib. 3. tit. 1. n. 667.* quamvis ipse contrarium voluerit, *n. 69. & 666. Cassador. decis. 15. de Præb.* & licèt obscurè Loquatur, res tamen videtur clara; ex quo enim post collationem datur aliquod tempus, in quo neuter est in possessione, subintrat dispositio *d. cap. Si à sede.* per quam neutro possidente provisus à Papa, vel Legato præfertur proviso ab Ordinario propter conferentis ampliorem prærogativam: ergo semel extinctum jus provisi ab Ordinario reviviscere non potest per supervenientem possessionem, *L. Qui res, §. Aream, cum L. Seq. ff. de solut.* In contrarium tamen extat decisio Rotæ apud Puteum, *lib. 1. decis. 125. pag. mihi 49.* sed an virtus hujus possessionis obtineat in sequenti successore cujus decessor non fuit in possessione, sed ipse in ea capienda prævenit provisum Apostolicum? Respondetur negativè, quia possessio successoris venit ad suum titulum, non autem ad titulum decessoris, de quo tantum quæritur *in d. c. Si à sede, Cassad. d. decis. 15. Gonzal. d. §. 3. Proëm. n. 77.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Si *in altera provisione hora sit expressa.* Si Ordinarius conferat adjectâ horâ, Provisus Apostolicus ejusdem diei ut prærogativam hanc posset eludere debet, fide scriptâ magistri cursorum Regis quâ die & horâ cursor Romam appulit, præmuniri, *Brodell. litt. M, cap. 10. n. 9. & 10.*

N. 3. *Quamvis alter eorum qui prius fuerant non petat, vel etiam renunciet.* Contrarium vult *Joann. de Selva, de Benefic. part. 3. q. 15. n. 1.* ubi ait, quod quando duæ collationes procedunt sub eadem data, si unus negligat, aut nolit acceptare Beneficium, tunc alius non negligens debet esse potior & præferri negligenti per textum *in cap. Tibi de rescript. in 6.* sed nota marginalis ad dictam quæstionem rectè arguit nullitatem utriusque, neque inquit unius negligentia alteri prodest, quia in factum scripta lex, cum non appareat de quo censerit testator, *L. Duo sunt Titii, ff. de testam. tutel.* ità cum non appareat cui voluerit Papa conferre, hoc per negligentiam unius non constabit, & ita judicatum in magno Regis Consilio, *die 27. Junii 1607.* inter Fratrem Mauricium Dupas Religiosum, & Fratrem Laurentium Le Pelletier in q. eleemosinaria divi Nicolai Andegavensis, cùm certum sit Papam ex proposito duobus eodem die non contulisse, & hæc est veritas. Sed quid, ubi altera provisio esset penitus nulla propter obreptionem, aut aliàs, an cessabit concursus? Respondetur negativè, propter eandem rationem. *Ita judicatum Senatusconsulto Parisiensi de die 16. Martii 1661. relato in causarum Diario, tom. 2. lib. 4. cap. 14.*

N. 4. *Vel missionis in possessionem.* Hic proponi potest subtilis quæstio, quam movet *Hieronimus Gonzalez ad regulam 8. 53. Proëmiali, n. 84.* an data paritate Datarum respectu diei, quamvis provisus ab Ordinario obtineat possessionem, nihilominus sit excludendus à proviso per Papam, propter

clauſulam apponi ſolitam in gratia, quòd proviſus ſubrogatur gratioſè quoad poſſeſſionem defuncti, & ait quòd ipſe teneret, quòd ſic, niſi conſideraſſet, ut inquit, quòd Rota ſolet reſtringere virtutem hujus ſubrogationis quoad interdictum adiſpiſcendæ dumtaxat, hoc eſt, quòd tali proviſo concedatur mandatum de immittendo in poſſeſſionem, non autem conceditur remedium retinendæ ſeu manutentio, & hoc verum eſt, præſertim in Gallia, *Rebuff. in Praxi 3. p. ſignat. in verbis, vel ſubrogationis, aliàs ſemper excluderetur proviſus ab ordinario.*

TITULUS XVIII.

De Jure optandi.

SUMMARIUM.

I. Jus optandi in Præbendis ut fuerit introductum. Jus optandi in muneribus publicis. In optione capacitas deſideratur.
II. Optio fit cum ſuo onere
III. Optio fit ordine ſucceſſivo. In optione variare non licet.
IV. Optio fit intra viginti dies.
V. Caſus in quibus optio non habet locum.
VI. Optio non fit contra devolutarios.
VII. Optio non fit contra reſignatarium niſi alia ſit conſuetudo. Optio fit contra reſignatarios, ex Statuto Eccleſiæ Aquenſis juxta Statuta Eccleſiæ Metropolitanæ, Eccleſiæ inferiores debent moderari.
VIII. Optio non admittitur in Præbendis Theologalibus & Præceptorialibus.
IX. Juri optandi Papa derogare non poteſt. Arreſtum.
X. Jus optandi Statuto & conſuetudine contraria tollitur.

I. JUs optandi Statuto vel conſuetudine inducitur, *c. Cùm in tua, de conſuetudine in 6.* ut Statutum valeat, conſenſus majoris partis Capituli & authoritas Epiſcopi deſiderantur, *Gloſſ. in d. c. Mohedan. deciſ. 46.* In conſuetudine duæ vel tres optiones requiruntur, quæ fuerint ſortitæ effectum nemine opponente, & præſcriptio decennalis ſufficit, quia conſuetudo rationabilis eſt, *Mohedan. loco cit. Rota deciſ. 227. in novis*, in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, *Rota ibid. deciſ. 226.* ratione Juris id exigente, ut gradatim honores deferantur, & à minoribus ad majores perveniatur, ſicut Imperatores voluerunt in muneribus ſæcularibus obſervari, *l. ut gradatim, ff. de muneribus & honoribus.* Hoc jure qui in Capitulo prior eſt ordine admittitur ad Præbendam vacantem, & alteram quam habebat dimittit ſequenti, & gradatim omnes ſequentes optant, ſine nova proviſione: nam Præbenda eſt acceſſoria Canoniæ, & acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis; tamen ſi quis ex delicto vel defectu factus ſit incapax, optare non poteſt, *Rota deciſ. 195. in novis*, ubi concludit jus optandi non cadere in excommunicatum, licèt is Beneficium quod poſſidet non amittat: nam cùm per optionem novus titulus acquiratur, eadem capacitas in eâ quæ in electione aut collatione deſideratur: & ſunt qui putant diſpenſatum ad certum Beneficium non admitti ad optandum in eadem Eccleſia, quoniam in diſpenſationibus non fit extenſio ad alia Beneficia niſi diſpenſatio ſit generalis. Verùm cùm jus optandi ſit annexum Canoniæ indiſtinctè Statuto vel conſuetudine, dicendum eſt diſpenſatum ad certam Canoniam conſequi etiam jus optandi ad Præbendas vacaturas, niſi diſpenſatio limitata fuerit ad Præbendam annexam Canoniæ tempore diſpenſationis.

II. Optio fit cum ſuo onere, & cum ſua cauſa, & optans tenetur ad penſionem & Annatam quibus Præbenda, quam optat reperitur gravata: liberum enim ei eſt optare Præbendam penſione oneratam, aut minoris reditûs; nam melior dicitur quæ plus optanti placet, *Rota deciſ. 227. in novis*: nec obſtat optanti quòd Præbenda quam dimittit, ut liberam obtineat, penſione onerata ſit, *Gonzales ad regulam Cancellariæ octavam n. 76.* nam vel illa penſio ex conſenſu illius conſtituta fuit, vel non. Si primum, Præbenda dimiſſa non liberatur à penſione: verùm conſtituens tenetur, quandiu vixerit, ad præſtationem illius, & eo defuncto poſſeſſor Præbendæ penſione gravatæ, eam ſolvere tenetur penſionario ſuperſtiti, ob rationem allatam, quia res tranſit cum ſuo onere, *Faber C. de Sacroſ. Eccleſ. def. ult.* At ſi penſio ex conſenſu alterius conſtituta fuerit, Præbenda dimittitur ab optante cum ſuo onere.

III. In jure optandi, priore repudiante, vel omittente, ſequens admittitur ordine ſucceſſivo, *Rebuff. de pacif. poſſeſſ. n. 140.* Repudiatio fit per declarationem illius conſultò

factam in Capitulo, per se, aut per Procuratorem habentem speciale mandatum, *Gonzales ad Regulam Cancellariæ octavam, n. 76.* & post repudiationem variare non licet: nam optio prima declaratione consumitur, *l. Apud Anfidium, ff. De optione legata, & l. Servi, ff. De leg.* 1. nec locus est restitutioni in integrum beneficio ætatis: nam in causis hujusmodi minores pro majoribus habentur, *c. Finali, de judic. in 6.* modò sint majores annis quatuordecim, ex eodem capitulo.

IV. Amittitur autem jus optandi nisi optio fiat intra viginti dies, ex quo notum fuit vacare Præbendam, *d. c. cùm in tua*; quo tempore præscribitur, tum contra priorem, tum contra sequentes, qui gradatim optare possunt, ut cautum fuit Edicto successorio in petenda bonorum possessione, *l. unica, §. si intra, ff. de Edicto successorio; & in retractu gentilitio, Tiraquellus de retractu gentilitio, quæst.* 11. *Gl. 6. n.* 1. Idem in hac materia servatur, ne tempus præscriptum ad optandum multiplicetur per diversas personas, quæ optare possunt; *Rebuff. in Tractatu nominationum q.* 17. nam intra illud tempus sequens potest interpellare priorem, ut optet, aut repudiet; & si quis in illo ordine reperiatur incapax optandi, locum facit sequenti, ut constat ex suprà allegatis.

V. Nunc videamus in quibus casibus jus optandi cesset. *Primò*, in Beneficiis reservatis hoc jus non habet locum, si reservatio sit generalis, *Gigas de pensionibus q.* 73. *Gonzales loco cit. Garcias parte* 5. *c.* 1. *n.* 1. nam reservatio generalis vim Legis habet, & dirimit impedimenta obstantia. At reservatio particularis in mandato de providendo, indulto, aut privilegio particulari, contenta, non excludit jus optandi, quoniam per mandata aut privilegia particularia Statutis & consuetudinibus Ecclesiarum non derogatur; *Garcias* 5. *parte, c.* 5. Tamen Theologus, cui reservatur prima vacatura, Constitutione generali, ut diximus suprà, *lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 10. non excludit optantem in casu vacationis, & Præbendam ab eo dimissam accipere tenetur, ut in Congregatione Cardinalium resolutum fuisse refert. *Farinacius decis.* 33. Idem de Graduatis dici potest, ne novus advena præcedat antiquiorem: idem de Indultariis & Regalistis est dicendum; Indultis enim & Regaliæ non derogatur, Statutis & consuetudinibus Ecclesiarum, *Rebuff. de nominat. q.* 15. *n.* 16.

VI. *Secundò*, jus optandi non admittitur contra devolutarios provisos ob incapacitatem possessoris, aut nullitatem tituli, ob duplicem rationem. *Prima*, ne eorum diligentia retardetur in accusando injusto possessore Beneficii. *Secunda*, quia cæteri de Capitulo qui possunt optare jus illud amittunt spatio viginti dierum, ut dictum fuit suprà, *Gonzales loco cit. n.* 75. nisi alia sit consuetudo.

VII. *Tertiò*, jus optandi cessat in Beneficiis vacantibus ex causa permutationis, aut simplicis resignationis, nisi alia sit consuetudo: sunt tamen qui sentiunt contrarium, nimirùm jus optandi locum habere in Beneficiis vacantibus ex causa resignationis, nisi alia sit consuetudo, *Gigas de pensionib. q.* 73. *Rebuff. de nominat. q.* 15. Prior sententia vera est, si casus resignationis non sit expressus in Statuto: nam in reservationibus generalibus factis in gratiam pauperum & Graduatorum casus resignationis excipitur, ut diximus suprà: ergo (*a*) potiori jure in Statutis de optando exceptus intelligitur, nisi in eo fuerit expressus. Posterior sententia est vera, si casus resignationis in Statuto fuerit expressus. Aquis-Sextiis ex Statuto jus optandi locum habet in Beneficiis vacantibus ex causa resignationis; & in dubio Ecclesiæ inferiores juxta Statuta Ecclesiæ Metropolitanæ debent moderari, *cùm olim, de consib. & c. de iis, dist.* 12.

VIII. *Quartò*, Statutum de optando non habet locum in Præbendis Theologalibus, Præceptorialibus, & Pœnitentiariis: (*b*) nam ex consuetudine generali, Præbendæ Theologales, Præceptoriales, & Pœnitentiariæ, non sunt subditæ juri optandi, & qui de illis provisi sunt alias Præbendas optare non possunt, *Garcias* 5. *parte, c.* 4. *n.* 132. ubi asserit id ita fuisse resolutum in Congregatione Cardinalium, & constat ex decisionibus relatis, *Farinacius parte* 4. *c.* 4. 268. *& seq.* Quod tamen limito, nisi alia sit consuetudo.

IX. *Quintò*, Statutis & consuetudinibus optandi Papa derogare potest: sed apud nos non potest; & si deroget, locus est appellationi ab executione tanquam ab abusu, cùm hæc consuetudo sit honesta, rationabilis, & fermè communis in Gallia, ut judicatum fuit in causa optionis Præbendæ Ecclesiæ Cathedralis Regiensis, super appellatione interposita tanquam ab abusu ab executione Rescripti Apostolici provisionis Præbendæ, cum clausula derogatoria Statutorum, licèt allegaretur à centum quinquaginta annis nullam optionem fuisse factam, & Statutum optionis desuetudine fuisse sublatum, quòd non

constaret de contradictione, & ea quæ sunt meræ facultatis non præscribantur nisi à die contradictionis, Arresto mensis Maii anni 1625. nam rarò contingit optio si casum resignationis excipias.

X. *Vltimò*, hoc Jus tollitur eisdem modis quibus introducitur, nimirùm Statuto contrario & revocatorio, & consuetudine contraria, in quâ stabiliendâ duo requiruntur, oppositio, seu contradictio, quâ optare volens fuerit repulsus ex consensu Capituli, & præscriptio quadragenaria: nam in hac materia, quæ pendet ex libito optantis, non currit præscriptio nisi à die contradictionis, *l. Hæc autem jura, ff. de servitut. prædiorum urbanorum, l. Si quis alia, §. Vltimo, ff. Quemadmodum servitutes amittantur, Joannes Andræas in c. finali, de consuetud. in 6. De Selva 3. parte, q. 35. Gigas de pensionib. q. 63.* & cùm Jus istud sit rationi conveniens, & Juri communi, si stabilitum fuerit, non nisi longissimo tempore tolli potest.

SOLIER.

(*a*) Hæc argumentatio non rectè procedit: quia ex quo casus simplicis resignationis in privilegiis graduatorum excipitur, non sequitur in Statutis de optando exceptum intelligi: quin imò contrarium potiùs sequeretur, videlicet casum hunc comprehendi, nisi excipiatur, prout in subjecta quæstione comprehendi in terminis judicavit Senatûs Tolosanus, die 19. Julii 1630. pro elcemosinaria Ecclesiæ Appamiensis, *Oliveus, lib. 1. cap. 21.*

(*b*) Ratio est quia cuilibet officio Theologi, Magistri & Pœnitentiarii unitus est unus Canonicatus, & una Præbenda, & sic mutari non possunt sed immobiles remanere debent cum Officiis hujusmodi, ut in *cap. 1. Concil. Trid. sess. 5. cap. 8. sess. 24. & cap. 5. sess. 26. de reformat.* Et sicut istæ Præbendæ non possunt optari, ita nec dimitti ut aliæ optentur, Gonzalez *ad Regul. 8. Gloss. 34. n. 79. & seqq.* quia idem operatur oppositum in opposito, quod propositum in proposito, *l. etsi contra tabulas ff. de vulgari, Can. sciendum 8. q. 1.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Jus *optandi statuto, vel consuetudine inducitur.* Et ita definitur optio, ut sit Jus quoddam Capitulo seu Collegiali alicui Ecclesiæ ex consuetudine, vel statuto competens, ut antiquiores gradatim vacantem Præbendam, quæ reservata non sit, propriâ dimissâ intra certum tempus eligere possint. *Petrus Moneta intra & de optione, cap. 1. n. 13.* Ego in hac definitione, post verbum, *statuto*, adderem, privilegio, seu indulto Apostolico competens, & hoc Jus est ad rem respectu totius capituli: nam singulis non acquiritur Jus ad rem, nisi eveniente casu optionis, hoc est Præbendâ jam vacante, *Gonzales ad Reg. 8. Gloss. 34. n. 126.* & acceptata *ibidem n. 176.* imo tunc optione actualiter subsequuta acquiritur fortè ad summum apprehensio possessionis, *Moneta dict. loc. n. 15.* cæterùm alia est optio, quæ à Canonicis fit, alia, quæ à Beneficiatis in aliqua Ecclesia, quos Mantionarios vocant: alia, quæ ab alicujus militaris Religionis Equitibus fit, alia denique, quæ à Cardinalibus, si qui alii sunt qui Collegium aliquod Ecclesiasticum constituunt, quales sunt Rotæ Romanæ Auditores, Clerici Cameræ Apostolicæ, horum tamen & his similium assensus, seu optio, cum neque de Beneficiis sit, neque de re ad Beneficium pertinente, non vera & propria, sed potiùs similitudinaria & exemplaris appellanda est.

Eodem N. 1. *præscriptio decennalis sufficit.* Distinguendum est, ubi enim sunt distinctæ Præbendæ, requiritur in consuetudine optandi tempus quadraginta annorum ubi verò sunt indistinctæ, sufficiunt decem anni, ratio differentiæ est, quia in primo casu fit mutatio titulorum, sine Canonica institutione, contra Capitulum 2. *de Institut. & cap. Quod in duobus de renuntiat.* Præbendæ scilicet, & non Canonicatus, qui idem remanet, & sic consuetudo est contra Jus, tum quia permittit fieri propriâ authoritate permutationem Præbendarum, contra Concilium Turonense *in cap. Majoribus, de Præbendis, & cap. Quæsitum de rerum permutat.* tum demum quia dat Jus ad Præbendam cum vacabit, contra Concilium Lateranense, *in cap. Nulla, de concess. Præbend.* in secundo casu non mutatur stilus Præbendæ, nec Canonicatûs, & sic consuetudo est tantùm propter Jus de quo fusiùs tractat, *Moneta de optione cap. 2. q. & cap. 7. q. 1.*

Eodem N. 1. *si quis ex delicto, vel defectu factus sit incapax, Optare non potest.* Clericus qui inhabilis factus est, postquam Beneficium in aliqua Cathedrali vel Collegiata Ecclesia obtinuit, non ideo debet excludi ab optione, quia infirmitas & inhabilitas superveniens, non privat aliquo Jure quæsito antequam hujusmodi inhabilitas superveniret, *cap. Præcepta Canonum, dist. 55. cap. Cum Cler. ægrot. cap. 1. eod. tit. in 6.* ut in cæco, surdo, & muto, & aliis similibus corporis vitiis concludit *Moneta c. 4. q. 6.* neque enim addenda est afflictio afflicto, *cap. Satis perversum, dist. 7.* at certum est statutum statim ac quis Canonicus, est posse eveniente casu optare, & habere Jus optandi quod ex Canonia provenit, idem dicendum de criminoso etiam notorio, irregulari, & suspenso. *Moneta, cap. 4. q. 7.* nisi impedimentum præcesserit Beneficii receptionem ut ibi colligitur.

Eodem N. 1. *Jus optandi non cadere in excommunicatum.* Contrarium est veritas, prout tenent communiter *DD. & ipsamet Rota, decis. 5. n. 1. de concess. Præbend. in novis Cassadorus, decis. 17. n. 5. Geminian. in cap. ult. de consuetudine, n. 6. Gigas de pensionibus, q. 68. & alii, quos refert & sequitur Moneta de optione cap. 4. q. 2.* Ratio est, quia optio non est collatio, *Archidiaconus in dicto cap. ult. Navarr. in cap. Si quando, col. 31. de Rescript. Rebuff. de excomm. non vitandis, in Concordato,* & sine collatione nova, ad summum acquiritur Jus ad Præbendam, *d. cap. ult.* & excommunicatus po-

test ea quæ sunt facti, & per quæ solum voluntas declaratur, *cap. Pro illorum, de Præbend. cap. Si verò, de sententia excomm. cap. Significasti, de eo qui duxit in matrimon.* sed per optionem solùm declaratur voluntas. *Geminian. & Moneta ubi supra.*

N. 5. *In Beneficiis reservatis hoc Jus non habet locum.* Ergo Beneficia apud Sedem vacantia quorum reservatio in Gallia recipitur, optari non possunt, quod tamen limitatur, nisi intra mensem vacationis notæ per Papam non conferatur, *Glossæ in cap. fin. de consuet. in 6. in verbo, Ordinantur*, quia post mensem conferri possunt per Ordinarios, *cap. Statutum, de Præbend. in 6.* quamvis plurimi velint dictum capitulum revocatum fuisse per extravagantem, *ex debito de elect. vel per extravagantem, ad regimen, de Præbend. inter communes*, vel demum *per extravagantem Piæ sollicitudinis, eodem*, ut patet *ex Glossa 1. ibidem.*

Finis Libri secundi.

LIBER TERTIUS.

DE VACATIONE BENEFICIORUM ET CENSURIS ECCLESIÆ.

TITULUS PRIMUS.

De Beneficiis ipso jure & ipso facto vacantibus.

SUMMARIUM.

I. Beneficium vacans ipso jure potest impetrari ante sententiam.

II. Beneficia vacantia ipso jure Ordinarii conferre possunt. Arrestum. Beneficia quorum collatio est reservata aut devoluta, Ordinarii conferre non possunt.

III. Beneficia vacatura per sententiam aut cessionem conferri non possunt.

I. BENEFICIA Ecclesiastica vacant vel ipso jure vel Judicis sententiâ : quæ vacant ipso jure, aut vacant de jure, & de facto, si Sedes non sit repleta, nempe per cessum vel decessum possessoris, aut vacant de jure, non de facto, in casibus in quibus pœna privationis ipso jure irrogatur,& privatus in possessione remanet. Quod in certis tantùm casibus in Jure expressis accidit;nam in pœnalibus non fit extensio; & in cæteris casibus si crimen sit grave depositione dignum, pœna privationis aut depositionis per Judicis sententiam decernitur ; scire autem refert casus in quibus Beneficium vacat ipso jure, & casus in quibus vacare debet per sententiam : nam cùm Beneficium vacat ipso jure, potest impetrari ante Judicis sententiam, quâ casus vacationis declaratur, *c. Licèt Episcopus, de præb. in 6. c. Cùm secundum Leges, de Hæreticis, in 6.* Tamen si possessor Beneficii opponat, provisus non debet mitti in possessionem actualem Beneficii, & possessorem expellere, nisi post Judicis sententiam declaratoriam vacationis, & juris sibi quæsiti, *d. c. Licèt, Papon lib. 3. tit. 6. n. 2. Molin. de infirmis resignantibus, num.* 374.

II. Non solùm à Papa vel Legato Beneficium vacans ipso jure potest impetrari, sed etiam ab Ordinario, (*a*) nisi Papa in Constitutione illius Juris sibi collationem reservaverit, ut suprà dictum fuit de reservationibus, ubi tamen notavimus illas reservationes generales fuisse sublatas, exceptâ reservatione Beneficiorum vacantium in Curiâ. Hinc sequitur quòd Beneficium vacans ob delictum simoniæ, vel confidentiæ, hæresis, patricidii, aut matricidii, vel ob adeptionem Beneficii secundi, incompatibilis, vel ob defectum promotionis, vel ob matrimonium contractum, vel ob professionem Religionis, & ob aliam causam vacationis, ipso jure declaratæ, ab Ordinario conferri potest, *c. Licèt, de præb. in 6.* De Beneficio vacante ob crimen simoniæ, ita judicatum fuit in Parlamento Parisiensi, *Arresto mensis Junii anni* 1617. convocatis Classibus, ut notatur in Li-

bro qui inscribitur, *Pragmaticus Gallus*: de Beneficio vacante ob delictum matricidii, idem judicatum fuit in Parlamento Tolosano, in gratiam Huet Presbyteri provisi ab Archiepiscopo Aquensi de Prioratu Sanctæ Catharinæ Alansonii vacante ob delictum matricidii à Cousono commissi, contra resignatarium illius qui post provisionem ab Archiepiscopo concessam, à Legato provisus fuerat, cum clausulâ, *si alteri jus non sit quæsitum*: Idem de cæteris casibus Juris dicendum puto in gratiam Ordinariorum, maximè post Concilium Basilienſe, & concordata, quibus reservationibus sublatis Jurisdictio Ordinarii fuit restituta, nisi Beneficium vacet ob crimen falsi commissi in Litteris Apostolicis, aliudve crimen commissum contra Sedem Apostolicam, vel ob defectum tituli concessi à Sede Apostolica; cui in dictis casibus vindicta & interpretatio Rescripti reservanda est; aut nisi Beneficium vacet jure devoluto, ob excessum aut negligentiam ipsius Ordinarii, quòd incapacem & irregularem instituerit, aut formam Juris non secutus fuerit, aut intra semestre à die notitiæ possessorem Beneficii ipso jure depositum, ob excessum commissum, alio instituto non expulerit; aut provisum à Sede Apostolica in Forma dignum examinatum & indignum repertum ut delegatus admiserit, & in possessionem Beneficii immiserit, vel mitti mandaverit: nam in illo casu à delegato itur ad delegantem, ut suppleat excessum delegati; jure devoluto Ordinarius privatur potestate conferendi pro illa vice, in pœnam excessûs vel negligentiæ.

III. In cæteris autem casibus in quibus Beneficium non vacat ipso jure, sed per Judicis sententiam vacare debet, Ordinarius abutitur jure suo si conferat ante sententiam privationis & depositionis, ex Constitutionibus Caroli VII. & Caroli IX. provisio illius nulla est, & provisus fit indignus gratiæ, & inhabilis ad idem Beneficium cùm vacaverit impetrandum, *c.* 1. *de conceſſ. præb.* Papa verò, & Legatus si eam habeat facultatem in mandatis, in illis casibus, Beneficium ut vacaturum per sententiam futuram privationis aut depositionis, aut per cessionem in jure, vel extrà, conferre (*b*) possunt ex aliorum sententia, *Gonzales ad regulam Cancellariæ octavam*, *Gloss.* 15. Verùm apud nos; ex dictis Constitutionibus, hujusmodi Rescripta, quæ clausulam reservationis important, & Jurisdictionem ordinariam lædunt, in præjudicium Concordatorum, non admittuntur, *Molin. de infirmis resignantibus*, *n.* 378. *Rebuff. de modis amittendi Beneficia*, *n.* 52. *& in Concord. in proëmio, in verb. fati.*

SOLIER.

(*a*) Gloss. pragm. sanct. in verb. *Provideant* de pacific. possess. Tutiùs tamen à Papa impetratur: *Primò*, quia non desunt qui ab Ordinario posse Beneficium de facto non vacans impetrari negent, cum possessio est colorata, ita Hostien. & Antonius de But. per ea quæ leguntur & notantur *in cap. Auditis, de elect. & in cap. Inter dilectos de exceſſ. Prælat*, Panorm. *in cap. Consultationibus de donation. Secundò*, quia ut plurimum collationi Ordinariæ obstat devolutio vel reservatio, quibus collationes Apostolicæ non subjacent. *Tertiò*, quia pleniùs & uberiùs providetur per Papam propter clausulas, quæ omnimodas & ex cujuscumque persona provenientes vacationes amplectuntur & censuras ad effectum aliaque impedimenta removent. *Quartò*, quia cæteris paribus provisio Papæ vel Legati prævalet Ordinariæ provisioni, *cap. Si à Sede, de Præb. in 6.*

(*b*) Non est ista propriè collatio seu provisio, sed potiùs rescriptum ad lites, Gomes. *ad regul. de annali poſſeſſ. q.* 42. *& ad regul. de ſubrog. collitig. n.* 7. per quod mandatur Ordinario ut de crimine possessoris Beneficii improperatò authoritate Apostolica inquirat & in eventum convictionis Beneficio privet seu privatum declaret & illud conferat impetranti. Sed cum hujusmodi rescripta decretis de causis & de reservationibus sublatis in concord. Adversentur, non recipiuntur in Gallia, Molin. *ad Regul. de infirm. reſig. n.* 381. Lovet. *ad Regul. de public. reſig. n.* 203. Oliveus *in notis ad cap.* 16. *lib.* 1. *Suarum qq.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. PROVISUS *non debet mitti in poſſeſſionem actualem.* Impetrans jure devoluto per incapacitatem possessoris, non debet ingredi possessionem, & fructus recipere ante sententiam aliquam possessoriam, aliàs in hoc regno privatur Jure possessorio, nec debet sequestrari Beneficium impetratum tanquam vacans per incapacitatem, sed pendente lite possessor fructus percipit ex Constit. Blesensi, *art.* 46. *Rebuff. in praxi, tit. de devolut. n. ult.*

N. 2. *Ab Ordinario conferri poteſt.* Limita, nisi tempus semestre à Jure ordinariis ad conferendum præfixum, à tempore notæ vacationis elapsum sit, *cap. Licet, de ſupplend. negligentia Prælat. cap.* 2. *de conceſſione Præbend. & notat. author hic.*

Eodem N. 2. *de Beneficio vacante ob delictum matricidii.* Cum privatio non indicatur, nisi in casibus à jure expressis, *cap. Is qui, de ſentent. excomm.* 16. *Gloſſa penult. in fine, & ibi Abbas in cap. finali, de jure Patr. Selva de Beneficiis, part.*

3. q. 2. n. 26. *Gonzalez ad regul.* 8. *Gloss.* 15. n. 136. nec debeat infligi à judice, nisi exprimatur à Jure, *Rebuff. in praxi, tit. de mod. amitt. Benefic. n.* 62. videtur dicendum per matricidium non incurri privationem ipso jure, ut alias monuimus, & tenent *Flamin. de Resign. lib.* 3. q. 16. n. 32. & *Gonzalez dicta Gloss.* 15. n. 80. & *cap.* 1. *de homicidio, in* 6. non extendi extra suum casum ex Rebuff. *in tractat. de pacific. possess.* n. 263. *in impressis in* 4.

N. 3. *Non admittuntur.* Hæc rescripta non admittuntur apud nos tanquam commissiones ad lites super Beneficio vacaturo contra decreta, de causis, & de reservationibus sublatis, *in Concordato*, sed tanquam simplices provisiones de Beneficiis vacantibus, quamvis verba rescripti aliud sonent, modò Beneficia verè ipso Jure vacent, aliàs si per sententiam tantùm vacatura forent, executioni nequaquam possent demandari, non ante sententiam, *Olivens in notis quæstionum notabil. lib.* 1. *tit.* 16. quia nondum vacarent, nec post, quia Jus ad Beneficia dari non potest antequam vacent, *cap. Illa, de conceff. de Præbend.*

TITULUS II.

De vacatione per obitum, & regulâ de verisimili notitia.

SUMMARIUM.

I. & II. Beneficia vacant ipso jure variis modis.
III. Impetrans Beneficium viventis fit inhabilis.
IV. Regula de verisimili notitia.
V. A regula de verisimili notitia Papa non potest dispensare.
VI. De cadaveribus Beneficiatorum non occultandis.
VII. Regula de verisimili notitia non ligat resignatarium. Si cadaver defuncti pro resignatario fuerit occultatum.

I. VARIIS modis Beneficia vacant ipso jure, per obitum, renunciationem, privationem incursam ipso jure, & per nullitatem tituli. Per obitum vacant si provisus de Beneficio moriatur postquàm provisus est, & gratiam sibi concessam acceptavit, etiamsi Bullas nondum levaverit, nec possessionem Beneficii adeptus fuerit: nam gratia solâ signaturâ tribuitur, & consensu provisi acquiritur, ut de signatura supra dictum fuit: si verò ante acceptationem gratiæ provisus moriatur, provisio quam obtinuerat nulla est, & Beneficium vacat ut vacabat ante.

II. Ante mortem possessoris Beneficium non debet impetrari ut vacans per obitum, mors expectanda est ut vultures expectant cadaver; quod Seneca exprobrat illis qui captant hæreditates viventium: & si quis Beneficium viventis impetraverit ut vacans per obitum illius, provisio illi concessa nulla est, & morte ejusdem possessoris non convalescit, *c.* 1. *de conceff. præbendar.* etiamsi tempore collationis illud Beneficium vacaret per incapacitatem ejusdem possessoris, aut nullitatem tituli, & simul ille modus incapacitatis aut nullitatis tituli fuerit expressus in supplicatione, aut contentus sub clausula generali, *aut aliàs quovis modo*: nam expressio falsi modi per obitum Rescriptum vitiat, & non excusatur expressione veri modi per incapacitatem, aut nullitatem tituli, aut illam clausulam generalem, *aut aliàs quovis modo*, quòd Beneficium viventis impetraverit, nisi resignatarius sit, ut dictum fuit suprà *tit. ad regulam de annali*: ideò solent devolutarii, ut hanc pœnam vitent, in supplicatione subjungere, *aut aliàs quovis modo Beneficium vacet, non tamen per obitum.*

III. Nam non solùm provisio illius qui impetravit Beneficium viventis ut vacans per obitum, (*a*) nulla est, sed etiam ipse fit inhabilis ad idem Beneficium vero vacandi modo, & alia Beneficia vacantia impetranda, adeò exosa est temeritas & libido istorum impetrantium, *c.* 1. *de conceff. præb.* nisi falsus rumor eum excusset: quo casu ab impetratione aliorum Beneficiorum non arcetur, sed ab impetratione ejusdem Beneficii, quod falso modo expresso per obitum impetravit, semper repellitur, nisi causa expressa, & impedimento sublato, dispensatione, & indulgentiâ Papæ aut Legati, admittatur, *Decius consilio* 398. *Panorm. in c. post electionem, de conceff. præb. Molin. de public. resign.* Ordinarii verò non possunt super hoc impedimento dispensare.

IV. Nec statim post mortem possessoris Beneficium vacans per obitum debet impetrari, sed post illud tempus quo collator habere potuit notitiam de morte possessoris, ut cautum fuit Regulâ Benedicti XII. *de verisimili notitia*, ne per malignas artes Beneficia captentur: quæ Regula locum habet non solùm in collationibus Papæ, aut Legati, (*b*) sed etiam in collationibus Ordinariorum, *Gl. pragmaticæ, in tit. de collat.* §. *non tamen*,

men, De Selva 3. parte, q. 46. Molin. de verisim. notit. n. 4. alioquin collatio nulla est; & non solùm in vacatione per obitum Regula locum habet, sed etiam in vacatione per sententiam privationis & depositionis: cùm Beneficium vacat per obitum, à die obitûs tempus numeratur, non à die falsi rumoris sparsi, *Molin. de verisim. notit. n. 23. Papon. lib. 3. tit. 4. n. 4.* Cùm verò Beneficium vacat per sententiam, tempus numeratur à die latæ sententiæ, *Molin. de infirmis resign. n. 392.* & illud tempus varium est, & arbitrarium, habitâ ratione distantiæ locorum, & temporis quò per velocissimos & repetitos equos licet advolare, ut ad notitiam collatoris notitia vacationis perveniat, *Molin. de veris. not. n. 27. Greg. Tolos. lib. 17. Syntagm. c. 17.*

V. Adeoque hæc Regula favorabilis est, ut ei in Galliâ Summus Pontifex non possit derogare, propter bonos mores, & publicam utilitatem ob quam fuit introducta; & si deroget, appellare licet ab executione Rescripti tanquàm ab abusu, *Molin. de verisimili notitia n. 6. Papon loco cit. n. 5.*

VI. Et ne fiat fraus Regulæ, *Extravagante detestandæ feritatis, de sepult.* & Constitutione Gallicâ Francisci I. (*a*) cautum fuit ne cadaver defuncti occultetur; alioquin subducto tempore occultationis, verisimilis notitia dumtaxat attenditur ab eo tempore quo publicè attestatione personarum publicarum fama habita fuit de obitu defuncti: & collatio facta ab Ordinario, post publicationem mortis valet, etiamsi ante publicationem Papa vel Legatus alteri conferendo eum prævenerit, *Papon lib. 3. Placitorum, tit. 4.* Nam sive provisus conscius fuerit fraudis & occultationis, sive eo inscio parentes vel amici illius cadaver occultaverint, celantes mortem, provisio illius nulla est, *Molin. de verisim. not. n. 25. Peleus ad Regulam Cancellariæ, c. 33.* ut factum patris qui fecit ne testamentum mutaretur, nocet liberis, ne legata sibi eodem testamento relicta consequantur, *l. 1. ff. Si quis aliquem testari prohibuerit, aut coëgerit.*

VII. Verùm hæc Regula non ligat Resignatarium; illum enim bona fides excusat, & mandatum de resignando, quod fuit in causa arripiendi itineris: quamobrem si Beneficium impetraverit ut vacans ex causa resignationis, cum clausula, *aut aliàs quovis modo*, & Beneficium per obitum resignantis vacaverit, ejus provisio sustinetur (*d*) clausulâ generali vacationis, & exceptione Regulæ de verisimili notitiâ non infirmatur, *Gloss. Pragmaticæ, in tit. de collat. in verb. faciendas, Gomesius ad eandem Regulam, ibidem, n. 54.* nisi cadaver defuncti à resignatario, vel parentibus aut amicis illius, fuerit occultatum, ut resignatarius alios per obitum impetraturos anteverteret, aut vitaret Regulam de viginti.

SOLIER.

(*a*) LIMITAT Pastor inhabilitatem ex impetratione Beneficii viventis inductam ad solam per obitum impetrationem, cùm tamen certum sit ad quemcumque falsum vacationis modum extendi, ut probant *Molin. ad Regul. de verisim. not. obit. n. 64. & Roffiniac. de re Sacerdot. lib. 3. tit. 9. & patet in cap. 1. de conceff. Præb.* ubi textus non magis loquitur de titulo per obitum viventis, quàm per assecutionem, contractum matrimonii, professionem regularem, aut aliam vacationis speciem, *& in cap. 3. eod. tit. in 6.* ubi omnis aspiratio ad Beneficia nondum vacantia tanquam damnabilis prohibetur quomodocumque vacatura sint, *Molin. ibid.* quamvis Regula Cancellariæ, *de reprob. Beneficii viventis impet.* loquatur duntaxat de impetratione per obitum viventis.

(*b*) Non autem Regis dum in Regalia confert, *Brodell. ad Lovet. litt. R, cap. 47. n. 5. & litt. V. cap. 2. n. 4.*

(*c*) De anno 1539. *art. 55.* quâ celantes cadaver defuncti Beneficiarii omni jure excidunt quod in Beneficio habere possunt.

(*d*) Quid si resignatio fuerit debitè revocata & postmodum resignans decesserit, antequam cursor Romam advenerit, an clausula generalis quovismodo, aut specialis per obitum resignatario suffragentur? videtur quod non, quia actu principali annullato, annullantur omnes clausulæ contentæ in eo, *juxta Gloss. Favianam in L. Si Patronus, §. Patronum, ff. Si quid in fraudem Patroni, & Gloss. in cap. Significantibus in fine, de offic. delegat.* deinde ubi gratia est obreptitia frustra recurritur ad clausulas in eâ contentas quæ cum ipsâ corruunt, *Puteus, lib. 1. decis. 390. n. 1. & lib. 3. decis. 267. in princ. Melchior Lotter. de re Benefic. lib. 3. q. 8. n. 71.* patet autem esse obreptitiam in subjecto casu, quia si Papa sciviſſet resignationem revocatam non admisisset: cum admittere non intendat, nisi quatenus partes in eadem voluntate persistunt, *Abb. in cap. Super eo, n. 8. & in fine de condit. appoſit. in diſp. Flamin. Pariſ. de reſig. lib. 1. q. 12. n. 18.* Sed adverte quia rationes adductæ æquè militare videntur in casu mortis absque alia prævia revocatione, & utrobique provisus initio inspecto justam habuit arripiendi itineris causam, nec Papa difficilius confert per obitum resignatione aliunde revocatâ quàm non revocatâ, nec validior dari potest revocatio quàm quæ morte contingit, unde *Lotter. lib. 3. q. 8. n. 72.* ait sufficere resignationem verificari de facto, licèt non de jure, ut intret effectus clausulæ quovismodo, & provisus de vacante per resignationem non impediatur capere vacationem

per obitum. Quid dicendum? hanc quæstionem ab aliquo tactam non inveni, in qua salvâ meliori sententiâ, dico clausulam hujusmodi in casu solius mortis prodesse, neque enim sunt accessoriæ sed æque principales, & separatæ, *Gomes. ad regul. de infirm. Resig. q.* 34. omnem autem illarum vim deficere datâ resignationis revocatione. Ratio differentiæ est, quia in priori casu nulla subest obreptio, cum Papa expressè conferat per resignationem, & per obitum: In secundo secus, quia non intendit conferre per resignationem ubi partes mutaverint voluntatem, ut dixi; voluntas autem per mortem non mutatur, sed cessat, & extinguitur: imò videtur semper durare, nisi expressè sit revocata, *Leg. Cum tacitum, ff. de probat.* unde si quis delegat causam donec duxerit revocandam non expirat jurisdictio delegata per mortem mandantis, *cap. Si delegatus, de offic. delegat. in 6.* Per revocationem vero voluntas mutatur, & transit in involuntatem, *Gonzalez post eos quos citat ad regul.* 8. *Gloss.* 12. *n.* 58. *& seqq.* ex cujus reticentia insurgit obreptio deficiente ut dixi Papæ intentione. Quod autem ex Lotterio dictum est intrare effectum clausulæ quovis modo, si verificetur vacatio narrata saltem de facto, intelligendum est cessante obreptione.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. ANTE *mortem possessoris Beneficium non debet impetrari.* Licèt non sit necesse collatorem scire an Beneficium vacet, quamvis aliqui contrarium velint: tamen necesse est vitium ambitionis & avaritiæ impetrantis, sive ab Ordinariis, sive à Papa vel Legato coërceri. *Molin. ad regul. de verisim. not. obitus, n.* 4. *& n.* 10.

N. 3. *Nisi falsus rumor eum excuset*, hanc limitationem ponit *Philippus Decius non solùm in Consilio* 398. *sed etiam in L. ult. n.* 17. *Cod. de Pactis*, ubi refert, ita se præsente judicatum in Parlamento DD. finali, ita etiam tenet *Gomesius in reg.* 20. *de impetrat. Beneficii viventis, q.* 3. quamvis enim circa principium videatur Decium acriter impugnare, tamen sese more suo intricat, & in fine sentit apertè cum Philippo Decio, & contra Panormitanum, *in cap. Post electionem, de conceff. Præbend.* concludit, sed in quantùm dicit, quòd Panormitanus hoc expressè tenuit *in cap.* 1. *de conceff. Præb.* non est verum, quia imo Panormitanus expressè se declarat *in dict. cap. Post electionem, notabili* 4. ubi dicit, hoc intelligendum de suprema ignorantia, secus, si probabiliter ignorabat, quia tunc non fit inhabilis, & est verum, cessante etiam aliâ culpâ, vel notabili suspicione, ut tenet *Gomes. in dicta q.* 3. si autem Beneficium viventis scienter occupasset, non posset allegare, quòd priùs bona fide impetraverat, & erant circumstantiæ malæ fidei. *Hæc Molin. ad dictum Consilium Philippi Decii* 398. *vide eundem Molineum ad regul. de verisim. not. obitus q.* 3. *Joannes de Selva de Benefic. part.* 3. *q.* 46. *Gloss. Pragmat. §.* 5. *versic. facientes de collat.*

N. 4. *Sed etiam in collatione ordinariorum.* Regula de verisimil. not. obitus locum habet, in ordinario ut est communis Doctorum sententia teste Gomesio ad eandem regulam, *q.* 1. & tenent relati à Garcia, *de Benefic. part.* 5. *cap.* 1. *n.* 48. licèt ipse contrarium velit, saltem in Legato, non quidem forsan vi suâ propriâ, sed propter concursum juris communis, *in cap.* 1. *de conceff. Præbend. Molin. ad ipsam regulam, n.* 4.

Eodem N. 4. *non solùm in vacatione per obitum regula locum habet, sed etiam in vacatione per sententiam privationis.* Imo regula non habet locum in alia vacatione, quàm per obitum, *Rebuff. ad dictam regulam Gloss.* 4. *Papon. lib.* 3. *tit.* 4. *n.* 2. *Joannes Achokier ad eandem regulam, n.* 22. ratio est quia cessat votum captandæ mortis, & regula sic pœnalis non est extendenda ad alium casum, mors enim civilis naturali non æquiparatur, nisi in casibus à jure expressis, ut latè probat *Mandosius, ibidem q.* 7. *n.* 3.

N. 7. *Hæc regula non ligat resignatarium.* Tamen *Molin. ad ipsam reg. n.* 37. *& seqq.* totis viribus affirmativè incumbit, & multa consarcinat adversus praxim, quam dicit per errorem receptam, cui tamen standum esse fateri compellitur; donec rationes quas vocat suas, in foro discutiantur, & invalescant, ut *à n.* 46. *usque ad n.* 54. *discurrit.*

TITULUS III.

De renuntiatione.

SUMMARIUM.

I. & II. Renuntiatio Beneficii fit in manibus Superioris. Pœna illius qui renuntiat Beneficio in manibus Laïci.

III. Qui possunt renuntiationes admittere.

IV. Si renuntiatio fiat inconsultò. Quando renuntiatio dicatur facta inconsultò. Renuntiatio facta temerè quando possit revocari.

V. Renuntiatio metu facta nulla est.

VI. VII. & VIII. Metus justus quis dicatur. Arrestum.

IX. De furiosis renuntiantibus. Furiosi retinent Beneficia coadjutore dato.

X. & XI. Renuntiatio facta ab ebrio non valet. Renuntiatio facta calore iracundiæ.

XII. & XIII. Adversus renuntiationem minores restituuntur.

XIV. Renuntiatio Beneficii quo possessor promotus est ad sacros Ordines.

XV. Qui jus non habet, renuntiare non potest.

XVI. Sola Data non tribuit jus resignandi

XVII. An devolutarius ante cœptam instantiam possit resignare.
XVIII. Provisus de Beneficio vacante de jure & de facto ante examen resignare potest.
XIX. Quando resignatarius resignantem debeat in Judicio repræsentare.
XX. Defectus examinis in mandato ad resignandum exprimi debet.
XXI. Possessor Beneficii si sit incapax ob delictum an resignare possit retentâ pensione.
XXII. An resignans in favorem possit iterùm resignare.
XXIII. An depositus per sententiam appellatione pendente possit resignare.
XXIV. Reus accusatus resignare potest.
XXV. Beneficia vacant per damnationem ad triremes.
XXVI. & XXVII. Renuntiatio fieri debet sine labe simoniæ.

I. RENUNTIATIO Beneficii duobus modis fit, expresè, aut tacitè, de renuntiatione tacitâ dicemus infrà. In renuntiatione expresâ multa requiruntur : nam, *Primò*, illa debet fieri in manibus Superioris habentis potestatem renuntiationes admittendi, alioquin si fiat extrà, nulla est, quoad Superiorem (*a*) qui eam facultatem habet ; ille enim sic renuntiantem potest repetere si velit, *c. non oportet. 7. q. 1. c. mulier, c. 33. q. 5.* Nam sicut Curialibus & Cohortalibus & militibus non licet recedere sine commeatu, *l. 1. & 2. c. ubi si quis de Curiali vel Cohortali aliâve conditione conveniatur* ; sic Clericis à Militiâ Ecclesiasticâ cujus ministerio ascripti sunt recedere non licet sine commeatu seu licentiâ Superioris ; alioquin repeti possunt, & ad ordinem suum aut ministerium reduci : at talis renuntiatio extra facta quoad ipsum renuntiantem valet in vim pacti, si Superior eam velit admittere, & Beneficii rependi licentiam non admittit, si Superior Beneficium sic vacans alteri contulerit, *Anfrerius q. 492.* Quamobrem in Litteris Apostolicis illa clausula inseritur, *si beneficium vacet per cessionem in jure vel extrà factam* : utroque casu Superior potest renuntiationem admittere, & Beneficium conferre. Et si renuntians animo distrahendi Jurisdictionem Ecclesiæ, in manibus potestatis laïcalis Beneficium dimiserit, Ordinarius eum ut indignum potest deponere, & excommunicare, tùm illum, tùm Laïcum, qui renuntiationem admisit, *c. quod in dubiis, & ibi gloss. de renuntiatione.*

II. Verùm justa & probabilis ignorantia renuntiantem excusat, si renuntiaverit in manibus alicujus Prælati quem putabat habere jus admittendi renuntiationes, & conferendi, nam ignorantiæ & imprudentiæ succurritur, *l. fermè, ff. de Regulis Juris.* Excusatur etiam renuntians si renuntiationem revocet re integra, antequàm ea fuerit admissa, *Rota decis. 1. de renuntiatione, in antiquis* ; *Felinus, De Selva, & alii quos refert Garcias parte 11. c. 3. n. 227.* & juri dubio & litigioso renuntiare potest in judicio, vel extra, *c. 2. de in integrum restitutione, Garcias parte 11. c. 3. n. 249.* modò purè & simpliciter renuntiet liti & causæ ; nam si renuntiatio fiat aliquo contrà dato, vel promisso, Concordatum non potest fieri nisi sub beneplacito Papæ, ut dicemus infrà : necesse autem est cùm per renuntiationem factam in judicio apud Acta, vel coram Notario, possessio mutatur, quòd Judex summatim titulis exhibitis de causa cognoscat & pronuntiet, dirimendo controversiam judicii possessorii pendentem, ut diximus supra *lib. 2. tit. 16.*

III. Renuntiationem possunt admittere Prælati, qui conferre possunt, & destituere, Papa, Legatus, Ordinarius, ejusque Vicarius habens mandatum de conferendo, & coadjutor datus ob infirmitatem animi : si verò ob infirmitatem corporis datus sit, non potest conferre sine mandato speciali : Capitulum Sede vacante potest renuntiationes admittere, sed collationes debet reservare futuro successori, nisi agatur de Beneficio patronato, aut Ecclesiâ Parrochiali, aut alia sit consuetudo, ut diximus suprà *lib. 1. tit. 12.* Interim verò potest Beneficium commendare ad tempus, donec futurus successor provideat, *Felinus in c. cùm olim, de majoritate & obedient.* Rex in Regaliâ & potest admittere resignationes, & conferre, ut diximus suprà, & ad collationis effectum sufficit quòd constet de possessione conferendi, vide suprà *tit. 9.*

IV. *Secundò*, renuntiatio consultò fieri debet, nam renuntiatio quæ temerè & inconsultò fit, nulla est, defectu validi consensûs, maturæ deliberationis & propositi ; & talis renuntiatio revocari potest à renuntiante restituto in integrum, nam inconsultus calor excusat, *l. fermè, ff. de Regulis Juris, l. divortium, ff. de divortiis, Dominicus in c. si te præbendam, de renuntiat. in 6.* temerè & inconsultò renuntiatio facta præsumitur

si Clericus spe alterius Beneficii adipiscendi, quod non obtinuit, (*b*) renuntiaverit, aut ob aliam causam non secutam, aut gravatus ab Episcopo renuntiaverit, *Dominicus loco citato*, vel peregrinationis causâ, vel impatiens oneris: in quibus casibus si renuntiatio non fuerit admissa, potest revocari; Si verò fuerit admissa, de consensu Superioris qui admisit potest etiam revocari: & si Beneficium non fuerit collatum alteri, potest etiam revocari, modò incontinenti id fiat, nimirum opponendo dùm Bullæ resignatarii levantur, aut proceditur ad examen illius in Forma-dignum, aut is mittitur in possessionem Beneficii, eò usque resignans querimoniam suam potest exponere, & restitutionem in integrum petere probatâ causâ: nondum enim ex parte resignatarii actus dicitur consummatus & perfectus, dum aliquid agendum supereſt ut possessionem adipiscatur, postea non auditur nisi infirmitas ætatis aut corporis, vel absentia excuset; nam perseverantia manifestat ex proposito deliberato renuntiationem fuisse factam, *l. quidquid calore, ff. de Regulis Juris, l. finali, c. de errore Advocatorum*, ubi post triduum pars non auditur confessionem erroneam sui Advocati in judicio præsente se factam revocare volens.

V. *Tertiò*, renuntiatio liberè & sine metu fieri debet; nam actiones morales quæ vi fiunt, aut per errorem, ἢ βίᾳ ἢ δι' ἄγνοιαν invitæ censentur non liberæ, ex Aristotele *magnorum Moralium lib.* 1. *c.* 17. & in his actibus plena libertas requiritur; alioquin renuntiatio est ipso jure nulla, & secuta collatio, *c. super hoc, de renuntiat. De Selva* 3. *parte, q.* 452. *Rota decis.* 203. *in antiquis*; quæ tamen in novis *decis.* 374. tenet talem renuntiationem metu extortam valere, nisi rescindatur. Utraque sententia defendi potest; valet si renuntians non revocet; non valet si revocet, & nullam arguat: nam in spiritualibus metus actum nullum reddit, ob mixturam involuntarii, quoniam in illis plena libertas requiritur: cæteri actus valent, & actione de eo quod vi metûsve causa rescinduntur. Si verò taceat, & nullitatem non arguat, cessante causâ metûs, liber factus, perseverentia mentem illius declarat, ut dictum est suprà, & renuntiatio facta tenet, quasi ex libero principio procedens per præsumptionem Juris resultantem ex silentio & perseverantia, *l.* 2. *c. de his quæ vi metusve causa gesta sunt.*

VI. De metu justo suprà dicta intelliguntur: nam vani timoris non est habenda ratio, *l. vani, ff. de Regulis Juris.* Justus metus dicitur, metus mortis aut privationis bonorum, dignitatis, honoris, verberum, aut carcerum, si jussu parentum aut consanguineorum, qui habentur loco parentum, aut Superiorum, renuntiatio facta sit; aut metu damni notabilis imminentis sibi, parentibus, fratribus, sororibus, aliisve consanguineis valdè dilectis, *Rota decis.* 463. *in novis:* ei autem qui metum allegat negando renuntiationem sponte fuisse factam incumbit onus probandi, *c. super hoc, de renuntiatione.*

VII. *Quartò*, in renuntiatione dolus abesse debet: nam bona fides in his actibus desideratur, *c. super hoc, & c. cùm dilectus, de renuntiat.* alioquin resignanti decepto licet Beneficium repetere, sive resignatarii sive alterius arte deceptus fuerit: nam sicut vi vel metu voluntas oneratur, sic cùm dolosè (*c*) aliud pro alio illi repræsentatur, decipitur & labitur: & cùm deceptis Jura subveniant, æquitate id suggerente, in integrum restituitur.

VIII. Si verò ipse resignans dolo usus fuerit ut resignatarium deciperet, non est restituendus; nam deceptis non decipientibus Jura subveniunt, & resignans Beneficium dimissum repetere non potest, obstante exceptione doli: unde si resignans consultò tacuerit Jus Patronatûs Beneficii dimissi, resignatio tenet quoad ipsum; & si Patronus alium præsentaverit, resignanti non datur (*d*) regressus ad Beneficium dimissum, quòd Patronum fraudare voluerit. Idem dicitur de resignatione facta à resignante, tacita reservatione indulti, Statuti, consuetudinis, quibus affectum est Beneficium dimissum, in quibus casibus dolus præsumitur in resignatione. Idem dicitur si reus criminis, in præjudicium accusationis institutæ coram Ordinario, & pœnæ depositionis imminentis, resignaverit in manibus Papæ aut Legati; aut si quis in senectute constitutus, vel articulo mortis, Beneficium pingue quod possidet permutaverit (*e*) pro tenui cum nepote aliove consanguineo: id enim fieri creditur in præjudicium Ordinarii, ne liberè conferat, vel in fraudem Patroni, aut indultarii, aut Graduati, alteriusve expectantis: & sicut in istis casibus resignans non auditur, nec potest Beneficium repetere, obstante exceptione doli (quamvis renuntiaverit in favorem sub illa clausula, *non aliàs, aliter, aliove modo*; quæ clausula dolum aut culpam resignantis non excusat, *Molin. de infirmis resignantibus n.* 118. *&* 119. *Rebuff. in Praxi, eod. tit. gloss.* 4.) Sic in illis casibus Ordi-

narii, Patroni, Indultarii, & Graduati, jure ſuo uti non prohibentur. Sic judicatum fuit in Magno Conſilio pro Graduato contra reſignatarium, in cauſa Curæ Sancti Fiacri *anno* 1653. in gratiam Arnulphi hujus Provinciæ. Similiter illa clauſula quæ apponi ſolet in renuntiatione in favorem, non excuſat ſimoniam aut confidentiam in renuntiatione commiſſam, nec culpam reſignantis qui ſciens renuntiavit in favorem indigni & incapacis, niſi reſignatarius impedimentum in ſupplicatione expreſſerit, & diſpenſationem aut abſolutionem petierit: eo enim caſu diſpenſatione vel abſolutione negatâ reſignanti, qui ſub illa ſpe renuntiavit bona fide, licet Beneficium repetere. (*f*)

IX. *Quintò*, in renuntiatione plenus conſenſus deſideratur: quamobrem reſignatio facta à furioſo, vel mente capto, nulla eſt, defectu conſenſûs: nam furioſi aut mente capti nullus conſenſus, nulla voluntas, exceptis illis qui patiuntur dilucida intervalla, qui ſicut tempore furoris intermiſſi teſtari poſſunt, ſic Beneficio renuntiare poſſunt, *l. furioſum, c. qui teſtamenta facere poſſunt, l. finali, c. de curatore furioſo dando, c. quamvis* 7. *q.* 1. Conſtare autem debet eum tempore furoris intermiſſi renuntiaſſe Beneficio ex atteſtatione Ordinarii, ſi præſens renuntiaverit, vel ex atteſtatione Judicis illius lociubi mandatum fit, ſi per Procuratorem renuntiaverit ut renuntiatio valeat, ut de teſtamento dicitur *in dicta l. furioſum*: nam ei qui aſſerit renuntiationem factam fuiſſe in conſpectu inumbratæ quietis incumbit onus probandi, *Molin. de infirmis reſignantibus n.* 348. alioquin præſumitur contra renuntiationem, nam probatis extremis media præſumuntur: probationem adjuvat cauſa in renuntiatione expreſſa, ſi reſignans dicat ſe non eſſe aptum tali muneri ob morbum vel ægritudinem animi, & penſionem ſibi reſervaverit: ſed & ſi furioſus mandaverit tempore furoris intermiſſi, nihil agitur niſi ſimul conſtet eum in eodem ſtatu fuiſſe eo tempore quo Procurator reſignavit nomine illius, & reſignatio fuit admiſſa, quòd tempore renuntiationis, ſi furioſus eſſet, non habuerit liberum arbitrium ad revocandum mandatum, nam geſta per Procuratorem non aliter valent quàm ex virtuali voluntate mandantis, quæ durare creditur tempore geſtionis, niſi Procurator fuerit revocatus. Quare difficile eſt ſalvare renuntiationes hujuſmodi, niſi furioſus ipſe præſens tempore furoris intermiſſi renuntiaverit, & de ſtatu illius Superiori qui renuntiationem admiſit conſtiterit: licèt enim furioſi Beneficia acquirere non poſſint, quæſita tamen retinere poſſunt, quaſi voluntatis reliquiis in furore manentibus, ut dicemus infrà, eiſque curator aut coadjutor adjungitur qui ſerviat, *c. quamvis, ſuprà citato.*

X. Similem ob cauſam reſignatio ebrii nulla eſt, *Gomeſius de infirmis reſignantibus q.* 10. nam qui nimis vino indulgent, jacent ſepulti, neſciunt quid loquantur, ut loquitur D. Ambroſius *in lib. de Patriarchis.* Idem dicitur de reſignatione factâ calore iracundiæ: iratus enim à furente tempore ſolùm differt, ex ſententia Catonis Cenſoris, & Themiſtius *in oratione de Amicitia* ait iram eſſe brevem furorem, τὴν ὀργὴν μανίαν ὀλιγοχρόνιον, niſi renuntians in eadem voluntate perſeveret, *l. quidquid calore, ff. de Regulis Juris, Gomeſius loco citato.*

XI. In caſibus ſuprà diſcuſſis, in quibus renuntiatio dicitur nulla ob defectum validi conſenſûs, petitur reſtitutio in integrum, aut jure actionis, aut Judicis officio: verùm ſi coram Judice Eccleſiaſtico judicium petitorium fuerit inſtitutum, non eſt opus Litteris Regiis; & ſi judicium poſſeſſorium pendeat coram Judice Laïco, non eſt opus Litteris Apoſtolicis, nam Litteræ Regiæ reſtitutionis in integrum ſufficiunt, ſive coram Judice Laïco lis ſit, ſive coram Judice Eccleſiaſtico, *Molin. de publicandis reſignat. n.* 241. At reſignatarius ſi dolo vacet, & culpâ, non cogitur cedere Beneficio, niſi ſumptus & expenſæ Bullarum ſibi reſtituantur.

XII. *Sextò.*, juſta ætas in renuntiante deſideratur; ſi ſit impubes, renuntiatio nulla eſt ob animi infirmitatem, niſi illa facta ſit cum cognitione cauſæ, quòd non eſſet aptus muneribus Eccleſiaſticis patre vel tutore authore, *Rebuff. in tit. ratione perſonæ vitiatur renuntiatio, n.* 3. Si renuntians ſit pubes, patris vel curatoris authoritas non deſideratur in eo, quoniam in negotiis publicis & ſpiritualibus filii familias relaxantur à vinculo patriæ, poteſtatis, *l. filius familias, ff. de his qui ſui vel alieni juris ſunt*, & in ſpiritualibus minores habentur pro majoribus ad agendum & defendendum, *c. finali, de judic. in 6.* & non reſtituuntur ſi jure communi uſi fuerint, *l. fin. c. de minoribus in integrum reſtituendis*, putà ſi minor Beneficium dimiſerit cùm non eſſet aptus muneri, ut diximus ſuprà, vel aliud Beneficium incompatibile adeptus eſſet, etiamſi id fiat contra ſententiam patris, aut patroni, quia fit neceſſitate Juris.

XIII. At si minor in renuntiatione dolo deceptus fuerit, aut lubrico ætatis lapsus sit, & sine justa causa renuntiaverit, in integrum restitui debet, *Rebuff. loco citato*, *Scohliastes Loëtii in lit. B. num.* 7. & pater nomine filii, aut curator, petere possunt restitutionem in integrum, ut constat ex variis Placitis Senatûs apud Loëtium *loco citato*: & quamvis patre vel Curatore authore minor renuntiaverit, aut mandaverit ad renuntiandum, nihilominùs petere potest restitutionem in integrum, ne illa authoritas sibi sit damnosa, *l.* 2. *c. si tutor vel curator intervenerit.*

XIV. *Septimò*, difficiliùs dimittitur Beneficium cujus intuitu possessor ad sacros Ordines promotus est; nam renuntiatio hujusmodi facta coram Papa, vel Legato, non valet si renuntians tacuerit se ad titulum illius Beneficii promotum fuisse, Rescriptum est obreptitium: & si id expresserit, renuntiatio non admittitur, nisi renuntians habeat aliunde ad sui sustentationem; & si admittatur, renuntians in integrum restituitur, (g) & in Beneficium dimissum redintegratur, promissione & juramento in renuntiatione appositis minimè obstantibus; quæ simul infirmantur quòd sint contra bonos mores, & dignitatem Ordinis Ecclesiastici, ne Clerici bonis temporalibus egentes officio desint, & divagentur ad mendicandum aut artes mechanicas exerceant, *c.* 1. *& seq. dist.* 91. *Concilium Trident. de reformatione sess.* 21. *c.* 2. Idem cautum fuit Constitutione Pii V. de Clericis qui sunt in Sacris, & habent Beneficia, quamvis promoti non fuerint intuitu illorum Beneficiorum, nisi habeant aliunde bona ad commodam sui sustentationem, *Garcias parte* 2. *c.* 5. §. 1. Si verò Clericus resignaverit coram Ordinario hujusmodi Beneficium titulum suæ ordinationis, resignatio valet, quoniam Ordinarius scit aut scire debet qualitatem resignantis: verùm Ordinarius qui talem resignationem admisit, pœnam suspensionis incurrit, & resignantem tenetur alere, donec sufficiens Beneficium ad sui sustentationem adeptus fuerit, ex Constitutione præallegatâ.

XV, *Octavò*, requiritur resignantem jus habere in Beneficio: Indultarii, Graduati, Mandatarii Apostolici, spem solam habentes, Indultis suis & privilegiis renuntiare quidem possunt; at Beneficio sperato renuntiare non possunt, ut de hæreditate nondum delatâ dicitur *in l.* 1. §. *Decretalis, ff. de successorio Edicto.*

XVI. Post Parvam Datam impetrans non habet jus in Beneficio, donec Signaturam obtinuerit, ideoque Datæ renuntiare potest, ut locus fiat aliis; at Beneficio renuntiare non potest, privatio præsupponit habitum, *l. decem, ff. de verborum obligat.*

XVII. De signatura distinguitur: nam qui Signaturam obtinuit de Beneficio vacante certo modo, ob incapacitatem possessoris, incompatibilitatem, aut nullitatem tituli, resignare similiter potest, ante examen, & professionm fidei, & possessionem apprehensam; eoque desistente novus devolutarius admittitur ad accusandum possessorem, aut nullitatem tituli, cum clausula subrogationis, vel sine: at subrogatio inutilis est: nam jus à resignante dimissum conditionale erat, si possessionem Beneficii apprehenderet, & possessor Beneficii justam causam opponendi non haberet, ex Regulâ de non tollendo jure alteri quæsito, & Regulâ de annali possessore & Constitutione Gallicâ anni 1638. ex quibus provisi ob incapacitatem, incompatibilitatem, aut nullitatem tituli, privantur omni jure, si possessorem Beneficii intra statutum tempus unius anni in Jus non vocaverint, (h) ut observavimus suprà *lib.* 2. *tit.* 6. *n.* 12. & jus illud fuit extinctum per cessionem resignantis, ante examen, & possessionem Beneficii apprehensam, & sic antequàm possessor Beneficii teneretur in Judicio se opponere; cùm verò devolutarius resignat post adeptam possessionem, & Judicium cœptum subrogatio utilis est, quoad jus resignantis, & cœptam instantiam, ut dicemus infrà *de subrogatione.*

XVIII. Qui verò Signaturam obtinuit de Beneficio vacante de jure & de facto, per cessum vel decessum, matrimonium, aut professionem vitæ Religiosæ, ante examen, & adeptam possessionem Beneficii, resignare potest purè, vel in favorem, (i) & resignatarius utiliter subrogatur in jus illius, nam gratia per solam Signaturam, & verbum *fiat*, perficitur, ut diximus suprà *lib.* 2. *tit.* 3. & clausula illa quâ examen committitur Ordinario, non facit gratiam conditionalem, quoad substantiam, sed quoad ejus effectum, ne provisus possit frui Beneficio, nisi dignus repertus fuerit, & resignatario vitium, vel incapacitas, aut nullitas tituli resignantis objici non potest; nam jus illius à collatore pendet principaliter, & justè possidet qui Prætore authore possidet, *l. justè, ff. de acquir. possess.* sive purè, sive in favorem resignatio facta fuerit, *Molin. de public. resign. n.* 203.

XIX. At ſi Beneficium vacet ob incapacitatem, aut nullitatem tituli impetrantis, & ante examen & poſſeſſionem adeptam, aut poſt, devolutarius eum prævenerit, iſque examinis vitandi causâ, & devolutarii eludendi, reſignaverit, talis reſignatio fraudulenta non nocet, quominùs reſignans liti adeſſe debeat, examen ſubire, ejuſque reſignatarius litis periculum ſentiat: etſi enim jus & titulus Beneficii à collatore pendeat, tamen reſignatarius ſubrogatus in jus reſignantis fraudulenter, non capit plus juris quàm ille haberet, ne devolutario jus jam quæſitum tollatur, & cauſa illius ex alieno facto fiat deterior, ut dicitur *in l.* 1. *ff. de alienatione judicii mutandi cauſa.*

XX. Et ſi reſignatio fiat ante examen, & poſſeſſionem adeptam, retentâ penſione, vel ex cauſa permutationis, defectus examinis in mandato & reſignatione debet exprimi, alioquin collator poteſt talem reſignationem rejicere, & reſignantem ad examen accerſere.

XIX. Qui Beneficio privatus eſt ipſo jure, ſine delicto, vel ob incompatibilitatem, aut promotionis defectum, vel defectum tituli, reſignare poteſt, ſi jus alteri non ſit quæſitum: qui privatus eſt ex delicto ipſo jure, ſimiliter reſignare poteſt, quia poſſidet, ſi jus alteri non ſit quæſitum, ut ſuprà dictum eſt, non tamen ex cauſa permutationis, vel retentâ penſione, niſi fuerit abſolutus, ne pœnam criminis effugiat, *l. qui pœnæ*, §. *Divus.*, *ff. de manumiſſionibus.*

XXII. Qui Beneficio privatus eſt ipſo jure, & ipſo facto, nempè per renuntiationem admiſſam, matrimonium, profeſſionem ſolemnem Religionis, aut Judicis ſententiam, nihil habet quod cedat, aut dimittat: tamen in reſignatione in favorem conditio tacitè ineſt, ſi reſignatarius acceptet, & eo recuſante vel moriente ante acceptationem, reſignans iterùm reſignare poteſt: verùm in poſteriori reſignatione exprimere debet priorem, ob metum confidentiæ.

XXIII. Qui depoſitus eſt Beneficio per ſententiam ſui Ordinarii ob crimen commiſſum, reſignare poteſt cum licentia illius, vel ſine licentia ſi appellaverit à ſententia, ſicut reus damnatus ad mortem pendente appellatione teſtari poteſt, *l. qui à latronibus*, *ff. de teſtam.* Verùm ſi devolutarius Beneficium ut vacans per Judicis ſententiam impetraverit, & reſignatarium prævenerit, reſignatio aut jus reſignatarii erit in pendenti, ſi ſententia depoſitionis à Judice appellationis confirmetur devolutarius vincet; ſi verò reformetur, & reſignans à pœna depoſitionis abſolvatur, proviſio reſignatarii prævalebit, ut de teſtamento & donatione facta à reo criminis dicitur *in l. poſt contractum*, *ff. de donat. & l. ſi aliquis*, *ff. de don. cauſa mortis.* At ſi devolutarius nimis properè ante ſententiam depoſitionis Beneficium impetraverit, nullum jus ſibi acquirit, & fit inhabilis ad Beneficia obtinenda, quòd fortunæ viventis inhians eum ante ſententiam ſpoliare tentaverit, *c.* 1. *de conceſſ. præb.* niſi tale ſit delictum pro quo pœna depoſitionis irrogatur ipſo jure, ut dicemus infrà: nam eo caſu Judex non irrogat pœnam depoſitionis, ſed à jure irrogatam declarat, & in quacumque parte litis, vel etiam ante Beneficium ut vacans poteſt impetrari, niſi reus priùs Beneficium dimiſerit.

XXIV. Si reus accuſetur, (*k* coram Ordinario, in manibus illius poteſt Beneficium dimittere: ſi coram Officiali, idem dici debet: at ſi Officialis non habeat poteſtatem conferendi, admittit reſignationem, ut ceſſionem juris, & Epiſcopo refert ut provideat. Idem dici debet ſi reus accuſetur coram Judice Laïco, ſi verò renuntiet coram Papa vel Legato, vel id fit poſtquàm præventus eſt in Judicio coram Judice Laïco; & renuntiatio & collatio factæ valent modò in ſupplicatione facta ſit mentio de lite pendente: aut accuſatur coram Ordinario, ejuſve Officiali, & ſine ejus venia extra renunciare non licet, ne fiat præjudicium Ordinario, & Concordatis, *in tit. de cauſis*, *Molin. de infirmis reſignant. n.* 318. *&* 368. juxta Conſtitutionem Innocentii VIII. inter Regulas Cancellariæ, quâ reſignationes & proviſiones hujuſmodi declarantur nullæ, ut factæ in fraudem futuræ privationis.

XXV. Si ſententiâ Judicis Laïci reus ad pœnam mortis, aut triremium, aut perpetui exilii, (*l*) damnatus fuerit, Beneficium illius vacat, tametſi crimen commiſſum non ingerat pœnam privationis ipſo jure, non ob crimen commiſſum ſolùm, ſed ob pœnam incurſam; nam mortem aut deportationem ſequitur bonorum ademptio, *l. deportatorum*, *c. de pœnis:* & relegatus in perpetuum Beneficium retinere non poteſt, in quo requiritur reſidentia, ut dicemus infrà *tit.* 46. & poſt ſententiam Beneficia illius ſic vacantia poſſunt impetrari, non ante: at ſive reus appellet à ſententia, ſive non, reſignare poteſt,

ſi devolutarius non prævenerit : tamen cùm Beneficium vacat per latam ſententiam, Judex qui ſententiam tulit non poteſt de eo providere, ne ſpe futuræ proviſionis injuſtam ſententiam ferat, ex Conſtitut. Pii IV. quam refert *Gonzales*, *ad reg.* 8. *Cancell. gl.* 15. *n.* 148.

XXVI. *Ultimò*, renuntiatio fieri debet ſine labe ſimoniæ ; *Gratis accepiſtis, gratis date*, ait Dominus *Mat. c.* 10. Et ſicut renuntiatio ſimoniaca nulla eſt, ſic nulla collatio, velut ex infecto principio, *c. ſuper hoc, de renuntiat. Extravag. cùm deteſtabile, de ſimon.* & renuntianti Beneficium repetere non licet, nam ipſo jure privatur Beneficio, & à privatione ad habitum non datur regreſſus, non obſtante clauſulâ reſignationis, *non aliàs, aliter, aliove modo*, quæ (ut diximus ſuprà) nec dolum excuſat, nec culpam, nec craſſam Juris ignorantiam, ſive reſignans Beneficium dimiſerit, ſive non, (*m*) poſt reſignationem admiſſam ſera pœnitentia eſt, idem dicitur de confidentia.

XXVII. Nunquam verò renuntiatio ſimoniaca cenſetur, niſi ex pacto præcedente fiat : nam ſi in remunerationem officii ſpiritualis vel temporalis renuntiatio ſponte fiat, aut in renuntiatione, collatione, vel ordinatione, aliquid ſponte detur, ſimonia nulla eſt, ex Concilio Toletano, *c. quidquid, c.* 1. *q.* 1. *in verb. voluntariè oblata, & Theologorum communi ſententia, quos refert Garcias parte.* 11. *c.* 3. *n.* 165. quod tamen in Foro externo non vacat ſuſpicione ſimoniæ, ubi ex perſonarum conditione, qualitate munerum, & circumſtantiis temporum, fraus arguitur, ut dicemus infrà. *in tit de ſimonia.*

SOLIER.

(*a*) Ergo quoad præjudicium reſignantis valebit, quod tamen negat Panorm. *in cap. Ad aures col. ult. de his quæ vi metuſve cauſ. & Molin. ad reg. de infirm. reſign. n.* 3. & 4. donec fuerit privatus, vel reſignatio per habentem poteſtatem re integra admiſſa, ſed interim poterit agere, & repetere Beneficium ab intruſo, vel ſpoliatore, & in impetratione alterius Beneficii tenebitur de Beneficio taliter reſignato mentionem facere, *Molin. ibid.* ubi in Gomeſium excandeſcit tenentem ad eandem regulam, *q.* 29. quod ad perdendum jus Beneficii admiſſio ſuperioris nihil facit, quod certè verum non eſt, licèt magna ſcribentium pars abeat in ſententiam Gomeſii, ut videre eſt apud *Pariſ. de reſig. lib.* 7. *q.* 1. *n.* 21. *ubi dixi.*

(*b*) Aut obtinuit, ſed ſibi evictum fuit, quo caſu repetit primum ejuratum etiamſi per plures manus deambulaverit, *cap. Si Beneficia, de Præb. in 6.* aliæ verò cauſæ hoc eodem n. ab authore relatæ videlicet defectus maturæ deliberationis in majore 25. annis, Peregrinatio, impatientia oneris, gravatio Epiſcopi citra vim, & metum vix reciperentur in judicio poſt admiſſam reſignationem, & proviſionem etiam in forma dignum expeditam quamvis nondum executioni demandatam.

(*c*) Sacri enim Canones vim, metum, & dolum æquiparant, *Can.* 1. 15. *q.* 6. Quod autem reſignatio meticuloſa ſit nulla probat text. *in cap. Ad audientiam, de his quæ vi metûſve cauſa, & in cap. Abbas* 2. *cap.* 3. *eod. tit. & cap. Accepta de reſtit. ſpoliat.* Idem de reſignatione dolo facta tenet Gloſſ. *in Can.* Suggeſtum, *in verb.* Decipiat. 7. *q.* 1. & *in cap.* Cum dilectus, *de his quæ vi metûſve cauſ.* modò is ſit metus qui cadat in conſtantem virum, *d. cap. Cum dilectus*, vel dolus qui cadere poſſit in prudentem, *Rebuff. in praxi, tit. de reſig. metu ext. in fine ; Flamin. de reſig. lib.* 13. *q.* 3. *n.* 13. & reſignans illam revocet, & nullam arguat ut ait. Author noſter, & congruunt cumulata per Flamin. *d. lib.* 13. *q.* 2. *à n.* 8. & *d. q.* 3. *à n.* 14.

(*d*) Idem tenet etiam in reſignatione ex cauſa permutationis *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *q.* 14. *n.* 84. *in pœnam ingratitudinis.* Extat tamen Senatuſconſultum Pariſienſe *de die* 30. *Mai* 1647. relatum per Dufreſne *in ſuo cauſarum publicè peroratarum Diario, tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 19. & *nuper additum in calce ſcholiorum Brodelli ad Lovetium litt. B, cap.* 13. quod locum facit regreſſui ad Beneficium ſine conſenſu Patroni Laïci reſignatum etiam contra poſtmodum proviſum ab Ordinario ad præſentationem Patroni, propter clauſulam *non aliàs, aliter, nec alio modo*, unde diſtinguendum puto : aut enim reſignatarius poſſeſſionem adeptus eſt tempore præſentationis Patroni : aut non eſt adeptus, Priori caſu obtinet ſententia Authoris, quia tunc demum purificatæ ſunt reſignationis conditiones. Secundo caſu locus eſt Senatuſconſulto, quia jus à reſignante non fuit abdicatum, *Flamin. de reſig. lib.* 1. *q.* 7. *n.* 10. Sic Rex non confert apertâ regaliâ reſignatum in curia Romana ante captam à reſignatario poſſeſſionem, niſi poſtquam reſignans à poſſeſſione per reſignatarium dejectus fuerit, *Dufreſne, & Brod. dd. Locis.*

(*e*) Solemne placitum Henrici II. quod infirmis reſignantibus ſanitati reſtitutis regreſſum indulget, locum non habet in permutatione : quia deceptis, & non decipientibus ſubvenire intendit, *L. Si quis, Cod. Si minor ſe major dixer.* in dolo enim ceſſat Beneficium juris ; *L.* 2. *ff. Si quis teſtamento liber eſſe juſſ. fuer.* ut pleniùs dixi ad Flamin. *de confed. q.* 25. ſed cum permutans infirmus paulò poſt moritur vult Author quòd Ordinarii, Patroni, & expectantes poſſint jure ſuo uti, id eſt de fraude permutationem impugnare, & conferre, præſentare, vel acceptare per obitum, quod quidem de expectantibus verum eſt : de cæteris verò ſecus dicendum, modo fuerit hinc inde adimpleta, *Lovet. ad regul. de infirm. reſig. n.* 111.

(*f*) Idem ſi reſignatarius incapax poſſeſſionem non ſit adeptus, *Brod. ad Lovet. litt. B, cap.* 13. *n.* 10.

(*g*) Iſtud vix recipitur in Gallia ſecluſa fraude, vel minori ætate, quamvis reſignatio tituli ſit de jure prohibita, *Can. Sanctorum, diſt.* 70. *Concil. Trid.*

Trid. Sess. 21. *cap.* 1. nisi factâ mentione de duobus : scilicet quòd resignans ad illud Beneficium fuerit promotus, & quòd habeat unde vivere, ut probatur *in d. cap.* 1. Sed apud nos parùm attenditur reticentia utriusque.

(*h*) Quia impetrantes seu devolutarii nec quidem creduntur habere titulum, sed simplicem actionem, sive facultatem implorandi officium Judicis, *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *q.* 44. *n.* 4. ita ut potiùs dicendi sint impetratores actionis cujuspiam quàm Beneficii; sic enim Judicium impetrari, id est actionem, dicit textus *in L. Fundus*, §. 1. *ff. Famil. Erciscund.* & Jus iniquum *in L.* 3. §. *Sed etsi impetravit*, *ff. Quod quisq. jur.* Quamobrem litteræ Apostolicæ, quæ desuper expediuntur, hanc habent Clausulam *vocato N. & aliis qui fuerint vocandi*, quæ imponit necessitatem citandi, *cap. Exhibita*, *de judic.* & efficit ut ii quibus diriguntur non censeantur meri sex mixti executores ubi scilicet Ecclesiastici Judices de causis Beneficialibus cognoscunt; quod in Gallia non obtinet.

(*i*) Adverte, nam habens gratiam in forma dignum ante ejus executionem non habet jus in re, sed tantùm ad rem, *Mandos. de sign. grat. tit. de mandat. de providendo, ad finem*, *Gonzalez ad reg.* 8. *Gloss.* 15. §. 2. *n.* 1. & *n.* 56. *Garc. de Benefic. p.* 4. *cap.* 3. *n.* 60. *Lotter. lib.* 3. *q.* 14. *n.* 58. qui autem habet tantùm jus ad rem potest quidem renuntiare simpliciter, sed non in favorem *Flamin. Paris. de resign. lib.* 2. *q.* 23. cum jus illud non sit tantæ potentiæ ut in alium transferri possit, utpote personale, ut ibi dixi. Et quòd habens talem gratiam in forma dignum ante ejus executionem non possit ad favorem renuntiare : tenet idem *Flamin. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 149. Praxis tamen theoriæ Pastoris nostri adstipulatur.

(*k*) Non solùm accusato resignare licet, sed etiam damnato, qui provocavit, *L. Qui à latronibus*, §. *fin. ff. de testam. Corras. in Paraph. Sacerdot. p.* 3. *cap.* 6. *n.* 14. loquens de homicida : Et ita judicatum in supremo Consilio refert *Rebuff. in tract. de pacific. possess. n.* 262. negat verò *Molin. ad regul. de infirm. resign. n.* 370. accusatum de crimine quo venit privandus resignare posse in favorem, etiam antè sententiam, & in contraria Canonistarum opinione evertenda toto nixu insudat, sed incassum per ea, quæ ad eundem Molin. ibidem notavit *Lovetius*, *n.* 366. & 367. ubi rejectâ Molinei sententiâ tenet post alios, quos citat resignationem in favorem esse licitam, nedum ante sententiam, sed etiam post, si modo ab ea fuerit appellatum. Et hanc esse Senatûs Parisiensis observantiam testatur.

(*l*) Condemnatio ad exilium vel carcerem perpetuum non extenditur ad privationem Beneficii nisi exprimatur, *Gonzalez ad regul.* 8. *Gloss.* 15. *n.* 137. vel nisi Beneficium residentiam requirat, ut subdit Author, & judicatum in Senatu Tolosano referunt, *Rebuff. in praxi*, *tit. de modis amitt. Benefic. n.* 57. & *Papon. lib.* 1. *Collectionis decretorum*, *tit.* 6. *n.* 1. propter impossibilitatem eidem inserviendi. Quid autem de relegato ad tempus vel damnato ad triremes ? dicetur infra, *tit.* 46.

(*m*) Hoc verum de simonia reali, id est, hinc inde adimpleta saltem pro parte : secus dicendum de conventionali, per hanc enim jus non abdicatur à resignante, *Garc. de Benefic. p.* 8. *cap.* 1. *n.* 34. & quamvis possit inde privari, antè privationem tamen Beneficium non vacat, nec potest impetrari, nisi possessionem dimiserit resignatario, *Molin. ad regul. de infirm. resign. n.* 206. de confidentia idem dicendum quod de simonia reali. Ut statim atque per confidentiam deventum fuerit ad renuntiationem, & collationem nullo alio spectato vacet Beneficium ipso jure, & incurrantur aliæ pœnæ contra confidentiarios introductæ etiamsi promissum non fuerit solutum, *Navarr. in manuali*, *cap.* 23. *n.* 100.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. IN *manibus superioris*. Non enim potest quis in manibus inferioris aut sibi æqualis resignare, sed tantùm Superioris, ideoque facta per Abbatem, vel Priorem resignatio in manibus Vicarii sui, aut Capituli sui nulla est, *cap. ult. de renunt.* & judicatum refert Charondas in magno Regis Consilio, *lib.* 1. *Pandectarum*, *cap.* 10.

Eodem N. 1. *renuntiatio beneficii duobus modis fit expressè, aut tacitè.* Renuntiatio expressa definitur cum scribitur demissio spontanea & libera, Beneficii obtenti facta cum causa coram superiore, *Flam. de resign. lib.* 1. *q.* 1. *n.* 34. ubi verba definitionis exponit : tacita verò quæ ipso jure fieri intelligitur, absque expressione verborum, cum deducatur ex quadam juris interpretatione, *Clem. gratiæ ubi DD. de rescript.* & inducitur : *Primò*, per contractum matrimonii, *cap.* 1. & *cap. Quod citò de Cleric. conjug. Secundò*, per professionem regularem, *cap. Beneficium*, *de regular. in* 6. *Tertiò*, per pacificam possessionem incompatibilis cum priore, *cap. de multa*, *de Præbend. Quartò*, per acceptationem incompatibilis cum primo litigioso existente, *Gloss. in dicta Clem. gratiæ* : *Quintò*, per armorum gestionem in bello, *Gloss. in dicto cap. Beneficium* : *Sextò*, per consensum quòd proprium Beneficium alteri conferatur, *dicto cap. Beneficium*, *de regul. in* 6. *Septimò*, per patientiam quòd ab alio triennio possideatur, *reg. Cancell. de pacificis Pyrrhing. de renunt. n.* 2. *Octavò*, per non promotionem intra annum, *cap. Licet Canon. de elect. in* 6. sed exempla ejusmodi non tam arguunt voluntatem renuntiandi, quàm privationem ipso jure à Canone indultam, *Pyrrhing. ibidem*, nec est vera renuntiatio, nec expressa, nec tacita, sed quædam perditio juris, & ficta & impropria renuntiatio, *Garcias de Benefic. part.* 11. *cap.* 3. *n.* 242. vim habens quoad effectum veræ vel tacitè renuntiationis, *Barbosa*, *lib.* 3. *Juris Eccles. c.* 14. *n.* 38. & 39. sed tacitè non renuntiat qui litteras provisionis adversario, vel collatori tradiderit, renuntiare non intendens, *cap. Sane*, *de renuntiat. Gregor. Tolosan. institut. cap.* 28. *n.* 4. nec qui se committit gratiæ, aut misericordiæ alterius, *dicto cap. Sane.*

Eodem N. 1. *ordinarius eum ut indignum potest deponere & excommunicare.* Textus *in cap. Quod in dubiis*, *de renuntiat.* ab authore laudatus non dicit renuntiantem in manibus Laïci, seu alterius non superioris, ob hoc solùm esse deponendum, & excommunicandum, nec quidem Beneficio privandum, sed tantùm probat renuntiantem in manibus Laïci, & ab eo denuò susceptum, quod majus delictum est, in pœnam suæ temeritatis, eodem Be-

neficio esse privandum, & spoliandum: unde cùm pœnæ non sint extendendæ, renuntians solùm in manibus non superioris etiam Laici, non videtur ob hoc debere privari Beneficio ratione delicti, quamvis renuntiatione per superiorem admissa & ratificata, saltem antequam renuntians illam revocaverit, posset amoveri ab illo tanquam vacante per renuntiationem: ità *Garcias de Benefic. part.* II. *n.* 231. & post cum *Pyrrhing. de renunt. n.* 66.

N. 3. *Nisi agatur de Beneficio Patronato aut Ecclesia Parrochiali.* Cum Capitulum Sede vacante non possit conferre Beneficia, nisi in casibus in quibus jure reperitur ei concessum, *cap.* 2. *de supplend. neglig. Prælat.* hoc ipso quòd in jure nusquam cautum reperitur, quòd Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in collatione Parrochialium, intelligitur esse prohibitum, quod etiam apud nos certissimum est, secluso privilegio, aut consuetudine immemoriali, ut superiori libro *tit.* 12. annotavimus.

Eodem N. 3. *renuntiationem possunt admittere Prælati, qui conferre possunt, & destituere, Papa, Legatus, Ordinarius.* Solus Papa potest Episcopos, iisque superiores privare, ac deponere, & vinculum conjugii spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam contractum dissolvere, *c.* 1. *&* 2. *de transl. Episc. c. Nisi cum pridem, de renuntiat.* quamvis olim sicuti licebat Episcopos in Concilio Provinciali deponere, *cap.* 2. 21. *q.* 5. *cap. Si Episcopum* 16. *q.* 6. *cap. Si quis Episcopus* 11. *q.* 3. ita etiam poterat Primas, vel Archiepiscopus cum Concilio Provinciali resignationes Episcoporum admittere & licentiam cedendi eis dare, *cap. Denique* 6. *q.* 3. Legatus à latere admittit resignationes simplices, *cap. Si Abbatem, de elect. in* 6. non autem conditionales sine speciali mandato *Boërius de dignit. legat. q.* 2. *Rebuff. in praxi tit. de resign. condit. n.* 2. quia conditio simoniam inducit *Gloss. & DD. in cap. Pactiones, de pactis*, Ordinarius verò poterit recipere renuntiationes reservatorum, licèt illa conferre non possit, quia per reservationes aufertur tantùm Episcopis potestas conferendi Beneficia ejusmodi, non autem admittendi renuntiationes illorum cum reservationes sint odiosæ, & sic restringendæ *Flamin. de resign. lib.* 7. *q.* 11. *n.* 32. *&* 33. *Pyrrhing. de renunt. n.* 58. similiter Capitulum Sede vacante potest resignationes admittere, sed collationes debet futuro Episcopo reservare, ut hîc notat Author: Vicarius autem Episcopi non potest illas admittere sine speciali mandato, *cap. Dudum, de Præbend. in 6. cap. Quæsitum de rerum permutat.* quia ex vi generalis mandati non potest conferre Beneficia, *cap. ult. de offic. Vicarii in* 6. nec Clericum à Beneficio amovere, *cap.* 2. *eodem. tit. & lib.*

N. 10. *Resignatio Ebrii nulla est.* Hoc vix potest accidere nisi coram Ordinario, quandoquidem posset resignans pœnitere cessante ebrietate, & sic in resignationibus, quæ fiunt coram Papa, hoc non potest habere locum, nam porrigitur supplicatio signanda, & post multos dies præstatur consensus, & interim poterit resignatio revocari, ut in subjecto casu ait *Flamin. de resign. lib.* 3. *q.* 8. *n.* 22. *&* 23. sed certè facilè idem potest evenire etiam in resignatione facta in Curia Romana, quia plerumque postquam cessavit ebrietas, non supereret in resignante memoria eorum quæ in ebrietate gessit, & sic revocatio resignationis cujus est immemor sibi in mentem venire nequit.

N. 12. *In spiritualibus minores habentur pro majoribus ad agendum & defendendum, cap. finali, de Judic. in* 6. Molin. ad dictum capitulum ait illud non servari in Gallia, & ibi gratis, & abs re sævit in Romanos Pontifices, sed os illud obstrudit nova constitutio Regis de anno 1667. *art.* 4. ubi idem statutum reperitur quod *in dicto cap. ult.*

TITULUS IIII.

De renuntiatione in favorem.

SUMMARIUM.

I. & II. Renuntiationes in favorem primò permissæ. Renuntiationes in favorem simoniacæ censentur.

III. IV. & V. Si Procurator fuerit constitutus ad resignandum in favorem.

VI. Resignationes in favorem admittuntur à Papa & à Rege in Regaliâ.

I. RENUNTIATIO fit purè, vel in favorem alicujus. Olim Episcopi sibi successores eligebant, ut legitur de Beato Petro, qui finem vitæ suæ præsentiens Clementem sibi successorem in Pontificatu ordinavit, *c.* 1. *&* 2. *causa* 8. *q.* 1. Verùm in Concilio Antiocheno vetitum fuit Episcopis sibi successores eligere, *c. Episcopo, ibid.* Et juxta illud Decretum, variis Constitutionibus Pontificiis renuntiationes in favorem fuerunt prohibitæ, ut constat apud Gratianum *eod. tit.* ne jus successionis hæreditariæ in Ecclesiam introducatur, ne sit locus acceptationi personarum, & ne libertas conferendi collatoribus adimatur; & simoniacæ censentur, velut ex pacto inito inter resignantem, & collatorem ipsum, ut definitum fuit Constitutionibus Pii IV. & Pii V. *Garcias parte* II. *c.* 3. *n.* 154.

II. Quamobrem nec Ordinarii (*a*) nec Legati possunt resignationes hujusmodi admittere, quia, Legato non censetur data potestas supra Jus, *Molin. de infirmis resign. n.* 10. & sive conferat nominato, conditione admissâ, sive non, conditione rejectâ, colla-

tio nulla est: nam si conferant conditione admissâ, species simoniæ est: velut ex contractu *facio ut des*: si verò conferant non nominato, conditione rejectâ, falso vacandi modo conferunt, quia resignans sub illa conditione non censetur renuntiasse quoad alterum cui Beneficium fuit collatum; & utroque casu Beneficium potest repetere, sive alteri Beneficium fuerit collatum, nam cùm renuntiatio non sit admissa cum sua conditione, resignans non videtur renuntiasse, sive Beneficium fuerit collatum nominato in renuntiatione, etsi enim talis collatio sit nulla ob rationem suprà allatam, renuntians non debet privari Beneficio, quòd bonâ fide in manibus Ordinarii aut Legati renuntiaverit, authoritas Superioris excusat, ut dicitur *in l. furti, ff. de his qui notantur infamia*, & vel retinendus est in possessione Beneficii, vel restituendus, *Rebuff. in Tractatu de pacif. possess. n.* 154. *Papon. lib.* 2. *tit. de resignat. n.* 20. nisi dolus obstet.

III. Idem dicitur de mandato ad resignandum in favorem coram Ordinario vel Legato, si Procurator resignaverit juxta formam mandati; in gratiam nominati, & is provisus fuerit juxta formam resignationis, resignatio nulla est, & provisio irrita; & si conditione omissâ Procurator renuntiaverit purè, & Beneficium alteri collatum sit, renuntiatio non valet, nec collatio, quia Procurator excessit fines mandati, *l. diligenter, ff. mandati*; & utroque casu resignans potest Beneficium repetere, cui exceptio doli objici non potest, ob rationem suprà allatam.

IV. At si Procurator renuntiaverit purè, idemque Beneficium impetraverit, & obtinuerit, in gratiam illius quem habebat in mandatis, renuntiatio & collatio valent; nam conditio in mandato adjecta non obest, quoniam mandatum non est resignatio, sed destinatio ad resignandum; & renuntiatio purè facta non admittit repetendi licentiam, cùm eo modo desiderium mandantis fuerit adimpletum, *Parisius consil.* 15. *vol.* 4. *Rebuffus in tit. de resignatione conditionali, n.* 26.

V. Etsi enim Ordinarius & Legatus conditionibus appositis in mandato in favorem nominati, non possint adstringi, tamen rogari possunt nomine resignantis ut Beneficium conferant nominato in mandato; nam precibus collatoris libertas non oneratur *l.* 3. *ff. si quis aliquem testari prohibuerit vel coëgerit*, *Rebuff. tit. de resignatione conditionali n.* 23. *Garcias parte* 11. *cap.* 3. *n.* 16. & clausula in mandato apponi potest de rogando (*b*) Ordinario vel Legato ut conferant nominato.

VI. Verùm à Papa resignationes in favorem admittuntur per modum conditionis, sine qua non; nam in his quæ coram ipso fiunt dolus præsumitur abesse, ejus authoritate Juris impedimentum tollitur & suspicio simoniæ diluitur, *c. cùm pridem, de pactis*; admittuntur etiam à Rege, Sede vacante, in Regaliâ, ut diximus suprà, ob libertatem Regaliæ, & Regis authoritatem; & sive à Papa, sive à Rege renuntiatio hujusmodi fuerit admissa, Beneficium sic vacans alteri conferri non potest quàm nominato; & si conferatur alteri, resignans illud potest repetere, quoniam quoad alterum non videtur renuntiasse, *Faber c. de Sacros. Eccles. def.* 55. Idem Juris est si renuntiatio fuerit rejecta, aut fuerit admissa, conditione nominationis rejectâ, quia conditio est pars inseparabilis renuntiationis, *vide Loëtum in notis novis, lit. B. n.* 13. Idem actus non potest dividi contra mentem disponentis, nisi renuntians sciens resignaverit in favorem indigni & incapacis, tunc enim resignatio admitti potest conditione rejectâ; collator Beneficium sic vacans digno conferre potest, regressus negatur resignanti, & reservatio pensionis, obstante exceptione doli, quòd furtim indignum in Ecclesiam intrudere voluerit, *Garcias parte* 11. *c.* 3. *n.* 38. nisi in supplicatione factâ Papæ impedimentum fuerit expressum, eo enim casu spes dispensationis vel absolutionis, & bona fides, resignantem excusant, *c. innotuit, de electione.*

SOLIER.

(*a*) De resignatione in favorem facta coram Ordinario dixi plenè *ad Flamin. Paris. lib.* 14. *q.* 3.

(*b*) Quia inde non arctatur Collator, *cap. Tua, & ibi DD. de sim.* & sola porrectio precum non facit simoniam, *Gloss. in cap. Tuam, de ætat. & qualit.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Renuntiatio *fit purè, vel in favorem.* Illa ut admissa est, statim abdicat Jus, & resignans remanet sine titulo colorato; & amittit possessionem civilem, & naturalem: ista

vetò, scilicet conditionalis, seu in favorem non abdicat Jus nisi adimpletis conditionibus, *Flamin. de resignat. lib. 1. tit. 3.* tunc autem solùm censentur adimpletæ conditiones, cum resignatarius possessionem adeptus est, *idem dicto lib. 1. q. 7. n. 11.* & quando renuntiatio pura & simplex fit in manibus Papæ, censetur facta in favorem ex correspectivitate actuum, ex quo unus resignat, & alter Beneficium petit *Flamin. dicta q. 2. n. 24.*

N. 2. *Sive conferant nominato conditione admissa, sive non, conditione rejectâ, collatio est nulla.* Validam dicunt *Boërius in tract. de dignitatibus legat. q. 2. n. 115. Staphileus, de litteris gratiæ, §. Modo pro declaratione, n. 9. & 10. toto tit. de Justitia & Jure, lib. 9. q. 7. art. 2. & alii*, sed malè, quia non potest inferior à Papa conditionem rejicere, & resignationem simpliciter, vel cum conditione admittere *Rebuff. in praxi, tit. de resign. cond. n. 7. Rosiniac de Benefic. cap. 14. à n. 18.* resignatio enim debet esse libera, & sine ullo pacto, modo vel conditione, *cap. Cum pridem & cap. ult. de pactis:* aliàs est simonia, *Gloss. in cap. Ex parte 1. de offic. relegat.* nisi fieret ad effectum unionis, *Molin. ad regul. de publicandis, n. 176.* & habetur in Diario, *tom. 3. lib. 1. cap. 13.* hanc tamen exceptionem de unione rejicit, *Garcias, part. ult. cap. 3. n. 50.*

N. 6. *Ob libertatem Regaliæ.* Libera est ab omni conditione Regaliæ, vult tamen Author quod si à Rege renuntiatio in favorem fuerit admissa, Beneficium sic vacans alteri conferri non possit, quàm nominato, ergo libertas in Regalia conditione excluditur, quod tamen verum non est, quia quoties mandata conditionalia ad resignandum certæ personæ admittenda Regi porriguntur, toties ab eo, seu his qui Regaliæ præficiuntur, mandata ejusmodi rejiciuntur, tum forsan quia speciem simoniæ Canonicæ præ se ferunt, tum etiam quia non decet supremam Majestatem à subditis conditione ligari, quarè misso postmodum puro & simplici mandato, Rex liberè confert personæ sibi nominatæ.

Eodem N. 6. *nisi renuntians sciens resignaverit in favorem indigni & incapacis.* Ita sentiunt *Flam. de resign. lib. 1. q. 3. n. 71. & 118. & lib. 2. q. 9. n. 21. & Rebuff. 192. n. 5.* ubi ait quod clausula *non aliàs, nec alio modo*, non operatur quandò adest culpa resignantis, & in Rota *part. 1. divers. decis. 214. n. 5.* fuit dictum, quod clausula *non aliàs* non operatur in favorem illius, qui sciens defectum tacuit, nisi habuerit probabile dubium ex ignorantia Juris dubii, & difficultatem habentis facit Lex, *in Jure Civili, ff. de regulis juris, & L. Jure Civili, ff. de condit. & demonstrat Gregorius Tolosan. de Benefic. cap. 28. n. 11.* ait quod quando resignatio in favorem, vel ex causa permutationis, non potest sortiri effectum, propter dolum vel culpam resignantium, tunc resignatio & ex ea vacatio firmæ remanent, & potest Beneficium liberè provideri.

TITULUS V.

De aliis conditionibus quæ in resignationibus coram Papa apponuntur.

SUMMARIUM.

I. & II. Renuntiatio debet admitti cum suis conditionibus.

III. Collatio facta conditione in renuntiatione appositâ, omissâ, vel rejectâ an valeat.

IV. & V. In renuntiatione quæ conditiones illicitæ censeantur. Renuntians non privatur jure suo ob conditionem illicitam, si coram Papa renuntiaverit. Arrestum.

I. ALIÆ conditiones apponi possunt in resignationibus quæ fiunt coram Summo Pontifice, scilicet de certâ pensione annuâ in gratiam resignantis, vel alterius ab eo nominati, de regressu aut reservatione fructuum, de solvendo ære alieno contracto nomine Beneficii, aut Bullarum expensis: nam Papa est supra Jus positivum, ex Canonistarum sententiâ, *c. proposuit, de conces. præb.* & tollendo in suprà dictis casibus prohibitionem juris, facit licitum quod alioquin esset illicitum (*a*)

II. Et hæ conditiones in resignatione apponuntur, non ad restringendam potestatem Papæ, quæ semper excipitur, sive illa clausula sub beneplacito Summi Pontificis fuerit adjecta in mandato, sive non, *c. venientes, de jurejurando*, sed ad limitandam dispositionem resignantis, ut resignatio solvatur conditionis defectu, sicut in cæteris dispositionibus conditionalibus observatur, *l. 1. ff. de lege commissoria.* Quamobrem aut resignatio rejici debet aut admitti cum suâ conditione, cùm resignans aliter resignare noluerit: illa conditio non potest scindi aut reduci (*b*) à collatore contra mentem resignantis, ut observatur in cæteris dispositionibus, *l. cui fundus, ff. de cond. & demonstr.* alioquin conditione rejectâ aut reductâ collatio nulla est: nam collator non censetur aliud Jus conferre, quàm quod à resignante fuit dimissum; & si resignatio sit nulla, nullus est collationis effectus, contra Rebuffum *ad regulam de public. resign. gl. 4.* ubi asserit collationem in suprà dictis casibus valere conditione rejectâ, vel eâdem reductâ.

III. Sed ne penitus à Sententiâ Rebuffi discedere videar, distinguendum existimo: aut enim resignans collationem hujusmodi ratam habet, spontè dimissâ possessione Beneficii, aliove modo, perseverando in renuntiatione, aut eam revocat cùm primùm,

potest; si primum, collatio valet ex mente expressâ aut tacitâ resignantis, unde colligitur quòd etiam sine ullâ conditione purè resignasset: si verò resignans de tali collatione conqueratur, & renuntiationem revocet, ob conditionis defectum, collatio nulla est, *Papon lib. 2. tit. 8. n. 7.* Quæ distinctio probatur ex iis quæ diximus suprà de querela Patroni adversus collationem spreto se factam, & de renuntiatione facta per metum, si cessante causa metûs, non revocetur. Idem dicendum est si Procurator excedendo fines mandati conditionem adscriptam mandato omiserit, aut reduxerit, *c. cùm dilecti, de Rescriptis, Papon loco cit.*

IV. Apud nos conditio de solvendo ære alieno contracto nomine Beneficii admittitur; conditio de solvendis Bullarum expensis, si resignans nullos perceperit fructus ex Beneficio dimisso, similiter admittitur, modò fraus absit, ut dicemus infrà *de Concordatis*: reservatio pensionis in gratiam resignantis admittitur; in gratiam alterius Jus non habentis in Beneficio dimisso non admittitur, ut dicemus infrà *de pensionibus*: reservatio fructuum & regressus redolent confidentiam, ut dicemus infrà *de pensionibus*: & tales conditiones illicitæ censentur, & collationem vitiant, *Papon loco cit. n. 3. & 6.* materiam præbent appellationis tanquàm ab abusu, nisi ad justum modum pensionis reducantur ex consensu resignantis, cui tamen liberum est, si consentire nolit reductioni, Beneficium repetere: nam licèt collatio continens illicitam conditionem sit nulla, resignans non censetur privatus Jure suo retinendi aut repetendi, ob bonam fidem ipsius, & authoritatem Papæ qui talem conditionem admisit, *c. cùm pridem, de pactis, juxta l. furti, ff. de his qui not. inf. Papon loco cit. n. 7.* Et si resignans Beneficium repetat, illud resignare potest in gratiam alterius; repetere autem potest sine nova provisione, non obstante provisione sui resignatarii, quæ cùm sit nulla non præstat juris impedimentum: si verò resignans moriatur ante repetitum Beneficium, aut conditionem reductam, illud ab alio impetrari potest, ut vacans per obitum illius, sive resignatarius Regulæ de publicandis resignationibus satisfecerit, sive non, sive intra sex menses, quo tempore resignatio publicari debet, sive post, resignans mortuus sit, ut constat ex arresto à Papone relato *loco cit. n. 6.* nam ob abusum provisio illius nulla est, & abusus non purgatur publicatione provisionis, sed reductione reservationis factâ ex consensu resignantis, ad modum justæ pensionis. At si de fraude, simoniâ, vel confidentiâ occultâ in resignatione commissâ constet, resignans non potest Beneficium repetere, ut diximus suprà *tit. 3.*

V. Valet etiam conditio in resignatione filii familias, aut minoris, si patri vel patruo placuerit, *Rota decis. 6. in antiquis*, modò fraus absit & confidentia: & renuntiatio non debet admitti sine consensu patris (*c*) aut patrui: verùm collatio purè debet fieri, quia non debet pendere ex alieno arbitrio; & in eâ nulla conditio potest adjici quàm quæ inest ex natura actûs, *gl. in c. in electionibus, verb. incerta, de elect. in 6.*

SOLIER.

(*a*) POTEST enim adæquare quadrata rotundis, ut ait *Hostien. in cap. Cum convenissent, de judic.* cùm habeat plenissimam potestatem in Beneficialibus, *cap. 2. In princ. de Præb. in 6. cap. Proposuit, eod. tit. Clem. unic. ut lite pend.* ita ut potestate ordinaria possit etiam sine causa Beneficium uni auferre & dare alteri, *Gemin. Consil. 99. n. 7. Gloss. in Can. Omnis qui gemebat 7. q. 1. in verb. Coactè.* Quia facit unum consistorium cum Deo, *cap. Quantò, de translat. Episc.* quare non potest ei dici cur ita facis: non secus ac non potest dici ipsi Deo, *Gloss. in Can. Quamvis 23. in verb. Deo, de pœnit. dist. 3.* si enim terreno Principi licet sibi arrogare cœleste arbitrium, *L. 2. Ad finem, Cod. de Summa Trinit.* multò magis summo Dei Vicario, cui ideò faciliùs rerum naturam immutare, ut docet *Gloss. in d. cap. Quantò in verb. Veri Dei.* Quapropter in his quæ sunt Juris positivi nihil ultra in Papa quæritur, quàm an ita voluerit: *Felin. in cap. Quæ in Ecclesiarum, n. 44. de constit.*

(*b*) Imò conditiones appositæ, quæ vel impossibiles, vel per se illicitæ sunt, pro non adjectis habentur, *L. Obtinuit, & L. Multa, §. fin. & L. Si conditiones, ff. de condit. & demonst.* unde, quia in Gallia omnes fructus vel regressum reservare non licet, fuit judicatum resignationem inde non vitiari, sed reservationem pro non adjecta haberi, *Tournet, in compilat. Placitorum, litt. P, n. 67.* cumque aliàs dato procuratorio ad resignandum in favorem reservata pensione cum facultate transferendi Datarius clausulam translationis à supplicatione cassasset & procurator sine dicta clausula consensisset, pronuntiavit Rota validam esse resignationem, *Caputaquen. decis. 89. lib. 3.* quia sufficit servare mandata in concessibilibus, *Flam. de resign. lib. 9. q. 17. n. 142.*

(*c*) Minor annis 25. non potest resignare sine consensu patris, *Brodell. ad Lovet. litt. B, cap. 7.* ubi plura præjudicia commemorat. Limita nisi sit major annis 18. ad id malis artibus non inductus, & ab statu Clericali alienus, *ibid. n. 5. & 7.* vel nisi curatum, vel unum, aut alterum ex duobus vel pluribus simplicibus resignet, quorum reliquum aut reliqua sufficiant ad congruam sui sustentationem;

quia tunc non damnificatur sed exoneratur, *Panorm. in cap. Ex parte, n. 15. de restit. spoliat.* ubi autem unicum simplex resignasset, quamvis de expresso patris consensu id egerit, illud repetere potest, Major verò 25. annis quamvis in sacris paternis constitutus inscio & invito patre liberam habet resignandi facultatem, quia in spiritualibus cessat patria potestas, *cap. fin. de judic.* nisi beneplacitum patris sit in mandato expressè reservatum ut supponit Author.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. VEL *alterius ab eo nominati, de regressu & reservatione fructuum.* Nihil mirum quod Papa possit alteri quàm resignanti, per ipsum resignantem nominato, pensionem reservare, quandoquidem de una in aliam personam illam transferre potest, imò & vivente eo cui pensio solvitur, & eo mortuo, eandem pensionem alteri reservare, etiam sine consensu Rectoris, *Gigas, de pensionibus, q. 12. n. 3.* & ex Pragmaticis & Constitutionibus totius Hispaniæ exteri pensiones habere non possunt: sed ipsi in capite Hispani hominis eas constituunt, alicujus manu pensiones ipsas percipiunt, *Flamin. de resignat. sect. 6. q. 4. n. 61. Garcias parte 1. cap. 5. n. 26. Lotter. litt. I. q. 36. n. 9.* ubi optimè probat id minimè Juri repugnari, videlicet Jus pensionis sit penes unum, ut sic salvetur Pragmatica, commoditas autem penes alium, *Corradus in praxi benefic. lib. 1. cap. 5. n. 244.* ubi ait, quòd iste originarius ex communi Romanæ Curiæ vocabulo, *cap. defero* nuncupatur, ex eo, inquit, quòd in illius capite omnes hujusmodi pensiones confidentiales collocantur, & reservantur, ad commodum tamen & utilitatem alterius exteri, quem Papa judicat benemeritum: cæterùm regressus, cui affinis est accessus, & ingressus nihil aliud est, quàm reversio ad Beneficium cessum, seu demissum, *Mandos. in tract. de signat. gratiæ tit. regressus*, accessus est jus intrandi, seu adipiscendi Beneficium, vel illius possessionem, quam accedens nunquam habuerat, *Mandos. ibidem*, undè dicitur quòd accessus nullam habet causam præambulam juris de præterito, veluti quoties vult Papa dare alicui Episcopatum, vel aliud Beneficium, & ille propter ætatis immaturitatem, non est capax, tunc Papa confert alteri, donec ille efficiatur habilis perveniendo ad ætatem legitimam, quâ adveniente poterit propriâ authoritate accedere ad illud Beneficium. Ingressus est, ubi, si Papa contulerit mihi Beneficium, & antequam capiam possessionem illud resignem, Papa concedit, quòd si resignatarius moriatur, ut ego ingrediar Beneficium, quod resigno, *Flamin. de resign. lib. 6. q. 5.* sed hodie vana fere sunt ista omnia præsertim in Gallia, ubi pensiones ad favorem tertii, maximè confidentiales, non agnoscuntur, & multò minùs reservationes, & regressus, accessus, & ingressus penitus sublati, nedum per concordata, *tit. de reservat. sublatis*, sed etiam per Concilium Tridentinum, *cap. 7. sess. 25. de reformat.*

N. 4. *Conditio de solvendis Bullarum expensis*, si provisio esset Bullata in majoribus Beneficiis subintraret conjectura confidentiæ, de qua in Constitutione Pii V. contra confidentiarios, ex quo resignans impensas expeditionis pro resignatario faceret, quia cum magnæ sint, rem suam agere potiùs quàm resignatarii, præsumeretur. Sed in Beneficiis inferioribus in quibus Galli Litteras non ambiunt; solâ signaturâ contenti, vix conjiceretur aliqua confidentia, ex impensis per resignantem expositis, cum exiguæ sint; & nullius ferè momenti. Si tamen author intelligendus sit, ut videtur de resignante, qui pecunias expeditionis propriæ provisionis suæ intendit à resignatario suo repetere, cùm nullos fructus perceperit, & sub ea conditione resignat, tunc non confidentia est, sed indistinctè mera simonia.

Eodem N. 4. *Reservatio fructuum & regressus redolent confidentiam.* Resignatio facta sub retentione omnium fructuum in tantum est abusiva, ut nulla sit ab initio, est enim idem ac si quis donaret retento usufructu, ut fit in rebus profanis, vel talem hæredem instituere in Beneficio, quo quamdiù vivit, integrè frui vult, & sic in fraudem decreti *de reservationib. sublatis*, & antiquorum Canonum, *ita Molin. ad Regulam, de publicandis, n. 292.* ubi ait sic judicatum in Senatu Parisiensi die 5. Martii 1512. unde reservatio fructuum non prohibetur, quia confidentialis: in Curia enim Romana non committitur simonia, nec in consequens confidentia, quæ species est simoniæ, sed prohibetur, quia inducit successionem in sanctuarium Dei contra Canones, *cap. Apostolica, d. q. 1. cap. Episcopo cum seqq. cap. Plerique, cap. Moyses, dist. 51. versic. sit.* pari ratione resignatio facta cum reservatione regressûs illicita, & nulla est, ac ideò vacare Beneficium resignatum, fuit pronuntiatum à Senatu Parisiensi, die 13. Aprilis 1496. ut tradunt *Boer. decis. 2. n. 56. Papon in sua Placitorum Compilatione, lib. 2. tit. 8. n. 3. & 6. Flamin. de resign. lib. 6. q. 5. n. 107.*

TITULUS VI.

De mandato ad resignandum.

SUMMARIUM.

I. Resignantis Procurator debet exhibere mandatum.

II. Procurator generalis non potest substituere.

III. Procurator ad resignandum qualis esse debeat.

IV. V. VI. & VII. Quæ in mandato ad resignandum sint observanda.

VIII. IX. & X. Notarii Apostolici qui sint.

XI. & XII. Revocatio mandati ad resignan-

dum debet intimari.
XIII. In mandato revocatorio quæ sint observanda.
XIV. Patronus potest revocare Procuratorem constitutum ad præsentandum.
XV. XVI. & XVII. Mandatum ad resignandum finitur variis modis.

I. AUT renuntiatio fit per ipsum renuntiantem, aut per Procuratorem: si fiat per Procuratorem, speciale mandatum ad hoc negotium desideratur; & de mandato in ipsa renuntiatione constare debet, alioquin Procurator non admittitur; & si fuerit admissus mandato non exhibito, renuntiatio nulla est, & collatio facta super tali renuntiatione irrita judicatur, ex Constitutione Gallica Henrici II. *art.* 11. & Edicto anni 1638. *art.* 9. Et ratihabitione mandantis, aut mandato post renuntiationem & collationem exhibito, talis renuntiatio & collatio non convalescunt, *Molin. de public. resignat. n.* 394. Et si Procurator habens potestatem substituendi alium substituerit, substitutus renuntiando non solùm suum mandatum substitutionis debet exhibere, sed etiam mandatum Procuratoris à quo fuit substitutus, *Molin. loco citato, n.* 402. sive coram Papa, aut Legato, sive coram Ordinario renuntiatio facta sit, sive purè, sive ex causa permutationis, *Molin. ibidem.* Quod optimo jure cautum fuit, ut collationes sint certæ, & collusio & confidentia, quæ frequens est in hac materia, vitetur. Constat autem de exhibitione mandati ex ipsis Signaturis (*a*) aut Bullis, vel ex Regestis Trapezitarum, in quibus ipsi observant quo tempore mandata hujusmodi miserint, & à suis Procuratoribus Romæ agentibus responsa acceperint; & ut certior fides habeatur, novo Edicto *du Controlle*, de quo suprà diximus *art.* 9. cavetur quòd mandata ad resignandum in Curia Romana priùs annotentur penes Actuarium Diœcesis loci ubi mandatum fit antequam mittantur Romam, & penes Actuarium exemplar mandati à Notario & testibus signatum relinquatur, sub pœna nullitatis, ad hoc ut si de annotatione quæratur quæ summatim concipitur, ex ipso exemplari veritas innotescat, ex eodem Edicto *art.* 10. Quo tamen mandata quæ fiunt ad resignandum coram Legato, non comprehenduntur, ex alio Edicto modificativo; fraus enim faciliùs committitur in partibus remotis: & ubi Officia Annotationum non sunt instituta, vel suppressa sunt, mandatum ad resignandum insinuatur, & exemplar relinquitur penes Actuarium Insinuationum.

II. In mandatis hujusmodi multa sunt observanda. *Primò*, resignans debet mandare per se, aut per Procuratorem ad hoc institutum; & Procurator ad resignandum non potest substituere, nisi habeat substituendi licentiam (*b*) ex quibus causis renuntiatio infirmatur defectu validi consensûs resignantis: mandatum etiam ad resignandum infirmatur; eadem enim voluntas & idem consensus in mandato desiderantur.

III. *Secundò*, mandatum dari debet personæ non prohibitæ; nam nec mulieres ad hæc negotia admittuntur, nec furiosi, muti, aut surdi, nec excommunicati, nec infames, nec Religiosi sine Superioris licentia, nec Laïci, si resignatio sit in favorem, eisque data sit facultas eligendi, nisi renuntiando dixerint se Laïcos, (*c*) nec minores octodecim annis, *Speculator lib.* 1. *de Procuratore, vers. item quòd est minor, & seq.* Tamen si renuntiatio facta à Religoso sine Superioris licentia à collatore fuerit admissa, non retractatur. Idem dicitur de excommunicato, de Laïco, de minore octodecim annis, modò sit pubes, & intelligat id quod agit, & sequatur formam mandati, nam in istis casibus Procurator est velut nuntius, & nudus minister, & renuntiatio vires sumit ex virtuali voluntate mandantis, de quâ constat in mandato, quæ durare creditur si non fuerit revocata, *Gloss. in Clementina unica de renuntiatione, juxta l. Si pater, ff. De manumissis vindicta, Rota decis.* 418. *in antiquis, idem asserit de renuntiatione facta ex causa permutationis.* Verùm si in mandato data sit Laïco facultas eligendi, exprimere debet in renuntiatione se Laïcum esse, ad obtinendam eligendi licentiam in re spirituali, quia non est nudus minister, electionem addit de suo, ne Rescriptum sit obreptitium, & dispositio rei spiritualis ex arbitrio Laïci pendere videatur, quod est in Jure prohibitum, *C. Sacrosancta, & C. Messana, de electione, Molin. contra parvas datas, art.* 1. & non conceditur Patronis nisi ex indulgentia Juris.

IV. *Tertiò*, mandatum debet esse speciale, expresso nomine resignantis, & resignatarii, & Beneficii resignandi, qualitatis, tituli, loci & Diœcesis, *ex Constitutione Gallica suprà citata.*

V. *Quartò*, cætera mandata per epistolam & scripturam privatam fieri pos-

ſunt, *l.* 1. *l. Procuratorem*, *ff. de Procurat.* Verùm hoc genus mandati non fit ſine ſcriptis, nec ſine Notario (*d*) publico: dubitabatur an eſſet inſerendum in Regeſtis Notarii, propter Conſtitutionem Molinenſem, quæ in inſtrumentis publicis eam formam requirit. Verùm cùm hodie hujuſmodi mandata priùs annotentur in Regeſtis publicis Actuarii annotationis Litterarum Beneficialium, quàm exemplar Romam mittatur, & in Regeſtis Trapezitarum inſerantur, & poſt expeditionem Litterarum inſinuentur in Regeſtis Inſinuationum: quæ repetitio fit ad obviandum fraudibus; dici poteſt illam repetitionem ſufficere ut ſuppleatur defectui Regeſti Notarii juxta deſiderium plurium qui nolunt voluntatem ſuam reſignandi citiùs publicari, quo Jure utimur: tamen exemplar mandati à reſignante & teſtibus ſubſcriptum penes Notarium relinquitur, ad tollendam omnem controverſiam, ſive coram Papa, ſive coram Legato reſignatio fieri debeat.

VI. *Quintò*, ut tale inſtrumentum valeat requiritur quòd nomen Procuratoris exprimatur, ut ſi mandans velit mandatum revocare, ei poſſit revocationem ſignificare, *Rebuff. loco cit. n.* 7. *Loiſellus de Officiis lib.* 1. *c.* 2. *n.* 4. Tamen in mandatis ad reſignandum in Curia Romana nomen Procuratoris in ſpecie exprimitur, aut locus vacuus albus relinquitur in quo exprimatur: & generaliter omnes Procuratores & Expeditionarii ejuſdem Curiæ conſtituuntur, & eorum quilibet, cum clauſula, *quod ſi non omnes*, ut locus vacuus occupantis nomine repleatur, ne certo tantùm Procuratore conſtituto, eoque defuncto, mandatum fiat irritum; & deſtitutum, *Boërius deciſ.* 274. *Rebuff. in Praxi, tit. de Procuratore ad reſignandum.*

VII. *Sextò*, requiritur quòd in mandato poſt publicationem mandans ſubſcribat; aut ſi ſubſcribere non poſſit, Notarius cum teſtibus adhibitis eodem inſtrumento fidem faciat eum ſubſcribere non potuiſſe, (*e*) ex Conſtitutione Gallica præallegata.

VIII. *Septimò*, duo ſaltem teſtes adhibendi ſunt, qui cum Notario ſubſcribant, ex eâdem Conſtitutione Gallica *art.* 23. qui ſint omni exceptione majores; non conſanguinei reſignantis aut reſignatarii in proximo gradu patris, vel avi, fratris, aut avunculi, aut ſobrini, nec domeſtici, & domicilium habeant ubi fit mandatum, niſi illud fiat ruri, ut cavetur eadem Conſtitutione.

IX. *Octavò*, in Notario poteſtas deſideratur, non ſolùm coram Notariis Regiis, ſed etiam coram Notariis Apoſtolicis, & Domanialibus conſtitutis à Dominis Feudatariis in ſuis Præfecturis, hæc mandata fieri poſſunt, *Loiſellus de Offiiciis l.* 1. *c.* 1. *n.* 41. quorum omnium in iis par eſt fides, ex eadem Conſtitutione, modò extra ſuam Præfecturam aut territorium ubi conſtituti ſunt non egrediantur: eorum enim ſingulorum poteſtas limitatur, ne cæterorum Jura lædantur: & inſtrumentum extra Præfecturam non valet in vim publici inſtrumenti, nec publicam fidem facit, niſi agnitum ſit in Judicio, parte vocata, ut de cæteris ſcripturis privatis dicitur: tamen ſi inſtrumentum hujuſmodi fiat in pagis in locis vicinis ubi Notarii non ſunt, poteſtas Notariorum vicinorum locorum, utilitatis causâ, ad ea loca prorogatur. Inter Notarios Regios & Apoſtolicos hæc differentia eſt, quòd Notarii Regii à Rege, & Notarii Domaniales à Dominis Feudatariis inſtituuntur; Notarii Apoſtolici à Sede Apoſtolica ad actus Eccleſiaſticos, qui ſingulis annis mandata quæ fiunt coram ipſis ad reſignandum in Curiâ, eorumque revocationes, Epiſcopo referre tenentur, ex Conſtitutione præallegatâ: hodie apud nos Actuariis Annotationis Litterarum Beneficialium, ex Edicto *du Controlle*, idem onus injungitur: Conſtitutiones novæ novam dant formam negotiis.

X. Permutantes eundem Procuratorem habere poſſunt ad reſignandum, *Bellamera de permutatione parte* 8. *q.* 1. Sic in poſtulatione omologationis concordiæ idem Procurator ſufficit.

XI. Ut renuntiatio Procuratoris valeat requiritur quòd tempore renuntiationis ejus poteſtas duret; nam finito mandato poteſtas Procuratoris finitur: & mandata hujuſmodi ad reſignandum variis modis finiuntur, tum in Beneficiis tum in ſæcularibus Officiis. *Primò*, revocatione tempeſtivè factâ & intimatâ vel Procuratori, vel collatori, vel reſignatario, ſi mandatum ſit in favorem, *Clem. unic. de renuntiatione*; quæ licèt non loquatur de reſignatario, quòd eo tempore reſignationes in favorem minùs frequenter fierent: de eo tamen eſt intelligenda cùm mandatum factum ſit in gratiam ipſius, *Rebuff. tit. de revocat. Procuratoris*, *n.* 5. *&* 6. Idem dicitur de mandato ad reſignandum ex cauſa permutationis; intimatio revocationis facta compermutanti ſufficit, *Rebuff. loco citato*, *Molin. de publ. reſign. n.* 265. quo caſu mandato revocato ex parte unius compermutantium, mandatum

tum alterius (uterque enim mandat) revocatum intelligitur, ex natura correlatorum, quorum uno sublato aliud cessat, *l. Cum te, C. de pactis inter emptorem & venditorem compositis*, ut observatur in testamentis ἀλληλοκλησιμίας inter conjuges aut commilitones factis mutuis affectionibus, altero revocato aliud quoque tollitur, *l. captatorias, ff. de hæredibus instituendis, l. Licet, C. de pactis.*

XII. Si revocatio resignatario seu nominato in mandato fuerit intimata, non est necesse quòd intimetur Procuratori, aut collatori; & si Procurator ignorans revocationem renuntiet juxta formam mandati, nihil agit, nam mutatâ voluntate mandantis, ejus potestas expiravit, *l. Si pater, ff. de manumissis vindicta.* Si Papa conferat resignatario, similiter nihil agitur, quòd resignatarius revocationem mandantis sibi intimatam tacuerit, & collatorem deceperit: & si revocatio fuerit intimata collatori, non est necesse quòd intimetur Procuratori mandantis, aut resignatario; nam collator certioratus de revocatione non potest conferre Beneficium viventis: intimatio facta alterutri sufficit, ex dicta Clementina, ne altero latitante, aut copiam sui facere nolente, mens & intentio revocantis eludatur; & si malitiosè fiat per ipsos, aliosve, quominus notitia revocationis ad eos, vel alterum illorum, perveniat, declaratio mandantis de revocatione & mutata voluntate coram Notario & testibus publicè facta sufficit, ex dicta Clementina, *ob rationem, l. si pater, ff. de manum. vind.* nam intimatio revocationis principaliter desideratur, ut obvietur fraudi, ne post resignationem admissam, & Beneficii collationem, mandans causari possit revocationem, & mutationem voluntatis ante factam, ad repetendum Beneficium; quæ ratio cessat si fraus ex parte collatoris aditum mandanti præbere nolentis, aut Procuratoris, vel resignatarii latitantis, intervenerit.

XIII. Et si plures Procuratores generaliter constituti fuerint, non sufficit revocationem mandati alteri illorum intimare; nam omnes habent potestatem in solidum, præoccupantis conditio fit melior, ex clausula, *quod si non omnes*, & renuntiatio ab eo facta valet, licèt mandati revocatio aliis intimata fuerit, nisi collatori aut resignatio significata sit: similiter si sint plures collatores habentes jus conferendi, revocatio mandati debet singulis vel vicariis illorum intimari, nisi Procuratori intimata sit: & si Procuratori habenti substitutum intimata sit, non est necesse quòd intimetur substituto; & si collatori intimata sit, vicario illius intimata videtur; sicut è converso, si vicario, vel substituto intimata fuerit, videtur intimata principali, ob necessitatem & conjunctionem muneris & officii.

XIV. Ad revocandum mandatum hujusmodi, revocatio ipsius mandantis facta apud Acta, & intimata, sufficit, aut contrarium mandatum ipsius revocatorium primi, publicè factum coram Notario & testibus, ut de mandato ad resignandum diximus suprà: quod mandatum revocatorium debet annotari in Regesto Actuarii Annotationis Litterarum Beneficialium, antequàm Romam mittatur, cùm agitur de mandato facto ad resignandum in Curiâ, ex eodem Edicto *du Controlle* suprà allegato, ad vitandam fraudem regressûs & confidentiæ: nec obest revocationi, si in mandato ad resignandum clausula à mandante appositа sit de non de revocando, & talis clausula Juramento firmata fuerit: nam talis clausula est contra substantiam mandati, quod fit in gratiam mandantis solius, gratuitò; & illud Jusjurandum contra bonos mores onerans libertatem in his actibus requisitam, pro non adjecto haberi debet, *l. cùm precarium, ff. de precario, Bart. ibidem.* Tamen si Procurator aut resignatarius bonâ fide aliquos sumptus fecerint ob eam causam, à resignante possunt eos repetere, *l. Si pecuniam, ff. de condictione ob causam datorum.*

XV. Eodem Jure, si Patronus constituerit Procuratorem ad præsentandum, & illum revocet, antequàm præsentatio fuerit admissa, revocatio debet intimari, aut Procuratori quem constituit, aut collatori, aut præsentato; nam licèt Clementina suprà citata loquatur de Procuratore ad resignandum, etiam de Procuratore Patroni ad præsentandum intelligenda est, quia non statuit jus novum, sed commune declarat, quo potestas Procuratoris durare creditur, donec revocatio fuerit intimata, *l. Si Procuratorem, ff. de Procuratoribus.*

XVI. *Secundò*, mandatum ad resignandum finitur aut tacitè revocatur, si mandans, re integra, seu antequam mandatarius resignaverit coram eodem collatore, vel diverso potestatem habente, Beneficio renuntiaverit; ut si mandaverit ad resignandum coram Papa vel Legato, re integra, antequam resignatio fuerit admissa à Papa vel Legato, potest resignare coram Ordinario juxta sententiam Felini *in c. ex parte decis. de Resc.* à qua discrepat Paponius *lib. 2. tit. 8. n. 15.* allegando Arrestum contrarium, & opinionem

quorumdam Doctorum existimantium, quòd ex quo mandans Procuratorem constituit ad resignandum in Curia, Papa manum imposuit: quæ omnia sunt contra rationem Juris, & Praxim: nam manus non dicitur apposita nisi post renuntiationem admissam, & ante, sicut mandans liber est ad revocandum mandatum de resignando, sic liber censetur ad resignandum coram Ordinario, etiamsi in mandato clausula de non revocando cum Juramento apposita sit, ut diximus suprà; fides Arrestorum suspecta est: nisi illa ratione nitantur.

XVII. *Tertiò*, mandatum hujusmodi finitur anni lapsu, si Procurator intra illud tempus à data instrumenti mandati numerandum, non functus sit officio, Beneficio dimisso, ex Constitutione Gallicâ suprà citatâ, quæ noluit mandata hujusmodi diutiùs pendere, ob metum confidentiæ. Et si post anni lapsum resignatio fiat ex tali mandato, & mortuo resignante, resignatarius Beneficium obtinuerit ex causa resignationis, aut alio quovis modo, & alius de eodem Beneficio per obitum provisus sit, obituarius vincit, ob fraudem præsumptam resignantis & resignatarii, ex dicta Constitutione, quæ annullat actum. Sic judicatum refert Fevret *lib.* 2. *c.* 3. *tit.* 17.

XVIII. *Quartò*, finitur morte naturali aut civili vel mandantis vel mandatarii, vel nominati in mandato, *l. mandatum*, *C. mandati*, §. *item*, *Instit. de mandato*, etiamsi tempore renuntiationis Procurator ignoret mortem mandantis, renuntiatio nulla est, & Beneficium vacat per obitum, non per renuntiationem, ob finitum arbitrium mandantis tempore renuntiationis: nam (ut dictum est suprà) renuntiatio vires sumit ex voluntate mandantis durante tempore renuntiationis, *Rebuff. in tit. de revocatione procuratis*, *n.* 11.

SOLIER.

(*a*) An mandatum ad resignandum fuerit, necne, in manibus Procuratoris tempore datæ resignationis admissæ juxta edictum Henrici II. contra parvas datas nuncupatum, nequit probari ex signatura vel Bulla desuper expedita: ratio est, quia ut primùm Cursor memoriale resignationis asportans Romam advenit, data resignationis illicò accipitur, procuratorio nequaquam ostenso, & postmodum, pluribus sæpe diebus vel etiam mensibus interpositis, concipitur, porrigitur, & signatur supplicatio & consensus extenditur & datatur de data jam anteà capta ipsius resignationis & tunc solùm exhibetur & consignatur procuratorium, ita ut Bacharii, qui fraudibus, quòd absit, inservire non verentur, illud non mittant nisi post datam captam, aut capi mandatam, cum scilicet tempus expediendi accidit, & non aliàs. Conjectura tamen parvæ datæ (id est captæ antequam Procurator mandatum receperit) sumi potest ex die missionis ad registrum, quæ tergo signaturæ annotatur, ut si quinque, vel sex mensibus distet à data signaturæ, hæc dilatio vera expectatio incerti eventûs mortis resignantis præsumatur, *ut ex Lovetio*, *lib.* 2. *tit.* 1. *litt. A*, supra monuimus.

(*b*) Procurator ad resignandum constitutus uti existens in Romana Curia non potest substituere, nisi facultatem hanc habeat in mandato; existens verò in partibus hac facultate non eget: Ratio differentiæ est quia in primo casu eligitur persona ad resignandum per seipsum: In secundo secus: neque enim intendit constituens Parisiis commorans quòd Procurator Tolosæ degens Romam se conferat ad resignandum, sed quòd in vim mandati aliud procuratorio nomine faciat & Romam mittat; mandatum enim ad resignandum resignatio vulgò dicitur licèt impropriè, *Molin. ad Regul. de infirm. Resig. in princ.* & verba in contractibus secundum communem intellectum sunt accipienda per Jura vulgaria.

(*c*) Contrarium tenet Molin. malè hîc ab Authore pro sua opinione laudatus, in commentario ad edictum Henrici II. contra parvas datas, *art.* 10. *Gloss.* 2. *n.* 13. & 14. duplici ratione: primâ quia in Jure non est prohibitum, quâ ratione arguit & concludit textus *in cap.* 1. *In princ. de procurat. in* 6. Secundâ, quia non est verum, inquit, quod dependat à mero arbitrio solius Laïci, sed principaliùs ab arbitrio superioris, & sic de suo non addit electionem: quia superior, habet etiam delectum personæ, nisi enim ei placeat non admittit resignationem, quod confirmat, quia etiam in causis spiritualibus potest Laïcus esse arbiter unà cum Clerico, *cap. Per tuas*, *de arbit. & ibi Panorm. ampliando*, etiamsi superior putet procuratorem esse Clericum, cum Laïcus sit. Sed certè magis placet opinio Authoris, quia supposito quod electus sit idoneus, tenetur superior illum admittere, ergo nullum in eo arbitrium in non admittendo.

(*d*) Regio scilicet, vel Apostolico, aliàs mandatum esset nullum ut cavetur edicto insinuationum *de anno* 1646. *art.* 9. unde videtur quod hodie Notarii domaniales non possint mandata hujusmodi recipere, quamvis aliàs possent, *Loysell. de offic. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 41. sed contrarium verius, ut Author hîc & probatur ex verbis ejusdem edicti, *art.* 8. *ibi. Enjoignons à tous Notaires Royaux, Apostoliques & autres*, *&c.* Quæ autem requirantur ut mandatum à Notario Apostolico confectum fidem faciat, vid. quæ ad Flam. de resig. *lib.* 9. *q.* 7. adjecimus.

(*e*) Et tunc debent testes subscribere sub pœna nullitatis mandati ex dispositione Edicti contra parvas datas, *art.* 3. atque ita necesse est hoc casu quod testes signare & subscribere sciant & valeant ut ibidem notat Molineus.

(*f*) Imò discrepat tota Scribentium Schola cum nostratum, tum exterorum, uno excepto Felino, quem communiter reprobari testatur *Flamin. Paris. de Resign. lib.* 9. *q.* 25. *n.* 53. hunc tamen sequitur Author noster, & contrariam sententiam es-

se contra rationem Juris & praxim asserit. Sed pace illius dixerim à recto veri tramite deviat in utroque : Ratio enim Juris Doctorum sententiæ non adversatur, sed quàm maximè adstipulatur, & inservit : cùm certum sit revocationem mandati ad resignandum non prodesse, nisi fuerit intimata, ut apertè dicitur in Clem. unica, *de renuntiat.* in his verbis, *antequàm ad ipsius vel illius notitiam revocatio hujusmodi sit deducta.* Ergo revocatio primi Procuratoris in Romana Curia constituti inducta per constitutionem secundi coram Ordinario factam non suffragabitur, nisi intimetur, quod fieri non solet; & in his terminis, seclusâ scilicet intimatione secundi mandati, intelligitur quæstio. Nec audiendus esset, qui in expressa revocatione intimationem necessariam concederet; in tacita verò negaret, quasi tacita revocatio plus debeat operari, quàm expressa, contra *L. Cum quid, ff. Si certum petatur.* Sed hæc distinctio evertitur ex verbis dictæ Clem. ibi : *quomodolibet, duxerit revocandum* verbum enim *quomodolibet* importat omnem modum, per quem possit directâ, vel indirectâ viâ revocari, *cap. Cum ex eo, de sent. excomm. Clem. si summus, eod. tit.* Tum variatio & illusio sunt prohibitæ maximè personis Ecclesiasticis *d. Clem. unic. de renuntiat.* variatur autem turpiter hoc casu, & Procuratori, ac resignatario, nec-non ipsi Papæ, quod nefas, illuditur, neque enim debet quis simulatione Beneficii homines deludere, nec liberalitatem suam propalam jactare, ut grati animi officia interim recipiat, & postea munificentiam suam clanculùm subducens resignatarium vana spe lactatum decipere, ut ad rem ait Roffiniac. *de re Sacerdot. lib. 3. tit. 22.* & istæ sunt vivæ rationes memoratæ Doctorum sententiæ, non autem quæ de manûs Papæ appositione ab Authore ex Paponio adducitur.

Quò verò ad praxim contrariam Author non probat, sed supponit : at conformem demonstrant arresta quæ desuper lata testantur *Joan. de Selva, de Benefic. p. 3. q. 16. Boër. decis. 207. & Papon. loco citato*, quibus eò major fides adhibenda, quòd non uno teste probentur, & multâ Juris ratione fulciantur.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. RENUNTIATIO *fit per renuntiantem aut per Procuratorem.* Usus mandati necessarius fuit, quando rebus nostris super esse non possumus, vel quando nolumus, *L. 1. ff. de procur.* & regulare est, ut qui potest per se, possit per alium, *L. Labeo, ff. de usucap.* unde potest quis renuntiare per Procuratorem, *Clem. unica de renuntiat.* & permutare, *Bellarm. de permut. q. 8.* & acceptare *Decius in cap. Decernimus, de judiciis*, an autem Laïcus possit constitui Procurator ad resignandum, *Gloss. in dicta Clement. unica*, tenet quòd sic, & bene quia in resignatione Beneficii, Laïcus Procurator se habet ut nudus minister, ac ut Pica declarando mentem constituentis, unde etiam in spiritualibus poterit constitui, *cap. 1. Ubi DD. de Procurator, in 6.* nam quoties quæstio facti tantùm & non Juris controvertitur, aut mandatur nudum ministerium, tunc de causis spiritualibus seu Ecclesiasticis, Laïcus cognoscit, *Decius in dicto cap. Decernimus, de judicius*, at fœmina quamvis constitui possit Procuratrix ad negotia, non tamen potest ad judicialia, vel quasi, ut in resignatione, permutatione & acceptatione Beneficii, aut possessionis adeptione, *L. Fœmina, ff. de Procuratoribus.* Religiosus verò non potest esse Procurator ad negotia, nec ad judicia, *Clement. Religiosus, eodem titulo.*

N. 3. *Quæ durare creditur si non fuerit revocata.* De Jure communi consensus à Procuratore ad resignandum constituto præstitus etiam post quatuor annos est validus, quæ voluntas semper censetur durare quamdiu de mutatione non apparet, *cap. Majores, de captis*, etiam post decem annos, *L. Sancimus, Cod. de testam.* hodie tamen infra viginti dies, à die datæ captæ, consensus præstari debet, & procuratorium consummari, aliàs supplicationes de data currenti præcipiuntur expediri. Decreto Urbani VIII. de anno 1634. apud nos recepto per Regiam Declarationem insinuationum nuncupatam de anno 1646. *art. 3.*

Eodem N. 3. *verùm si in mandato data sit Laïco facultas eligendi.* Quid autem si Clerico ? An poterit seipsum eligere, respondetur quòd in his quæ sunt ambitiosa, ut in Beneficialibus, nemo potest seipsum eligere, *cap. Per tuas, de jure Patr. cap. finali, de institut.* secus est in rebus non ambitiosis, *Gonzalez ad regul. 8. n. 57. & 58.* quamquam aliàs, sancta Sede Apostolica vacante, cum Jacobus Deus à Caturcensis Cardinalis Episcopus Portuensis post longam viginti trium Cardinalium altercationem, potestatem ab ipsis novum Pontificem eligendi accepisset, seipsum illico in Papam elegerit, totumque purpuratum Collegium electionem hujusmodi ratam, & gratam habuerit, ut testantur Historici.

N. 3. *An esset inferendum in Registris Notarii.* Quamquam hodie in hac patria cessaverit necessitas annotandi & insinuandi mandata ad resignandum, & sic servanda videatur ordinatio Molinensis, quia tamen Edictum Insinuationum de anno 1646. contestatur quòd minuta mandati remanet penes Notarium (remanet autem æque in cartula volante, ac in Registro inserta) ordinatio Molinensis quoad hoc non attenditur cessante fraude.

N. 6. *Requiritur quòd nomen procuratoris exprimatur.* Procurator ad resignandum certus esse debet, & ob id nominari in procuratorio, *Rebuff. de Regia ad Prælat. nomin. in verb. Futuris, in fine*, tamen, ut ipse subjicit, recipi in albis, & approbari in Curia Romana scribit Boërius 247. & hæc est observantia nedum in Curia Romana, sed etiam in omnibus Regni Tribunalibus.

N. 8. *Non consanguinei resignantis, aut resignatarii, nec domestici.* Licèt domestici dictum reputetur integrum, *L. Etiam, Cod. de testibus*, tamen si habeat contestem habilem reintegrabitur ejus dictum, *Lambert. de jure Patr. lib. 1. q. 1. art. 6. n. 21.* idem dicendum de teste consanguineo, vel affini, facit *L. Si quis ex argentariis, §. Cogentur, ff. de edendo*, & ibi dicit Baldus quod si unus testis est infamis, infamiâ facti, alter verò multùm fide dignus, quòd isti duo faciunt plenam probationem quia integerrima fides unius supplet alterius imperfectam, concinit *Alexander Consilio 78. volum. 1. Consil. 24. volum. 2.* ubi vult, quod si unus testis est Doctor, tanquam dicatur valde integer, sup-

plebit dictum ſui conteſtis inhabilis, item *Conſilio 56. eod. volum. 2. & Conſilio 93. volum. 4. & Conſilio 143. volum. 5.* quòd quando teſtes non ſunt multùm boni, quòd deficientium fidem ſupplet numerus, & quòd utilitas teſtis ſuppleatur ex conteſte habili, ad hoc *Petrus de Ancharan. in cap. Super eo, L. Secund. de teſtibus*, quòd licèt domeſticus ſit inhabilis, pro domeſtico tamen, ubi commodum & incommodum eſt admiſſum, poterit domeſticus teſtificari pro domeſtico.

TITULUS VII.

Ad Regulam de infirmis reſignantibus, ſeu de viginti.

SUMMARIUM.

I. II. & III. Reſignatio fit irrita ſi reſignans moriatur intra viginti dies.
IV. Regula de infirmis non habet locum coram Ordinario.
V. & VI. Derogatio regulæ de viginti. Arreſtum.
VII. Regulæ de viginti Papa & Legatus derogant.
VIII. Regulæ de viginti in Regaliâ Rex poteſt derogare.

I. DIXIMUS ſuprà ex quibus cauſis reſignatio nulla dicatur, aut reſcindatur; nunc videamus ex quibus cauſis fiat irrita ipſo Jure: irritum enim in Jure dicitur quod ab initio eſt juſtum, & ex poſt facto, ob defectum alicujus conditionis requiſitæ, vel caſum ſupervenientem, fit irritum & caducum: ſic renuntiatio canonicè facta & admiſſa à Papa vel Legato, fit irrita, ſi reſignans moriatur intra viginti dies, ex Regula Cancellariæ à Sixto condita, ad reſtringendam licentiam reſignandi: ob eandem cauſam reſignatio Officii ſæcularis & Regii apud nos ex Conſtitutionibus Regiis fit caduca, ſi reſignans moriatur intra quadraginta dies: quod tempus olim currebat à die reſignationis, ex dicta Regula; hodie verò currit à die conſensûs à collatore (*a*) præſtiti, & reſignationis admiſſæ, ex Conſtitutione Julii II. *Molin. de infirmis reſignant. n.* 10. *Flaminius de reſignat. lib.* 12. *q.* 8. *n.* 4. eoque elapſo reſignatio ſolvitur, & collatio defectu conditionis, ſi reſignans non ſupervixerit viginti dies, poſt admiſſionem reſignationis; & non obſtante collatione facta reſignatario Beneficium dicitur vacare per obitum reſignantis.

II. Quæ Regula locum habet in reſignationibus purè factis, & in iis quæ factæ ſunt in favorem, in infirmis qui tempore reſignationis laborant morbo lethali, & intra viginti dies poſt reſignationem admiſſam fatis concedunt, at non habet locum in iis qui ſani ſunt tempore reſignationis, aut levi febricula laborant, & poſt reſignationem admiſſam ictu vulneris, aut apoplexiâ, aut peſte, aliove caſu repentino & improviſo moriuntur, *Gomeſius ad d. regulam q.* 9. & 11. Regula non invitat eos qui ſani ſunt, aut levi febricula laborant, ad reſignandum; ſed hortatur eos qui morbo lethali laborant, ut dùm vires ſuppetunt, & libera mens eſt, reſignent ſi velint, non in mortis anguſtiis, ne reſignatio fiat arbitrio cognatorum & familiarium; & in illa controverſia facti qui allegat morbum fuiſſe lethalem tempore reſignationis admiſſæ, & reſignantem eo morbo occubuiſſe, id probare tenetur ex atteſtatione Medicorum, *Gomeſius loco cit. Molin. loco cit. n.* 295. alioquin pro reſignatione præſumitur.

III. Non obſtante Clementis VII. Conſtitutione, quâ voluit prorogare dictam regulam ad eos qui ſani ſunt tempore reſignationis, poſt eam admiſſam morbo aliove caſu ſuperveniente diem ſupremum obeunt; quæ uſu recepta non fuit, (*b*) ob rationem ſuprà allatam, niſi in Indulto Cardinalium, ut dicemus infrà.

IV. Verùm in reſignationibus factis coram Ordinario hæc Regula non habet locum, quoniam non ſolùm ob rationem ſuprà allatam condita creditur in Gallia, ſed maximè ad reſtringendas reſignationes quæ fiunt extra coram Papa vel Legato, ne Juriſdictio Ordinariorum nimis diſtrahatur: unde ſequitur eam non habere locum contra Ordinarios, quia quæ ſunt introducta in favorem alicujus, non debent retorqueri in ejus odium, *Molin. ad d. Reg. q.* 1. *Loëtus lit. I. n.* 5. *Papon Placit. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 1.

V. Tamen Papa & Legatus huic Regulæ derogare poſſunt, & derogare ſolent, etiam in Gallia, in præjudicium Ordinariorum, niſi privilegio nitantur ut Cardinales: nam cùm Legatus in Gallia admittatur ne certis Regulis in hoc Regno uſu receptis poſſit derogare, nimirùm Regulæ de veriſimili notitia, & Regulæ de publicandis reſignationi-

bus, tacité ei conceditur ut Regulæ de viginti possit derogare exceptio firmat Regulam, & derogandi licentiam in casibus non exceptis, *Molin. de public. resign. n.* 208. & 330. sive in ipsa collatione deroget, sive in Rescripto *perinde valere*, modò vivo resignante id fiat: nam post mortem resignantis regula suum effectum sortitur, resignatio solvitur, collatio facta ex causa resignationis fit irrita, & Beneficium vacat per obitum, non per resignationem.

VI. Quin etiam inter Gallos Papa & Legatus ad preces resignatarii derogare tenentur; nam ex stylo Curiæ clausula derogatoria dictæ Regulæ in Litteris Beneficialibus apponi solet, & quæ sunt moris & consuetudinis sunt observanda: & si derogatio fuerit petita, & negetur, resignatarius appellare potest à negatione signaturæ, aut Bullæ, tanquam ab abusu, *Rebuffus in Tract. de nomination. q.* 18. nam Gallis impetrantibus Jus quæritur concursu, & Papa & Legatus sine mora eis conferre tenentur, nisi obstet legitimum impedimentum, ut diximus suprà *tit.* 1. Sic judicatum fuit in hac Patria pronuntiante Domino du Vair Præside Primario nunquam satis laudato, super appellatione interposita à resignatario, cui post resignationem admissam Legatus Avenionensis conferre noluerat Beneficium cum clausula derogatoria dictæ Regulæ de viginti, & differebat conferre donec sibi constaret resignantem supervixisse viginti dies post resignationem admissam: quo Judicio Senatus abusum tollendo resignatarium ad Ordinarium dimisit qui Beneficium ei contulit. In hoc casu neque novo mandato resignantis opus est, nam resignatio facta coram Legato sufficit, sive ea fuerit admissa à Legato, sive non, nisi illud mandatum rebus integris fuerit revocatum, ut diximus suprà: neque in Litteris Ordinarii clausula derogatoria Regulæ de viginti desideratur, quia apud illum hæc Regula non habet locum, ut diximus suprà, sive Jure ordinario sive extra ordinem conferat, iis enim mandatis Jurisdictio ordinaria excitatur, de quibus in Litteris mentio facienda est: tamen si in supplicatione factâ Papæ vel Legato clausula hujusmodi derogatoria Regulæ de viginti non fuerit petita, non suppletur; suppleri tamen potest Litteris *perinde valere*, si jus alteri non sit quæsitum.

VII. Et derogatio toleratur non solùm in præjudicium Ordinariorum, ut jam diximus, sed etiam in præjudicium Graduatorum & Indultariorum expectantium, *Molin. loco cit. Rebuff. in Concord. §. præfatique*, *Charond. lib.* 1. *Responsorum.* Verùm derogatio non nocet Cardinalibus in Beneficiis ad eorum collationem spectantibus, obstante Indulto à Paulo IV. concesso Collegio Cardinalium, in Galliâ solemniter approbato, quo Papa promisit se dictæ Regulæ minimè derogaturum in resignationibus quæ fiunt in Curiâ in præjudicium Indulti Cardinalium. Unde sequitur quòd licèt Papa derogaverit Regulæ in resignatione facta apud ipsum, Cardinalis ad quem Jure ordinario pertinet collatio ejusdem Beneficii, non obstante derogatione, si resignans moriatur intra viginti dies, illud Beneficium ut vacans per obitum conferre potest, sive resignans tempore resignationis admissæ teneretur morbo lethali, sive sanus esset: nam illud Indultum ampliatur in gratiam Cardinalium, & comprehendit utrumque casum, ut observavit *Loëtius*, ex tenore Indulti insinuati in Magno Consilio, in quo fit mentio Regulæ de viginti, non Regulæ de infirmis. *Vide suprà lib.* 1. *tit. de præventione.*

VIII. Rex similiter apud nos dictæ Regulæ potest derogare, si resignatio fiat in Regaliâ, *Rebuff. ad d. Regulam*, *Gloss.* 1. *n.* 6. *Molin. ibid. n.* 416. quia Regalia dictis Regulis non restringitur (*c*) nisi Rex conferendo eam conditionem adjiciat, collationem ex hujusmodi causa factam resignatario irritam fore si resignans moriatur intra viginti dies, ad restringendam libertatem resignandi, *Peleus ad eandem Reg.*

SOLIER.

(*a*) A resignante: neque enim collator, dicitur consentire resignationi, sed illam admittere, Resignans autem habet resignationi, litterarumque expeditioni consensum præstare per se vel per procuratorem suum juxta Regulas Cancellariæ & stylum Romanæ Curiæ omnibus notum: & quia præstatio consensûs sequitur admissionem resignationis pluribus sæpe diebus & mensibus interjectis (quamvis hodie eadem sit utriusque data) voluit Julius II. quod 20. dies Regulæ de infirm. Resig. non currant nisi à die præstiti consensûs hujusmodi, non autem à die resignationis admissæ, ut antea fiebat & hoc dicunt Molineus & Flaminius visi minùs ab Authore percepti.

(*b*) Clemens VII. Regulam de 20. diebus ad resignationes in sanitate factas dummodò in infirmitate præstetur consensus, si ab eo infra viginti dies resignans moriatur, extendit per quandam suam constitutionem, *Gomes. in præfat. ad hanc Regul.* unde hæc verba Regulæ addita *etiam vigore suppli-*

plicationis dum esset sanus signatæ, Flam. de Resign. lib. 12. q. 6. n. 5. Hanc Clementis constitutionem, quam subsecuta est similis Pauli III. vult Author usu non receptam fuisse. Sed imò receptam & recipiendam testantur *Gomes. ad ipsam Regul. q. 12. in fine, & Molin. ad eandem, n. 16.* utpote libertati Ordinariorum favorabilem & ad fraudes parvarum datarum, inquit, Molineus restringendas, utque veteres sacri Canones minùs corrigantur & fraudentur minùsque pateat via successionis carnalis in Beneficiis utiliter editam, tenendam, & practicandam, ita ut quemadmodum hi 20. dies non veniunt computandi à data procuratorii, nec ab admissione resignationis, sed ne quidem à collatione citra dictum consensum, sed tantùm à data consensûs si ultimus sit, vel à data collationis si dictum consensum secuta sit, ita non requiratur principium infirmitatis esse vel eam adesse tempore datæ procuratorii, sed sufficiat infirmitatem incœpisse die ipsa præstiti consensûs, etiamsi postremò loco sit secutus, vel tempore datæ Bullæ vel collationis, si post datam consensûs secuta sit. In indulto verò Cardinalium nullo tempore requiritur infirmitas, sed ex quo resignans infra 20. dies à præstito consensu moritur sive antea fuerit infirmus, sive non, subintrat dispositio Regulæ & Beneficium vacat per obitum quâvis derogatione non obstante : Ratio non petitur ex constitutione Clem. VII. quæ extra casum infirmitatis saltem tempore consensûs non disponebat, sed ex eo quòd aliàs ante Bonifacium VIII. Regula de infirmitate mentionem non habebat, ideòque de viginti diebus, non autem de infirmis resignantibus denominabatur, sed additis à Bonifacio VIII. infirmitatis verbis cœpit promiscuè de 20. diebus seu infirmis resignat. nuncupari, ut observat *Lovet. ad litt. B, cap. 5.* Quia verò indultum Cardinalium regulam vocat de 20. diebus, non autem de infirmis resignantibus intelligitur de antiqua illa, cui aliàs locus erat etiam extra casum infirmitatis, ut & hodie sit ei locus ad favorem Cardinalium, nec in eorum præjudicium derogari possit.

(*c*) Ideòque non est opus derogatione.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 4. CORAM *Ordinario hæc regula non habet locum.* Etiam in resignatione ex causa permutationis fortiter contendit *Molin, ad hanc regulam, n. 31.* & judicatum refert *Brodell. ad Lovet. litt. I, cap. 5. n. 1.* nisi permutatio sit nedum fraudulenta, sed & ficta, & simulata, ut pote facta de pingui Beneficio, pro tenui, maximè ubi Patronus reclamat, quæ fuit hypothesis inquit Senatusconsulti, lati die 14. Decembri 1621. vel expectantibus præjudicetur, juxta placita per illum relata, *litt. P, cap. 42.* quamvis regula non sit facta in favorem graduatorum vel aliorum expectantium, sed in favorem Ordinarii & Juris communis, non enim eorum favore specialiter inducitur aliqua vacatio, sed postquam aliàs contingit, potest expectantibus prodesse, *Molin. ibid. n. 33.* in Senatu tamen Tolosano sæpius judicatum regulam habere locum in permutatione testantur, *Papon. lib. 3. tit. 2. & Maynard. lib. 1. cap. 54.* quia hæc regula facta est ad favorem Ordinariorum, ergo in eorum præjudicium retorqueri non debet.

N. 6. *Neque in litteris Ordinarii clausula derogatoria regulæ de viginti desideratur, quia apud illum hæc regula non habet locum.* Ista ratio non quadrat, quia etsi regulæ in Ordinario locus esset, ipse derogare non posset, nec in consequens derogatio desiderari ; sed potiùs potestas derogandi ; regulis enim Cancellariæ nequidem ipsi legato facultas derogandi, sine speciali mandato tribuitur, *cap. Cum inferior. de majoritat. & obedient. Molin. ad eandem regulam, n. 127.* at sensus Authoris est ut quamvis Ordinarius potestatem haberet derogandi, non tamen necessaria esset derogatio, quia regula non obtinet in Ordinario, quod verum est saltem citra casum permutationis, aut etiam fraudulentæ renuntiationis simplicis in necem graduatorum.

N. 7. *Ad quem jure ordinario pertinet collatio ejusdem Beneficii.* Idem si ad præsentationem, institutionem, electionem, confirmationem, aut quamvis aliam dispositionem Cardinalis spectaret.

TITULUS VIII.

Ad Regulam de Publicandis Resignationibus.

SUMMARIUM.

I. Regula de publicandis resignationbus cur condita sit.
II. III. & IV. Ut fiat publicatio.
V. VI. & VII. Publicatio facta die mortis resignantis est inutilis.
VIII. Resignatarius potest resignare ante publicationem & adeptam possessionem.
IX. X. XI. & XII. Casus in quibus cessat regula de publicandis resignationibus.

I. SEQUITUR alius modus quo resignatio & collatio facta ex eâ causâ fit irrita, si Regulæ de publicandis resignationibus resignatarius non paruerit : hæc Regula condita fuit à Papa Bonifacio, ab Innocentio VIII. firmata, in hoc Regno usu recepta, ad vitandas resignationes occultas, quæ sub spe regressûs fieri solebant ; quâ resignatarius, si provisus sit à Papa intra sex menses, & si provisus fuerit à Legato, vel Ordinario, intra unum mensem, quod tempus numeratur à datâ litterarum, aut signaturæ,

provisionem suam publicare tenetur apud Diœcesanum ; alioquin si resignans moriatur post illud tempus, Beneficium vacat per obitum illius, ut si non resignasset, & resignatarius provisus non fuisset.

II. Publicatio fit Litteris exhibitis, & insinuatis Ordinario, & missione in possessionem Beneficii ; publicatio & missio in possessionem simul (*a*) desiderantur : sic enim Regula concepta fuit, si resignationes publicatæ non fuerint, & possessio ab his quos id contingit petita, ut observavit Rebuffus, ex Regestis Curiæ Parisiensis, contra Gomesium ad eandem Regulam *q.* 8. asserentem publicationem & exhibitionem Litterarum non desiderari, si resignatarius missus fuerit in possessionem Beneficii : nam Litteræ Apostolicæ Sedis, aut Legati, priùs exhiberi debent Ordinario, ut is sciat quis sit provisus de Beneficio, & an sit idoneus, juxta Constitutionem Gallicam Henrici II. *art.* 14. & provisus debet mitti in possessionem intra tempus certum, ad vitandam confidentiam, & regressum inter eum & resignantem.

III. Possessio in resignatario vera (*b*) requiritur : nam si postquàm resignatarius in possessionem missus est sinat resignantem in possessione Beneficii, confidentiæ argumentum est, ex Constitutione Pii IV. Ut dicemus infrà *in tit. de simonia*, nisi resignans fructus & reditus Beneficii ab eo conduxerit, *Papon lib.* 3. *Placitorum, tit.* 1. *n.* 1. Sed hoc fraudem sapit, addit Rebuffus ad eandem Regulam *gl.* 3. nisi Papa fructus resignanti reservaverit : sed hæc conditio de reservatione fructuum arguit etiam confidentiam, & non admittitur in Gallia, ut ostendimus suprà.

IV. Et si agatur de Beneficio alicujus Ecclesiæ Collegiatæ, aut Cathedralis, resignatarius non censetur satisfeciſſe Regulæ, nisi intra idem tempus Litteras suas Capitulo exhibuerit, & admitti petierit.

V. Post illud tempus resignatarius est in mora, & Jus sibi collatum periculo subest si resignans moriatur, & resignatarius ante mortem illius, publicata provisione, & possessione apprehensa, non purgaverit moram, vivente resignante, Beneficium vacat per obitum resignantis, in pœnam resignatarii morosi, & colludentis cum resignante, ad excludendam confidentiam, ex eadem Regula, *Molin. de public. resig. n.* 20. 21. *& 95.* & ex Edicto noviſſimo *du Contrôlle*, *art.* 17. publicatio facta post illud tempus, vivo resignant, non aliter suffragatur resignatario quàm si duobus (*c*) diebus integris ante mortem resignantis publicatio facta sit, diebus publicationis & adeptæ possessionis non imputatis ; & Beneficium vacare declaratur per mortem resignantis, etiamsi adhuc eo vivo publicatio facta sit, ad tollendam fraudem, quæ frequens est in hac materia : nam mora resignatarii differentis publicare resignationem usque ad extremum diem resignantis, post tempus Regulæ est suspecta confidentiæ, juxta ea quæ tradit Rebuffus, ad eandem Regulam, *gl.* 13. *n.* 10. asserens se vidisse reprobari in Magno Consilio resignationem & publicationem factam die mortis resignantis, quamvis probatum fuisset publicationem factam fuisse ante mortem.

VI. Et si post tempus Regulæ, vivo resignante, resignatarius differat purgare moram, resignationem publicare, & possessionem Beneficii apprehendere, sinens resignantem possidere, post triennium ex patientia & tolerantia illius crescit suspicio confidentiæ, & Beneficium vacat (*d*) tùm contra resignantem, tùm contra resignatarium, ob confidentiam utriusque, nec resignatarius potest purgare moram, nec resignans iterum resignare, *Papon tit. de public. resignat. n.* 8. *Peleus actionum forensium lib.* 1. *c.* 29. *Rebuff. de pacif. possess. n.* 291. *Molin. de public. resign. n.* 29. & juxta eam sententiam Edicto novo *du Contrôlle*, *art.* 20. ita statutum fuit ; quo Edicto cavetur ne resignans privatus jure suo possit ampliùs resignare in favorem ejusdem resignatarii cum quo per illud tempus collusit directè vel indirectè, seu per personam interpositam : nec resignare potest in gratiam alterius, quòd jam omne Jus quod habebat dimiserit, *Rebuff. de public. resign. gloss.* 18. *n.* 4.

VII. Quod de morte resignantis dictum fuit, ad casum depositionis & privationis illius extenditur, si post tempus Regulæ resignans Beneficio privetur per Judicis sententiam, ante publicationem resignationis : licèt enim Regula de casu mortis solùm loquatur, ad casum depositionis extenditur, ut in casu Legis Veleiæ ad similitudinem mortis, deportatio, quæ mors civilis est, admititur, *l. Gallus*, §. *& quid si tantùm, ff. de liberis & posth.* Et ea est sententia Gomesii & Molin. *ad d. reg.* Rebuffus *ad eand. reg. gl.* 14. ait Regulam non habere locum in morte civili. Verùm æquè suspecta est mora resigna-

tarii, si casum depositionis, ut si obitum resignantis, expectaverit, & eadem pœna in utroque casu esse debet.

VIII. Et si resignatarius ante publicationem resignationis & provisionis suæ resignaverit purè, vel in favorem alterius, Jus quod habet transmittit cum onere suo; resignatarius illius, vivo primo resignante, publicare debet suam resignationem, & resignationem authoris sui; alioquin mortuo primo resignante, post tempus Regulæ, incurrit pœnam Regulæ; Beneficium vacat per obitum primi resignantis, ex Gomesio & Molineo, ad eandem Regulam: nam resignans non censetur penitus exclusus quamdiu toleratur in possessione Beneficii; manet autem donec possessio à resignatario fuerit apprehensa, ut continuatio possessionis inter resignantem & resignatarium fieri videatur Jure dictæ Regulæ, ne Beneficium vacet: unde arguit Molineus (*e*) resignantem post tempus Regulæ posse resignare in præjudicium prioris resignationis: sed id fieret contra mentem Regulæ, quæ libertatem resignandi restringit, non ampliat, & permittit resignatario purgare moram post tempus Regulæ, modò vivo resignante & intra triennium id fiat. Nec obest quòd resignans sit in possessione Beneficii, donec ea per resignatarium fuerit apprehensa; & eo moriente post tempus Regulæ, antequam possessio à resignatario sit apprehensa, Beneficium vacet per obitum illius: nam illa possessio quam retinet post resignationem est fiduciaria sine titulo quem post resignationem admissam amisit, non tribuit illi Jus resignandi, & post tempus Regulæ, eo moriente ante publicationem resignationis, Beneficium vacat per obitum illius, in pœnam resignatarii morosi, qui Regulæ non paruit, nam Regula irritat resignationem & collationem, ob conditionis defectum, quòd vivo resignante publicata non fuerit: ergo sive intra tempus Regulæ, sive post, resignatarius potest resignare, absque ullo impedimento resignantis, & secundus resignatarius vivo resignante, utramque resignationem suam & authoris sui, & utramque collationem debet publicare, Litteris exhibitis Ordinario, ut is sciat per quorum manus Beneficium de quo agitur ambulaverit: & ea est sententia Gomesii & Molinei, *ad eandem Regulam*; alioquin mortuo resignante post tempus Regulæ, Beneficium vacat contra secundum resignatarium ut vacaret contra primum.

IX. Tamen varii sunt casus in quibus Regula non habet locum.

Primò, si resignatarius alio vacandi modo provisus fuerit: nam hæc Regula resignationem solam respicit, non alios vacandi modos, quos resignatarius explicitè vel implicitè sub clausula generali complecti potest, *Molin. & Rebuff. ad illam Regulam, gl. 13. n. 14.*

Secundò, hæc Regula non procedit in simplici cessione juris factâ in Judicio, vel extrà, *Gomesius ad eandem Regulam quæst. 26.*

Tertiò, in Beneficiis Consistorialibus non habet locum, quia in iis quæ fiunt in Consistorio Principis cessat suspicio fraudis, *l. omnium, c. de testamentis*, ut dicitur de Regiis nominationibus ad Prælaturas, *Molin. ad Regulam de infirmis resignantibus.*

Quartò, Papa potest huic Regulæ derogare, aut tempus prorogare: verùm in Galliâ derogatio non admittitur, quòd ob bonos mores, ad vitandum regressum, Regula condita sit, *Molin. ad d. Reg. n. 3.* nec temporis prorogatio, nisi justa causa subsit, *Papon. lib. 3. de public. resign. n. 5. Rebuff. ad eandem Regulam gloss. 4.*

X. *Quintò*, resignatarius excusatur ob justum impedimentum, nimirùm si resignans Litteras provisionis haberet, & noluerit expedire, aut non passus sit resignatarium possidere, prætextu absentiæ, vel ignorantiæ, aut beneficio ætatis, si sit minor, aut metu reverentiali, non excusatur, nec prætextu belli aut pestis, *Molin. ad eandem Regulam n. 232. Rebuff. ibid. gl. 3. n. 16.* nam si tutus ad Ordinarium non sit accessus, aut Capitulum nolit admittere, coram Notario & duobus testibus publicatio & protestatio facta sufficit, *ex Edicto Gallico de parvis datis, art. 13. Molin. loco cit. n. 242. Rebuff. ad eandem Reg. gl. 9.* absentes aut minores non restituuntur, quod minores in hujusmodi negotiis pro majoribus habeantur, & absentes per Procuratores publicare possint.

XI. *Sextò*, hæc Regula non habet locum si resignans intra tempus Regulæ uxorem duxerit, *Rebuff. ad eandem Regulam gloss. 14.* aut Religionem professus sit, cùm in illis casibus Beneficium dimissum vacare dicatur per factum ipsius contingens post tempus Regulæ, sicut vacare diximus per obitum, vel depositionem, & Judicis sententiam latam post tempus Regulæ; nam Regula solum casum obitûs comprehendit, & interpretativè casum sententiæ depositionis: in cæteris casibus resignans possessionem Beneficii

deserit

deserit, suspicionem confidentiæ excludit, & post tempus Regulæ, & recessum resignantis, resignatarius potest purgare moram, Litteris exhibitis, & possessione apprehensâ ex authoritate Superioris, ne habeatur pro intruso.

XII. Cæterùm, licèt resignatarius Regulæ paruerit Litteris Ordinario exhibitis, & possessione ex authoritate illius apprehensa, non vitat pœnam Constitutionibus Gallicis de insinuandis & annotandis (*f*) Litteris statutam, non solùm contra resignatarios, sed etiam alio modo provisos, si intra tempus eisdem Constitutionibus præscriptum suas Litteras insinuari & annotari non curaverint, ut diximus suprà *lib.* 2. *n.* 15.

SOLIER.

(*a*) Si resignans intra semestre vel mensem à die resignationis admissæ moriatur, cessat Regula de public. resig. & Beneficium indistinctè vacat per resignationem, sive possessio capta vel petita & resignatio publicata fuerint vel non: quia regula nihil disponit, nisi cum resignans post tempus regulæ decessit in possessione: & hoc uno casu vult Beneficium vacare per obitum & non per resignationem: nisi ea resignatio interim publicata fuerit & possessio Beneficii petita ab eis, quos id contingit. Vides regulam supponere possessionem non concessam, vel non adeptam fuisse. Si enim adepta sit, vivo scilicet resignante, non opus fuit publicatione non solùm quando possessio fuit aliquandiu per actus reales continuata & in publicam notitiam abiit, sed etiam si fuerit momentanea, quam Juris possessionem vocant, nec continuata per aliquos actus reales, sed tantùm civiles & fictos, contra distinctionem Molinei ad hanc regulam, n. 264. quam nos aliàs secuti fuimus, & nec quidem per actus civiles & fictos propter brevitatem temporis aut aliàs, dummodo seriâ, & antè obitum resignantis publicè assecuta. Ratio est quia tunc deficit conditio regulæ ex quo resignans non moritur in possessione vide sequentes additiones.

(*b*) Hinc videtur quod possessio civilis, quæ authoritate Judicis sæcularis suscipienda permittitur, citra incursionem vitii intrusionis, juris jam quæsiti servandi causa, dum expectatur provisio jam Romæ admissa, non sufficiat ad eliendam regulam de public. resig. cum non sit vera, sed ficta possessio ex quo jus non tribuit administrandi Beneficii; nisi à supremis Judicibus fuerit indulta, *Bengeus de Benefic. cap. de Canonic. institutionum condit. §. 2. n.* 71. *&* 72. Contrarium est verius, *Brodell. ad Lovet. litt. P, cap.* 25. *& litt. V, cap.* 2. *n.* 4. quia tantùm operatur fictio in casu ficto, quàm veritas in casu vero. Consulerem tamen quòd possessio hujusmodi publicetur: quia non est propriè possessio, sed potiùs quædam petitio possessionis, quæ sine publicatione non suffragatur ex textu regulæ.

(*c*) Hæc dispositio videtur immutata per Edictum Insinuationum de anno 1646. *art.* 14. ex quo satis est resignatario si possessionem intra triennium vivo resignante assequatur; quod verificatur in possessione etiam momento temporis ante obitum resignantis adeptâ, modo de hoc constet: cogita tamen, quia non caret difficultate.

(*d*) Hoc uno numero cave à multiplici Pastoris lapsu: nam *primò* dum ait omissâ per resignatarium possessionis adeptione Beneficium vacare post triennium ob confidentiam, pace illius dixerim, mihi videtur loqui contra omnem Juris rationem & praxim, nemo enim cogitur Beneficium sibi collatum, aut conferendum acceptare, *cap. Si tibi absenti, de Præb. in 6.* quia non confertur in invitum, *Can. Ubi ista, cum seq. dist.* 74. *Secundò*, ex repudiatione tacita hujusmodi nil peccavere resignans aut resignatarius; non quidem resignans, quia acceptatio vel repudiatio est factum alienum; non resignatarius cum repudiatio etiam expressa, sit ei licita, *d. cap. Si tibi absenti*, cessante scilicet pacto, quod non præsumitur, *Flamin. de confid. q.* 53. *n.* 15. sine quo impossibile est confidentiam committi, *idem ibid. q.* 1. *n.* 60. *& q.* 26. *per totam*, *Garc. de Benefic. p.* 11. *cap.* 3. *n.* 165. *Tertiò*, cum resignatio fuerit conditionalis & eâ lege factâ ut Beneficium acquireretur resignatario: aliàs non, manifestè sequitur ex defectu conditionis totum Jus remansisse penes resignantem, ipsumque post triennium liberè resignare posse, non quidem ad favorem ejusdem resignatarii obstante decreto Urbani VIII. de anno 1634. & Edicto Contrarotulationis, *art.* 20. sed ad favorem alterius, cùm prima resignatio pro infecta habeatur, & nullius sit roboris vel effectûs, ut cavetur Edicto Insinuationum, *art.* 14. *in fine*; esset autem alicujus & quidem magni effectûs si secundam resignationem indistinctè valeret impedire, ideoque posset iterum fieri in favorem primi resignatarii, nisi hoc expressè fuerit prohibitum, maximè per dictum, *art.* 20. ex quo sequitur ad favorem alterius quàm primi resignatarii secundo resignare licitum. *Quartò*, Authores in adversum laudati loquuntur & sunt intelligendi dum prima pendet & durat resignatio, Pastor autem intelligit etiam postquam est resoluta, quod dici non potest & adversatur praxi quotidianæ.

(*e*) Cujus sententiam validissimis argumentis refellimus *ad Flamin. de resig. lib.* 11. *q.* 2.

(*f*) Nulla est hodie necessitas insinuandi & annotandi actus Ecclesiasticos, saltem in ditione Senatûs Tolosani, cùm Edictum annotationis *du Contrôlle* fuerit revocatum per Edictum Insinuationum, & Arresto lato in istius verificatione insinuatio cujuslibet arbitrio relicta. Parisiis tamen non statur revocationi resignationis non insinuatæ ad vitandas fraudes.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Si *Regulæ de publicandis resignationibus resignatarius non paruerit.* Regula 34. de publicandis resignationibus, quæ apud nos ad amussim servatur, disponit quòd si resignans moritur in possessione post semestre resignationis admissæ, in Curia Romana, vel mensem extra Curiam, Beneficium vacet per obitum, & non per resignationem, nisi ea resignatio interim publicata fuerit, & possessio

Beneficii petita ab eis quos id contingit, *Molin. ad hanc Regulam in princ.*

N. 4. *Nisi intra idem tempus Litteras suas Capitulo exhibuerit, & admitti petierit.* Ratio est quia traditio possessionis Præbendæ ad Capitulum de jure pertinet, neque aliter tradita possessio cuiquam suffragatur, *cap. Si Capitulo, de conceff. Præbend. in 6. Gonzales ad reg. 8. §. Proëmiali n. 81. Lotter. de re Benefic. lib. 2. q. 21. n. 34.* quare ordinatio Henrici II. contra parvas datas *art. 14.* Judicibus prohibet ne in decidendis Beneficialibus controversiis, nullatenùs attendant Provisiones de Beneficiis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ ex causa resignationis expeditas, nisi instrumento publico per secretiarum & Tabellionem earumdem Ecclesiarum subscripto, vel eo nolente per alium constet de receptione provisi, vel de recusatione Capituli, vim possessionis & publicationis habente, vel habiturâ; ita ut Regulæ de publicandis hâc viâ satisfactum esse censeatur. Quò verò ad alia Beneficia, quorum receptio ad Capitulum non spectat, possessionis adeptio fiet coram Notario & testibus, & publicatio juxta prædictam Regulam inter Missarum solemnia Parrochialis Ecclesiæ, aut in foro judiciali, vel emporio, aut coram matricularis, & quotquot poterunt per Bullarum executorem Congregari Parrochianis, aut notificando collatoribus ordinariis, vel Patronis, seu eorum Vicariis, vel Officiariis, provisionem & possessionis adeptionem, prout in d. ordinatione plenius continetur.

N. 6. *In favorem ejusdem resignatarii cum quo per illud tempus collusit.* Nisi prima resignatio fuerit expressa in supplicatione secunda, quod in plerisque Galliæ partibus toleratur, maximè ubi causa aliqua allegatur, quare prima non fuerit acceptata, *verbi gratia*, quia resignatario, tunc operam Litteris navanti, tempus ad recitandas Horas Canonicas non suppetebat, vel quia sibi erat incognita, vel quia ipse in ætate legitima nondum erat constitutus.

N. 7. *& ea est sententia Gomesii*, imo Gomesius ad hanc regulam expressè contrarium tenet, *q. 19.* ubi quærit, quid si renuntians moriatur civiliter, & non naturaliter, numquid sit locus Regulæ? & respondet quod non, quia verba simpliciter prolata naturaliter, non autem civiliter capi debent, *l. finali cod. de his qui veniam ætatis impetrarant, l. qui habet, ff. de tutela.* Et sic inquit expressio mortis in ista Regula intelligitur de naturali, non autem de civili, præsertim quia Regula ista est odiosa, & contra Jus commune, ergo non extendenda, & huic Gomesii sententiæ contra Molinæum ad eandem Regulam *n. 47.* libenter assentimur.

N. 8. *Beneficium vacat per obitum primi resignantis ex Gomesio & Molin.* malè iterum allegat Gomesium, qui oppositum sentit, & contrariis respondet, & rationem affert, quia Regula loquitur de resignatario, & cùm sit personalis, debet intelligi de primo, juxta *l. Boves, §. hoc sermone, ff. de verbor. signif.* sive igitur resignatarius intra tempus Regulæ, sive post, non factâ publicatione resignet ad favorem tertii, secundus Resignatarius, non tenebitur publicare resignationem primi resignantis, sed tantùm resignationem secundi in sui favorem factam; tum quia primus resignans ex suppositione non obiit in possessione Beneficii, proùt requiritur, ut locus sit Regulæ, tum quia in Beneficialibus creatur novum jus, & novus stylus, & hæc opinio Gomesii facilè sustineri potest contra Molinæum, *ibidem n. 33.*

N. 10. *Non excusatur nec prætextu belli aut pestis, Molin. loco citato n. 232.* Molinæus quidem, ait, minorem ætatem non excusare ab omissa publicatione multò minùs quodcumque aliud impedimentum, sed duos casus expressè excipit. *Primus* est quando per bellum, vel pestem non potest publicari in loco Beneficii, tunc enim sufficit ita publicari in loco viciniori, ut verisimiliter ad notitiam Ordinarii, & aliorum pervenire possit, per Jura ibi per eum adducta. *Secundus* est si adversarius convincatur dolo vel fraude per se, vel per alium impediviſſe resignationem publicari, vel possessionem peti, dic ergo cum Molineo, quòd in casu belli, vel pestis, aut alterius impedimenti excusatur Resignatarius, modò in loco vicino possessio capiatur, aut resignatio publicetur, minoritas autem non excusat, non solùm quia minores in spiritualibus pro majoribus habentur, sed etiam & præcipuè; quia minoribus non attenditur nisi in Beneficiis jam quæsitis, non autem ibi agitur de Beneficiis quæsitis, vel de jure ab origine commutabili, faciendo incommutabili, ut in subjecta quæstione, *Molin. ad regulam de publicandis n. 240. Panorm. in cap. ex parte n. 15. de restitut. spoliat. 11.*

TITULUS IX.

De Regressu.

SUMMARIUM.

I. Regressus datur resignanti in variis casibus.

II. Resignans in infirmitate in favorem, & retentâ pensione, regressum habet. Arrestum.

III. Regressus peti debet post valetudinem recuperatam. Arrestum.

IV. Resignans in infirmitate non habet regressum sine nova provisione.

I. ALIIS modis resignatio fit irrita, & datur regressus resignanti ad Beneficium dimissum. *Primò*, remedio restitutionis in integrum, ob dolum, metûsve causam, aut infirmitatem ætatis: etsi enim suprà dictum sit renuntiationem esse ipso Jure nullam, ob dolum, metûsve causam, tamen non datur restitutio nisi petatur, aut libel-

lo, aut Litteris Regiæ Cancellariæ, si Judicio possessorio agatur coram Judice Laïco, in quibus casibus non est opus provisione nova, *Molin. de public. resignat. n.* 24. *Secundò*, evicto Beneficio compermutato, vel evicto Beneficio retento, si resignans aliud incompatibile dimiserit, *c. si Beneficia* (*a*) *de præb. in 6. Rebuff. in Concordatis*, §. *de collat. verb. duas. Tertiò*, ex clausula (*b*) regressûs, si resignatarius non solvat pensionem reservatam resignanti. *Quartò*, si resignans in infirmitate constitutus (*c*) resignaverit, & convalescat, Beneficium potest repetere, ex tacitâ conditione juris de regressu, tametsi non fuerit expressa, ne Beneficium multis laboribus quæsitum sine magna causa resignasse videatur, *c. Gonsaldus* 17. *q.* 2. *c. super hoc*, *de renuntiatione*, & cùm convaluerit bonis sibi necessariis ad vitam sustentandam careat.

II. Quo casu resignanti datur regressus post valetudinem recuperatam, aut cessationem periculi mortis, sive purè resignaverit, sive in favorem, aut simpliciter, aut reservatâ pensione; coram Papa vel Legato, vel coram Ordinario, (*d*) ut declaratur Edicto novissimo *anni* 1638. *art.* 20. non solùm contra sinum resignatarium, sed etiam contra resignatarium illius, si resignaverit; ut in causa Gansardi Præcentoris Ecclesiæ Cathedralis Sancti Salvatoris Civitatis Aquensis, evocatâ, Senatus Tolosanus judicavit; in qua Gansardus metu accusationis criminis capitalis Beneficio renuntiaverat in favorem, reservatâ pensione, & Beneficium à resignatario in gratiam alterius dimissum fuerat: non enim minùs gravis est metus accusationis criminis capitalis, quàm mortis metus in ægritudine.

III. Datur autem regressus in illo casu, si constet de accusatione instituta, vel ægritudine resignantis, sive illa ægritudo esset lethalis, sive sit sine periculo, ut donatio causâ mortis revocatur: licèt donator levi febriculâ tempore donationis laboraret, *l. Fulcinus*, *ff. de donat. causâ mortis.* Constat de agritudine ex attestationibus Medicorum, Pharmacopolarum, & Chirurgorum, quibus in iis adhibetur fides. Verùm resignans cessante ægritudine, vel absolutus ab accusatione, cùm primùm potest debet Beneficium repetere; alioquin perseverantia mentem ejus declarat, quòd sine spe regressûs resignaverit: tamen etiamsi in illo casu resignanti regressus denegetur, pensio ei Judicio Senatûs adjudicatur à Superiore constituenda super fructibus Beneficii, ex consensu resignatarii, *Fevret lib.* 2. *c.* 4. *n.* 10. Sic judicatum fuit in causa Henrici Canonici Ecclesiæ Sancti Salvatoris Civitatis Aquensis, Arresto Senatûs Burdegalensis.

IV. Olim resignanti ob causam infirmitatis nova provisione opus erat, ut in causa celebri judicatâ in Consistorio Galliæ, à Papone relatâ, Regi placuit, resignatarius jubebatur Beneficium dimittere, & resignans provisionem novam ab Ordinario obtinebat: ante aliquot annos Jus illud invaluerat, quòd etiam sine ulla resignatione & provisione, Judicis sententiâ, vel ex solo consensu partium, resignans in possessionem Beneficii dimissi redintegrabatur, quo prætextu confidentiarii frequenter utebantur; hodie verò ex novo Edicto *du Contrôlle*, *art. citato*, resignans post resignationem admissam censetur privatus Beneficio, sive sanus, sive infirmus esset tempore resignationis, eique regressus denegatur, sine nova provisione: itaque libello oblato Judicem Laïcum, coram quo agitur de possessione, adire debet, resignatarium in Jus vocare, probare infirmitatem, ut dictum est suprà, aliamve causam, ob quam regressus dandus est, ut Judex jubeat resignatarium Beneficium resignare in manibus Ordinarii, vel ipsa sententia resignationis loco sit, ad hoc ut Ordinarius novâ provisione concessâ restituat, & redintegret resignantem in Beneficium dimissum: si verò ex dolo, vel metu, vel infirmitate ætatis, aliâve legitimâ causâ, nullitas renuntiationis arguatur, Judex ex officio, & mandato Regis in Litteris Cancellariæ contento, resignantem in possessionem Beneficii restituit; & ex hâc aliâve causâ resignans restitutus non tenetur vectigal, quod pro ingressu solvi solet, præstare. *Loëtius in lit. B. n.* 13. *Fevret lib.* 2. *c. n.* 26. cùm sit regressus Justitiæ. Sic in Officiis sæcularibus resignanti in infirmitate constituto subvenitur, nisi pretium acceperit, *Charondas Resp.* 1. *c.* 26.

SOLIER.

(*a*) *Lovetius ad Reg. de public.* 196. Hoc capitulum verum regressuum Seminarium appellat, & miratur Molineum ejus dispositionem approbasse, summâ tamen æquitate niti fatetur, ne jure suo Clerici fallaci opinione priventur, sed in suis terminis limitandum, cum regressus sit per Concilia generalia & concordata damnatus, ideòque negat esse locum regressui in duobus exemplis ab eo *ibid.*

relatis *n.* 129. his verbis ; *Monachus expresè professus habens Prioratum, aut Claustrale Officium, aliud per resignationem aut per obitum obtinet à Summo Pontifice, sub ea clausula ordinaria ; antequam secundi Beneficii possessionem accipere possit, primum dimittere teneatur. Primum resignavit ut irritanti decreto satisfaceret : postea secundo evictus non poterit primum repetere, & tamen sub tacita, imo expressa conditione dimiserat Beneficium. In sæculari, Petrus canonicus Ecclesiæ Parisiensis aliam Præbendam Romæ obtinuit cum decreto, cujus virtute primum resignavit, postea obtento evictus Beneficio à quodam Regalista, aut alio fortuito casu non suâ culpâ aut negligentiâ, primum non poterit repetere Beneficium : In his enim casibus renuntianti juri suo non datur regressus, cap. quàm periculosum 7. q. 1. & si hi regressus admitterentur fraudibus via aperiretur : salvo tamen speciali casu cap. si Beneficia, de Præb. in 6. omni extensione rejecta.* At in duobus præmissis casibus mihi non videtur extensio sed dispositio ipsius Capituli : nihil enim mutat causa ex qua Beneficium est evictum & eadem ubique viget ratio regressûs, ergo idem Jus statuendum cessante fraude.

(*b*) Clausulam de resolvenda resignatione & revertendo ad Beneficium resignatum ob non solutionem pensionis nullam & abusivam asserit, *Molin. ad Regul. de infirm. n.* 14. *& de public. n.* 276. sed malè quia tacitè inest.

(*c*) Vel peste infectus quamtumvis sanus, *Oliveus, lib.* 1. *quæstionum notabilium cap.* 19.

(*d*) In simplici resignatione seu dimissione coram Ordinario in infirmitate facta locum esse regressui negat *Loëtius ad reg. de infir. n.* 9. & ita est expressè cautum edicto contrarotulationis *art.* 20. affirmat Pastor hîc, cui adhærendum per ea quæ nos ad Flaminium *de resig. lib.* 1. *q.* 14. adnotavimus : & praxis hæc est, ut resignans etiam de novo non provisus indistinctè admittatur ad regressum, abrogato quoad hoc per contrarium usum præfato Edicto : quod etiam obtinet in resignatione ad favorem factâ coram Papa, & à resignatario acceptatâ, quamvis & hoc casu dictus articulus 20. absque nova provisione regressum excludat.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. ET *datur regressus resignanti.* Resignatio facta cum reservatione regressûs de quo latissimè, *Flamin. de resig. lib.* 6. *q.* 5. illicita & nulla est apud nos, adeò vacans Beneficium resignatum pronuntiavit Senatus Parisiensis *die* 13. *Aprilis* 1496. *teste Boër. decis.* 2. *& Papon. in placito, lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 3. *Flamin. de resignat. lib.* 6. *q.* 5. *n.* 107. sex tamen casibus resignanti adjudicatur regressus.

Primus, est cum Beneficio permutato evincitur.

Secundus, quando secundum est incompatibile ; tunc enim Jus datur revertendi ad primum, *cap. Si Beneficia, de Præb. in* 6.

Tertius, ob non solutam pensionem, *Papon. lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 20. *& lib.* 3. *tit.* 5. *n. ult.*

Quartus, quando minor unicum & simplex resignat, per cujus resignationem non exoneratur, ut in Curato, sed damnificatur ut in Præbenda *Panormit. in cap. Ex parte, n.* 15. *de restitut. spol.*

Quintus, cum resignatio per vim & metum fuit extorta, ut Author hic, *& Flamin. lib.* 13. *q.* 1.

Sextus, cum Provisus ex causa resignationis ante captam possessionem juri suo cedit, nam tunc deficiente conditione resignans potest Beneficium repetere, ut vult Author supra, *lib.* 2. *tit.* 3. *n.* 1.

Septimus, quando quis resignat in favorem coram Ordinario, quia resignatio est nulla, sive Beneficium fuerit collatum nominato, sive alteri, & resignans redit ad Beneficium, quia Authoritas Superioris eum excusat, *L. Furti, ff. de his qui notan. infamia.*

Octavum adjiciam cum resignatum fuit spreto Patrono Laïco, tunc enim locus est regressui secuta præsentatione & institutione juxta placitum Senatûs Parisiensis, *de die* 30. *Mai* 1647. *relatum in causarum publicè peroratarum Diario, tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 19. sed contra ibidem, *lib.* 6. *cap.* 24. *Garcias, part.* 11. *cap.* 3. *n.* 30. *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *q.* 14. *n.* 84. & Author noster supra hoc libro, *tit.* 3. *n.* 8. in omni autem regressu requiritur declaratio Judicis, nam cùm possessio sit occupata, regrediens non potest propriâ authoritate, illam capere, *Flamin. lib.* 1. *q.* 14. *n.* 15. *&* 16. & ante hanc declarationem, quamvis resignans possessorem Beneficii ad regressum sibi adjudicandum lite pulsaverit, Jus suum, ut pote personale, alteri cedere non potest, & si diem claudat ultimum, Beneficium non vacat per ejus obitum, sed incommutabiliter resignatario remanet vel ejus successori. Tamen pensione annullatâ, quia non fuit facta mentio de prima, resignanti non datur regressus, *Flamin. lib.* 6. *q.* 2. *n.* 49. nec ubi resignavit scienter in favorem indigni, aut aliàs nulliter, *Garcias, part.* 11. *cap.* 3. *n.* 36. *&* 38.

N. 3. *Cùm primùm potest debet Beneficium repetere.* Id est intra annum à recuperata valetudine, aliàs non auditur, præsertim si semel à regressûs petitione destiterit ; ut judicatum 16. Junii 1659. fertur in causarum publicè peroratarum, Diario, *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 28. & puto alterum sufficere ad eligendam regressûs actionem, resignatario tamen, vel ejus successori non suffragatur possessio triennalis adversus resignantem, qui post longam infirmitatem nuper sanitati restitutus vult ad Beneficium regredi, *Brodell. lttt. B, cap.* 13. *n.* 12.

N. 4. *Eique regressus denegatur sine nova provisione.* Contrarium meritò prævaluit ex communi observantia, quia spiritus primi tituli, quandiu locus est regressui, non est extinctus & per regressum reviviscit, atque ita nova provisio superfluit.

TITULUS X.

Quando Beneficium vacet ex causa resignationis, & ubi vacet.

SUMMARIUM.

I. & II. Beneficium non vacat per resignationem nisi sit admissa,
III. & IV. Provisus acceptat Beneficium expresse, aut tacitè. Arrestum.
V. & VI. Resignatione admissâ intra mensem Ordinarius qui admisit non potest præveniri.

I. BENEFICIUM non vacat per renuntiationem, nisi ea fuerit admissa: nam sicut militibus sine commeatu Ducis recedere non licet, nec Præsidibus Provinciarum sine venia Cæsaris Imperium abdicare, *l. Legatus, ff. de off. Præsidis*, sic proviso sine licentia Superioris Beneficium dimittere non licet, *c. admonet, de renuntiatione.* Quamobrem nec per solum mandatum de resignando Beneficium vacat; quia mandatum non est resignatio, sed destinatio ad resignandum, nisi ad actum perventum fuerit; nec per resignationem factam in manibus Superioris: nam Superior potest admittere resignationem, vel non. Ergo desideratur consensus Superioris acceptantis dimissionem, qui includit licentiam datam resignandi, & admissionem resignationis, *Molin. de infirmis resignat. q. 1. n. 3.*

II. Et si resignatio facta sit in favorem, Beneficium non vacat resignatione admissâ, & collatione secutâ, resignans licitè possidet, & facit fructus suos, donec resignatarius gratiam acceptaverit: nam conditio insita in resignatione suspendit ejus effectum, donec fuerit adimpleta per acceptationem resignatarii, in cujus favorem fit, *l. absenti, ff. de donat. Molin. de veris. not. n. 95. & de public. resign. n. 246.* post acceptationem Jus censetur quæsitum resignatario: & si Beneficium vacet, ex capite illius vacare dicitur, non ex capite resignantis, nisi fictione (*a*) juris vacare dicatur per obitum resignantis, si non supervixerit viginti dies post resignationem admissam, ex Regula de infirmis resignantibus, aut resignatarius intra statutum tempus resignationem non publicaverit vivo resignante, ex Regula de publicandis resignationibus, ut suprà diximus.

III. Acceptatio Beneficii fit à resignatario duobus modis, expresse, vel tacitè, verbo, aut facto, quo consensus probatur, *l. de quibus, ff. de Legibus*; *l. 6. ff. ad Trebell.* & fit per se, aut per Procuratorem, *c. quia propter, de elect. & c. penult de conces. præb. in 6.* & resignatario non acceptante, si nolit, aut non possit, resignans retinet Jus suum sine nova provisione, *Duarenus de Benef. c. 7. Fevret lib. 2. c. 5. n. 17.* Ex Placito Magni Consilii 13. *Augusti anni 1638.* modificativo Edicti ejusdem anni, resignans in favorem non censetur privatus jure suo donec resignatarius in possessionem Beneficii missus fuerit, & facit fructus suos; tamen non potest resignare ampliùs (*b*) in præjudicium resignationis admissæ; resignatario verò non acceptante potest, modò fraus absit; fraus enim arguitur ex resignationibus repetitis, ex eodem Placito.

IV. Si à Papa renuntiatio fuerit admissa, Beneficium censetur reservatum Curiæ per appositionem manûs, ne locus sit præventioni: sed hæc reservatio duobus modis expirat, lapsu mensis, *c. statutum, de præb. in 6.* quod tempus currit à die resignationis admissæ, etiam vacante Sede, *Molin. de infirmis resignationibus, n. 182.* & obitu resignantis intra viginti dies: nam per Regulam de infirmis non solùm collatio irritatur, ut voluit Romanûs *cons. 342.* sed ipsa etiam resignatio defectu conditionis insitæ in admissione illius; tamen si Beneficium purè dimissum fuerit in manibus Papæ, & intra mensem Papa non conferat, collatio facta ab Ordinario intra illud tempus valebit: (*c*) nam reservatio Juris non facit collationem Ordinarii irritam, sed irritandam, si Papa eâ utatur, & conferat intra mensem, *Molin. de public. resign. n. 177.*

V. Si coram Ordinario resignatio facta & admissa sit, Papa non potest eum prævenire: nam per admissionem res desiit esse integra, & præventio non habet locum nisi rebus integris. Verùm ut reservatio Beneficii vacantis in Curiâ post mensem expirat, sic reservatio Beneficii vacantis ex causa resignationis admissæ ab Ordinario eodem tempore finitur, & eo elapso Ordinarius à Papa potest præveniri, aut Legato: expedit enim

reservationes hujusmodi brevi tempore præscribi, ne diutiùs Ecclesiæ vacent: verùm cùm resignatio fuit admissa à Papa vel Legato, eodem tempore Data sumitur pro resignatario, cui datur semestre vel mensis ad publicandam resignationem, & intra illud tempus Signaturam & Bullam potest obtinere ejusdem Datæ.

VI. Sunt qui sentiunt quòd si Ordinarius non conferat intra mensem Beneficium apud se vacans ex causa resignationis, Jus devolvitur ad Papam, *Garcias parte* 21. *c.* 3. *n.* 274. allegans Constitutionem Gregorii XIII. sed apud nos illa Constitutio non est in usu, Jus non devolvitur nisi post tempus Concilii Lateranensis, salvo jure præventionis, ut diximus suprà.

SOLIER.

(*a*) Imò veritatem & non fictionem operantur Regulæ *de infirmis, & de publicandis.* ita ut vera & non ficta contingat vacatio per obitum ex illarum dispositione, ut probat *Molin. ad regul. de infirm. resig. n.* 283. *& ad regul. de public. n.* 106. in his enim quæ sunt juris positivi lex non fictè, sed verè & mero jure agit, *Bart. & alii in L. si is qui pro emptore, de usucap. & in L. gallus §. & quid si tantum de liber. & posth.* Et Ordinarius per obitum liberè conferre poterit *Molin. d. n.* 283.

(*b*) Durante scilicet triennio, sed eo elapso potest: quia per hanc secundam resignationem non præjudicatur primæ, quæ amplius non est, ut suprà diximus.

(*c*) Si Ordinarius intra mensem Papæ reservatum conferat Beneficium quod in Curia vacaverit, & intra eundem mensem Papa non provideat, valebit collatio Ordinarii ut vult *Molin. ad regul. de infirm. resig. n.* 176. Ordinarius enim, inquit, non minùs habet juris in provisione Beneficii hoc mense durante, quàm durante quadrimestri spectante ad Patronum Laïcum, quo non conquerente collatio Ordinarii intermedia rata manet & firma. Sed meliùs sentit *Rebuff. consil.* 185. collationem Ordinarii factam intra mensem de Beneficio vacante in curia non valere etiamsi Papa illud non contulerit: quia interim Ordinarius habet manus ligatas *Joan. de Selva, de Benefic. p.* 3. *q.* 6. *Fevret. de abusis lib.* 2. *c.* 7. *n.* 11. etiamsi Papa medio tempore contulerit incapaci contra Fevret. quia non conferre, aut nulliter conferre idem sunt.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. POST *acceptationem jus censetur quæsitum Resignatario, & si Beneficium vacet ex capite illius vacare dicitur.* Imò Beneficium vacare non potest ex capite Resignatarii; etiam secutâ illius acceptatione ante adeptam possessionem, nisi Resignans prædecesserit, sed remanet penes resignantem donec acquiratur Resignatario: verùm non dicitur acquisitum, nisi possessio capta fuerit. *Flamin. qui testatur de communi Lib.* 1. *q.* 7. *n.* 10. & ita indistinctè intelligendus est author, unde cave à Rebuffo, *ad regul. de publicandis, gloss.* 13. *n.* 28. & ab ipso Molineo ad eandem regulam *n.* 249. quos secutus est Duclosius in notis ad Flaminium, *lib.* 1. *q.* 2. *n.* 15. ubi tenet Resignatario post sex menses decedente, sive acceptaverit, sive non, Beneficium vacare per ejus obitum, quantumvis Resignante possessioni incumbenti, quod nullo jure fulcitur, & manifestæ rationi ac praxi adversatur in Gallia.

N. 3. *Acceptatio Beneficii fit à Resignatario duobus modis expressè vel tacitè.* Acceptatio Beneficii nihil aliud est quàm declaratio voluntatis tendentis ad executionem gratiæ. *Dominic. in cap. susceptum de rescriptis in* 6. & est duplex, ut ait author: alia expressa quæ fit per impetrantem petendo sibi conferri Beneficium, vel recipiendo sibi præsenti collatum, *Gloss. in cap.* 1. *§. ex parte in verbo acceptationem de conces. præb. in* 6. & alia tacita, ut cùm quis resignat, seu cedit Bullis non confectis. *Mutheus-Paulus de mandat. Apostol. part.* 4. *n.* 34. vel attestationem de suis vita & moribus fieri procurat, vel fidei professionem facit ad effectum obtinendæ provisionis, vel si mandatum ad resignandum Bancario tradiderit, vel procuratorem ad accipiendam possessionem constituerit: *Lovet. ad regul. de publicandis, n.* 249. tamen acceptatio non præsumitur ex sola porrectione supplicationis, quia porrigi posset à quocunque citra mandatum, *L. Universis, Cod. de precibus Imperat. offerend.* nisi impensa magna fuerit, quia tunc præsumitur mandatum, *Gomes. de annali, q.* 32. *& ad trienn. q.* 38. *ad finem*, & est advertendum quòd in homine privato impensa unius nummi habetur pro considerabili ad effectum præsumendi mandatum, *Lotter. lib.* 2. *q.* 28. *n.* 86. cæterum ante acceptationem Beneficium non acquiritur proviso, *cap. Si tibi absenti, de Præbend. in* 6. quia non confertur in invitum, & debet esse hinc inde voluntas concedentis, & acceptantis, quod adeo verum est, ut ad acceptationem non sufficiat præsentia & taciturnitas, ut vult *Lott. dicta q.* 28. *n.* 85. ipse tamen, *lib.* 3. *q.* 1. *n.* 27. ait acceptationem præsumi ex sola scientia, ut non improbatio, inquit, habeatur pro approbatione, & hujusmodi scientia potest constitui, ex conjecturis ex aliquo actu positivo deducendis, & qui semel acceptavit variare non potest, quia per acceptationem jus quæritur, *dicto cap. Si tibi absenti, de Præbend. in* 6.

N. 4. *Si à Papa renuntiatio fuerit admissa, Beneficium censetur reservatum*, hæc reservatio per manûs appositionem non recipitur apud nos, ita ut resignatione Romæ admissâ, & non publicatâ, si resignans post tempus Regulæ de publicandis in possessione decedat, Ordinarius liberè conferre potest per obitum.

N. 5. *Per admissionem res desiit esse integra*, imo res est integerrima, cum admissio solùm Beneficii vacationem induxerit, & negotium collationis nullatenus fuerit inchoatum; admissio enim & collatio sunt actus penitùs distincti, & possunt à diversis expediri, ut cernere est in renuntiatione, Sede Episcopali vacante, quæ in manibus Vicarii Capituli fieri

potest, & ab eo admitti, non tamen Beneficium dimissum conferri, *Flamin. post alios quos citat, lib. 7. q. 23. n. 20. & n. 30.* sic Beneficia reservata possunt resignari coram Episcopis, qui poterunt resignationes Beneficiorum hujusmodi recipere, non autem illa conferre, *idem ibidem q. 14. n. 6.* cùm igitur Summus Pontifex concurrat cum omni collatore in conferendis Beneficiis liberè vacantibus, nihil vetat quin Beneficium coram Ordinario dimissum, non tamen ab eo collatum, nec ad præparatorium aut præambulum aliquod processum, jure præventionis validè conferre possit, licèt ipse Molineus sicuti author noster alicubi inficitur.

TITULUS XI.

De Resignatione ex Causa Permutationis.

SUMMARIUM.

I. Ordinarius potest Resignationes hujusmodi admittere.
II. Capitulum idem potest sede vacante.
III. Si compermutata Beneficia sint in diversa Diœcesi.
IV. Permutatio facta extra munus Superioris nulla est.
V. In permutatione quæ requirantur.
VI. VII. & VIII. Permutatio de Iure Patronatûs cum Beneficio non valet. Permutatio de Beneficio ficto, aut fundando, cum fundato non valet.
IX. In permutatione Beneficiorum quæ pacta sint licita.
X. In permutatione pacta illicita.
XI. In permutatione Beneficia solis compermutantibus conferuntur. In permutatione superstes non gaudet de bona fortuna.
XII. In permutatione evicto Beneficio an detur regressus.
XIII. An permutatio Beneficii ex causa læsionis rescindatur.
XIV. Restitutio in integrum adversus resignationem apud quem peti debeat.

I. OLIM solus Papa poterat admittere resignationes ex causa permutationis, quoniam (ut diximus suprà) resignationes in favorem redolent simoniam; hodie verò *ex c. unico de rerum permutat. in 6.* Legatus à latere potest eas admittere, & Ordinarius, (*a*) si habeat authoritatem Episcopalem, *Navarrus consil. 97. n. 4. de simonia, Rebuff. de permutat. n. 20.* nec non Vicarii Episcoporum habentes speciale mandatum, *Bellamera Tract. de permut. c. tertiò quæritur*: cæteri verò Prælati inferiores qui non habent authoritatem Episcopalem, quamvis habeant Jus conferendi, non possunt conferre in favorem ex causa permutationis, nisi consuetudine aut privilegio Jus illud acquisierint, *Bellamera loc. cit.*

II. Capitulum verò, Sede vacante, potest quidem admittere resignationes, quæ fiunt ex causa permutationis; at collationem debet reservare futuro successori, nisi privilegio aut consuetudine Jus illud acquisierit, *Bellamera loco cit. Garcias parte II. c. 4. n. 75.* Sed hæc quæstio est juris ambigui; & Chopinus *de sacra Politia lib. 1. tit. 6.* refert suffragia Senatûs Parisiensis super ea fuisse divisa: mihi probabilius (*b*) videtur, Capitulum Sede vacante posse resignationes hujusmodi admittere, & conferre, quoniam Capitulum succedit Episcopo in omnibus iis quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis necessariæ, ut est institutio præsentatorum à Patronis: ergo succedit eodem jure in collatione Beneficiorum vacantium ex causa purmutationis, quæ similiter fit necessitate juris in gratiam compermutantium, *ex eod. c. unic. de permutat. in 6.* & Capitulum facit id quod successor in Sede Episcopali facere teneretur, *Rebuff. de devolut. n. 96.*

III. Et si Beneficia compermutata sita sint in diversa Diœcesi, authoritas utriusque collatoris desideratur, verùm ob commoditatem compermutantium alter collator alteri potest vicem suam, seu potestatem admittendi resignationem & conferendi committere, ut coram uno eodemque collatore fiat permutatio, *gl. in c. unico de rerum permut. in 6.*

IV. Si verò sine Superioris authoritate permutatio fiat, nulla est, & permutantes ad sua Beneficia redire volentes exceptione doli excluduntur, quòd Ordinarium fraudare voluerint, & Beneficia ut vacantia per dimissionem compermutantium ab Ordinario aliis conferri possunt: nam licèt resignatio extrà facta sit nulla, quoad Superiorem non admittentem, quoad ipsos resignantes & compermutantes tenet ex sententia communi *Soares, & aliorum quos citat Garcias parte II. c. 4. n. 59. juxta c. quæsitum, & c. cùm olim, de rerum permutat. Hadrianus quæst. quodlibetica 9.*

V. Ut permutatio canonica ſit, hæc requiruntur.

Primò, quòd illa fiat ob neceſſitatem, aut majorem Eccleſiæ utilitatem, *gl. in c. cum univerſorum, de rerum permut.* Si fiat ob ſolam commoditatem partium, Ordinarius non tenetur eam admittere; tamen permutantes nullam pœnam incurrunt quòd ſub authoritate Superioris convenerint, *l. furti, ff. de his qui notantur infamia*, & ad ſua Beneficia redire poſſunt.

Secundò, in permutatione res deſideratur, *l. ex placito, & l. quoniam aſſeveras, C. de rerum permut.* & quòd res ea fiat de mea, tua; ea enim eſt natura contractûs. Unde ſequitur nullam eſſe permutationem, ſi permutantes Jus ſolùm habeant ad rem, non in re, *Panorm. in c. cùm olim, de rerum permutat.* Sic nulla eſt permutatio expectativæ nominationis aut præſentationis cum Beneficio, (*c*) ut diximus de renuntiatione. Idem dicitur de Beneficiis manualibus, & Commendis temporalibus: at ſi Commendæ ſint ad vitam, permutatio valet, *Panorm. loco citato, Dominicus c. 1. de rerum permut. in 6.*

VI. *Tertiò*, in permutatione rerum ſpiritualium, aut mixtarum, conformitas requiritur; ſic Beneficium cum altero Beneficio ſimplici, vel Curato, rectè permutatur, vel unum cum alio aut unum cum pluribus, præſtimonium cum præſtimonio (quod quid ſit diximus ſuprà *lib. 1. tit. 2.*) Jus Patronatûs cum Jure Patronatûs, at præſtimonium cum Beneficio permutari non poteſt, *Navarrus in Manuali c. 21. n. 3. per c. cùm eſſent, & c. querelam, de ſimonia, & c. finali de rerum permutat.* Ob eandem rationem non licet permutare Jus Patronatûs cum Beneficio, niſi illud acceſſoriè veniat in permutatione Beneficii cui eſt annexum: nam ſi principaliter & intuitu juris Patronatûs permutatio fiat, ſimonia eſt, ob mixturam temporalitatis in jure Patronatûs. Conſtat autem de mente permutantium ex actuum connexitate, ſi quis juxta tractatum permutationis Capellaniam fundaverit, (*d*) ſeu Beneficium *de Pertica*, ut loquuntur Itali, retento Jure Patronatûs, & mox idem Beneficium dimiſerit cum Jure Patronatûs in gratiam alterius, permutationis causâ pro alio Beneficio: aut ſi permutatio fiat de Beneficio fundato pro Beneficio fundando, quod alter ſe fundaturum promiſit: Jus enim illud promiſſum eſt quid temporale, & tempore permutationis extrema non ſunt habilia: quod genus ſimoniæ in Curiâ Romanâ admittitur ad augendum patrimonium Eccleſiæ, & ſcala pietatis malè nuncupatur, ſed in Parlamentis Franciæ reprobatur, ut nuper in cauſa Vicariæ Parrochiæ Oliolenſis, quam poſſeſſor dimiſerat ex cauſa permutationis pro Capellania quam reſignatarius ſe fundaturum ſpoponderat, cum Jure Patronatûs, Senatus hujus Provinciæ judicavit in gratiam devolutarii qui eandem Vicariam impetraverat contra reſignatarium, ut vacantem per ſimoniam, & à Reſcripto Legati appellaverat tanquàm ab abuſu, juxta Decreta Concilii Calcedonenſis, & Reſcriptum Alexandri Pontificis, quo ſimile vitium quod in Eccleſia Lucenſi irrepſerat damnatur; & conſtituitur, quòd nullus pro Eccleſiæ beneficio audeat aliquid dare, aut fabricæ Eccleſiæ, vel donariis Eccleſiarum, ſeu etiam quod pauperibus ſit tribuendum, quoniam mala eſt intentio, *c. ex multis, c. 1. q. 3.* τὸ καλὸν ἐκ πάσης μεροδαπῆς δὲ κακοῦ: bonum ex integra cauſa, malum verò ex quovis defectu, ex Ariſtotele & Divo Dyoniſio: tales permutationes reprobantur Conſtitutione Pii V. *Fevret lib. 2. c. 5. n. 22.*

VII. *Quartò*, in renuntiatione quæ fit ex cauſa permutationis, nomen & qualitas Beneficii exprimi debent, ut in cæteris renuntiationibus: verùm expreſſio aliorum Beneficiorum quæ poſſident ſupplicantes non deſideratur ut in cæteris ſupplicationibus, quia collator admiſſa renuntiatione ex cauſa permutationis compermutantibus illa conferre (*e*) tenetur, *Joannes Gallus, & ibi Molin. q. 170.*

VIII. *Quintò*, ſi Beneficium ſit Regiæ nominationis in permutatione conſenſus Regis deſideratur; & ſi Juris Patronatûs, inſcio Patrono fieri non poteſt; eodem tamen invito, vel etiam contradicente, licitè fit, *Rebuff. de permut. n. 21. Garcias parte 11. c. 3. num. 16. Faber, C. de jure Patronatûs, definit. 2.* modò reſignatarius ſit idoneus, Patronus fuerit requiſitus, & fraus abſit: nam ſi fieret permutatio Beneficii pinguis pro Beneficio ficto, vel tenuis reditûs, ad eludendum collatorem, aut Patronum, juſta eſſet querela Patroni, & alium præſentare poſſet; at judicare an reſignatarius idoneus ſit, vel nor, collatoris eſt, non Patroni.

IX. In permutatione pacta apponuntur, quorum alia ſunt licita, alia illicita. Licita ſunt, ſi conventum fuerit inter permutantes de ſolvendo ære alieno contracto nomine Beneficii compermutati: nam ſucceſſor in Beneficio ſolvere tenetur debita contracta ab anteceſſore ſuo, nomine Beneficii, & Eccleſiam exonerare, *c. 1. de ſolutionibus*, vel de ſolvendis

de solvendis expensis Bullarum, modò in prædictis casibus permutatio fiat coram Papa, & talis conventio admittatur, ad tollendam suspicionem simoniæ, *Navarrus cons. 7. & 14. de simonia*; aut si alter compermutantium sibi reservaverit in Beneficio dimisso pensionem annuam ad compensandam inæqualitatem reditûs alterius Beneficii quod sibi datur, modò fraus absit: nam si talis permutatio & reservatio fiat in mortis articulo, ex causa senectutis decrepitæ, vel ægritudinis, cum consanguineo, aut familiari, fieri videtur in fraudem Ordinarii, vel Patroni, ut dictum est suprà: & si inæqualitas non sit in Beneficiis, vel uterque sibi reservet pensionem in Beneficio à se dimisso, talis reservatio facta videtur animo negotiandi, non compensandi, permutationem vitiat, & præbet materiam appellandi tanquàm ab abusu, ad irritandas collationes, *Molin. de public. resign. n.* 283. & super alio Beneficio non permutato pensio constitui non potest, *Rebuff. de pacif. possess. n.* 12. Ordinarius etiam potest (*f*) in permutatione resignatarium obligare ad præstationem pensionis annuæ ad compensandum valorem fructuum; sed non potest bona Beneficii nec successores obligare, sicut Papa. Idem dicitur de Legato, nisi Legatus eam habeat facultatem in mandatis; Legatus Avenionensis habet.

X. Pacta quæ apponuntur in gratiam tertii Jus non habentis in Beneficio, ut Beneficium à compermutante dimissum tertio conferatur nullum Jus habenti in Beneficiis dimissis, aut pensio assignetur Studiorum gratiâ, licita censentur authoritate Papæ interpositâ, *Lessius, de Justitia & Jure, lib. 2. dub. 26. Azorius Instit. Moral. c.* 25. hoc est, si concluso tractatûs sub beneplacito Papæ facta fuerit, sive illa clausula, *sub beneplacito*, in supplicatione sit expressa, sive non, modò ex supplicatione factâ Papæ de conventione constet, *Soares, de statu Religionis, c.* 32. *n.* 7. *Navarrus cons.* 47. Nam Summus Pontifex admittendo conventionem, & conferendo, dispensat, & tollit Juris impedimentum. Verùm in Galliâ illud genus permutationis triangularis, quâ Beneficium dimittitur ut tertio conferatur, aut pensio assignetur, non admittitur, & ab executione Rescripti appellare licet tanquàm ab abusu, *Molin de public. resignat. n.* 278. *Rebuff. in concord. de collat. verb. ex causa permut.* Tamen venia datur permutanti ut possit Beneficium repetere, ob authoritatem Papæ interpositam, *juxta l. furti, ff. de iis qui notantur infamia, versic. qui jussu.*

XI. Resignatione admissâ ex causa permutationis Beneficia aliis quàm permutantibus conferri non possunt, *c. unic. de rerum permut. Clement. unic. eod. tit.* Et si aliis conferantur, permutantes ad sua Beneficia dimissa redire possunt, quoniam quoad alios non videntur resignasse, & Beneficia non vacant nisi collatione & acceptatione secutâ eorum in quorum gratiam dimissa sunt. Unde colligunt moderni, mortuo alterutro permutantium ante acceptationem gratiæ, superstitem gaudere de bona fortuna, hoc est Beneficium dimissum retinere, quòd resignatarius in cujus gratiam resignaverat non acceptaverit, & mortuus sit, & Beneficium sibi collatum, ex causa resignationis ab eodem vivente factæ, & admissæ, assequi, *Loëtius in lit. B. n.* 13. Sed hæc sententia reprobatur à Molineo, *de publicandis resignat. n.* 19. asserente id fieri contra intentionem defuncti, & collatoris, & speciem esse furti, nam nec defunctus Beneficium dimisisset in gratiam illius, si talem casum prævidisset; nec collator ei contulisset Beneficium ut vacans per obitum, etiamsi ut vacans ex causa permutationis, quæ non est sortita suum effectum, contulerit: fit etiam contra naturam permutationis, quæ non nisi re contrahitur, ut diximus suprà: & sic Beneficium dimissum vacat, & repeti aut retineri non potest à resignante superstite, cùm ob eam causam alterum adeptus fuerit. Et juxta hanc sententiam placuit Regi ex consilio peritorum hanc quæstionem solvere, explodendo eorum sententiam qui existimabant in casu suprà relato supestitem gaudere de bona fortuna, *Edicto du Contrôlle, art.* 21. quod prodest in deciforiis, tametsi Officia suppressa sint.

XII. Evicto Beneficio dato ex causa permutationis, datur regressus ad Beneficium dimissum: nam illa dimissio tacitam conditionem habet, si Beneficium datum non fuerit evictum, *Rota decis. 9. in antiquis, Rebuff. de pacif. possessor. n.* 145. *Papon Placitorum lib. 2. tit. 7. n. 2. Faber C. de Sacros. Eccles. def.* 53. Datur autem regressus sine nova provisione, modo sententia Judicis declaratoria evictionis præcesserit, *Papon & Faber locis citatis, Duarenus lib. 8. c.* 3. Nec solùm datur regressus contra permutantem ipsum, sed etiam contra successorem illius in eodem Beneficio ex causa resignationis, aliave causa, ex natura permutationis, ex quâ re evictâ datur actio de evictione ad recuperandam rem permutatam contra quemcumque possessorem, *l. cum precibus, C. de rerum permutatio-*

ne, Rebuff. de permutatione Benef. n. 13. At non datur regreſſus ei qui vi dejectus eſt, aut privatus Beneficio ob dolum vel culpam, *Bellamera Tract. de permut. part.* 10. Nec ſi decreto Superioris ob cauſam emergentem, poſt permutationem Beneficium permutatum ſuppreſſum ſit, vel unitum alteri Beneficio, aut Capitulo; in quibus caſibus authoritas Superioris ſemper excepta intelligitur, *l. fin. C. de actionibus empti, & l. Lucius, ff. de evictionibus.*

XIII. Ex cauſa læſionis permutatio reſcindi non poteſt, quoniam titulus non pendet ex conventione partium, ſed ex placito Superioris, *Decius conſ.* 210. niſi tanta ſit læſio ut reſignans non habeat neceſſaria ad victum; quo caſu reſignatarius cogendus eſt conſtitutioni penſionis congruæ conſentire, aut permutatione reſciſa per Judicis ſententiam Beneficium dimittere; aut niſi inconſulta facilitas vel Beneficium ætatis reſtitutionem indulgeat, *l. verum, ff. de in integrum reſtitutione minor. Imola in c. ex parte, de reſtitutione ſpoliatorum:* aut niſi dolo metûſve causâ permutatio facta ſit, vel per errorem; ut ſi alter onera Beneficii tacuerit, aut falſum valorem expreſſerit; tunc enim alter cogitur onera Beneficii ſolvere, aut congruæ penſioni conſentire, ad compenſandum valorem reditûs Beneficii dimiſſi, aut Beneficium dolo quæſitum dimittere, *Papon lib* 2. *tit.* 7. *n.* 4.

XIV. In quibus caſibus coram Judice Eccleſiaſtico reſciſio aut reſtitutio in integrum debet poſtulari, *Imbertus in Enchyridio, Papon lib.* 2. *tit.* 7. *n.* 6. non eſt opus Litteris Regiis, ut diximus ſuprà: & quamvis eæ fuerint obtentæ in Regis Cancellariâ, eiſque cauſæ cognitio Senatui aut Propretori fuerit commiſſa, Judex Eccleſiaſticus in petitorio poteſt de cauſa cognoſcere, ut poſt Molineum notat Loiſellus, *tit.* des Seigneuries, *c.* 14. *art.* 59. *& ſequent. Vide ſuprà de renuntiatione fraudulenta tit.* 3. *n.* 8. niſi judicio poſſeſſorio agatur coram Judice ſæculari.

SOLIER.

(*a*) Inferior Epiſcopo non admittit permutationes, *Gloſſ. Clem. unic. in verb. conferantur, de rerum permut.* niſi Juriſdictionem haberet Epiſcopalem, aut quaſi, *cap. Abbates in fine, de privileg. in 6.* veluti Abbas Ciſtercienſis, Cluniacenſis, aut alius exemptus, ad quem cùm Eccleſia pleno jure pertineat, *Gloſſ. Clem. attendentes, verſic.* 1. *de ſtatu Monach.* in ejus Monaſterio Epiſcopus nihil exercet, *cap. ea quæ, ubi Panor. de ſtat. Monach.* alii autem talem Juriſdictionem non habentes permutationes authorare non valent: cùm enim Concilium Turonenſe permutationes prohibeat, *cap. majoribus, de præb.* contra id non diſpenſat, niſi cui permiſſum eſt, *d. Gloſſ. Clem. unic. de rerum permut.* non invenitur autem permiſſum niſi Epiſcopo, *cap. quæſitum. de rerum perm. dicta Clem. unic. eod.* & per conſequentiam habenti Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut dixi.

(*b*) Contrarium tamen de jure verius, quia in collatione Beneficiorum nunquam vacante ſede ſuccedit Capitulum, niſi ubi lege nominatim cavetur, *cap. illa, ne ſede vacante*, in jure autem non eſt expreſſum quòd poſſit Beneficia conferre ex cauſa permutationis: nec verum eſt Regulariter quòd Capitulum poſſit facere collationes neceſſarias, niſi in quantùm ſibi à jure expreſſim indulgetur, *Corraſ. in paraph. Sacerdot. p.* 2. *cap.* 7. *n.* 4. quamvis contrarium multi velint quos refert & ſequitur, *Garc. de Benefic. p.* 5. *cap.* 7. *n.* 55. *& ſeqq.* nec valet argumentum poteſt inſtituere præſentatos, *cap.* 1. *de inſtit. in 6.* & electos confirmare, *cap. cum olim. de major. & obed.* ergo poteſt facere alias collationes neceſſarias: quia eſt ſpecialis ratio in inſtitutione & confirmatione ex quo præceſſit præſentatio & electio, in quibus quaſi inchoatur proviſio Beneficii.

(*c*) Licitè tamen renuntiatur litteris ad Beneficia pro Beneficio, *cap. Ad audientiam, de reſcript.* & ſicut Beneficium poteſt permutari cum alio Beneficio, ita poteſt ex pacto quis renuntiare litteris ut conſequatur aliud Beneficium, *Panorm. in d. cap. Ad audientiam, n.* 6.

(*d*) Non arridet ſententia exiſtimantium licitè fundari Capellaniam aut aliud Beneficium ad effectum permutationis poſtmodum ex pacto ineundæ, ſicut quotidiè ex conſilio quorundam Moralium Theologorum fieri videmus: vix enim hinc vitari poteſt Simonia ſaltem mentalis: quare dum tale Beneficium erigitur, authoritate Apoſtolicâ ad effectum & animo permutandi ut purgetur vitium, id non exprimitur in ſupplicatione, ſed practicatur ut Dominus Datarius ſupplicationem porrigendo ſummo Pontifici ſuper permutatione Beneficiorum quæ petitur, factum illi aperiat verbo tantùm, qui libenter ſuper hoc annuit. Et hanc eſſe praxim Curiæ Romanæ teſtatur *Pyrrhus Corradus in praxi diſpenſat. Apoſt. lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 11. *&* 12. ex qua infero id agere nefas inſcio Papa.

(*e*) Ceſſat enim impetratio & collatio ſimpliciter facta, & ſic ambitio. *Bellam. de permut. p.* 3. *q.* 2.

(*f*) Imò ſolus Papa, tum quia in permutatione intervenit tractatus partium & conventio, ex qua nequit imponi penſio ab Epiſcopo, *cap. Niſi eſſent, de Præb. ibi: Non quidem ex pactione partium;* tum etiam quia hodie extra Papam vix conſtituitur penſio in hoc Regno, *Rebuff. de pacif. poſſeſſ. n.* 105. *Molin. in cap.* 3. *de colluſ. deteg. Fevret. de abuſu, lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 5. niſi ex cauſa unionis reſervaretur, vel permutationis, quæ non procederet ex affectu, vel arbitrio privatorum, ſed Diœceſani decreto ex cauſa utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ causâ cognitâ interpoſito juxta formam Juris *in cap. Quæſitum de rerum permut. Molin. ad regulam de public. reſignat. n.* 175. quamvis Fevret. Hoc ipſum indiſtinctè affirmet in omni permutatione ex Molineo, ſed malè, his junge quæ dixi ſupra, *lib.* 1. *tit.* 13. *littera A.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. *Mihi probabilius videtur, &c.* Sentit Author Capitulum Sede vacante posse permutationes authorisare, & Beneficia ex causa hujusmodi resignata conferre, sed contrarium sæpius judicavit Senatus Tolosanus, teste Maynardo, *lib.* 1. *cap.* 66. per ea, quæ nos hoc eodem titulo, aliàs annotavimus, quamvis *Franciscus Pavinus*, *de officio, & potest. Capituli, Rebuff. in praxi, tit. de devolut. n.* 95. *Zerola in praxi Episc. part.* 2. *in verbo, Capitulum*, §. 7. *Flamin. lib.* 7. *q.* 23. *n.* 31. *Garcias, part.* 11. *cap.* 4. absolutè videantur velle Capitulum Sede vacante posse admittere permutationes, etiam Beneficiorum ad solius Episcopi collationem spectantium, sed isti de admissione resignationis ex causa permutationis verba faciunt, non etiam de collatione, quæ reservatur futuro Episcopo.

N. 5. *Quod illa fiat ob necessitatem, aut majorem Ecclesiæ utilitatem.* In permutatione juxta causa requiritur quam Episcopus disquirere, & cognoscere debet, *cap. Quæsitum, de rerum permutatione*, sed dubitatur an permutatio fieri debeat ex causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, an verò sufficiat sola expedientia, & utilitas personarum? Et sufficere privatarum partium utilitatem tenet *Gloss.* 2. *ibidem, per textum in cap. cum universorum, dicto tit. & ibi Abbas*, nam expedientia & utilitas personarum redundat in augmentum cultûs divini, ut meliùs & promptiùs serviatur Deo, *Garcias, part.* 11. *cap.* 4. *n.* 45. & permutatio in dubio præsumitur ex honesta affectione processisse, quoniam superioris authoritas & præsentia omnem fraudis suspicionem tollit, *L. Furti, §. Qui jussu, ff. de his qui not. infam. cap. Nisi, de Præbend.* delictique præsumptio refugienda est, *L. Merito, ff. Pro socio*, nisi in contrarium arguant conjecturæ, quæ militant respectu expectantium, & cessant quoad alios, *Garcias dicto cap.* 14. *n.* 101. *&* 102. *Lovet ad Regulam de infirmis, n.* 1011.

N. 9. *Vel uterque sibi reservaverit pensionem.* Permutantes non possunt ambo reciprocè sibi reservare. Hâc enim viâ Beneficia censualia fierent, contra vetitas sectiones Beneficiorum, *cap. Majoribus, de Præbend. cap. uni. ut Eccles. Beneficia sine diminutione conferantur*, & in permutatione pensio non conceditur nisi ad compensandam inæqualitatem Beneficii, *Molin. ad Reg. de public. n.* 282. *&* 283. *Tournet. litt. B, n.* 78. *Lovet ad eandem Regulam, n.* 283. ait opinionem Molinei in casu fraudis procedere, quasi dari possit casus in quo pensio reciproca ex causa permutationis hinc inde sine fraude reservari possit, si enim Beneficia in reditibus sint æqualia nulla construendæ pensionis est causa: Si verò inæqualia, æquanda sunt, pensione solùm constituta super pinguiori; quorsum igitur magis tenue pensione gravare, nisi ut suum quisque Beneficium scindat, partemque sibi invicem communicent, quæ superstiti unà cum integro Beneficio recepto remaneat ex causa merè lucrativa.

Eodem N. 9. *si Conventum fuerit inter permutantes de solvendo ære alieno.* Debet tamen resignans esse debite gravatus nomine Ecclesiæ, ita quoad ea persolvenda Ecclesia sit efficaciter obligata, ut conventio hujusmodi sit licita, *Flamin. de resign. lib.* 14. *q.* 7. *n.* 64. quin etiam hoc casu pactionem hanc non valere tenuerunt *Joan. Andreas in additionibus ad Speculator. de rerum permutatione, Gammar. in cap.* 1. *n.* 136. *eodem tit. in* 6. quorum opinio obtinet ubi subest fraus aut suspicio fraudis *Flamin. dicto loco*, aliàs valida est, quia non est improbata à Lege, sed etiamsi non exprimatur tacitè inest, *cap. Ex præsentium, de solut.* & quæ tacitè insunt possunt deduci in pactum, *cap. Significatum, de Præbend. cap. Significasti, de elect.*

N. 11. *Explodendo eorum sententiam qui existimabant superstitem gaudere de bona fortuna.* Edictum contrarotulationis ab Authore Laudatum bonam fortunam in permutatione non tollit, sed restringit, ut non habeat locum, altero permutantium post tempus Regulæ de publicandis in possessione moriente, ut videre est *in art.* 20. & quamvis, *art.* 21. sensum hunc aliquatenus turbare videatur, res tamen liquet *ex art.* 14. Regiæ Declarationis de anno 1646. ejusdem Edicti revocatoria, per quam idem clarè statuitur quod in *d. art.* 20. cessante omni ambage, ut datur cernere *in art.* 21. unde consequens est quòd si obitus contingat intra tempus Regulæ, superstes utrumque Beneficium consequitur per locum à contrario jure validissimum.

N. 14. *Coram Judice Ecclesiastico rescisio, aut restitutio in integrum debet postulari.* Oppositum verius in jure, & in praxi, quia cùm contractus permutationis ineundæ seu initæ coram Papa, vel Ordinario sit ex Regia authoritate, si quid vitii, vel doli in eo irrepserit eadem authoritate restituendum venit, eò maximè quia rescisio permutationis possessorum, pulsat & implicat interdictum recuperandæ, quod Regiæ notionis est.

TITULUS XII.

De Penſionibus.

SUMMARIUM.

I. Penſio laïcalis. Penſio ſpiritualis.
II. Penſio in omni Beneficio non admittitur.
III. IV. & V. Penſione duplici Beneficium gravari poteſt.
VI. Quæ penſio aut reſignatio non admittatur in Gallia.
VII. Quæ penſio admittatur in Gallia. Penſio immodica ut reducatur. Penſio lite pendente debet ſolvi.
VIII. IX. & X. Penſio in quibus caſibus conſtitui poſsit.
XI. De penſione concordatum non fit niſi ſub placito Papæ.
XII. XIII. XIV. XV. & XVI. Penſionarii onera.
XVII. Quibus modis penſio finitur.
XVIII. & XIX. Quando penſio debeatur.
XX. Penſio deportatione finitur, & reſtituto non redintegratur. Arreſtum.
XXI. XXII. & XXIII. Penſio ex certis delictis finitur.
XXIII. Finitur Conſolidatione.
XXIV. Redemptione. Ut penſio poſsit extingui, quæ requirantur.
XXV. Penſio finitur Tranſlatione.
XXVI. Penſio extinguitur interitu rei
XXVII. Penſionis remiſsio quando fiat.
XXVIII. Poſſeſſor Beneficii privatus fructibus quis penſionem ſolvere debeat.
XXIX. Penſio eſt onus impoſitum Beneficio, non perſonæ.

I. QUONIAM de penſionibus in ſuperioribus Titulis dicere cœpimus, oportunum erit hîc de ea materia brevem Tractatum ſubnectere. Penſio alia eſt temporalis, alia ſpiritualis. Temporalis eſt ea quam Patronus ſibi reſervat in Fundatione ſuper fructibus bonorum oblatorum Eccleſiæ, *Benedictus in c. Raynutius, in verb. ſi abſque liberis*, 2. *n.* 56. & ea quæ pro temporali officio in ſtipendium alicui conſtituitur à Capitulo, Advocato, Procuratori, aut Medico; & ea quæ alteri Jus non habenti in Beneficio à Papa reſervatur: harum penſionum Laïci ſunt capaces. Spiritualis verò duplex eſt; altera perpetua, quæ conſtituitur in titulum Beneficii, venit nomine Beneficii, & tranſit ad ſucceſſores; Altera, (*a*) quæ conſtituitur loco Beneficii dimiſſi, in gratiam Jus habentis, vel ad vitam, vel ad certum tempus, de qua agimus hîc.

II. In omnibus Beneficiis penſio conſtitui poteſt, exceptis Vicariis Eccleſiarum Parrochialium, in quibus penſio non admittitur, ne cultus divinus minuatur; exceptis etiam Præbendis Theologalibus & Præceptoralibus, ne diligentia eorum qui illis Officiis funguntur in Eccleſia retardetur, ut ſpes præmiorum publici certaminis oppignorari non poteſt, *l. ſpem, c. quæ res pignori oblig. non poſſ. Loët. in lit. P. n. 46. Papon lib. 3. tit. 5. n.* 1. Sic judicatum de Præbenda Theologali refert Bengeus, *de qualitatib. ordinand. §. 9. & ſeq.* In Beneficiis Curatis difficiliùs admittitur, ob eandem rationem: admittitur tamen ſi centum Ducati ſuperſint Rectori, (*b*) non computatis incertis oblationibus, *Concil. Trident. de reform. ſeſſ.* 12. *c.* 24. Admittitur etiam in Epiſcopatu, ſi mille Ducati ſuperſint poſſeſſori, *Garc.* 1. *parte, c.* 5. §. 3. *n.* 37. Quod de Beneficiis Curatis dicto Concilio ſtatutum fuit, ad Vicarias perpetuas, & Præbendas Theologales & Præceptoriales, extendi poteſt. Si Beneficium conſiſtat in ſolis diſtributionibus, penſio non admittitur, nec ſi conſiſtat in ſolis oblationibus incertis, ob rationem ſuprà allegatam, *ex l. ſpem, & l. commoda, ff. de re judicata.* Et ita definitum fuit in Congregatione Cardinalium, *ad c.* 3. *Concilii Tridentini ſeſſ.* 21. *de diſtributionibus*, ne graventur. Idem videtur dicendum de oblationibus ob incertitudinem. Tamen ſi penſio fuerit admiſſa in illis Beneficiis, & caſibus exceptis, inter reſignantem & reſignatarium tenere debet: nam grave eſt fidem fallere, & reſignatarius qui conſenſit reſervationi, & ſub ea conditione Beneficium acceptavit, cogitur ſolvere, aut Beneficio cedere, in odium perfidiæ, hoc jure utimur in Galliâ, *Loëtius in lit. P. n. 46. Papon. lib. 3. tit. 5. n.* 8. Interdùm Senatus penſionem moderatur, *Loëtius ibid. in notis.* Cæteri ſucceſſores reſignatarii per appellationem interpoſitam tanquàm ab abuſu poſſunt petere penſionem tolli, ſi de Beneficio Curato agatur, *Scholiaſtes Loëtii lit. P. n.* 30. Idem dici poteſt de Præbenda Theologali & præceptorali, niſi fraus adſit in dimiſſione.

III. Si Beneficium sit alia pensione gravatum ; in supplicatione facta pro Pensionario id debet exprimi, ne Rescriptum sit obreptitium, quia novum onus imponitur, *Rebuff. de pac. poss. n.* 123. *Gigas de pens. q.* 39. *Mol. de publ. resign.* 279. potest enim novum onus imponi, si duæ illæ pensiones non excedant justum modum, seu tertiam partem fructuum Beneficii.

IV. In Beneficiis Patronatis sine consensu Patroni pensio constitui potest, si causa sit justa & rationabilis, *Gigas de pensionib. q.* 23. *Riccius de pensionib. decis.* 201. *Rebuff. de permutat. n.* 22. At si Beneficium sit Regiæ nominationis, sine consensu Regis pensione gravari non potest, alioquin est abusus, *Molin. de publ. resig. n.* 280. *Chopinus de sacra Politia lib.* 1. *c.* 2. *n.* 11. Verùm si in Litteris Apostolicis consensus Regis fuerit enuntiatus, & resignatarius pensionem jam spontè solverit, verba enuntiativa fidem faciunt de consensu Regis, resignatarius cogitur solvere, aut Beneficio cedere, ut ex Placitis Senatûs Parisiensis probat *Chopinus loco citato.*

V. In imponenda pensione libera est potestas Summi Pontificis : ille enim reservare potest resignanti fructus integros Beneficii, ad tempus, vel ad vitam, aut quotam fructuum, aut certam pensionem, vel in gratiam illius vel alterius jus non habentis, fructus Beneficii oppignorare in securitatem pensionis, resignatarium & successores obligare ad solutionem, & clausulam regressûs apponere, ut intra semestre, aliudve tempus præscriptum, pensio solvatur, quo elapso liberum sit resignanti redire ad Beneficium dimissum, *Lessius de Justitia & Jure lib.* 2. *dubitat.* 16. *Azorius Instit. Moralium c.* 30. *Felinus in c.* 2. *de Rescriptis*, *Gigas de pensionibus q.* 1. *n.* 4.

VI. Verùm in Galliâ reservatio fructuum non admittitur, quòd sit species regressûs & confidentiæ, *Molin. ad reg. de infirmis resign. n.* 323. *Loëtius in lit. P. n.* 31. in gratiam jus non habentis constitui non potest *Imbertus in Enchyridio*, *Molin. de publ. resign. n.* 277. nec in quota fructuum, ne Beneficium videatur divisum : tamen si pensio in dimidiâ, aliave quotâ fructuum, fuerit constituta, non annullatur, sed ad justum modum reducitur, *l. pecuniæ, ff. de usur. Rebuff. in Praxi*, *lib.* 1. *tit.* 13. Et si resignans vineæ quam plantavit, aut Oliveti, aut domûs quam construxit in areâ Ecclesiæ, sibi reservet usumfructum, talis reservatio toleratur, *ex Concilio Toletano*, *in c. fin. de peculio Clericorum. & l. ult. C. de alluvionibus*, ne diligentiam suam sibi damnosam esse doleat.

VII. In certa pecunia, vel quantitate fructuum, pensio rectè constituitur, modò non excedat trientem fructuum Beneficii dimissi, non computatis distributionibus quotidianis, nec incertis oblationibus : is enim censetur justus modus pensionum beneficialium, ratione petita ex Constitutione Ludovici IX. Galliarum Regis, qui voluit fructus Beneficii in tres partes distribui, unam Prælato, alteram fabricæ Ecclesiæ, tertiam pauperibus, juxta consuetudinem Ecclesiæ antiquam, ut notavimus *lib.* 1. *in principio*, *Molin. de public. resign. n.* 274. *Loëtius in lit. P. in notis*, *n.* 46. Tamen si supra illum modum pensio fuerit constituta, Rescriptum non annullatur, ut diximus suprà, sed conquerente possessore Beneficii, & appellatione interpositâ ab executione Rescripti tanquàm ab abusu, pensio ad justum modum reducitur, habitâ solùm ratione fructuum decimalium, non oblationum incertarum, *Loëtius in lit. P. n.* 46. & causa gravaminis & appellationis cessat, si Pensionarius consentiat pensionem ad justum modum reduci, *Molin. de infirmis resign. n.* 323. *Chopinus de sacra Politia lib.* 3. *c.* 7. *n.* 14. Nec obstat appellanti, quòd constitutioni pensionis consenserit, & annis retroactis solverit : nam Jus publicum pactionibus privatorum violari non potest, *l. Jus publicum, ff. de regulis Juris*, *Chopinus loco citato*, *in margine*, *Gigas de pension. q.* 36. Verùm resignatario objici potest, *solve, aut cede : idem Gigas n.* 34. *Flaminius lib.* 6. *c.* 21. *Vide suprà n.* 2. Et pendente lite solutio pensionis non debet retardari, *idem Gigas de pensionib. loco citato*, *q.* 35.

VIII. In tribus tantùm casibus pensio constituitur apud nos in Beneficiis Ecclesiasticis. *Primò*, si Beneficium dimissum sit ex causa permutationis retentâ pensione ad compensandum valorem fructuum Beneficii dimissi, ut diximus suprà *in tit. de permutatione. Secundò*, si resignatio fiat retentâ pensione, ne resignans patiatur nimium dispendium, *c. super hoc, de renuntiatione. Tertiò*, si in Judicio, vel extra, de jure dubio & litigioso transactum sit retentâ pensione, *Rebuff. de pacificis possessoribus n.* 110.

IX. In duobus (*c*) casibus prioribus etiam à Legato vel Ordinario pensio constitui potest, *Ancharanus cons.* 280. *Oldradus cons.* 226. at illi possunt quidem resignatarium obligare ad solutionem pensionis, quandiu Beneficium possederit ; sed non possunt fruc-

tus Beneficii oppignorare, & ſucceſſores reſignatarii ejuſdem Beneficii obligare: Ordinarius enim non poteſt, nam Ordinarii non ſunt domini ſed diſpenſatores Beneficiorum; Legatus non poteſt ſine ſpeciali mandato, quia id fit contra jus, & ea quæ ſunt contra jus non veniunt in mandato generali, *Molin. de public. reſign. n. 29. Chopinus de ſacra Politia lib. 3. c. 2.* At Summus Pontifex poteſt futuros ſucceſſores Beneficii obligare, & fructus Beneficii oppignorare; quod noſtri dicunt, *realizer la penſion*, quoniam ipſe eſt ſupra Jus poſitivum humanum, *c. propoſuit, de præb.*

X. Quamobrem ſi quis coram Legato vel Ordinario reſignaverit retentâ penſione, & velit fructus Beneficii ſibi oppignorari ad vitam, & futuros ſucceſſores reſignatarii per ceſſum vel deceſſum obligari, debet adire Papam, qui reſervationem penſionis cum jure pignoris ad ſui vitam ſibi confirmet, cujus petitioni reſignatarius debet conſentire; & niſi conſentiat per ſe, aut Procuratorem ad hoc conſtitutum, vel ſi Summus Pontifex jus illud in Beneficio conſtituere recuſet, reſignatio ſolvitur conditionis defectu, & collatio à Legato vel Ordinario facta infirmatur: nam renuntiatio hujuſmodi & collatio ſunt actus correlativi, quorum ea eſt natura, ut uno ſublato tollatur & alius, *l. venditor, ff. de ſervis exportandis, l. quidam, ff. de peculio legato, Chopinus de ſacra Politia lib. 3. c. 2. n. 14. Papon lib. 2. Placitorum, tit. des reſerves de penſion, n. 11.*

XI. In tertio caſu tranſigere non licet de jure dubio Beneficii retentâ penſione, ſine placito Summi Pontificis, aut Legati, ſi eam habeat facultatem in mandatis, ob ſuſpicionem ſimoniæ, *c. cùm pridem, de pactis, & c. niſi eſſent, de præb.* & reſervatio penſionis non admittitur niſi tranſactum ſit de jure quæſito, & probabilis (*d*) ſit cauſa timoris, ne vanus timor conſentientis noceat ſucceſſori, *Molin. de publ. reſign. n. 181.* & non obſtantibus clauſulis obligatoriis & fulminatoriis in creatione penſionis appoſitis, ſi locus ſit extinctioni, reductioni, penſio extinguitur, aut reducitur, ob vitium obreptionis: nam Papa valorem Beneficiorum & ſtatum cauſæ ignorat.

XII. Penſionarius non tenetur recitare ſolemne Officium, ſed Officium parvum Beatæ Mariæ ſingulis diebus recitare tenetur, *ex Concilio Lateranenſi ultimo, & Conſtitutione Pii V.* quo jure poſſeſſor Beneficii ſtatim atque proviſus eſt, & Beneficium poſſidet, tenetur recitare Preces Horarias, ſi ſciat, alioquin mortaliter peccat, ſi verò neſciat, habet inducias ſex menſium ab adepta poſſeſſione Beneficii ut diſcat, quibus elapſis ſi non recitet mortaliter peccat, & tenetur ad reſtitutionem fructuum, niſi juſta cauſa eum excuſet: idem de Penſionario ſtatuitur, *Garcias 1. parte, c. 5. n. 67.* & ob majorem negligentiam poſſeſſor Beneficii privatur Beneficio, & Penſionario penſio denegatur, nam Beneficium datur propter officium, *c. Presbyter, diſt. 91.* & penſio cedit loco Beneficii: tamen ſi Beneficium ſit reditûs tenuioris non ſufficientis ad ſuſtentationem poſſeſſoris, ille non tenetur ad recitationem Officii ſolemnis, niſi ſit in Sacris, ex communi Doctorum ſententia, *Riccius deciſ. 387.*

XIII. Et licèt Beneficium requirat reſidentiam, vel Ordinem Sacrum habeat annexum, Penſionarius non tenetur ad reſidentiam, aut promotionem, *Gigas de penſion. q. 30. & 31.* nec tenetur ad onera procurationis quæ debentur Epiſcopo pro viſitatione, *idem Gigas q. 38.* Verùm tenetur ad collectas, quæ debentur Epiſcopo pro charitativo ſubſidio, ad decimas Regias, aliave ſubſidia, pro rata penſionis, *Molin de public. reſign. n. 289. Papon lib. 3. tit 5. n. 2. Gigas q. 26. Rebuff. de pacif. poſſeſſ. n. 220.* ſive penſio ſit in quota, ſive in quantitate, *Papon loco cit.* niſi penſio ſit conſtituta immunis ab illis oneribus in ſpecie deſignatis: nam immunitas expreſſa in genere Penſionarium quidem liberat à ſolitis & ordinariis oneribus, quæ ſingulis annis exiguntur; at non liberat ab inſolitis & extraordinariis, ut eſt charitativum ſubſidium, Regi vel Epiſcopo debitum in caſu neceſſitatis, de quibus in imponenda penſione non fuit cogitatum, ut ſunt caſus inſoliti *l. ſed ſi quis, §. quæſitum, ff. ſi quis cautionibus in Judicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperaverit, Bart. ibidem, Gigas de penſion. q. 66. Maynardus lib. 1. c. 43. & 44.* niſi de iis expreſsè conventum ſit. (*e*)

XIV. Si debitor penſionis conveniatur pro penſione currente, & à Penſionario aliquid ſibi debeatur, non poteſt opponere compenſationem ejus quod ſibi debetur, penſionem debet ſolvere, & quod ſibi debetur petere: nam cùm penſio cedat alimentorum loco, non patitur dilationem, nec compenſationem, *l. 3. C. de compenſat. Gigas de penſion. q. 91.* at ſi conveniatur pro reliquis decurſis, compenſatio admittitur.

XV. Non ſolùm poſſeſſor Beneficii conveniri poteſt pro reliquis à ſe debitis Penſio-

nario, sed etiam pro reliquis antecessoris sui, ut novus possessor vectigalia præteriti temporis præstare tenetur, *l. Imperatores, ff. de publicanis, c. 1. de solut. Gartias 1. parte, c.* 25. At Pensionarius submovetur si contra debitorem nullas diligentias fecerit, *Riccius decis.* 435. & ex aliorum sententia, quæ æquior est, Pensionarius nullam habet actionem pro reliquis pensionis contra novum possessorem Beneficii per obitum, aut per resignationem, nisi in mandato ad resignandum reservata fuerit, nam Pensionarius non habet jus in Beneficio, sed in fructibus Beneficii *Loëtius lit. A. n.* 15. *ex Arrestis, Faber. C. de Sacros. Eccles. def.* 86. & resignatarius nomine proprio non obligatur ad solutionem pensionis donec Beneficium acceptaverit, *Mohedan. tit. de locato, decis.* 295.

XVI. Cæterùm post moram & interpellationem, si possessor Beneficii decreto de solvendo non pareat, privatur Beneficio ipso facto, si clausula regressûs in Litteris apposita fuerit, & concepta verbis privationem denotantibus, & Pensionarius petat privationem declarari: nam si Pensionarius post moram solutionem receperit, ex toto, vel ex parte, pœnam remisisse videtur: & si debitor celeri satisfactione, hoc est, antequàm Pensionarius conquereretur, solutionem obtulerit, purgat moram, & pœnam vitat, *c. potuit, de locatione.* Si verò clausula non importet privationem ipso facto, possessor non censetur privatus ipso facto, sed Judicis Ecclesiastici sententiâ venit privandus: apud nos quibuscumque clausulis præceptum de solvendo & constitutio pensionis sit concepta, nunquam regressus datur Pensionario, nisi debitor contumax Judicis sententiâ privetur; & cùm Beneficio privatur, à reliquis pensionis à se debitis liberatur, quia pœna succedit loco ejus quod interest, *l. apud celsum, §. Labeo, ff. de doli exceptione, Gigas de pensionibus, q.* 75. *& sequent.* Qui timent moras & subterfugia debitoris, quæ solent esse longiora apud Judices Ecclesiæ, ob appellandi licentiam, & delegationes in causa appellationis, judicium condemnationis petunt coram Senatu, juxta Rescriptum Apostolicum pensionis, ut ex mandato Senatûs post terminum solutionis debitor compellatur, & constringatur per captionem bonorum, & sequestrationem fructuum: solent etiam fidejussores Laïci ad majorem securitatem adhiberi; nam in causis civilibus Clerici apud nos possunt renuntiare privilegio Fori.

XVII. Variis modis pensiones hujusmodi extinguntur, *Primò*, morte naturali Pensionarii, sicut ususfructus finitur morte usufructuarii, & cæteræ servitutes personales; Pensio primi anni debetur purè, & pensiones annorum sequentium conditionaliter, si Pensionarius vivat *l. si in singulos, ff. de annuis leg.* Si non sit expressum quâ anni parte pensio solvi debeat, inspicitur caput anni, *l. nec semel, §. 1. ff. quando dies legati cedat,* nisi pensio in certâ specie fructuum consistat; eo enim casu terminus intelligitur quo fructus percipiuntur, *l. Firmio, §. pater, ff. quando dies legati cedat,* nam multa in sermone excipiuntur, *l. si cui ff. de servitutibus.*

XVIII. Annus autem pensionis incipit non à primo Januarii, ut cùm agitur de dividendis fructibus Beneficii inter novum Rectorem, & hæredes defuncti, *Loëtius lit. F. n.* 12. ne Pensionarius qui cessit antè jure suo frustretur: sed incipit, vel ab adepta possessione à resignatario, vel à die intimationis Rescripti pensionis factæ possessori Beneficii, *Rebuff. de pacif. possess. n.* 126. *in additione.*

XIX. Si verò in conventione, vel Rescripto pensionis, dies sit adjecta, vel adjicitur obligationi, & mortuo Pensionario ante diem, non debetur pensio hæredibus illius, ob defectum conditionis non impletæ, mortuo Pensionario ante diem, *Rebuff. de pacif. possess. n.* 130. vel dies adjicitur differendæ solutionis gratiâ, ne possessor Beneficii initio sui ingressûs fructibus nondùm perceptis, aut reditibus exactis, ad solutionem urgeatur: & eo casu, mortuo Pensionario ante terminum solutionis, pensio debetur hæredibus illius, pro rata temporis ejusdem anni quo vixit; & integra debetur, si post terminum mortuus fuerit, *Gigas de pension.* Et si pensio divisa sit in duas solutiones per semestria, mortuo Pensionario post primum semestre, pensio illius semestris integra debetur hæredibus; pensio verò alterius semestris debetur pro rata temporis quo pensionarius vixit in illo semestri: at si dies non sit adjecta initio cujuslibet anni, cedit dies, & venit, & pensio integra debetur hæredibus pensionarii totius anni, tametsi ante finem anni obierit, ut dicitur de legatis annuis *in l. à vobis, l. in singulos, & l. filiæ meæ, ff. de annuis leg.*

XX. *Secundò*, pensio finitur capitis diminutione, si Pensionarius degradetur: alia enim ratio est harum pensionum à pensione temporali alimentaria: nam pensio temporalis etiam deportatis relinquitur, & non perit capitis diminutione, *l. is qui, ff. de alim.*

& cibariis legatis : hæ verò pensiones quæ loco Beneficii subrogantur, spiritualis (*f*) sunt, Laïcis non constituuntur, nec Clericis irregularibus (*g*) *Navarrus cons. 63. de simonia, Garcias 1. parte, q. 5.* Degradatione tolluntur, *Gigas de pensionib. c. 13. & 16.* & non restituuntur, tametsi degradatus aut capite minutus fuerit restitutus, & rehabilitatus ; nam restitutio non tollit jus quæsitum possessori per consolidationem, aut liberationem, *l. quod si minor*, §. *Scævola, ff. de minorib. l finali, C. de sentent. pass.* ut nuper judicatum fuit in causa Sacerdotis qui ad triremes damnatus Pensionem quam obtinuerat super Vicaria loci de Gardane amiserat, & à Principe in integrum restitutus & à Papa rehabilitatus, Judicio Senatûs à petitione solutionis pensionis quam intenderat contra possessorem Beneficii submotus est.

XXI. *Tertiò*, per delictum hæresis, *c. ad abolendam, de Hæreticis*, Læsæ-Mejestatis, aut Sedis Apostolicæ, *c. fœlicis, de pœnis, in 6.* si quis percusserit Cardinalem, *d. c. fœlicis*, aut Episcopum in cujus Diœcesi pensionem habebat, *Clement. 1. de pœnis.* Per cætera delicta simoniæ, aut confidentiæ, (*h*) pensio non simoniacè adepta non extinguitur. Sic homicida non meretur pensionem, tamen pensionem retinet ante homicidium obtentam, *Riccius in Praxi irregularitatis, decis.* 524. ex sententia Theologorum & Jureconsultorum quos citat.

XXII. *Quartò*, Pensio extinguitur per matrimonium, aut professionem Religionis in Ordine Mendicantium, *Gigas de pensionib. q. 54. & 57. Garcias 1. parte, c. 5.* At licèt Beneficium vacet per adeptionem Episcopatûs, pensio non finitur (*i*) quia nomine Beneficii non comprehenditur simplex pensio : & si Clericus pensionem habens hujusmodi in Beneficio sæculari ; in Religionem non Mendicantium ingressus sit, in quâ Beneficia possidere & pensiones habere licet, eam non amittit (*k*) ob eandem rationem, quamvis in illo statu Beneficia sæcularia in titulum aut pensionem in illis acquirere non possit : amittit autem si profiteatur Religionem Mendicantium, ob votum paupertatis.

XXIII. *Quintò*, pensio finitur consolidatione, si pensionarius idem Beneficium adipiscatur, nam res sua nemini servit, *l. uti frui, ff. usufructuarius quemadmodum caveat.* Et quamvis idem Beneficium dimittat, pensio ei non redintegratur, si illud Beneficium pacificè possederit, & sponte dimiserit, quia dum Beneficium acquisivit, absolutè & irrevocabiliter pensionem amisit, ut dicitur de usufructu *in l. si tibi fundi, ff. quibus modis ususfructus amittatur.* At si Beneficium evincatur sine dolo & culpâ illius, pensio non videtur extincta, *Gigas de pensionib. q. 49.* & Pensionario redintegratur, sicut actiones activæ restituuntur hæredi hæreditate evicta, quæ per aditionem confusione periisse videbantur, *l. debitor ff. ad Trebellianum.*

XXIV. *Sextò*, Pensio finitur liberato possessore Beneficii, interposita Papæ authoritate : alteri verò pensio cedi non potest, quoad Jus, quod personale est, licèt commoditas pensionis, seu solutio, post lapsum termini, vel ante, à Pensionario dùm vivit alteri cedi possit, ut de usufructu dicitur *in l. arboribus, ff. de usufructu.* Sine Papæ authoritate, pensioni ejusdem authoritate constitutæ renuntiare non licet, sive renuntiatio fiat gratis, sive aliquo dato, vel promisso : nam si gratis fiat, authoritas Superioris requiritur (*l*) quia pensio cedit alimentorum loco, & de futuris alimentis sine authoritate Superioris transigere non licet, *l. de his, ff. de transact.* Si aliquo dato vel promisso fiat, authoritas Papæ requiritur, ob metum simoniæ ; & quia plerumque prætextu pensionis mox certa pecunia redimendæ in resignatione Beneficii simonia committitur, occasio delinquendi sic coërcetur, ne possessor Beneficii pensionis debitor ampliùs possit pro luitione pensionis solvere, aut promittere Pensionario, quàm quòd ille ex quinque (*m*) pensitationibus annuis redigere potest ; ut si pensio sit centum librarum, pretium luitionis sortis non potest excedere quingentas libras ; & difficilè admittitur conventio inita inter debitorem & Pensionarium, nisi post triennium (*n*) à constitutione pensionis elapsum, ex stylo Curiæ.

XXV. *Septimò*, translatio pensionis de Beneficio onerato in aliud Beneficium debitoris, authoritate Summi Pontificis fieri potest, aut de Pensionario in gratiam alterius ex consensu Pensionarii, *Garcias parte 1. c. 5.* Verùm postremum illud genus quo pensio transfertur in alium jus non habentem in Beneficio, apud nos non admittitur, & Pensionarius jus pensionis alteri cedere non potest.

XXVI. *Octavò*, pensio extinguitur vel minuitur interitu rei, si jura aut prædia Ecclesiæ evicta sint, vel incendio, ruina aut inundatione perierint, & aucto reditu Ecclesiæ

pensio

pensio redintegratur, ut de censu emphyteuticario dicitur *in l.* 1. *c. de jure emphyteutico*, *Rebuff. de pacif. possess. n.* 123.

XXVII. *Ultimò*, remissio pensionis ob easdem causas propter quas fit remissio mercedis in locatione, si calamitosa tempestas in fructibus acciderit, *l. licet, & l. ex conducto, ff. de locatione*, habitâ ratione non mercedis conventæ inter possessorem Beneficii, & Colonum, sed justæ mercedis, quæ in ineundâ ratione pensionis spectanda est.

XXVIII. Cùm Verò possessor Beneficii privatur fructibus, excommunicatione, aut suspensione, Ecclesia cui fructus applicantur pensionem solvere tenetur, ut cætera onera fructuum, *l. si proponis, C. de bonis proscriptorum, l. penult. C. de sentent. passis & restitutis, l. unica, c. pœnis fiscalibus creditores præferri*: nam quibuscumque clausulis pensio constituatur, nunquàm Papa præsumitur voluisse obligare possessorem Beneficii ut solvat de suo, *Riccius in Praxi, decis.* 434. *Gracias* 1. *parte, c.* 5. *n.* 226.

XXIX. At si possessor Beneficii resignet, liberatur à pensione: nam pensio est onus impositum rei, non personæ; tamen adhuc tenetur, & conveniri potest ad solutionem, donec ostenderit resignatarium acceptasse Beneficium, *Mohed. de locat. Dec.* 295.

SOLIER.

(*a*) Tantum abest quòd pensio super fructibus Beneficii Clerico assignata etiam ex causa resignationis sit spiritualis, ut ne quidem rei spirituali sit annexa: quia ut quid annexum spirituali dici possit requiritur, ut ei sit intimum & adeò permistum ut separari nequeat absque sui destructione, sed in eo recipiatur, & vivat veluti forma in subjecto, ut omnium optimè deducit in terminis *Lotter. de Benefic. lib.* 3. *q.* 29. *n.* 78. *& seqq.* dando exemplum in Jure Patronatûs; undè ait sola jura incorporalia hujus mixtionis seu annexionis spiritualis esse capacia. Sed pensio quamvis sit jus incorporeum, quia tamen non est intima Beneficio, sed tantùm contigua & cohæsiva, Beneficio non insidet sed fructibus Beneficii, nec extinguitur, sed durat Beneficio per unionem vel suppressionem extincto, consequens est pensionem hujusmodi esse quid merè temporale & profanum ab omni spiritualitate prorsus alienum, *Panorm. in cap. Ad audientiam de rescript. dixi plenè ad Flamin. de resign. lib.* 6. *q.* 4.

(*b*) Hodiè apud nos ut pensio admitti possit in Beneficiis curatis & quibuscumque Præbendis cujusvis sint reditûs Pensionarii debent Beneficio per quindecim annos uti ejus possessores inserviisse, & Beneficiato trecentarum librarum summa ab oneribus libera supersesse, oblationibus & manualibus distributionibus non imputatis, ut duplici Regia declaratione nuper edita fuit stabilitum.

(*c*) Idem in tertio casu vult *Molin. in cap.* 3. *de colluss. detegend. per textum in cap. Nisi essent, de Præb.* Sed hæc vetus Jurisprudentia jamdiu exolevit, ita ut in nullo casu (exceptis de quibus dixi suprà *tit. Proximò littera F*,) liceat hodie Ordinariis pensiones creare Beneficiales.

(*d*) Pensio ex simplici cessione juris est admodum de fraude suspecta, & ideo multùm est invigilandum, *cap. Audivimus, de colluss. deteg.* Et Pensionarius tenetur, si non justificare, saltem docere de aliquo jure cessibili, *Lotter. de re Benefic. lib.* 1. *q.* 35. *n.* 48. *&* 49.

(*e*) Hoc non est perpetuò verum, nam Pensionarius tenetur in Gallia pro rata pensionis ad donum Regium, quod gratuitum vocant, licèt aliud partes convenerint, quia Rex cum Clero Gallicano contrahens huic privatorum conventioni expressè derogat.

(*f*) Sunt Ecclesiasticæ non spirituales, per ea quæ supra *hoc tit. litt. A*, diximus.

(*g*) Clericus enim, qui non habet Clericatum exequibilem, non est capax pensionis, *Lotter de re Benefic. lib.* 1. *q.* 36. *n.* 21. *contra Navar. Consil.* 11. *de temp. ordin.*

(*h*) Imò Confidentiarii privantur ipso jure non solùm omnibus ante confidentiam Canonicè obtentis Beneficiis, sed etiam omnibus fructuum reservationibus, & pensionibus etiam antea sibi legitimè concessis, aliisque rebus Ecclesiasticis, ut est expressum in Constitutione Pii V. contra confidentiarios, §. *Sed ne quisquam, & ibi Flam. de confid. q.* 59. *n.* 60.

(*i*) Ita judicatum in Senatu Parisiensi die 14. Januarii 1661. refert *Dufresne* in suo causarum Diario, *lib.* 4. *cap.* 2. *& notatur in nova additione ad Lovet. litt. P. cap.* 30. contra communem Scribentium sententiam & stylum Romanæ Curiæ, *Gigas de pensionib. q.* 56. *Caputaquen. decis.* 304. *p.* 2. *Flamin. de resignat. lib.* 6. *q.* 2. *n.* 121. His adde à nobis dicenda infra *hoc lib. tit.* 14. *litt. B.*

(*k*) Contrarium est verius, *Gigas de pensionibus, q.* 57. quia per professionem cujusvis Ordinis vacant Beneficia, & conferri possunt, *cap. Beneficium, de regul. in* 6. *& ibi DD.* Pensio autem iisdem modis amittitur quibus Beneficium, *Flamin. de resig. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 13. tum verbum Beneficium positum *in d. cap.* intelligitur largè de quocumque Beneficio, *Joan. And. & Philipp. Franchus ibid.* & sic de pensione quæ venit appellatione Beneficii latè sumpto vocabulo, *Gigas d. q.* 57. sententia tamen Authoris procedere potest in pensionibus aliis ab Ecclesiasticis seu Beneficialibus per ea, quæ tradit post alios, quos citat *Fevret. de abusu, lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 38.

(*l*) Ad hæc cum aliàs magister Raymundus Lambert reservatarius ex causa resignationis tertiæ partis fructuum Parrochialis Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Projan Auxitan. Diœcesis reservationi hujusmodi proprio scripto inconsulto Papa gratis renuntiasset, post aliquot annos sopitam pensionem lite suscitavit adversus Samuelem Thausia per renuntiationem Resignatarii ab Ordinario de eadem Ecclesia provisum, Senatusconsulto Tolosano desuper lato die ultima Augusti 1644. in prima inquæstarum classe, relatore Domino Lebrun, & M. de Boissiere scribente,

qui ista, ut & alia, mihi variæ ejus & summæ eruditionis observantissimo benevolè credidit; cumque postmodùm Joannes Tinerage per obitum memorati Samuelis in Beneficio successor, decretum hoc per viam oppositionis labefactare tentasset, stare jussit Senatus posthabitâ oppositione altero decreto in publicis causarum actionibus prolato die 9. Augusti 1659. quamvis per plures annos ab abdicata pensione præfatus Raymundus tacuisset, haberetque abundè in Beneficiis unde viveret & uterque possessor, qui succubuit per puram renuntiationem vel obitum viâ ordinariâ fuisset provisus. Ratio judicati duplex est: prima quia, ut ait Author pensio cedit loco alimentorum quibus renuntiari non potest absque Judicis authoritate, *L. Cum hi, in princ. ff. de transact. L. Alimentis, Cod. eod. tit.* altera est ut vitentur fraudes, & arceatur simoniæ occasio. Doctores tamen communiter tenent, pensionem posse gratis remitti per Pensionarium absque authoritate superioris, *Gomes. ad Regul. de infirm. q. 16. Corras. p. 1. cap. 4. n. 4. Flamin. Paris. de resign. lib. 6. q. 2. n. 123. Gigas de pensionib. q. 64. & alii, quos citat & sequitur Garcias, de Benefic. p. 1. cap. 5. n. 39.*

(*m*) Imò sex vel etiam septem annorum solutio pensionis potest licitè anticipari ad effectum cassationis authorante Papa, *Tournet. litt. P, n. 93.*

(*n*) Nullam unquam in prosequenda cassatione pensionis ex brevitate temporis ab ejus creatione effluxi, fuimus in Romana Curia experti difficultatem, nec solet id tempus exprimi, nec expressio desiderari.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 4. IN *solis distributionibus, pensio non admittitur.* Pensio super quotidianis distributionibus non potest constitui, quia pensio est solvenda ex fructibus Beneficii, quotidianæ verò distributiones non computantur inter fructus, neque in valore Beneficii, cum sint merces quotidiani Laboris, juxta notata *in cap. unic. de Cleric. non resident. in 6.* quapropter licèt studium Theologiæ sit aliàs privilegiatum in fructibus in absentia percipiendis, tamen quotidianæ distributiones non debentur: sed quid dicendum quando ultrà quotidianas distributiones sunt alii reditus communes, qui dividuntur inter eos qui intersunt certis temporibus, an super istis posset constitui pensio? Respondetur negativè nam ubicumque requiritur certum servitium ad consequendum fructus; super illis non potest constitui pensio, quia non imputantur in fructibus, quod videntur tenere Doctores, *in cap. Dilectus & in cap. Licèt, de Præb. & in cap. Tuæ de Cleric. non resid.* & est ratio: quia si dantur tales fructus pro servitio certi diei vel horæ, dicuntur merces illius diei, sicut aliæ distributiones dicuntur merces quotidiani Laboris, nam idem jus de parte, quod de toto *L. Quæ de tota, ff. de rei vindicatione, Gambar. de offic. legat. lib. 6. n. 23.*

N. 4. *Sine consensu Patroni pensio constitui non potest.* Imo in reservatione pensionis debet fieri mentio Juris Patronatûs Laïci, aliàs reservatio esset subreptitia, & nulla, quia quando tacetur illud, quo expresso Papa gratiam non fecisset, vel saltem difficiliùs: Difficiliùs autem Papa gravat Beneficia Juris Patronatûs Laïci, quàm alia, nam si Patronus egeat alendus est de fructibus Beneficii Patronati, & per Innocentium & alios *in cap. Nobis, de jure Patr.* secùs est si Jus Patronatûs sit Ecclesiasticum, quia nedum Papa, sed etiam legatus potest hujusmodi Beneficia conferre tacito Jure Patronatûs Clericorum, *cap. Cum dilectus, de jure Patr.*

N. 10. *Debet adire Papam, qui reservationem pensionis cum jure pignoris ad sui vitam confirmet.* Papa nunquàm concedit confirmationem pensionis, nec collationis Ordinarii, nam si reservatio pensionis, aut collatio tenet, non indiget Apostolicâ confirmatione *L. unica, Cod. de thesauris,* si non tenet, non vult Papa eam approbando vel confirmando quodammodo occasionem dare, ut imposterum perperam faciant Ordinarii, iniquas provisiones Beneficiorum, vel novas pensionis reservationes, & propterea concedit tantùm novas provisiones, & novas pensionum reservationes, licèt negari non possit, quòd nova provisio sit quædam confirmatio, saltem in effectu, ut dicit *Puteus, lib. 1. decis. 308. n. 2. & Gonzal. ad regulam 8. Gloss. 5. §. 5. n. 30.*

TITULUS XIII.

De Concordatis.

SUMMARIUM.

I. Quid est Concordatum?
II. Concordatum sine placito Papæ non valet.
III. Concordati justæ conditiones.
IV. Concordatum non valet donec fuerit confirmatum.
V. Concordatum confirmatum in forma communi non obligat successores.
VI. VII. & VIII. Quibus modis Concordatum solvatur. Arrestum.
IX. & X. Concordatum solvitur per rescisionem, aut restitutionem in integrum, vel appellationem ab abusu.
XI. Rescisio Concordati apud quem petenda sit.

I. PENSIONES Concordatis reservari interdùm, suprà diximus: quare non erit alienum à nostro instituto, in quo nobis proposuimus totam materiam Beneficiariam breviter complecti, juxta desiderium Clericorum, cæterorumque supellectilem ne-

cessariam Librorum non habentium, de Concordatis agere. Concordatum est transactio de re spirituali aut mixta, dubia, & litigiosa, quâ alter cedit, aut renuntiat juri suo, in gratiam alterius qui pensionem ob eam causam, à cedente vel renuntiante sibi reservatam, vel sumptus litis, aut Bullarum expensas, vel æs contractum nomine Beneficii, se soluturum promittit.

II. Conventiones hujusmodi apud Ordinarium vel Legatum fieri non possunt: nam omnis pactio de re spirituali, vel mixta, redolet simoniam, (*a*) & Jure prohibetur, *c. cùm pridem, de pactis*, & Legatus non potest dispensare in iis quæ Jure prohibita sunt, nisi eam facultatem habeat in mandatis: at Summus Pontifex potest prohibitionem Juris tollere, aut limitare, & facere licitum quod ob prohibitionem Juris est illicitum, *c. cùm pridem, juxta l. furti, ff. de his qui notantur infamiâ.*

III. Ea verò conventio solet approbari quæ fit promissione honestâ pro jure quæsito: nam si promissio sit contra bonos mores, aut fiat pro jure quærendo, nominatione, vel præsentatione ad Beneficium, conventio non admittitur in Curia; & si admittatur, appellatur ab executione Rescripti tanquàm ab abusu. Censetur autem honesta promissio quæ fit de sumptibus litis moderatis, aut Bullarum expensis, aut ære contracto nomine Beneficii, aut de certa pensione annua à cedente retenta pro bono pacis, ut constat ex supradictis de permutatione, & pensione, & conditionibus in resignatione appositis.

IV. Quamobrem nulla in judiciis harum conventionum ratio habenda est, donec eæ à Papa fuerint approbatæ, (*b*) ut solemni Decreto Senatum Parisiensem statuisse refert Dominus Loëtius optimus Author, *in litt. C. n.* 40. nec pensio nec pecunia (*c*) promissa ante approbationem factam Rescripto Apostolico solvi potest, *Gigas de pensionib. q.* 34. pecuniam promissam penes Actuarium, aliumve sequestrum, ex consensu partium licet deponere, à quo cedens justum valorem sumptuum possit recipere, juxta modum taxandum à Commissario qui fuerit Rescripto confirmatario Concordati delegatus, quo depositio res non redintegratur.

V. Concordatum confirmatum à Papa, vel à Principe, aut Senatu, cum cognitione causæ, visis actis, & partibus auditis per se, vel suos Procuratores, obligat successores, *c. veniens, de transactionib. Rota decis.* 230. Quod verò confirmatur sine cognitione causæ, obligat quidem contrahentes, & eorum hæredes, vi stipulationum: at non obligat successores eorum in munere vel officio, ne ex facto illorum deterior fiat conditio successorum, *d. c. veniens*, nisi usu & consuetudine centenariâ in muneribus publicis illud præscriptum sit.

VI. Variis autem modis Concordatum soluitur: *Primò*, communi partium consensu, si Rescripto Apostolico nondùm confirmatum sit: nam post Placitum confirmationis obtentum, ab eo sine novo Rescripto resilire non licet. At quæri solet, an ante placitum obtentum liceat alteri altero invito à Concordato recedere, nam à Concordatis quæ fiunt de re temporali sub beneplacito Curiæ sæcularis, ante Placitum Curiæ non licet recedere, ut constat ex Placitis Senatûs Parisiensis, apud Joannem Gallum *q.* 210. Sed diversa est ratio Concordatorum quæ fiunt de re spirituali, aut mixtâ: nam quæ fiunt de re temporali, solo placito & consensu partium firmantur, & Placitum Curiæ non desideratur per modum conditionis, sed per modum solemnitatis extrinsecæ ad roborandum actum, nisi aliud constet de mente contrahentium: sed Concordata de re spirituali, aut mixtâ, facta sub beneplacito Papæ, conditionalia sunt, si Papæ placuerint; & imperfecta, donec à Papa fuerint approbata: ideòque ante placitum obtentum alter altero invito à Concordato potest recedere, quamvis jam Procuratorem constituerit ad consentiendum in Curiâ, & clausulam de non revocando in mandato apposuerit, quæ clausula adversatur mandato, & pro non adjectâ habenda est, *l. Cùm precarium, ff. de precario*, modò revocatio mandati fiat tempestivè, & intimetur parti, ut diximus suprà de revocatione mandati ex causa permutationis, quo casu sumptus alteri præstari debent, quos fecit ante intimationem, *l. Si pecuniam, ff. de condict. causa data causa non secuta*: & ex novo Edicto *du Contrôlle, art.* 7. *&* 9. & alio Edicto modificativo anni 1647. mandata quæ fiunt ad consentiendum unioni, aut dissolutioni unionis, creationi vel extinctioni pensionis annotanda sunt apud Actuarium intra mensem ab intimatione Rescripti numerandum, aliter nulla declarantur, & fidem nullam faciunt in Judicio.

VII. *Secundò*, Concordatum solvitur conditionis defectu, si à Papa rejiciatur (*d*) aut intra certum tempus non approbetur, si clausula resolutoria fuerit adjecta; ut si intra

tempus deſignatum approbatum non fuerit, nullius momenti ſit: ſi verò certum tempus non ſit adjectum, finito mandato aut morte Procuratoris conſtituti ad conſentiendum, vel anni lapſu (his enim modis mandata hujuſmodi finiri ſuprà diximus *lib. 3. tit. 6.*) concordatum durare creditur: & alter ad poſtulationem alterius, de novo mandare tenetur, ad conſentiendum approbationi, niſi malit Concordatum ſolvi.

VIII. *Tertiò*, Concordatum finitur morte naturali aut civili alterius, antequàm illud à Papa fuerit approbatum; utroque enim modo poteſtas Procuratoris qui debet conſentire, expirat. Unde ſi penſio fuerit reſervata in concordiâ, mortuo reſignatario ante homologationem, reſignans non poteſt petere confirmationem, quia mandatum reſignatarii eſt finitum, ut judicatum fuit in hâc Patriâ, *Arreſto Aprilis, anno 1622.*

IX. *Quartò*, officio Judicis, reſtitutione in integrum, ſi cauſa juſta ſit, vel appellatione emiſsâ ab executione Reſcripti Apoſtolici tanquàm ab abuſu, ſi Concordatum illud ſit contra bonos mores, Conſtitutiones Regni, & Concordata; quo caſu idem ipſe qui conſenſit admittitur ad appellandum, ob publicam utilitatem.

X. *Quintò*, Concordatum ſolvitur ſi Beneficium de quo agebatur ab alio fuerit evictum, ſine dolo aut culpâ promiſſoris.

XI. In quibus caſibus, ſive Concordatum dicatur nullum, ſive reſcindi petatur, cognitio eſt Judicis Eccleſiaſtici, *Faber C. de Juriſd. omn. Judicum, def. 4.* etiamſi Litteris Regiis, Reſciſionis, aut reſtitutionis, Judex Regius fuerit delegatus, niſi per appellationem tanquàm ab abuſu cognitio cauſæ ad Senatum fuerit devoluta.

SOLIER.

(*a*) Si tamen ille, cui debebat cedi Beneficium vigore concordiæ reperiatur in poſſeſſione & non conſtet de beneplacito Papæ, ex hoc non præſumitur ſimonia, *Flamin. de confid. q. 40. n. 60.*

(*b*) Ut autem ex confirmatione Apoſtolica pacta hujuſmodi circa Beneficialia labe ſimoniæ expurgentur, duo requiruntur; primò ut non ſolùm reſervetur ſed omnino obtineatur beneplacitum Papæ; alterum ut nihil poſſit videri contra Papæ mentem extortum, ſed fuiſſe omnia bene explicata, ita ut non ſufficiat narrare aliqua pacta illicita ſi magis illicita taceantur, nec poteſt prætendi eorum narrativam ſuppleri ex clauſula relativa ad inſtrumentum Concordiæ cum clauſula *quorum tenores*, quia non trahitur ad majora expreſſis, *Lotter. de re Benefic. lib. 3. q. 23. n. 177.*

(*c*) Nihilominus ut Concordia fiat & recedatur à lite, licèt ratione expenſarum aliquid detur, ſimoniacum non dicitur, *Gomeſ. ad Regul. de annali poſſ. q. 2. circa medium, pag. mihi 488.*

(*d*) In totum vel pro parte, nam ſi aliqua clauſula fuerit cancellata, aut conditio vel modus rejecti, ſub quibus, & non aliter, partes concordare voluerunt, licèt in reliquis ſit ſupplicatio ſignata, evaneſcit tota Concordia ex defectu conſenſûs contrahentium, *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. Gloſſ. 12. n. 86.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 4. DONEC *à Papa fuerint approbata.* Tractatus permittuntur inter partes, ſed pactio firma prohibetur, *cap. finali, de pactis*, & ſic hujuſmodi tractatus Beneficiales, etiam permutationum, & aliarum liberè ab altera ſola parte ante homologationem, vel expeditionem Superioris revocari poſſunt, ſervatâ formâ *Clem. unic. de renunt.* quia ante Superioris approbationem non ſunt niſi tractatus, *Molin. ad Decium, Conſil. 141.* Porro tranſactiones omnes ſuper Beneficio Eccleſiaſtico ſpeciem continent ſimoniæ, *cap. Super, cap. Conſtitutus, de tranſact.* & generaliter omnis conventio in reſignatione, & collatione Beneficii reprobatur, & dicitur ſimoniam inducere, *cap. Quam pio 1. q. 2.* permutationes approbat Ordinarius ex poteſtate ſibi facta Concilio Turonenſi, *cap. Quæſitum, de rerum permutatione*, tranſactiones autem ſolus Papa quia habet plenitudinem poteſtatis, & poteſt ſupra Jus diſpenſare, *cap. Propoſuit, de conceſſ. Præb.* cum ſimonia in Beneficiis ſit prohibita ex conſtitutione Eccleſiæ, & dicitur ſimonia, quia prohibita, ſecus eſt inprohibita, quia ſimonia, id eſt, jure divino inducta, *Panormitan. in cap. 1. Ne Prælati vices ſuas*, quamvis Archidiaconus *in cap. Si quis pecunia, diſt. 70.* dicat indiſtinctè, quod ſimonia in Curia locum non habet, ſicut Lex Julia de ambitu ceſſat in urbe, *L. unica, ff. Ad Legem Juliam, de ambitu.*

N. 5. *Confirmatum à Papa, vel à Principe, aut Senatu.* Tranſactio ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, vel alia re ſpirituali, de qua litigatur, neque privato partium conſenſu, neque Judicis ſeu Superioris authoritate fieri poteſt, ita ut pro re ſeu jure ſpirituali retento, vel accepto viciſſim detur, remittatur vel promittatur aliquid temporale, nam talis conventio, ſeu reciproca promiſſio & obligatio ſimoniaca eſt, ut conſtat *ex cap. ult. de rerum permut. & ex cap. Super eo, de tranſact. Pyrrhing. eod. tit. n. 19.*

N. 6. *Sumptus alteri præſtari debent.* Æquum videtur revocantem ad impenſas per alterum ex cauſa concordiæ expoſitas teneri, *Argum. L. Si pecuniam, ff. de condit. cauſâ datâ cauſâ non ſecutâ*, & tenet *Gonzalez Gloſſ. 12. n. 83.* ſed hæc opinio non placet *Garcias part. 2. cap. ult. n. 239.* nam cùm recedens ſuo jure utatur, non tenetur ad ſumptus alterius partis, nec obeſt, inquit, *dicta Lex Si pecuniam* quia loquitur de contractu inno-

minato. Idem sentit *Sanchez de matrimonio, lib. 5. n. 33.* & probans sententiam probabiliorem ait non teneri resilientem reficere expensas alteri, sed quemlibet suam partem soluturum, cùm sit onus commune, nec posse alterum conqueri, cùm similiter posset ipse resilire absque expensarum solutione, & dissimilem asserit casum *dictæ Legis Si pecunia*, quia in eo casu non est æqualis contrahentium conditio, qui enim pecunias dedit potest resilire, accipiens vero minimè, sed potest cogi, *ut notat Gloss. in ead. Lege.*

Eodem N. 6. *annotanda sunt.* Jam supra monuimus annotationem seu contrarotulationem hanc non requiri in ditione Senatûs Tolosani.

N. 11. *Cognitio est Judicis Ecclesiastici.* Hoc nos titulo præcedenti negavimus inspecto jure Gallico.

TITULUS XIV.

De Tacita Renuntiatione, per Matrimonium, & Adeptionem Episcopatûs.

SUMMARIUM.

I. & II. Per matrimonium renuntiatur Beneficio.
III. Per matrimonium ratum Beneficium vacat.
IV. V. & VI. Beneficia vacant per adeptionem Episcopatûs.

I. TACITA renuntiatione in certis casibus Beneficia vacant ipso Jure, & ipso facto. *Primus* est, si Clericus habens Beneficium matrimonium contraxerit: nam Sacerdotium cum matrimonio retineri non potest, juxta mores antiquos Romanorum, *l. vitricus, ff. de donat. inter vir. & ux.* electoque statu conjugali Clericus renuntiasse videtur Beneficio, *c. 1. c. diversis, c. cùm decorem, de Clericis conjugatis*, quia ut ait Pontifex *in d. c. diversis*, cythara cum Psalterio malè concordat, ubi per Cytharam intelligit vitam Laïcalem, & per Psalterium vitam Clericalem.

II. Nec obstat quòd in dictis Constitutionibus dicatur Clericos qui duxerint uxores esse compellendos ad Beneficia dimittenda: id enim de dimittenda possessione intelligitur, non de dimittendo Beneficio, cui ipso facto ducendo uxorem tacitè Clericus renuntiat, & post illam tacitam renuntiationem ampliùs renuntiare non potest, ut probatur *ex c. Litteras, & c. cùm nostra, de concessione Præbend.*

III. Hoc jure Beneficia vacant, sive matrimonium sit consummatum, sive non, etiam si uxor in domum mariti nondùm deducta sit, vel mutato proposito in Religionem ingressa fuerit, & Clerico remanenti in sæculo ad Beneficium redire non licèt, *Panormit. in d. c. Cum nostris.* At per sponsalia de futuro, aut per matrimonium invalidum, Beneficia non vacant ipso jure: nam Constitutiones suprà allegatæ loquuntur de matrimonio, & de matrimonio rato & valido intelliguntur: unde si matrimonium nondùm contractum fuerit coram Parrocho, & duobus testibus, juxta formam Concilii Tridentini; vel si ob aliquod Juris impedimentum reperiatur nullum, Beneficium non censetur vacare ipso jure, *Molineus de publicandis resignat. n. 389. Garcias parte* II. *c.* 81. quoniam in pœnalibus verba cum effectu sunt intelligenda: tamen in istis casibus Judicis sententiâ Clericus privandus est Beneficio, ob suspicionem incontinentiæ, & Ordini illatam injuriam, ex eorumdem sententiâ: ex aliorum sententiâ, licèt matrimonium sit nullum ob aliquod Juris impedimentum, Beneficium ipso jure vacat, & ipso facto, (*a*) *Rota decis.* 103. *in antiquis, Rebuff. de pacif. possess. n.* 187. *Riccius decis.* 240. quam justam esse arbitrarer si matrimonium fuerit consummatum; nedùm ob injuriam Ordini illatam, & mulieri, sed ob scandalum, cùm sit manifestum per talem actum Clericum Beneficio renuntiare voluisse.

IV. Secundus casus est *in c. Cùm in cunctis*, §. *Cùm verò, de electione*, ubi dicitur quòd si Clericus habens Beneficium in Episcopum electus fuerit, ejusque electio fuerit confirmata, & is bonorum Ecclesiæ administrationem assecutus sit, decurso tempore de consecrandis Episcopis à Canonibus definito, is ad quem spectat collatio Beneficiorum quæ Episcopus habebat, de illis liberam habet disponendi facultatem: quod de Beneficiis cujuscumque generis intelligitur, sive sint Dignitates, aut Beneficia Curata, aut simplicia, sive in titulum, sive in Commendam concessa sint. Idem de pensionibus ipsis quæ habentur loco Beneficii dimissi intelligendum putat, *Garcias parte* II. *c. 6. & Gigas de pensionib. q. 56.* Verùm pensiones non veniunt nomine Beneficii, & Constitutiones suprà allegatæ de Beneficiis solùm loquuntur, non de pensionibus. (*b*)

V. Eodem jure Beneficia Abbatis poſt confirmationem & adeptam pacificam poſſeſſionem vacant, quamvis is nondum fuerit benedictus, *Decius in d. c. Cùm in cunctis*, *Oldradus conſ.* 14. Idem dicitur de eo qui ad Dignitatem Cardinalatûs (*c*) electus eſt, *Marcus* 1. *parte*, *q.* 1345.

VI. Excuſatur autem eiſdem Conſtitutionibus Epiſcopus, ſi nondùm poſſeſſionem pacificam bonorum Eccleſiæ in quam electus eſt fuerit adeptus aut ſaltem majoris partis eorumdem bonorum, ob motam controverſiam de eiſdem bonis, in judicio, vel extra; aut ſi nondum ſit conſecratus, modò non ſit in morâ petendi conſecrationem: cenſetur enim eſſe in mora poſt trimeſtre elapſum à confirmatione, ſi nullum fuerit legitimum impedimentum, *c. Ordinationes*, *d.* 75. *& c. Quoniam quidam*, *d.* 100. Excuſatur etiam ſi à Papa fuerit diſpenſatus ad retinenda Beneficia, *Gloſſ. in c. Si quis* 21. *q.* 2. Idem de Abbatibus (*d*) & Cardinalibus dici poteſt: quod de Abbate diximus, locum habet ſive ſit proviſus in titulum, ſive in Commendam ad vitam: nam talis Commenda æquiparatur titulo in multis, ſecùs ſi ad tempus Commenda ſit.

SOLIER.

(*a*) Veluti ſi contrahens fuerit ſacris initiatus vel conſanguineam duxerit, vel non ſervatâ formâ Concilii Trident. non enim decet ut ſtultus melioris, quàm peritus conditionis exiſtat, *cap. Eum qui*, *de Præb. in 6.* & nemo de improbitate ſua conſequitur actionem, *L. Itaque fullo*, *§.* 1. *ff. de furtis.*

(*b*) Quia privatio imponenda non eſt niſi in caſibus à jure expreſſis, *Gloſſ. notabilis in cap. ult. de jure Patr. & in cap. Cum vox*, *in verb. Minùs idoneæ*, *in fine de offic. ordin. & in Clem.* 2. *in verb. Suſpenſus*, *de vita & honeſt. Cleric. text. in §. Cum igitur in Auth. de non elig. ſecund. nub. ibi: Nec eſt lex aliquid tale dicens.* His motivis idem quod Author noſter in ſubjecta quæſtione tenet *Hoieda de incompat. Benef. p.* 1. *cap.* 4. *n.* 5. *vid. à nobis dicta ſupra hoc lib. tit.* 12. *litt. I.*

(*c*) Per promotionem ad Cardinalatum vacant indiſtinctè omnia Beneficia Curata, Dignitates, & Officia *per cap. de multa*, *de Præb.* ut reſolvit *Panorm. in cap. Eccleſia veſtra*, non autem Beneficia ſimplicia, *Hoieda*, *de incompat. Benefic. p.* 1. *cap.* 2. *n.* 15. quia de his non loquitur Capitulum *de multa*, ſed poſſunt ſimul retineri cum Cardinalatu etiamſi reſidentiam requirant ut in *d. cap. Eccleſia veſtra*, quia is qui in ſervitio Romani Pontificis eſt, à reſidentia excuſatur, *cap. Cum dilectus*, *cap. Ad audientiam & cap. de cætero*, *de Cleric. non reſid.* imo poſtquam quis fuerit creatus Cardinalis poterunt eidem prædicta Beneficia ſimplicia conferri, non tamen ea quæ reſidentiam requirunt, nam hæc conferenda non ſunt eis qui reſidere non poſſunt, *cap. Quia nonnulli*, *cap. Relatum & cap. Cum ad hoc*, *d. tit.* Et hæc intelligenda ſunt de Cardinale Diacono ſeu Presbytero; non autem de Cardinale Epiſcopo nam hic nulla poteſt retinere Beneficia curata vel ſimplicia, *cap. Cum in cunctis*, *§. Cum verò*, *de elect. Panor. & Hoieda ubi ſuprà.*

(*d*) Nam Epiſcopatus & Abbatiæ à jure paraſificantur, ut obſervat *Rebuff. de mandat. Apoſtol. §. Statuimus*, *in verb. Monaſteria*, *in Concordat.* & probatur *in cap. Ne pro defectu*, *§. Statuimus*, *junc. ta Gloſſ. in verb. Regulares & text. in cap. Dilectus filius*, *in fine*, *de conceſſ. Præb. Can. Nullus Monachus* 28. *q.* 2. *cap. Decernimus*, *de judic.* ubi Abbates nominantur inter Epiſcopos, & Archiepiſcopos, *& in cap.* 2. *& ibi Archidiaconus*, *de Præb. in 6.* non tamen eo modo vacant Beneficia promoti in Epiſcopum quo vacant Beneficia promoti in Abbatem, nam Beneficia Epiſcopi non vacant niſi poſſeſſio adepta ſit, & Epiſcopus ſit conſecratus, vel ſaltem ſit lapſum ſpatium trium menſium conceſſum ad obtinendam conſecrationem, *cap. Cum in cunctis*, *§. Cum vero*, *de elect.* At Beneficia Abbatis vacant ſtatim poſt obtentam pacificam poſſeſſionem, etiamſi non fuerit benedictus, *Panorm. in d. §. Cum verò*, *& in cap. Quanto de offic. ordin.* ratio differentiæ eſt, quia Abbas ante benedictionem, dicitur Abbas, electus autem in Epiſcopum, Epiſcopus non eſt ante conſecrationem, *Panorm. in cap. Inter Monaſterium*, *de re judic.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Sacerdotium *cum matrimonio retineri non poteſt.* Uſus conjugii non bene congruit cum miniſterio Altaris à quo abeſſe debet omnis immunditia propter ejus ſanctitatem: quamvis enim opus conjugale propter rationem Sacramenti ſit cohoneſtatum, & ſanctificatum, ideoque etiam concubitus cum propria uxore *in cap. Nicæna*, *diſt.* 31. caſtitas vocetur; materialiter tamen, & quoad ſpeciem naturæ, convenit cum opere fœdo & immundo, ut docet ſanctus Thomas *tertia parte q.* 49. *n.* 1. ideoque non poteſt decenter conſiſtere cum miniſterio Altaris. An autem per matrimonium extinguatur diſpenſatio, v. g. cum legitimo ad obtinendum Beneficium, quominus ſoluto matrimonio poſſit virtute illius obtinere Beneficium? Reſpondetur negativè *Sanchez de matrimonio*, *lib.* 7. *diſp.* 42. *n.* 7. quia per diſpenſationem nullum Jus acquiritur in re, nec ad rem ſed tantùm obſtaculum tollitur, ob quod aliquis incapax & inhabilis eſt redditus, ita ut habilis fiat, ac maneat *Pyrrhing. de Clericis conjugatis*, *n.* 13.

N. 4. *Idem de penſionibus intelligendum putat Garcias.* Videlicet quod ſicut vacant Beneficia per promotionem ad Epiſcopatum, ita quoque penſiones extinguntur, & hæc eſt ſententia omnium ferè exterorum, & ſtylus Curiæ inveteratus, *teſte Hyeronimo Gabriël*, *lib.* 2. *Conſilio* 200. ſed moribus noſtris obtinet ſententia authoris, pluribus firmata

Judiciis, in tantum ut necesse non sit de pensionibus ullam facere mentionem ad effectum Bullarum, ut refertur *in Diario*, *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2.

N. 5. *Beneficia Abbatis post confirmationem & adeptam pacificam possessionem vacant*, nisi dispensatio retinendi obtineatur, unde Priori promoto ad aliquod Monasterium, à quo Prioratus ipse dependet, potest dari dispensatio, quò possit retinere dictum Prioratum sicut prius, decernendo illum non vacare: secùs si ab alio Monasterio dependeret, quia tunc esset danda dispensatio quò illum posset in Commendam retinere, *Joannes Achokier ad Regul.* 24. *de Beneficiis vacaturis per promotionem*, *n.* 18. sunt tamen Prioratus Conventuales qui qualitatem seu dignitatem in Ordine, seu Regula habent, ut in Ordine Cluniacensi, & Cistercienſi, in quibus quædam sunt filiæ, quæ personam propriam in Ordine, seu Regula desiderant, quo spirituale quoddam vinculum seu affinitatem, cum suo Abbate contrahunt, at de matre & filia dispensare abusivum, & etiam Ordinum repugnant statuta & ratio, *Lovet ad Regulam*, *de infirmis*, *n.* 246. & quod dictum est de Abbate, habet etiam locum in Prioratu Conventuali, qui est loco Abbatis, & est principalis Prælatura in Ecclesia Regulari, & habet quasi Jurisdictionem Episcopalem, & in effectu est eadem dignitas, *Hoieda de incompatibilitate*, *part. cap.* 6. *n.* 2. cæterum potest quis duos Prioratus ab eadem Abbatia dependentes in Commendam obtinere, ut decreto Senatûs Parisiensis de die 29. Aoust 1598. judicatum refert Lovet. *ibidem.*

TITULUS XV.

De Vacatione Beneficii per Adeptionem Secundi Incompatibilis.

SUMMARIUM.

I. II. & III. Vacat Beneficium per adeptionem secundi incompatibilis, non litigiosi.
IV. & V. Quænam Beneficia sunt incompatibilia.
VI. & VII. Quando quis dicatur pacificè possidere.
VIII. An Beneficium incompatibile liceat permutare.
IX. X. XI. XII. XIII. & XIV. Ad retinenda duo Beneficia incompatibilia quis possit dispensare.

I. TERTIUS casus est, si possessor Beneficii adeptus sit aliud Beneficium incompatibile cùm primò: primum vacat ipso jure, non tamen ipso facto: nam in hoc, & in casibus suprà relatis, in quibus diximus, per adeptionem Episcopatûs, Abbatiæ, vel Cardinalatûs, Beneficia ante adepta vacare ipso jure, & aliis casibus quos referemus infra, possessor eorumdem Beneficiorum non prohibetur ea dimittere, ut purè, vel in favorem, modò alteri non sit jus quæsitum: nam licèt Beneficia illa quæ dimittere tenetur, ipso jure vacent, non vacant ipso facto, ut per cessum vel decessum, per matrimonium, & per professionem vitæ Religiosæ: in quibus casibus possessor tacitè Beneficiis videtur renuntiasse, & in eum statum transit ut renuntiare non possit juri quod habere desiit per tacitam renuntiationem. Sic distinguntur casus in quibus Beneficium vacat ipso jure tantùm in quibus possessori renuntiare licet, si Beneficium alteri nondùm collatum sit, & & casus in quibus vacat ipso jure & ipso facto, in quibus cessat renuntiandi licentia.

II. Olim provisus de Beneficio incompatibili cum primo, quod obtinebat, alterum illorum dimittere tenebatur, & alterum quod mallet poterat retinere, ex Concilio Turonensi, *c. Referente*, *& c. Prætereà*, *de Præbendis.* Verùm Concilio Lateranensi cautum fuit, post adeptam pacificam possessionem Beneficii incompatibilis vacare primum, *c. de multa*, *de Præbendis*: ipso jure vacat si qualitas Beneficii sit notoria; & si qualitas Beneficii sit occulta, post tempus à Judice præstitutum, *Dominicus in d. c. Susceptum*, posterioribus Constitutionibus cautum fuit post adeptam pacificam possessionem secundi incompatibilis possessorem teneri alterutrum dimittere intra mensem, eoque tempore elapso utrumque vacare, *Extravag. execrabilis*, *de Præbendis*; quæ Constitutio nimis severa visa est, & noviſſimè in Concilio Tridentino, *Sess.* 7. *de reformat. c.* 4. Jus Concilii Lateranensis fuit renovatum.

III. Ad hoc autem ut possessor incompatibilium ad dimissionem primi obligetur ex Conciliis suprà allegatis, sufficit si possessionem pacificam secundi adeptus sit: nam si primum sit litigiosum, eò citiùs dimitti debet, & vacare censetur post adeptam pacificam possessionem secundi, *Rebuff. in tit. de renuntiatione*, *vers.* 3. *Navarrus cons.* 14. *n.* 1. *de Præb. Garcias parte* II. *c.* 5. *n.* 107.

IV. Beneficia incompatibilia sunt, Dignitates, Personatûs, & officia, quæ re-

quirunt residentiam, *c. de multa, de Præb.* Ecclesiæ Parrochiales, si Cura sit eis actu annexa, *c. Quia in tantum de Præb.* secùs si Cura sit eis habitu annexa, & per Vicarium exerceatur, aut si illæ Ecclesiæ, ut Prioratus rurales, sine Cura per spatium quadraginta annorum rectæ fuerint, quo tempore status Beneficiorum mutatur, ut diximus suprà *lib.* 1. Sunt etiam incompatibiles Vicariæ perpetuæ, *Clement. un. de off. Vic.* idem enim non potest duplici fungi militia, *l.* 5. *C. qui militare non possint, lib.* 12. nec duas habere uxores, ut aiebat Guillelmus Parisiensis Episc. *Absit ut cum Ecclesia mea sponsa habeam concubinam*, referente Cosma *in Pragmatica Sanctione.* Incompatibilia etiam dicuntur Beneficia simplicia, si sint conformia sub eodem tecto, *c. Litteras, de conces. Præb.* ut Præbendæ & Semipræbendæ, ne idem videatur duorum vicem sustinere, Beneficia confundantur, & cultus divinus minuatur; & Rector Ecclesiæ Parrochialis Vicariam perpetuam ejusdem Ecclesiam sine dispensatione habere non potest, *c. ult. de inst. & ibi Abbas*; & Clericus Regularis duo Beneficia simplicia ejusdem Ordinis in diversis Ecclesiis diversorum Monasteriorum obtinere non potest sine dispensatione in titulum, *Clem. un. de sup. negl. Prælat. Loëtius lit. B. n.* 8. cùm sit mancipatus & adscriptus uni. Præterea quædam Beneficia simplicia, ex fundatione, Statuto, vel consuetudine, requirunt, residentiam, & incompatibilia censentur: sic Beneficia alia sunt incompatibilia ratione Curæ, alia ratione residentiæ. In quibus omnibus decretum Concilii loco citato locum habet. Verùm in duabus Dignitatibus, aut Personatibus, aut Parrochialibus Ecclesiis, vacatio inducitur ipso jure, & in duobus Beneficiis simplicibus incompatibilibus vel uno simplici cum Parrochiali, vel Dignitate, vel Personatu, vacatio non inducitur ipso jure, (*a*) sed per Judicis sententiam, monitione præmissa, *Garcias parte* 11. *c.* 5. *num.* 67.

V. Excipiuntur Beneficia unita, *c. Dudùm, de elect. c. eam te, de ætate & qualitate Ordinandorum*: & Beneficia data in Commendam, si Commenda sit temporalis; (*b*) nam si Commenda sit perpetua, supradictis Constitutionibus continetur; & Jura loquentia de Beneficiis titulatis locum habent in Commendis perpetuis, *Molineus de publicandis resignationibus n.* 106.

VI. Possessio pacifica dicitur ex quo provisus Ecclesiam & reditus illius, aut majorem eorum partem, cœpit possidere, sine ullâ controversiâ motâ in Judicio, vel extra, *c. si tibi concesso, de Præb. in 6. Dominicus in c. Commissa, de elect. in 6.* nam si ex consuetudine vel Statuto provisus non percipiat fructus primi anni, non tenetur Beneficium incompatibile dimittere nisi post annum primum elapsum, *Garcias parte* 11. *c.* 5. *n.* 123. nec dicitur pacificus cui statim controversia movetur, *d. c. Commissa, & ibi Gl. Clement. gratiam, de Rescr. c. Si quis jam translatus* 21. *q.* 2. *Mascardus de probat. concl.* 183. nisi lis sit affectata: nec dicitur possessio pacifica nisi duret, ut non dicitur in rem versum quod non durat versum, nam in successivis duratio requiritur.

VII. Non tamen statim post adeptam pacificam possessionem secundi incompatibilis, primum vacat ipso jure: possessor enim habet aliquas temporis inducias ad deliberandum & eligendum quod dimittere debeat, nempè decendium, *ex c. Si pluribus, de Præb. in 6.* quo elapso primum vacat, (*c*) & à Papa vel Legato aut ab Ordinario dari potest, *d. c. de multa, & c. Licet, de Præb. in 6.* de Ordinario idem statuitur Edicto Gallico *anni* 1638. *art.* 22. sive ab ipso Ordinario sive à Papa possessor provisus sit, reservationibus explosis, ut diximus suprà *lib.* 1. *c.* 15. nisi jus ab eo sit devolutum post semestre elapsum: idem de vacatione ex delicto simoniæ, & aliis causis, eodem Edicto statuitur, juxta ea quæ notavimus suprà *tit.* 1. Et quoniam angusta est Juris dilatio, à Papa vel Legato ad postulationem oratoris solet ampliari ex causa, vel gratiosè: ab Ordinario verò non nisi ex causa potest ampliari, ut dicemus infrà.

VIII. Cæterum licèt possessor incompatibilium Vicarium in altero Beneficio constituat, aut illud permutet cum Beneficio simplici, non satisfacit Canoni, quo dimittere tenetur, nisi ad id fuerit dispensatus, *Rota decis.* 329. *in novis, Rebuff. de dispensatione ratione ætatis, n.* 8. Vicarium instituere non permittitur ob eam causam; & si permitteretur, esset abusus, id enim fieret in fraudem Concilii: permutare verò permittitur cum dispensatione, (*d*) sicut in favorem resignare licèt: & si in resignatione facta causâ resignationis, aut permutationis, quæ est incompatibilitas, fuerit expressa Papæ, dispensatio censetur concessa.

IX. Ad retinendum duo plurave Beneficia incompatibilia ad vitam ex causa, Papa dispensat, *Rota decis.* 286. *in novis.* Causa justa dispensationis est, si possessor sit Nobilis,

bilis, aut Litteratus, & reditus Beneficiorum ſint tenues, *d. c. de multa, de Præbendis:* nam ſi alterum illorum Beneficiorum ſufficiat ad ſuſtentationem poſſeſſoris, nec qui diſpenſat nec qui diſpenſatur quoad Deum tutus eſt, *Panorm. in c. Conquerente, de Clericis non reſidentibus:* diſpenſatio ad duo, vel tria, plurave, conceditur: diſpenſatus ad duo non poteſt obtinere tertium; nam diſpenſationes extra caſum non extenduntur; & ſi tertium obtineat ſine nova diſpenſatione, duo priora vacant, (*e*) ex mente *dicti c. de multa*; & ad duo incompatibilia ſub eodem tecto, (*f*) ſpeciali diſpenſatione opus eſt, *Rebuff. in Concord. de collat. §. volumus.*

X. Ad tempus Legatus diſpenſare poteſt, non ad vitam poſſeſſoris: nam Legatus non poteſt (*g*) diſpenſare in iis quæ Jure prohibita ſunt, niſi eam habeat facultatem in mandato: diſpenſat autem ad tempus certum, vel incertum, prout neceſſitas rei exigit: regulariter in collatione Beneficii incompatibilis, ad poſtulationem oratoris; illa clauſula adjicitur gratioſè, *dummodò proviſus intra ſex menſes alterum dimittat*; quibus elapſis Beneficium collatum vacare decernitur; quod tempus non currit niſi poſt adeptam pacificam poſſeſſionem Beneficii incompatibilis, ut diximus ſupra: currit autem, litibus fictis non obſtantibus; nam hominum malitiis non eſt indulgendum; & eo tempore elapſo Beneficium vacat, non vi Decreti in Litteris appoſiti de dimittendo, ſed ipſo jure: quod eo decreto declaratur, & ab Ordinario conferri poteſt, ut ſuprà diximus.

XI. Diſpenſatur autem ad tempus incertum, ſi Beneficium adeptum ſit obæratum, ut proviſus ex reditibus illius æs alienum poſſit luere antequàm alterum Beneficium cogatur dimittere, vel ob aliam juſtam cauſam, nam neceſſitas interdum facit licitum quod aliàs eſſet illicitum, *c. Si quis, de furtis, Rebuff. tit. de diſpenſatione ad plura Beneficia, n.* 31. quo caſu ſublatâ causâ diſpenſatio ceſſat: & ſi poſſeſſor Beneficiorum incompatibilium monitus alterum non dimittat, Ordinarius ipſe primum conferre poteſt ut vacans, ex dicto Concilio: nam ſuprà diximus, quòd Ordinarii conferre poſſunt Beneficia quæ ipſo jure vacant, reſervationibus in Reſcriptis Apoſtolicis appoſitis non obſtantibus.

XII. Similiter Epiſcopi diſpenſare poſſunt ad tempus certum vel incertum, ſi ratio id exigat, ſi proviſus poſt adeptum Beneficium incompatibile petat breve temporis intervallum ad dimittendum alterutrum, ob litis timorem, aliamve cauſam probabilem, Vicario interim ſubſtituto: nam, ut ait D. Bernardus ad Eugenium, quando neceſſitas urget tolerabilis diſpenſatio eſt, quando utilitas provocat laudabilis diſpenſatio eſt. Et ut Prætoris eſt aſperitatem Legum mitigare, & in iis quæ Legi deſunt ſupplere, κατὰ τὸ ἐπιεικὲς juxta doctrinam moralem Philoſophi *Politicorum* 3. *c.* 16. ſic Epiſcoporum munus eſt in dictis caſibus diſpenſare, *Gl. in c. Sanctorum, d.* 70. *De Selva* 4. *parte q.* 7. *verſ. primo diſpenſat, Rebuff. loco citato, n.* 31.

XIII. Nec obſtat quòd in Concilio Lateranenſi diſpenſatio circa pluralitatem Beneficiorum Sedi Apoſtolicæ reſervata fuerit, *d. c. de multa*: nam in dicto Concilio facultas diſpenſandi ad vitam, quam Epiſcopi ſibi vindicabant, ex Concilio Placentino illis adempta eſt, ob indiſcretas diſpenſationes, ut notat *Gloſſa in d. c. de multa*, & Papæ reſervatur: at diſpenſatio temporalis juſta & probabilis non reſervatur.

XIV. In Capellaniis ſub eodem tecto, tàm Legatus quàm Ordinarius (*h*) diſpenſare poteſt ad vitam, ſi ſingulæ non ſufficiant ad ſuſtentationem Rectoris, & conferendo diſpenſat: hoc Jure utimur; nam in Concilio Lateranenſi, & Tridentino, quibus diſpenſatio ad vitam ſuper incompatibilitate Sedi Apoſtolicæ reſervatur, de Beneficiis Curatis, Dignitatibus, & perſonatibus, agitur; & ex interpretatione, de Canonicis & Semipræbendatis idem intelligitur, qui omnes per ſe ſervire & reſidere tenentur: Riccius tamen & alii quos citat *deciſ.* 401. idem intelligunt de Beneficiis ſimplicibus, & Capellaniis ſub eodem tecto, ſed id nullo Jure probant: quin imò *ex d. c. de multa* contrarium conſtat: nam, ut dictum eſt, cùm Epiſcopi ante Concilium Lateranenſe ex Concilio Placentino haberent poteſtatem diſpenſandi ad vitam, ſuper incompatibilitate Beneficiorum quorumcumque; & Concilio Lateranenſi, circa Beneficia Curata, perſonatus, & Dignitates, illis adempta ſit, eis cenſetur relicta circa Capellanias ſub eodem tecto; & ſic uſus interpretatur, qui in Legum explicatione eſt attendendus: ea eſt communis Doctorum ſententia, *Rebuff. de diſpenſat. ad plura Beneficia, n.* 25. *Farinacius ex deciſ. Cardinalium, num.* 825. Tamen ſi ſingulæ Capellaniæ ſufficiant uni Rectori ſuſtentando, fraudatur intentio fundatorum ſi uni eidemque conferantur; at proviſio non irritatur niſi in fundatione id ita cautum ſit.

SOLIER.

(a) Imò & in his vacationem induci ipso jure concludit ipse Garcias ab Authore pro struenda negativa laudatus *ibid. à n. 79.* ex Concilio Tridentino, *Sess. 7. c. 4. de reformat.* & multis declarationibus sacræ Congregationis Concilii, quas refert. Idem tenet *Hoieda de Benefic. incompatib. p. 1. cap. 9. n. 5.* dicens quod textus *in cap. de multa, de Præb.* qui loquitur in Curatis & Dignitatibus, extenditur ex dicto Decreto Concilii ad quæcumque Beneficia incompatibilia, & idem vult *cap. 11. in fine*, & ista est veritas.

(b) Dic indistinctè Commendam, sive temporalem, sive perpetuam cujusvis Curati, vel Dignitatis esse compatibilem cum quovis Beneficio in titulum obtento, ut clarè probatur *in Can. Qui plures, cap. Relatio & cap. Illud 21. q. 1. cap. Dudum, de elect.* quatenus præfata jura indistinctè loquuntur de Commenda, non factâ mentione de Commenda temporali, vel ad vitam illius, cui conceditur, unde sunt intelligenda potius in famosiori significatu, ita ut comprehendant Commendam perpetuam, *Arg. L. 1. §. ult. cum LL. seqq. ff. Si ager vectigalis*, ita *Hoieda de Benefic. incompat. p. 2. cap. 4. n. 7.* & cùm Papa vult habenti unum in titulum de alio incompatibili providere, tunc in Commendam hoc secundum Beneficium dare solet, ut in *cap. Dudum, de elect.* duo tamen incompatibilia non possunt in Commendam obtineri, *cap. Nemo deinceps, de elect. in 6. Concil. Trident. Sess. 7. cap. 4. de reformat.*

(c) In Gallia primum Beneficium non vacat per assecutionem secundi nisi post annum, *Lovet. litt. G, cap. 5. in fine*, nec ideò interim poterit conferri, *cap. Licet, de Præb. in 6.*

(d) Imò inolevit usus, ut pendentibus induciis ad primum dimittendum à jure indultis, possit interim liberè pro simplici permutari, aut in favorem resignari, nullâ desuper obtentâ, vel petitâ dispensatione.

(e) Collatio tertii incompatibilis habitâ possessione pacificâ facit vacare duo prima, *Clem. si plures, de Præb.* & nihilominus ipsa collatio est nulla, *cap. Ordinarii, de offic. Ordin. in 6.*

(f) Sed an opus sit dispensatione in Beneficiis dissimilibus, ut in Canonicatu & Capellania in eadem Ecclesia, vel tantùm in uniformibus, seu conformibus, ut in duabus Præbendis? Negat *Rebuff. in praxi, tit. de non promotis intra annum, n. 76. & in Concord. de mandat. Apost. §. 1. in verb. Ita tamen*, & alii quos citat & refellit Hoieda *de incompat. p. 1. cap. 20. n. 25.* affirmant *Gloss. in cap. Dudum, de elect. & Hoieda loco citato*, & probatur per textum *in cap. Litteras, de conces. Præb.* ita ut quamvis regulariter primum Beneficium simplex ipso jure non vacet per obtentionem alterius incompatibilis, hoc tamen fallit quando obtinetur secundum simplex sub eodem tecto, *text. in d. cap. Litteras in fine, & in Clem. ult. de Præb.*

(g) Imò Legatus à latere potest ea quæ Papa specialiter sibi non reservavit, *cap. Quod translationem, de offic. legat.* sed fallit in dispensatione contra Concilium, *cap. Dilectus & ibi Gloss. in verb. Cum se facultas, de Præb.*

(h) Non tamen Episcopo inferior, is enim dispensare nequit ex defectu Jurisdictionis. Si tamen Capellaniæ sint profanæ possunt à quovis collatore etiam Laïco plures uni sub eodem tecto fundatæ conferri, & licitè sine dispensatione ab eodem possideri, quia non sunt Beneficia, nisi lex fundationis obstet.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. Olim *provisus de Beneficio incompatibili.* Sæpe variatum fuit circa Beneficiorum incompatibilitatem & in hoc articulo quatuor veniunt distinguenda tempora: *Primum*, tempus fuit ante Concilium Lateranense, cujus fit mentio *in cap. Nonnulli, de Cleric. non residen.* quo tempore obtinens duo Beneficia Curata, vel duas dignitates non privabatur secundo Beneficio, vel dignitate; sed dabatur ei optio *cap. Præterea, & cap. Referente, & ibi DD. de Præbendis: Secundum*, est tempus Concilii Lateranensis, quo fuit sublata prædicta optio, & statutum ut privaretur secunda dignitate, vel Beneficio Curato, *dicto cap. Quia nonnulli*: *Tertium*, fuit tempus Capituli *de multa, de Præbend.* ubi fuit inductum, quòd si habens Curatum, vel Dignitatem, reciperet secundum Curatum, vel secundam Dignitatem, vacaret primum vel prima dignitas ipso facto: *Quartum*, tempus est Extravagantis *execrabilis, Joan. 22. de Præbend.* ubi arctiùs fuit provisum, nempe ut recipiens secundum Curatum, vel secundam Dignitatem, nisi de facto incontinenti post habitam pacificam possessionem dimittat primum seu primam dignitatem in præsentia publicarum personarum, esset privatus ipso facto utroque Beneficio, & inhabilis ad Sacros Ordines, & Beneficia: & hoc Jus firmatur à Concilio Tridentino, *Sess. 7. cap. 4. Hoieda part. 1. cap. 7. n. 8. in fine.*

N. 3. *Si primum sit litigiosum, eò citius dimitti debet.* Ut per assecutionem secundi vacet primum, non requiritur quòd utriusque habeatur pacifica possessio, ut perperam volunt *Staphil. tit. de qualitate & statu Benef. §. Hujusmodi, n. 12. & Hoieda de incompat. p. 1. cap. 13. n. 79. in fine*: nam quamvis primum sit litigiosum multò magis vacabit per assecutionem secundi incompatibilis pacificè possessi, quæ est decisio Innocentii *in cap. In nostra, de rescript. Garcias p. 11. cap. 5. n. 107. & Pastor hic.* Senatus tamen Tolosanus sequitur, ut audio, sententiam Staphili & Hoiedæ: Porro in limine possessionis secundi incompatibilis potest istud secundum Resignari, & primum retineri, quia non videtur quis secundum plenè adeptus, *Garcias ibidem n. 129. & Gloss. in cap. Si tibi concesso, de Præbend. in 6.* & quandiu durat annus censetur possessio in limine, *ibid. n. 112.*

N. 4. *Beneficia incompatibilia sunt, Dignitates, Personatus, & Officia.* Beneficia hujusmodi non sunt incompatibilia cum Canonicatu, & Præbenda sub eodem tecto, ex fere generali consuetudine Galliæ; sed an sint incompatibilia cum Canonicatu, & Præbenda alterius Ecclesiæ? Negativa videtur in dies irrepere, multi siquidem impunè Dignitatem, Personatum, vel Officium in una Ecclesia, & Præbendam in alia obtinent, & quietè possident absque dispensatione, & si fortè à devoluta-

rio turbarentur, communi errore forsan excusarentur, & à supremis Judicibus jus optandi ipsis, credo ex æquitate indulgeretur, sicut indultum vidimus obtinentibus ex antiqua consuetudine, vel statuto Parrochialem cum Præbenda, variis Curiæ decretis in causarum Diario relatis, *tom. 2. lib. 6. cap. 55.* quocirca videtur animadvertendum Concilium Tridentinum duo genera Dignitatum, & Officiorum in Collegiatis Ecclesiis distinxisse, quod etiam animadvertit *Navarrus in manuali cap. 27.* unum earum Dignitatum, quæ participant de reditibus mensæ capitularis, de quibus intelligitur, *cap. 3. Sess. 21. Concil. Trident.* alterum earum, quæ proprios, & separatos habent reditus & nihil habent commune cum Capitulo quos etiam agnovit Jus commune ut per *Oldrad. Consil. 150.* & non obligant ad residentiam, *Hostiensis in summa tit. de Cleric. non residen. §. Qualiter, n. 2. versic. item possunt esse Canonici*, possuntque retineri cum aliis residentiam requirentibus, *cap. Dudum ubi Abbas, de elect. & alii per Fagnan. citati in cap. Quia nonnulli, de Cleric. non residen. n. 14.* & de his intelligitur *cap. 3. Sess. 21. dicti Concil.* in utriusque autem Dignitatibus Concilium non idem Jus statuit ut videre est: *Primò*, in separatione tertiæ partis fructuum, quia in illis fit deductio ex necessitate, quando nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur: in his fit etiam deductio cessante hâc ratione: *Secundò*, in applicatione distributionum quæ amittuntur, quia in illis non servientium accrescunt deservientibus, in his applicantur fabricæ Ecclesiæ, quia ubi reditus sunt communes inter participantes in illis habet locum Jus accrescendi, & non decrescendi, ubi autem separati, nemini accrescunt, sed Ecclesiæ applicantur, *Gloss. in Clem. 2. in verbo, Pars dimidia ubi DD. de etat. & qualitate*, alias differentias tangit *Fagnan. loco citato, n. 18.*

Eodem N. 4. *Clericus regularis duo Beneficia simplicia ejusdem Ordinis in diversis Ecclesiis diversorum Monasteriorum obtinere non potest.* Duo Beneficia in titulum cujusvis qualitatis, sunt incompatibilia in persona Monachi, *cap. Cum singula, de Præbend. in 6. & ibi Gloss. & DD.* sive utrumque Beneficium dependeat ab eodem Monasterio, sive à diversis, contra *Rebuff. in praxi, tit. de dispensat. cum Regularibus, n. 11.* cui concinit Author noster, quia utrobique viget causa incompatibilitatis, videlicet dissolutionis, & evagationis, *Hoieda, de incompatibilitate, p. 1. cap. 22. n. 8.* quod adeo verum est, ut nequidem habere possit pensionem, aut portionem Monachalem cum Beneficio, *ibidem.*

N. *9. Dispensatus ad duo non potest obtinere tertium.* Nemo potest esse triplex in eadem Ecclesia absque dispensatione Papæ, nec valet consuetudo, vel statum in contrarium, *cap. 1. de consuetud. in 6.* bene quidem potest Dignitas obtineri cum Canonicatu in eadem Ecclesia, ubi est consuetudo absque ulla dispensatione, *dicto cap. 1. de consuetud. in 6. Garcias, part. 11. cap. 5. n. 246.* vult tamen Garcias quod hæc consuetudo non habeat locum in Pœnitentiario, quia inquit nemo potest esse triplex sub eodem tecto, Pœnitentiarius enim habet Officium Pœnitentiarii, & insuper Canonicatum tali Officio annexum, ut clarè colligitur ex Concilio Tridentino, *Sess. 24. cap. 14. de reform.* & ista ratio considèrata in Pœnitentiario non militat in Canonico lecturæ nec in Canonico lectorali, *hæc Garcias ibidem*, sed certè Canonicatus & Pœnitentiaria non sunt duo Beneficia, sed unicum tantùm nempe Canonicatus seu Præbenda sub onere Pœnitentiariæ, atque ita ubi viget prædicta consuetudo, ut in Gallia, Canonicus Pœnitentiarius non eget dispensatione, ut Dignitatem obtineat, quod adeo verum est, ut cùm nuper Dominus Mathæus de Lafont Senator Tolosanus meritissimus, Canonicatum & Præbendam Ecclesiæ Tolosanæ cum eis annexa Pœnitentiaria atque ibi Dignitas; non tamen post Pontificalem major existit, & super unum & eundem ex ipsius Ecclesiæ Canonicis, unà cum suis Canonicatu & Præbenda absque dispensatione Apostolica obtineri consuevit, Cancellariam ad favorem Henrici d'Hauterive in manibus sanctissimi resignasset, resignatio hujusmodi absque ulla difficultate, vel dispensatione, nobis prosequentibus Romæ fuit admissa & expedita.

N. 14. *In Capellaniis sub eodem tecto.* Jura tamen magis abhorrent pluralitatem duarum Præbendarum, seu duorum Beneficiorum simplicium sub eodem tecto, quàm duorum Curatorum *Abbas in cap. Litteras, de conces. Præbend. Franc. n. 7. & alii in cap. 1. de consuetudine, in 6.* duæ vero Capellaniæ seu Beneficia difformia, & dissimilia sub eodem tecto, non sunt incompatibilia, nisi aliàs sint sibi Repugnantia, ratione servitii, nec facit incompatibilia necessitas residendi, quamvis multi contradicant relati à *Garcia, Perez. de anniversar. & Capellaniis, lib. 2. cap. 1. n. 17.*

TITULUS XVI.

De Vacatione ob Defectum Promotionis.

SUMMARIUM.

I. II. & III. Beneficium Sacerdotale vacat ob defectum promotionis.
IV. Beneficia Sacerdotalia quæ ſint.
V. Beneficia Sacerdotalia actu.
VI. Beneficia Sacerdotalia aptitudine. Arreſtum. An Canonici obligentur ad promotionem.
VII. VIII. & IX Super defectu promotionis Epiſcopi diſpenſare poſſunt ad tempus.
X. Beneficia ſimplicia & Sacerdotalia.

I. QUARTUS caſus eſt, ſi proviſus de Beneficio Sacerdotali non promoveatur intra annum ad Ordinem Presbyteratûs : olim anno elapſo proviſus monebatur ab Ordinario ut promoveretur ; & ſi monitioni non pareret, deponebatur ; hodie verò cùm ſatis interpelletur ſacris Canonibus, & Officii neceſſitate, ſi non promoveatur, poſt annum Beneficium Sacerdotale ipſo Jure vacat, ex Concilio Lugdunenſi, & Lateranenſi, *c. cùm in cunctis, de elect. & c. licet Canon. eod. tit. in 6.* Verùm poſt illud tempus, per promotionem poteſt purgare moram, aut renuntiare Beneficio, ſi jus alteri non ſit quæſitum ; nam poſſeſſionem retinet, & titulum, donec Beneficium alteri fuerit collatum.

II. Eadem pœna irrogatur Abbatibus (*a*) Conſtitutione Bleſenſi, *art.* 8. Epiſcopis verò & Archiepiſcopis brevior dilatio eſt ; nam ſi intra tres menſes à die proviſionis ordinari non curent, eâdem Conſtitutione tenentur ad reſtitutionem fructuum ; & creſcente contumaciâ, poſt illud tempus Beneficio privantur, ex eadem Conſtitutione, *ibid. & art. ſeq.*

III. Tempus datum ad promotionem non currit niſi poſt annum primum ab adepta pacifica poſſeſſione numerandum : nam primo anno poſt poſſeſſionem adeptam proviſus poſſidet cum formidine, non dicitur pacificè poſſidere, & non debet cogi ad promotionem intra illud tempus, ne evicto Beneficio ſit adſtrictus muneribus & officiis Eccleſiaſticis, ſine Beneficio, & fortè ſine patrimonio : quod cavendum eſſe monent Canones, ne Ordo Clericalis vileſcat, & mendicet infœlix in plateis Clericus, & ex eo magis deſpiciatur à cunctis quò miſer & deſolatus juſtè putetur ad hanc ignominiam deveniſſe ut ſcribebat D. Hieronymus ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem, *& refertur in c. Diaconi, d.* 93. Primus annus non numeratur, & poſt illud tempus habet annum ut promoveatur, quo elapſo Beneficium vacat : ſic ex æquitate Senatus Pariſienſis interpretatus eſt Canones de promovendo, ſuis Arreſtis, ut referunt *Rebuffus in tit. de non promotis intra annum, n.* 44. *& Papon lib.* 3. *tit.* 15.

IV. Beneficia Sacerdotalia ſunt Eccleſiæ Parrochiales quibus cura animarum eſt annexa, *d. c. licet Canon* ; Vicariæ perpetuæ, *Clement. uni. de off. Vicarii* ; Prioratus Conventuales, *Clement. ne in agro*, §. *cæterùm, de off. Vicarii* : & alia Beneficia, quibus fundatione, Statuto, vel conſuetudine, Ordo Sacerdotalis actu vel aptitudine eſt annexus. (*b*)

V. Si Ordo ſit annexus actu ſimplici Beneficio, Lege fundationis, Statuto, vel conſuetudine, Ordo deſideratur in impetrante tempore collationis, ne Statuentium aut Fundatoris intentio eludatur, alioquin collatio nulla eſt ; & ſi Papa aut Legatus deroget conditioni, Statuto, fundatione, vel conſuetudine requiſitæ, eſt abuſus, *Ruzeus in Tractatu Juris Regaliæ, privil.* 49. niſi ex conſenſu Patroni id fiat, ut diximus ſuprà *de jure Patronatûs* : tamen per promotionem collatio convaleſcit, ſi jus alteri non ſit quæſitum, *infrà tit. ult. ſub finem.*

VI. Si verò Ordo ſit ſola aptitudine annexus Beneficio, ſola aptitudo deſideratur tempore proviſionis, ut intra annum proviſus poſſit promoveri, ut in Eccleſiis Parrochialibus, in quibus pœna irrogatur ipſo jure, etiamſi nulla monitio præceſſerit, nam Juris ignorantiam proviſus non poteſt cauſari : ſi verò fundatione vel Statuto Ordo ſit aptitudine annexus Beneficio, proviſus non obligatur ad promotionem, & non incurrit pœnam niſi monitio præceſſerit, *Innocentius in c. extirpandæ, de præb. Rebuff. de non promotis,*

n. 91. & 92. Loëtius in lit.B.n.4.sub finem: nam ignorantia juris publici non excusat: at ignorantia juris privati & facti alieni excusat. Unde sequitur quòd provisus de Beneficio in quo ex lege fundationis promotio desideratur intra annum sub pœna privationis, nullam incurrit pœnam, si monitus non fuerit, & quandocumque potest purgare moram, licèt devolutarius eum prævenerit, & de eo Beneficio provisus fuerit, ut vacante ob defectum promotionis; ut constat ex Arresto relato in Scholiis Loëtii, *loco citato*, de possessore Capellaniæ qui intra annum à die provisionis ad Presbyteratum debebat promoveri ex lege fundationis, & septemdecim annos id Beneficium jam possederat sine promotione, & lite pendente super possessorio ejusdem Capellaniæ contra devolutarium promotus fuerat, quo Arresto devolutarius inhibitus fuit possessorem turbare, solemni Judicio, convocatis Classibus, Referente Domino Pastoureau Senatore, ut notatur *loco citato* à Domino Brodeau viro multæ eruditionis. Idem dicitur de Dignitatibus, Canonicatibus, & Semipræbendis, in quibus ex Statuto provisus intra annum debet promoveri, ut non currat tempus nisi monitione præmissa: nam provisus ignorantiam Statuti causari potest, ut causatur ignorantiam fundationis, cùm Statutum sit jus privatum *Riccius decis.* 564. At monitione præmissa provisus post annum Beneficio privari potest, si ex Statuto vel fundatione teneatur promoveri, & justam causam excusationis non habeat, nam ex variis causis excusari potest, ut dicemus infrà de possessore Beneficii Curati: verùm hoc interest, quòd Beneficium Curatum post annum conferri potest, salvis exceptionibus possessoris; & cætera Beneficia in quibus ex Statuto possessor intra annum debet promoveri, non possunt conferri nisi monitione præmissa. Tàm Parrochiales Ecclesiæ quàm cætera Beneficia in quibus provisus tenetur promoveri, ab Ordinariis etiam conferri possunt ob promotionis defectum, *ex Concilio Tridentino sess.* 24. *c.* 12. Omnes Canonicatus & Semipræbendæ habent annexum Ordinem Presbyteratûs, Diaconatûs, vel Subdiaconatûs, & saltem media pars Canonicorum debet Presbyterari cæteri debent esse Diaconi, vel Subdiaconi hoc Jure in Ecclesiis in quibus Concilium fuit receptum; Episcopi Canonicos obligare possunt ad promotionem, & contumaces privare Beneficiis, *Riccius ex decisione Cardinalium, decis.* 564. tum in Ecclesiis Cathedralibus, tum in Collegiatis: multi enim sunt qui provisi de illis Beneficiis, aliud in animo habentes quàm servitium Ecclesiæ, ea diu possident, & ditati de bonis Ecclesiæ uxores ducunt.

VII. Pœna privationis ob defectum promotionis non incurritur si provisus fuerit dispensatus; dispensatur enim à Papa vel Ordinario ex causa justa & rationabili, interdùm ad tempus, Vicario substituto. Verùm Concilio Tridentino, *de reformat. c.* 12. *sess.* 7. statutum fuit dispensationes de non promovendo in longum tempus concessas, post annum, non valere præterquam in casibus in Jure expressis: quæ limitatio subjicitur quoniam *ex c. cum ex eo, de elect. in 6.* Episcopi & alii Superiores habentes jus conferendi dispensare possunt usque ad septennium, Studiorum gratiâ modo dispensatus intra annum ad Ordinem Sacrum promoveatur, ne de Christi patrimonio sublimatus à statu Clericali recedere valeat, ut loquitur ibi Pontifex.

VIII. *Secundò*, justa ignorantia excusat provisum, ne ante monitionem hanc pœnam incurrat, si usu contrario qualitas Beneficii obliterata sit: ut si Ecclesia Parrochialis diu manserit deserta, & ut Beneficium simplex à Clericis simplicis Tonsuræ recta fuerit, *Rebuff. tit. de non promotis, n.* 34. *&* 70. vel si provisus causetur ignorantiam fundationis, vel Statuti, ut dictum est.

IX. *Tertiò*, provisus excusatur, si valetudine adversâ, aliâve justâ causâ, belli, aut pestis, fuerit impeditus, aut sine dolo vel culpa irregularitatem incurrerit: eo enim casu tòleratur in Beneficio, & per Vicarium ab Ordinario institutum servit, *c.* 2. *de Clerico ægrotante vel debilitato*: si oculum amiserit tempus prorogatur, ut super eo impedimento dispensationem possit obtinere; & interim Vicarius ei adjungitur. Idem de cæteris casibus similibus dici potest, in quibus Clericus non privatur Beneficio, ne afflicto detur afflictio, *c.* 1. *de Clerico ægrotante vel debilitato*: at si suâ culpâ aut dolo in eum casum inciderit irregularitatis ut non possit promoveri, Beneficio privatur, *c.* 1. *de ætate & qualitate ordinandorum*, *Riccius decis.* 564. de se queri debet: quod tamen intellige, si factum vel delictum commissum in quo casus ille accidit sit privatione dignum, alioquin monendus est ut Beneficium dimittat retentâ pensione, aut Vicarius ei adjungitur assignatâ portione congruâ de fructibus Beneficii.

X. In Prioratibus ruralibus & Capellaniis, Ordo non requiritur actu, vel aptitudi-

ne : talia Beneficia sunt simplicis Tonsuræ, non requirunt residentiam, nec officium personale, Rector per alium à Superiore approbatum servire potest, *Riccius dec.* 202. *cum multis*, nisi lex fundationis obstet, in qua si dictum fuerit quòd provisus de tali Beneficio sit Sacerdos, & per seipsum Missam celebret, & resideat, Beneficium alii quàm Sacerdoti conferri non potest, si reditus sit sufficiens Rectori sustentando : nam pacta fundationis sunt servanda, ut dictum est suprà de Jure Patronatûs ; si dictum fuerit quòd Rector celebret statutis diebus, & resideat, aptitudo sufficit in proviso ut intra annum promoveatur, ut in Ecclesiis Parrochialibus : si fundatio ferat quòd Rector celebret statutis diebus, Ordo non requiritur in proviso actu vel aptitudine ; nam verba potiùs referuntur ad actum celebrationis, quæ per alium fieri potest, quàm ad Rectorem, & ex tritâ Juris regulâ, *qui per alium facit per seipsum facere videtur* : sic resolutum fuisse à Cardinalibus sacræ Congregationis refert Riccius *loco citato* : si fundator usus sit verbo denotante solùm celebrationis actum, quòd Missa celebretur, est Beneficium simplicis Tonsuræ ; & in dubio si non constet de fundatione, si reditus sit sufficiens Rectori sustentando, & Beneficium rectum fuerit per Sacerdotes, aptitudo ad Presbyteratum desideratur in proviso tempore provisionis, sin minùs simplex Tonsura sufficit, nam usus & consuetudo declarat titulum, & prævalet titulo in hac materia, si reditus Beneficii fuerit diminutus, servitium simul minuitur.

SOLIER.

(*a*) IDEM de Prioribus Conventualibus disponit eadem Ordinatio Blesensis *d. art.* 9. Prior tamen Commendatarius non tenetur intra annum à die provisionis promoveri, sed tantùm à die ætatis ad Sacerdotium requisitæ, *Brodell. ad Lovet. litt. B, cap.* 4. *n.* 6. Sed vana est distinctio cùm ipsos Titularios præfata constitutio non arctet ad Sacerdotium nisi ætatem legitimam attigerint, & jure merito quandoquidem potest quis apud nos in 23. ætatis suæ anno constitutus & sic duobus annis antequam Presbyterari valeat ad Monasteria & Prioratus Conventuales assumi, §. *Monasteriis, de Regia ad Prælat. nomin. in Concordat.*

(*b*) Beneficium potest constitui Sacerdotale altero de tribus modis : *Primò*, disponendo, ut non possit conferri nisi Sacerdoti : *Secundò*, ut provisus teneatur fieri Sacerdos aliàs privetur : *Tertiò*, disponendo ut teneatur fieri Sacerdos, aliàs non faciat fructus suos, *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *q.* 47. *n.* 47. *Primò modo* dicetur Sacerdotale Beneficium per annexionem Ordinis actu : *Secundò modo* dicetur Sacerdotale aptitudine tantùm : *Tertiò modo* non dicetur Sacerdotale neque actu neque aptitudine simpliciter, id est per annexionem Ordinis, adeò ut nec hoc casu requiratur ætas in promovendo, sed solummodò sic dicetur secundum quid, id est causativè propter fructus, ut dicitur de residentia præcisa, quæ non potest separari à Beneficio, & de causativa, quæ est adjecta propter fructus juxta doctrinam Innocentii in *cap. ultim. n.* 1. *de Cleric. non resid.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. EADEM *pœna irrogatur Abbatibus.* Concilium Viennense, de quo *in Clement. ut ii qui, §. Illi verò, de ætate & qualitate* statuit, ut obtinentes in Cathedralibus vel Collegiatis Sæcularibus, vel Regularibus Ecclesiis Dignitates, Personatus, Officia vel Præbendas, quibus certi Ordines sunt Annexi, justo cessante impedimento, ad hujusmodi Ordines se promoveri faciant intra annum, & ex tunc, si promoti non fuerint, vocem in Capitulo non habeant, eisque distributionum pars media subtrahatur, sed Martinus V. in Conc. Constantiensi, *Sess. q.* 2. *tit. de dispensatione*, privavit illos Beneficiis hujusmodi ipso jure & demum Concilium Tridentinum, *Sess.* 22. *cap.* 4. illos tantùm subjecit pœnis dictæ Constitutionis Clementis V. & sic hodie non privantur ipso jure, & quamvis *Glossa in dicta Clemen. in verbo, In eisdem*, dicat illam locum non habere in principalibus Prælatis Ecclesiarum Collegiatarum, tamen Glossa contradicit *Bonifac. in d. Clem.* sed quidquid sit, certum est dispositionem, *cap. Licet Sermon. de elect. in* 6. in quo fundatur Author, non extendi extra terminos suos, cum sit exorbitans, & pœnale, & quia loquitur in Ecclesiis Parrochialibus, in his tantùm sibi locum vindicare, non autem in Ecclesiis Collegiatis, etiamsi Parrochiales existant, ut expressè cavetur, *in cap. Statutum, eodem tit. & lib.* à fortiori locum non habebit, si Parrochiales non sint.

TITULUS XVII.

De Vacatione per Professionem vitæ Religiosæ.

SUMMARIUM.

I. Beneficia vacant per professionem Religionis.
II. Professus Religionem intra quod tempus queri possit. Professio Religionis probatur Litteris.
III. Ingressus in Religionem quo tempore Beneficio debeat renuntiare.
IV. & V. Professi Religionem pensiones an extinguantur.
VI. & VII. Si professio declaretur nulla, professus recuperat Beneficia dimissa, secùs si dispensetur.

I. QUINTUS casus est, si post collationem provisus votum Religionis solemniter profiteatur in aliquo Monasterio Ordinis à Sede Apostolica approbati; nam per votum paupertatis in sua professione contentum Beneficio renuntiare videtur, *c. Beneficium, de regularibus, in 6.* & idem non potest duplici fungi militia, *l. his quidem, C. qui militare non possunt, lib.* 12.

II. Ut professio solemniter facta dicatur; requiritur probatio præcedens per annum continuum non interpollatum, qui dicitur Novitiatus in Monasterio approbato, ad probationem, ut variis Bullis Pontificiis à Quaranta relatis definitum fuit: Justa ætas desideratur, quæ est sexdecim annorum completorum, in Monasteriis tam masculorum quàm fœminarum, ut definitum fuit Concilio Tridentino *sess.* 25. *c.* 15. *& Constitutione Blesensi. Tertiò*, requiritur promissio voventis matura & deliberata, Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, & observantiæ Regulæ Ordinis cui se adscribit. *Quartò*, præsentia Superioris Monasterii ubi votum emittitur licentiam habentis, & promissionem acceptantis nomine Ordinis & Monasterii; tali voto vovens obligatur Ordini, & Ordo reciprocè obligatur voventem alere & sustentare quandiu vixerit: si verò aliquid desit eorum quæ dicta sunt, si probatio non præcesserit in Monasterio approbato per annum continuum, aut vovens non haberet justam ætatem, aut coactus fuerit metu parentum minis adhibitis, aut Superior non haberet eam facultatem votum acceptandi, votum est nullum. Verùm ad præscindendas frequentes querimonias Religiosorum ad statum sæcularem redire tendentium, Concilium Tridentinum *sess.* 25. *c.* 19. quinquennium præscripsit à professione numerandum, quo elapso professus non auditur, nisi post lapsum quinquennii Rescripto Papæ vel Legato restituatur adversus lapsum temporis ut audiatur; quod ei non denegatur, si intra illud quinquennium querimoniam suam coram Superiori Monasterii proposuerit, & si metu Superioris aut parentum fuerit impeditus: Jure veteri duplex professio distinguebatur; expressa, quæ fit ut jam diximus; & tacita, quæ inducebatur ex susceptione spontaneâ & triduanâ gestione habitûs quem professi gestare solent: apud nos professionis solemnis expressæ dumtaxat habetur ratio (*a*) & ex Constitutione Molinensi *art.* 55. non aliter probatur quàm ex Libro ipso Conventûs in quo professiones hujusmodi inseruntur, testibus adhibitis.

III. Ante professionem (*b*) nec Beneficia professi vacant, nec possessor illis renuntiare potest nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, renuntiatio fiat; non initio probationis, quo casu renuntiatio non admitteretur; sed intra duos menses proximos ante professionem, eo enim casu renuntiatio permittitur: nam, ut dici solet, proximè cingendus habetur pro cincto. Verùm talis renuntiatio non debet admitti, nec suum sortiri effectum, nisi professione secutâ, ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *c.* 16. & renuntiatio valet etiamsi per aliquot menses professio dilata fuerit, *Farinacius decis.* 122. Interim verò Ordinarius, aut Capitulum, Sede vacante, deserviri curat Ecclesiæ per Vicarium, aut Coadjutorem, assignatâ portione congruâ de proventibus illius, *c. Beneficium, de Regularibus, in 6.* nam Novicius durante probationis anno debet stare in silentio & solitudine, munetibus Ecclesiæ quam deserit non potest se ingerere, *c. Monachos, & c. si cupis* 16. *q.* 1. *gloss. in d. c. Beneficium*: at si renuntiatio fiat ante ingressum in Religionem, & susceptionem habitûs prohibitio Concilii in illo casu non habet locum, quamvis renuntians habeat animum ingrediendi in Religionem, *Farinacius decis.* 92. & 237. nisi re-

nuntiatio aut donatio fiat intuitu Religionis in quam renuntians eſt ingreſſurus, *Farinacius ad dictum Concilium, loco cit. in verb. renuntiatio.*

IV. Nec ſolùm Beneficia profeſſi vacant, ſed etiam penſiones extinguntur quas habebat ſuper Beneficiis, ſi tranſeat in Religionem Mendicantium : ſi verò tranſeat in Religionem non Mendicantium, quibus Beneficia ſæcularia poſſidere in Commendam & penſiones habere licet, Beneficia ſæcularia quidem vacant ob mutationem ſtatûs, at penſiones non extinguntur (*c*) nam nomine Beneficiorum, quæ vacare dicuntur, penſiones non comprehenduntur, ut diximus ſuprà de penſionibus

V. Sed quæritur an ſi Clericus ſæcularis proviſus de Beneficio alicujus Ordinis in Commendam, Religionem ejuſdem Ordinis profeſſus fuerit, Commenda ceſſet, aut convertatur in titulum : hanc quæſtionem diſcuſſam in Senatu Pariſienſi refert Loëtius *in lit. B. n.* 12. & judicatum fuiſſe Commendam ceſſare poſt profeſſionem ipſo jure, & in titulum non poſſe converti ſine nova proviſione. Verùm Loëtius loco citato dubius hæret in ſolutione hujus difficultatis, in qua duæ quæſtiones implicantur. Prima eſt, an Commenda converti poſſit in titulum ſine nova proviſione. Secunda, utrùm Commenda ceſſet. Quod attinet ad primam, reſpondetur Commendam non poſſe converti in titulum ſine nova proviſione : nam cauſam poſſeſſionis nemo ſibi mutare poteſt, *l. cùm nemo, C. de acquirenda poſſeſſ.* ut de depoſitario fiat dominus & titularius. Quod attinet ad ſecundam, humaniùs eſt Commendam continuari (*d*) & Clericum ſæcularem factum Regularem idem Beneficium retinere in Commendam, quod in ſtatu Regulari poteſt habere in titulum, ex præſumpta mente collatoris : nam qui Beneficium poteſt habere in titulum, non Prohibetur illud habere in Commendam ; & ſumma ratio eſt quæ pro Religione facit, *l. & ſi quis, ff. de Religioſis & ſumptibus funerum.*

VI. Quid ſi Religioſus profeſſus revertatur in ſæculum, an Beneficia dimiſſa recuperabit ; & ſi egrediatur è Monaſterio non Mendicantium, in quo Beneficia Regularia poſſidebat, aut penſiones ſuper illis obtinuerat, an ea Beneficia aut penſiones retinebit. Circa primam quæſtionem reſpondeo, quòd ſi Religioſus ob infirmitatem aliamve cauſam ſupervenientem poſt profeſſionem gratiosè diſpenſatus exeat è Monaſterio non poteſt Beneficia liberè ante dimiſſa recuperare, nam à privatione ad habitum non datur regreſſus ; nec poteſt Beneficia obtinere in ſæculo, aut penſiones ſuper illis, niſi ad hoc fuerit rehabilitatus Reſcripto diſpenſationis, *Rebuff. in tit. de diſpenſatione cum Regularibus, n.* 70. Si verò Religioſus redeat in ſæculum ob nullitatem profeſſionis ſuæ per ſententiam Judicis Eccleſiaſtici declaratam cum Superiore Monaſterii ubi profeſſus fuerat adjuncto, reſtituitur in integrum ut poſſit Beneficia acquirere, & penſiones, & bona temporalia, nec non Beneficia & penſiones, aliaque jura ſpiritualia quæ abdicaverat, recuperare, niſi in Beneficiis ſibi obſtet exceptio (*e*) triennalis poſſeſſoris pacifici : nam ſi profeſſio ſit nulla, renuntiatio ſimul bonorum temporalium & mixtorum, ut ſunt Beneficia quæ profeſſus deſeruit in ſæculo, nulla eſt : & ſicut jura ſucceſſionum quibus renuntiaverat, infirmatâ profeſſione, ei repetere licet, ſic & Beneficia quæ ſimul abdicaverat ex cauſa profeſſionis, eâdem ſublatâ repetere permittitur condictione ſine cauſa, *l.* 1. *ff. eodem* : nam profeſſione ſublatâ, cauſa recidit in non cauſam, ex Concilio Tridentino *loco ſuprà citato*, quo conſtituitur renuntiationem nullum ſortiri effectum niſi profeſſione ſecutâ. Unde ſequitur vim & effectum renuntiationis pendere à profeſſione, & collationes factas ab Ordinario, vel à Papa, Beneficii vacantis ob profeſſionem vitæ Regularis, conditionales eſſe, ſi profeſſio ſit valida ; & ſolvi conditionis defectu ſi profeſſio declaretur nulla, & profeſſus revertatur in ſæculum, tamen ſi proviſus de tali Beneficio per triennium illud pacificè poſſederit, poterit ſe defendere exceptione regulæ de triennali pacifico poſſeſſore, quòd juſtum titulum habeat, & conditio illa quâ titulus poterat reſolvi fuerit purificata per ſilentium triennale profeſsi. Verùm ſi profeſſus poſt triennium reverſus in ſæculum in ſtatu Clericali perſeveret, & inopiâ laboret, æquum eſt ut ei modica penſio aſſignetur ad ſui ſuſtentationem, arbitrio Ordinarii, ſuper fructibus Beneficii dimiſſi. Idem dicitur ſi profeſſus per diſpenſationem in ſæculum reverſus ſit : etſi enim diſpenſatio non habeat effectum retrò ad repetendum Beneficium, tamen habet effectum ad futura, ut ſubveniatur inopiæ diſpenſati ſuper fructibus Beneficii à ſe dimiſſi, ſi ſine dolo aut culpa egreſſus ſit, ex tacita conditione reſignationis, ut in donatione, *l. fin. C. de revoc. donat.*

VII. Ad alteram quæſtionem in præcedenti articulo propoſitam, reſpondetur, quòd

ſi

si Regularis habens Beneficia Regularia in Regulâ laxiori, aut pensiones super illis, dispensetur à Regulâ, & transeat ad vitam sæcularem, Beneficia illa vacant, pensiones finiuntur: nam renuntiando Regulæ censetur etiam renuntiare bonis sibi concessis intuitu ejusdem Regulæ, quæ non nisi Regularibus ejusdem Ordinis debentur, & militiæ desertor stipendia non meretur, *l. non dicas, C. de re militari, lib.* 10. nisi simul fuerit dispensatus ad retinendum illa Beneficia in Commendam in forma novæ provisionis.

SOLIER.

(*a*) EXPLOSA penitus in Gallia professione tacitâ, ut sæpiùs judicatum refert, *Brodell. ad Lovet. litt. C. cap.* 8. *n.* 26.

(*b*) Beneficium Novitii ante professionem non vacat, *c. Beneficium, de reg. in* 6. ubi dicitur Beneficium illius qui Religionem ingreditur non esse intra annum probationis alicui conferendum nisi ad id ipsius accedat assensus: hodiè verò jure Concilii non potest à Novitio nisi infra duos menses ante professionem Beneficium renuntiari nec alteri conferri nisi professione secuta. Sed an Novitio Beneficium conferri possit? Gloss. in d. cap. negat de Beneficio sæculari quia statu dubius non potest militiæ nomen dare, *l. qui statu, ff. de re milit. & l. qui de libertate, ff. de liber. caus.* affirmat autem de Regulari. At Gemmianus & Franchus ibid. glossæ adversantur in utroque: negant enim de Regulari; affirmant de sæculari: quia Novitius adhuc sui juris est & proprium habere potest; ergo est capax Beneficii sæcularis, non autem Beneficii regularis, cum solis professis conferendum decernat *Clem. quia regulares, de suppl. neglig. prælat. & Clem. ne in agro, §. sane privatus, de stat. Monach.*

(*c*) Imò die extingui cum pensio eisdem modis amittatur quibus Beneficium, *Flamin. de resign. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 13. dixi supra *hoc lib. tit.* 12. *litt. k.*

(*d*) Hoc dictum adversatur Senatusconsulto Parisiensi de quo hîc, & juris rationi, nam commenda illa sæcularis est ad favorem sæcularis uti talis concessa, non conditionaliter vel ad tempus ut deficiente conditione, vel tempore elapso de sæculari fieret regularis, quia littera Commendæ aliud cantat, & cum sit actus legitimus non recipit diem neque conditionem, sed purè & ad vitam Commendatarii: non poterit ergo in Commendam regularem transire, nedum sine facto, verùm etiam contra mentem Papæ Commendantis, nec sæcularis ipsa in persona regulari perseverare, cùm respectum habeat essentialem ad statum Commendatarii sæcularem, in quo radicatur & vivit, & cum quo cessare & extingui necesse est per professionem regularem, quæ vera mors civilis est, & idem operatur quod mors naturalis quoad vacationem Beneficii. *Brodell. ad Lover. litt. B. cap.* 12. *in fine.*

(*e*) Quam obstare non credimus ubi per viam justitiæ, & non gratiæ professio intra quinquennium à Concilio Tridentino præfixum, fuit nulla debitè declarata; cùm inducia Juris omnem sistant temporis exceptionem. Et sicut possessio triennalis non obest ad regressum resignanti in infirmitate constituut cùm tandiu duravit infirmitas, *Brodell. ad Lovet. litt. B, cap.* 13. *n.* 12. ita non obest professio dum stante professione impeditur quominus Beneficium repetere possit, juxta decretum *de pacif. possess. in Concordat.* cùmque impedimentum sit publicum, non debuit intimari, nec citiùs removeri, ex quo totum quinquennium ad hoc relinquitur liberum, indultumque à jure Beneficium nemini est auferendum.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. JUSTA *ætas desideratur quæ est sexdecim annorum.* Olim erat in masculo quatuordecim completorum ut in matrimonio, *cap. Significatum, & cap. Cum virum, de Regularibus.*

Eodem N. 2. *Promissio voventis matura & deliberata.* Explosâ jamdiu illâ antiquâ consuetudine, quæ ex sexcentis annis in Ecclesia viguit, ut si pater filium filiamve intra septa Monasterii in Infantiæ annis sub Regulari tradidisset disciplina, non liceret eis, postquam ad pubertatis annos pervenissent, egredi, & matrimonio copulari, ut habetur in Concil. Vormatiensi, *cap.* 22. quin imo ex quo aliquis adultus, & sui Juris etiam non sanæ mentis fuerat in ægritudine à circumstantibus habitu Monastico indutus, si postmodum sanitati restitueretur, cogebatur volens nolens Monachari, & usque ad exitum vitæ instituto Monachali astrictus, in Monasterio permanere, quamvis nihil tale priùs cogitasset, ut constat *ex Concilio Toletano* 12. *cap.* 1. *&* 2.

Eodem N. 2. *Quinquennium præscriptis à professione numerandum.* Istud quinquennium à Concilio Trident. ad reclamandum adversus professionem præfigitur ex præsumpta postmodum tacita ratificatione, ut omnes conveniunt, sed ut professio invalida firmetur per actus tacitam ratificationem inducentes, exigitur ut ratificans norit professionem fuisse nullam & velit eis actibus eam ratificare, ac si denuò emisisset, ut docet *Sanchez de matrim. lib.* 1. *dispen.* 16. *n.* 7. *post Navarrum. lib.* 3. *Consil. de regularibus, in prima edictione Consil.* 36. *n.* 3. *Consilio* 37. *& cons.* 35. *n.* 4. nam si ex ignorantia ratificat, non manet obligatus, sed oportet ut velit ratificare habitâ notitiâ nullitatis professionis, quia error tollit consensum, *L. Si per errorem, ff. de jurisdictione omnium Judicum.*

Eodem N. 2. *& tacita, quæ inducebatur ex triduanâ gestione habitûs quem professi gestare solent.* Hæc tacita professio tribus modis fit, seu censetur: *Primò*, per actus solis professis convenientes de consensu superioris exercitos, *cap. Vidua, de Regularibus: Secundò*, cum quis triduò defert habitum professi, à Novitiorum habitu distinctum, *cap. Ad nostram, de Regularib. & cap. Constitutionem, eod. in* 6. *Tertiò*, cum quis habitum professis simul & novitiis communem, aut occulta distinctione discretum defert anno integro; & in tribus his casibus tempus computatur à die finitæ probationis, sed in Gallia nulla professio tacita recipitur quamvis constitutio Ludovic. XIII. de anno 1629. *art.* 9. quæ

non ſervatur, inductum velit ex geſtatione habitûs profeſſi per quinquennium poſt annum probationis, *Cabaſſut. in theoria & praxi Juris Canonici, lib. 1. cap. 19. n. 9. & 10.*

TITULUS XVIII.

De Simonia & Confidentia.

SUMMARIUM.

I. *In quibus caſibus privatio irrogatur ipſo Jure.*
II. *Simonia ambitus rei ſpiritualis. Simoniâ olim Gallia diffamata. Simonia contra omne Jus.*
III. & IV. *Simonia in Ordinatione. Pro Litteris Ordinum ſalarium datur graphario.*
V. *Simonia non eſt pro operâ miniſtrantis Sacramenta aliquid dare.*
VI. *An ſit Simonia dare pecuniam pro ingreſſu in Monaſterium.*
VII. *Simonia in electione & collatione Beneficii.*
VIII. *Non eſt Simonia in venditione vaſorum ſacrorum.*
IX. & X. *Simonia variis modis committitur.*
XI. *An Simonia ab uno ex Patronis commiſſa vitiet præſentationem.*
XII. *Simonia vera, & interpretativa.*
XIII. *Simonia interpretativa ceſſat authoritate Papæ interpoſitâ.*
XIV. *Simonia vera triplex eſt.*
XV. *Simonia intentionalis.*
XVI. *Simonia conventionalis.*
XVII. XVIII. & XIX. *Simonia realis. Simoniæ pœnæ.*
XX. *An Simonia ab aliis commiſſa noceat proviſo.*
XXI. *An Simonia interpretativa afficiat cætera Beneficia.*
XXII. *Confidentia germana Simoniæ eiſdem pœnis obnoxia.*
XXIII. XXIV. & XXV. *Simonia & confidentia probantur indiciis. Ad probandam Simoniam teſtes ſingulares & criminoſi admittuntur.*
XXVI. & XXVII. *Simonia non eſt dare pecuniam pro Litteris Simoniam probantibus recuperandis. Simonia non eſt vexationem redimere.*
XXVIII. *Simonia & confidentia quandocumque Litteris probari poſſunt. Simonia non probatur teſtibus. Arreſta.*
XXIX. *A Simonia & confidentia abſolvere qui poſsint.*

I. DE renuntiatione expreſſa & tacita Beneficii ſuprà diximus; ſequitur ut agamus de privatione Beneficii, quæ inducitur ipſo Jure ob delictum & exceſſum commiſſum in certis caſibus in Jure expreſſis: nam extra illos caſus pœna depoſitionis aut privationis ipſo Jure non irrogatur: caſus (*a*) autem in quibus pœna ipſo Jure irrogatur, ſunt, Simonia, Confidentia, Hæreſis; Si quis Clericum ceperit, captumve detinuerit ut cogeret eum dimittere Beneficium; ſi quis injuſtè ſe intruſerit in Beneficium Curatum; homicidium qualificatum, falſi crimen commiſſum in Litteris Apoſtolicis, crimen Læſæ-Majeſtatis, & ſodomiæ.

II. Simonia eſt ſpecies ambitûs in rebus ſpiritualibus aut mixtis: ſicut enim Lex Julia prohibuit ambitum in muneribus civilibus, ne candidati congiariis & largitione pecuniæ ea appeterent, ſic Lex Eccleſiaſtica in rebus Eccleſiæ ambitum prohibuit. Dicta eſt Simonia à Simone Mago, qui, ut refertur *Actorum c.* 8. impiè æmulatus gratiam Apoſtolorum, jactitabat Dona Spiritûs Sancti ſe pecuniâ venundare. Quo crimine Gallia fuit olim diffamata, ut conſtat ex Epiſtola Sancti Gregorii 117. *lib.* 7. ſcripta Regi Theodeberto, in hæc verba, *Fertur ſimoniæ hæreſis in veſtris Regni partibus dominari*: & ex Concilio Alverniæ *relato in c. quæſitum, c.* 1. *q.* 31. Verùm Conſtitutionibus noviſſimis ſimonia & confidentia ab hoc Regno eliminatæ ſunt, nam ſimonia eſt contra Jus Naturæ & Gentium: ſiquidem res ſacræ, ſanctæ, ſpirituales, & mixtæ, non recipiunt æſtimationem, ſunt extra commercium, §. *Sacræ res, Inſt. de acquirendo rerum dominio.* Contra Jus Divinum, *Matthæi c.* 7. *Gratis accepiſtis, gratis date*: ut memorabili exemplo oſtenſum fuit in Epiſcopo hujus criminis reo, qui in Synodo juſſus ab Hildebrando (*b*) Præſide dicere *Gloria Patri*, prolatis illis verbis, *Gloria Patri & Filio*, obmutuit in ſequentibus, pronuntiare non potuit, *& Spiritui Sancto*, ut refert Baronius *Annalium* 1055. Eſt contra Jus Eccleſiaſticum, ut conſtat ex Conciliis, & Conſtitutionibus Pontificiis,

relatis à Gratiano, *causa* 1. *q.* 3. *& sequentib. & in titulis Decretalium de simonia*; & contra Jus Cæsareum, *ut patet ex l. quemquam, C. de Episcopis & Clericis, & Novella 6. c.* 1. §. 9.

III. Hoc crimen committitur, si pro Ordinibus suscipiendis ordinanti quid datum promissumve sit, *c.* 1. *& c. ex tuæ, de simonia:* apud Gentiles reus erat ambitûs ex Lege Juliâ qui largitione pecuniæ Sacerdotium obtinuisset, *l.* 1. *ff. de Lege Juliâ ambitûs, l. si quis, ff. de pollicitationibus, l.* 16. §. 1. *ff. de muneribus:* & Constitutione Gallica Blesensi distinctè prohibentur Episcopi pro collatione Ordinum, aut Litteris dimissoriis, aut Sigillo, quidquam exigere, quovis colore, directè, vel indirectè; & tam dantes quàm accipientes simoniaci censentur: graphario tamen, si non habeat stipendia congrua, pro Litteris Ordinum decimam nummi partem licet exigere, ex eadem Constitutione, juxta Concilium Tridentinum *sess.* 21. *de reformatione c.* 1.

IV. Munusculum datum ordinanti ante vel post ordinationem non est prohibitum, *c. & si quæstiones, de simonia*, nisi adsit in ordinatione aliquod Juris impedimentum, alioquin ordinans non censetur inductus traditione aut spe rei modici pretii, nisi constet de mente illius aliter Ordines conferre nolentis: eo enim casu etiam in re levi (*c*) simonia committitur tum ex parte dantis tùm ex parte accipientis, *c. ex tuæ, de simonia*, sicut in usura, *c. consuluit, de usuris.* Idem dicitur de præsentante, *ibidem*, & de institutione, electione, & collatione Beneficii.

V. *Secundò*, simonia committitur in administratione Sacramentorum, si ministrans aliquid petat aut accipiat pro ipso Sacramento, vel pro ministerio: si verò quid petat aut accipiat pro suâ operâ & labore ad sui sustentationem, nulla simonia est, *Toletus lib.* 5. *c.* 88. nam Clerici qui serviunt Altari debent vivere de Altari, *c. alia causa* 16. *q.* 1.

VI. *Tertiò*, simonia committitur in Monasteriis, si quid detur ut vovens admittatur ad professionem voti, pro suffragio Religiosorum, & Superioris admittentis, ad privatam eorum utilitatem, ut pecunia data inter eos dividatur: pro tali suffragio pecunia dari non potest, ut liberum sit suffragium, ne indigni & incapaces ad Religionem admittantur, *c. tua nos, de simonia*: idem cautum fuit, *c.* 140. *Legis Franciæ, Molin. in Arrestis Curiæ Parisiensis, n.* 103. *Chopinus de sacra Politia lib.* 1. *c.* 8. *n.* 12. Verùm si quid detur pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ, reparationibus, aut mensa communi, si Monasterium sit inops, nulla labes simoniæ est, & conventio facta de ea re inter œconomum & parentes professi aut professæ, licita est, & efficaciter obligat, ex sententia eorundem Doctorum, & Theologorum, *Toletus loco citato:* etsi enim suprà dictum sit, quòd apud veteres pro obtinendo Sacerdotio aliquid dare non licebat; tamen ut est apud Suetonium in Claudio *c.* 9. pro novo Sacerdotio expensa fieri solebat.

VII. *Quartò*, simonia committitur in electionibus, collationibus, institutionibus, renuntiationibus, nominationibus, & præsentationibus: in quibus tamen casibus aliquid dari solet pro Litteris Beneficialibus, visâ, & formâ dignum; & Constitutione Gallicâ suprà citatâ modus ille taxatur, ne transcendat numnum, quem modum Ordinariis excedere non licet sine labe simoniæ; & consuetudo contraria, ut turpis & illicita, non excusat. Tamen quamvis in casibus supradictis sit excessus, & accipiens peccet, & teneatur ad restitutionem, qui coactus solvit non peccat, nec simoniacus censendus est, *Rebuff. tit. quibus modis Beneficia amittantur, num.* 13. Ante collationem, electionem, vel institutionem, aliquod onus imponi potest Beneficio pro necessitate Ecclesiæ; at si in ipsa electione aut collatione imponatur simonia est, *c. significatum, de Præb. D. Thomas* 2. 2æ. *q.* 100. *art.* 4. *Riccius decis.* 567.

VIII. *Ultimò*, in rebus spiritualibus & mixtis simonia committitur, in quibus spiritualitas prævalet temporalitati; nimirum in Beneficiis, Jure Patronatûs, & aliis rebus similibus: si verò temporalitas prævaleat spiritualitati, res eæ vendi possunt sine labe simoniæ, ut si vasa aut vestimenta sacra venundentur, habitâ ratione solius materiæ & formæ corporeæ; nam si qualitas spiritualis in æstimationem deducatur; simonia est, *Toletus loco citato, c.* 87.

IX. Variis autem modis simonia committitur. *Primò*, si pecunia aliave res temporalis cedat loco pretii ex pacto convento, *c. cùm essent, de simonia*; ut si pecunia data promissave sit, vel debitor liberatus, *l.* 1. *&* 2. *ff. de calumniatoribus:* Si soror aliave consanguinea resignatarii valdè dilecta detur in uxorem resignanti, aut fratri, aut nepoti ejusdem, aliive familiari, vel amico, ex pacto resignationis ut plerumque fieri solet: at si

nullum pactum præceſſerit, nulla ſimonia eſt, *c. & ſi quæſtiones, & c. Tua nos, de ſimonia*: tamen in Foro externo ex conjecturis & circumſtantiis temporis & conſanguinitatis perſonarum pactum præſumitur præceſſiſſe, licèt in Foro interno conjecturæ non attendantur.

X. *Secundò*, ſimonia committitur ſi res ſpiritualis aut ſpirituale obſequium detur loco pretii; ut ſi Beneficium pro ſuffragio electionis ad Eccleſiaſticam Dignitatem promiſſum ſit, vel contrà, *c. de hoc, de ſimonia*, converſo in pretium Deo, ut ait Poëta, ſi ex pacto id fiat, ſecùs ſi gratis, & per modum liberalitatis, *c. Tua nos, de ſimonia*, ubi notat Panormitanus intentionem ſecundariam dantis non nocere, vide ſuprà *n.* 4.

XI. *Tertiò*, ſi in renuntiatione, præſentatione, collatione, vel inſtitutione, alia conditio adjiciatur quàm quæ ineſt actui ſecundum ſui naturam, ut de renuntiatione & collatione ſuprà diximus. Sic præſentatio ſimoniacè facta videtur, ſi Patronus in eâ eam conditionem adjiciat, ut præſentatus aliquid eroget in utilitatem Eccleſiæ, vel augeat ſervitium Eccleſiæ, *Riccius cum multis quos citat deciſ.* 225. ubi etiam illam quæſtionem ſolvit de præſentatione facta à pluribus Patronis, an vox ſimoniaca unius vitiet totam præſentationem, reſpondendo non vitiare ſi Patroni præſentaverint ut ſinguli; & vitiare ſi præſentaverint ut univerſi. Verùm ſi ſimonia ſpectetur ex capite præſentati, vel parentum aut amicorum illius, qui muneribus vocem illius Patroni obtinuerunt, ſive præſentato ſciente, ſive eo ignorante, talis ſimonia vitiat præſentationem, & inſtitutionem ſubſecutam; ut ſic inutile ſit diſtinguere ſi Patroni præſentaverint ut ſinguli, vel ut univerſi, cùm utroque caſu reſpectu præſentati præſentatio unus idemque actus cenſeri debeat, & ſimoniaca ſit.

XII. Quando pecunia, aliave res temporalis, aut officium temporale, datur aut promittitur pro re ſpirituali, vera ſimonia eſt: cùm verò res ſpiritualis aut ſpirituale obſequium datur pro re ſpirituali, vel in renuntiatione, præſentatione, electione, collatione, vel inſtitutione, aliqua conditio adjicitur præter naturam actûs, eſt ſimonia interpretativa. Sic duæ ſpecies ſimoniæ diſtingui poſſunt; vera & interpretativa. Prima prohibetur, quia ſimoniaca eſt in ſuo genere. Altera cenſetur ſimoniaca, quia prohibita eſt in ſua ſpecie. Simonia vera ſemper ligat, quia Jure Divino prohibita eſt, non ſolùm in Ordinibus, ſed etiam in Beneficiis Ordinibus annexis, aliiſque rebus ſpiritualibus & mixtis, *c.* 1. *cauſ.* 1. *q.* 3. Et ſi tale pactum inadvertenter admittatur in Reſcriptis Apoſtolicis, appellare licet ab executione tanquam ab abuſu, *Molin. de publicandis reſignat. n.* 19.

XIII. At ſimonia interpretativa ceſſat in caſibus in Jure permiſſis: nam cum hæc ſpecies oriatur ex ſola prohibitione Canonis, in caſibus Jure Canonico permiſſis argui non poteſt. Sic permutatio Beneficiorum rectè fit authoritate Papæ vel Ordinarii interpoſitâ, quoniam novis Conſtitutionibus prohibitio Juris antiqui, quæ tali permutationi obſtabat, ſublata eſt. Sic reſignationes in favorem, & ceſſiones Beneficiorum, cum retentione penſionis, aliiſve conditionibus licitis & honeſtis, quæ commercium redolere videbantur, licitè fiunt coram Summo Pontifice, quoniam ejus authoritate prohibitio Juris tollitur.

XIV. Rurſus ſimonia vera triplex eſt, mentalis, conventionalis, & realis. Mentalis in ſola mentis intentione conſiſtit nondùm deductâ in pactum & conventionem. Conventionalis, in ſola conventione nondùm deductâ ad actum & executionem. Realis dicitur ſi ad executionem deducta ſit, vel ex parte utriuſque, vel ex parte alterutrius, (*d*) & res integra eſſe deſierit.

XV. Sola intentio ſimoniaca non nocet in Foro externo quoad pœnam temporalem at nocet in Foro interno quoad peccatum, & pœnam æternam, *Joannes Andreas in c. Tua nos, de ſimonia.*

XVI. Sola conventio ſimoniaca non inducit vacationem Beneficii ipſo Jure, quoniam in pœnalibus verba cum effectu ſunt accipienda, *l.* 1. *ff. Quod quiſque juris, Adrianus quæſt. quolibetica* 90. *Caietanus, Soto, & alii quos refert Toletus lib.* 5. *c.* 93. *Molin. de infirmis reſignant. n.* 206. Tamen reus qui conventioni ſimoniacæ conſenſit, non debet impunis abire, quia Canones non ſolùm prohibent executionem, ſed etiam ipſam conventionem.

XVII. De ſimonia reali diſtinguitur: aut enim perventum fuit ad dimiſſionem Beneficii & collationem factam reſignatario, electionem vel inſtitutionem factam ad præſentationem Patroni, & ſolutionem pecuniæ, aut præſtationem muneris promiſſi, & in reos

hujus criminis variæ pœnæ decernuntur: nam renuntiatio, nominatio, electio, collatio, & inſtitutio, ſimoniacæ, ſunt nullæ; Beneficium de quo agitur ipſo Jure vacat, *Extravag. cùm deteſtabile, de ſimonia:* poſſeſſor ſimoniacus Beneficii tenetur ad reſtitutionem fructuum, *ibidem:* dantes & accipientes excommunicantur, *ibidem*; deponuntur non ſolùm Beneficio ſimoniacè adepto, ſed etiam aliis non ſimoniacè obtentis poſt ſimoniam commiſſam, *ex Conſtitutionibus Pii IV. & Pii V.* in hoc Regno uſu receptis: nam fiunt inhabiles ad alia Beneficia, & munera Eccleſiaſtica, *c. Statuimus, & c. Erga ſimoniacos* 1. *q.* 1. ſive pecunia numerata fuerit, ſive promiſſa ſit, *c. Cùm ſuper, de confeſsis, Toletus loco citato:* cæteris verò Beneficiis ante ſimoniam commiſſam obtentis (*e*) non privantur ipſo Jure; nam pœnæ non ſunt extendendæ, *c. Odia, de regulis Juris*; & in quo quis peccaverit, debet puniri: at cætera Beneficia ab eodem obtenta poſt ſimoniam commiſſam, licèt non ſimoniacè obtenta ſint, vacant ob incapacitatem illius, & excommunicationem incurſam ſi abſolutus non fuerit à Papa, ut dicemus infrà, *juxta Extravag. cùm deteſtabile, de ſimonia.*

XVIII. Præterea dantes actionem nullam habent quâ repetant pecunias ob eam cauſam datas: nam cauſa turpis eſt, *l. ubi autem, ff. de condict. ob turpem cauſam, Papon lib.* 3. *Placitorum, tit.* 12. *n.* 2. accipiens eas non facit ſuas, nec poteſt pauperibus erogare, *c. non eſt, c.* 1. *q.* 1. & Conſtitutionibus Civilibus tenetur in duplum: idem de Proxenetis dicitur, *Auth. ſi quemquam, C. de Epiſc. & Cler. Nov.* 123. *c.* 2. & illud diſtribuitur Eccleſiæ cui injuria illata eſt, vel ab Ordinario aut Confeſſario pauperibus erogatur, *Toletus loco citato.*

XIX. Aut Beneficium nondùm fuit dimiſſum, & neque dans nec accipiens incurrit pœnam depoſitionis, excommunicationis, & irregularitatis, nec Beneficium de quo agitur ipſo Jure vacat, tamen uterque mortaliter peccat; accipiens tenetur ad reſtitutionem, ut dictum eſt ſuprà; & ob eam cauſam, ſi delictum ſit notorium & ſcandaloſum, Beneficio de quo agebatur Judicis ſententiâ privari debet, *c. ſuper hoc, verb. pecuniæ, de renuntiatione. Molin. de infirmis reſignantibus, n.* 206.

XX. Tamen in ſupradictis caſibus ignorantiæ parcitur, non Juris ignorantiæ, ſed ignorantiæ facti ſi delictum ab alio commiſſum fuerit: nam ambitio parentum obeſt quidem filio ad Eccleſiæ munus adipiſcendum, *c. ſi quis inſaniens, cauſ.* 15. *q.* 1. & proviſio ſimoniaca non ſimoniaci nulla eſt, ſi per ſimoniam à ſuis parentibus vel amicis commiſſam ipſe ignorans proviſus fuerit, *c. nobis, & c. ex inſinuatione, de ſimonia*, niſi per inſidias ab alio ſimonia commiſſa fuerit, ut ejus electio, collatio vel inſtitutio irrita foret, *d. c. nobis.* At ſimonia ab aliis commiſſa non imputatur ignoranti ad pœnam excommunicationis, privationis aliorum Beneficiorum, irregularitatis, (*f*) & reſtitutionis fructuum, ſi proviſus ſimul atque certus factus eſt de ſimonia ab aliis commiſſa in proviſione ſua, Beneficium dimiſerit, *d. c. ſi qui inſaniens, & c. præſentium* 1. *q.* 5.

XXI. Idem dicitur de ſimonia interpretativa, quæ committitur, contra prohibitionem Canonis, in renuntiationibus & tranſactionibus initis de Beneficio litigioſo, ſine authoritate Summi Pontificis; & titulum vitiat, ſed reis non imputatur ad pœnam, & privationem aliorum Beneficiorum, *c. conſtitutus, de tranſact. & ibi gloſſ. & Molin. in verb. audiatis, Duarenus de ſacris Eccleſiæ miniſteriis, lib. 6. c.* 2. *Garcias parte* 8. *c.* 1. *n.* 38.

XXII. Idem de confidentiis videbatur dicendum: ſed Pius IV. pœnas latas contra ſimoniacos extendit contra confidentiarios, quòd confidentia ſit germana ſimoniæ, & ſpecies ejuſdem generis, quòd ambitus appellatur in rebus Eccleſiæ, ut enim ſimoniacus ambit Beneficia largitione pecuniæ, aliorumve rerum, ſic confidentiarius ambit Beneficia datâ fide de cuſtodiendo & dimittendo ad libitum reſignantis, vel interceſſoris, vel certa penſione præſtanda: at in hoc differunt, quòd ſimonia ſapit naturam emptionis; & non ſolùm in Beneficiis, ſed etiam in aliis rebus ſpiritualibus & mixtis locum habet. Confidentia ſapit naturam depoſiti, quod fit ad cuſtodiam; aut locationis, quæ fit ſub certa mercede, & penſione annua: nec minùs damnoſa eſt Eccleſiæ confidentia, quâ per interpoſitas perſonas Laïci & interdùm Hæretici diſponunt de rebus Eccleſiæ; & miſeri confidentiarii, ut ſervi, ab eorum nutu pendentes, & diabolo mancipati, pro modica mercede negligunt res Eccleſiæ. Idcirco cùm Sanctus Ludovicus Conſtitutione ſua ſanctiſſima *anni* 1288. edixit, *Simoniæ crimen, peſtiferum Eccleſiam labificans à Regno noſtro penitus eliminandum eſſe volumus & jubemus*, putandum eſt nomine ſimoniæ confiden-

tiam eum comprehendiſſe : & Conſtitutiones novæ , quibus regula de publicandis reſignationibus obſervari videtur in Galliâ , ad confidentiam arcendam factæ ſunt ; & juxta Conſtitutionem Pii IV. confidentia eiſdem pœnis (*g*) quibus ſimonia punitur.

XXIII. Simonia & confidentia arguuntur indiciis & præſumptionibus Juris nempè ex mutuo contracto paulò ante reſignationem , vel pòſt , ſi ex actuum ſimultaneitate , intuitu reſignationis , mutuum contractum eſſe conſtet , aut debitorem liberatum : nam modicum temporis intervallum non inducit actuum diverſitatem , *l. ſi ventri* , §. *fin. ff. de privil. credit.* ex retentione poſſeſſionis , *l. ſicut* , §. *ſupervacuum* , *ff. quibus modis pignus vel hypotheca ſolvitur* : quâ conjecturâ regula de publicandis reſignationibus declaravit Beneficium reſignatum vacare per obitum reſignantis , ſi poſt ſex menſes à die reſignationis admiſſæ elapſos reſignans in poſſeſſione deceſſerit , ut diximus ſuprà , ex pactis collationem , electionem aut præſentationem præcedentibus , aut brevi poſt ſecutis , *Innocentius in c. quæſitum , de rerum permutat. Ancharanus in c. cùm olim , eod. tit. Mohedan. de ſimonia deciſ.* 1. ſi talia pacta ſint relativa ad electionem , collationem , reſignationem , aut præſentationem factam , vel faciendam ; & aliis conjecturis quibus fraus & dolus & ſimulatio arguitur , *Flaminius de reſignatione lib.* 14. *c.* 7. *Garcias parte* 11. *c.* 37. *n.* 170. Et Conſtitutionibus Pii IV. reſolutum fuit has conjecturas admittendas eſſe ad probandam confidentiam , ſi reſignans poſt ceſſam à ſe Eccleſiam, Monaſterium, vel Beneficium , & publicatam reſignationem , ſeu ceſſionem , captamque à ſucceſſore poſſeſſionem , ſeſe in illa , illove , aut rebus illius , per ſe , vel alium , de facto ingeſſerit , aut fructus perceperit , aut quicumque ſucceſſor reſignanti , vel ejus propinquis , illos fructus aut partem aliquam remiſerit eorumdem ; ſi reſignatarius conſtituerit reſignantem , vel ejus parentes , aut Propinquos , Procuratores ad percipiendum vel locandum fructus Beneficii dimiſſi ; & illi , vel illis , de fructibus perceptis aut percipiendis donationem fecerit ; ſi vel ſola Procuratoris depoſitione , vel Libris rationum menſariorum , ex parte reſignantis expeditio , quæ reſignatarium concernit , proſecuta ſit , ſimulque expenſæ ab eo factæ fuerint. Denique , ſi quis pro conceſſione alicui factâ quâcumque authoritate , de Beneficio Eccleſiaſtico , per ſe , vel alium , ſeu alios interceſſores , vel aliàs in negotio conceſſionis ſe immiſcuerit quocumque modo ; deinde de fructibus talis Beneficii aliquid de facto , etiam per manus poſſeſſoris , ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit , ſeu de illo ad voluntatem interceſſoris poſtmodùm quomodocumque diſpoſitum fuerit ; teſtes autem de quâque re ſingulares probare valeant , præſumptiones & conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis ; cæterùm criminoſi , & cæteri omnes qui ad perhibendum teſtimonium recipi non poſſunt , ad prædicta omnia admittantur : hæc ſunt Conſtitutionis verba.

XXIV. Ex quibus conſtat ſatis eſſe in hac materia quòd ex opere conſtet de intentione reſignantis , aut reſignatarii , quamvis occulta ſit intentio alterius , *Garcias parte* 11. *c.* 3. depoſitionem Procuratoris , vel alterius qui particeps eſt ſceleris , facere plenam fidem,(*h*) tametſi regulariter in criminibus depoſitio ſocii contra ſocium non faciat plenam fidem , ſed ſolùm indicium ad torturam, *Papon Placitor.* 24. *tit.* 8.

XXV. Quod de conceſſione fructuum aut ſolutione penſionis dicitur , etiam in præſtatione aut ſolutione facta per colonum locum habet , *Gigas de penſionib. q.* 49. juxta regulam, *qui per alium facit, per ſe facere videtur.* Verùm hæc præſumptio ceſſat ſi ex circumſtantiis perſonarum & rerum , præſtationem illam ſpontè & gratuitò factam eſſe conſtet ob ſingularem affectionem perſonarum , & memoriam Beneficii accepti , nam ſine pacto ſimonia aut confidentia non committitur.

XXVI. Tamen ſi quis alterum ſimoniæ aut confidentiæ accuſare volens , ut Beneficium ab eo injuſtè poſſeſſum obtineat , alteri pecuniam dederit aut promiſerit ut ſibi documenta exhibeat , ſimonia nulla eſt , nec turpitudo ex parte dantis vel accipientis , *l.* 4. *ſub finem* , *ff. de condict. ob turpem cauſam* ; nec turpiter datur ut accipiens nuntiet mortem poſſeſſoris Beneficii vacaturi , *ex eadem l.* §. 4. ubi dicitur indicium datum alteri ad furem indicandum repeti non poſſe ; quo loco nomine indicii ſignificatur pecunia data ad indicandum furem. Verùm qui dat pecuniam teſti ut contra ſimoniacum deponat , incidit in crimen falſi , & teſtis depoſitio rejicitur : & pactio ſimoniaca dici non poteſt , ſi agatur de re temporali Eccleſiæ conſervandâ , aut recuperandâ ; nec ſi agatur de jure ſpirituali Beneficii conſervando , lite vitandâ , aut ſopienda. Sed in ultimo caſu , pac-

tio simoniæ suspecta censetur in jure nisi facti specie propositâ, à Papa fuerit approbata, ut dictum est suprà *tit.* 13.

XXVII. Quod autem de testibus criminosis dicitur in Constitutione Pii IV. admittendis ad probandam simoniam, intelligi debet de his qui se emendaverunt, qui zelo Justitiæ sine animo calumniandi deposuerunt, qui perjuri non sunt, quorum fides aliis adminiculis adjuvatur, & qui rei non sunt inimici, *c. Licet Heli, & c. Per tuas, de simonia.*

XXVIII. In Galliâ, si simonia aut confidentia litteris probetur, accusator aut devolutarius quandocumque admittitur, non obstante regulâ de triennali pacifico possessore, in quâ simonia & confidentia excipiuntur, & præscriptione vicennali, quâ querelæ criminum extinguntur, *l. quisquis, C. de falsis :* nam simoniaci & confidentiarii, cùm sint irregulares, & excommunicati, in spiritualibus Beneficio Juris uti non possunt, ab Ecclesia semper repelluntur. At si hæc crimina non probentur litteris, post vicennium querela admitti non potest, obstante Constitutione Civili, quæ etiam in causis Ecclesiasticis locum habet ob publicam tranquillitatem, tùm quia reus intra decursum longi temporis, si nocens esset, fuerit absolutus in Foro interno, pœnitentiam egerit, & resipuerit : & si esset innocens, probationes quibus accusatoris testimonia repellere poterat intra idem tempus amiserit : & calumniari præsumitur accusator qui differt accusare in id tempus quo probatio periit, *l. Cùm quidam C. de fide instrumentorum.* Si verò querela proponatur intra vicennium, aut nititur conjecturis validis, semiplenam probationem facientibus, ex actis vel instrumentis causæ resultantibus, & in supplementum probationis testes admittuntur, & monitoriis uti licet ad testes cogendos, *Fevret lib. 7. c. 2. n. 3. aut* desunt conjecturæ, & devolutarius non auditur simoniam aut confidentiam testibus probare volens, *ex Constitutione Molinensi, art.* 54. quâ cavetur ne si de summa pecuniaria majori centum libris agatur, res aliter probetur quàm instrumento publico, aut scriptura privata à parte scripta & signata : quæ procul dubio in causis Beneficialibus locum habere debet in quibus apud nos in Foro sæculari non agitur criminaliter de Beneficio, sed civiliter : alioquin tanta hodie est Clericorum & parentum eorumdem libido, & testium facilitas, quod si criminaliter per inquisitionem possessores Beneficiorum impetere liceret, pauci sanè essent securi. Ita judicatum fuit in magno Consilio, in gratiam Ruffi Canonici Sancti Salvatoris Aquensis, contra devolutarium offerentem probare confidentiam testibus : Et alio Arresto Parlamenti hujus Provinciæ, mensis Novembris anni millesimi sexcentesimi quadragesimi sexti, contra devolutarium arguentem confidentiam possessoris, licèt haberet levem conjecturam, ex Epistola Resignantis scriptâ possessori, & testibus confidentiam probare vellet. At si non agatur de Beneficio in Foro sæculari, sed de delicto simoniæ commisso in Beneficio, vel ordinatione, in Foro Ecclesiastico agitur criminaliter per inquisitionem testium intra vicennium; & si de crimine constet ex testium depositione, accusatus accusatione pendente suspenditur à solemni celebratione Missæ, & convictus deponitur, *c. Accusatum, de simonia :* quo casu Beneficium illius impetrare non licet donec de crimine constet ex confessione illius, aut Judicis sententiâ : de possessione Beneficii coram Judice sæculari agitur ; & si de simonia aut confidentia agatur, ad eum spectat cognitio horum criminum, quoniam illa non solùm titulum afficiunt, sed etiam possessionem Beneficii, *Molineus ad regulam de publicandis resignat. n.* 31.

XXIX. A simonia & confidentia solus Papa absolvit, *c. Nobis, de simonia :* quod regulariter fit dimissis Beneficiis ; fit etiam gratiosè eisdem retentis sub certa eleemosina, si persona sublimis pro oratore intercesserit : Legatus verò absolvere non potest nisi eam habeat facultatem in mandatis, aut crimen sit occultum : tunc enim ex mandato Legati, aut Episcopi, cui Concilio Tridentino datur potestas absolvendi in casibus occultis, excepto homicidio voluntario, & aliis deductis in Forum contentiosum, Confessarius potest absolvere ; aut nisi simonia ab alio sit commissa, quo casu provisus simoniacè, si simoniacus non sit, post liberam resignationem potest ab Episcopo dispensari ut in eandem Ecclesiam admittatur ; vel à Papa aut Legato impetrare Litteras *perinde valere*, si jus alteri nondùm sit quæsitum, *c. Ex insinuatione, de simonia, c. Si alicujus, de elect.* Verùm absolutio Legati vel Episcopi in casibus occultis prodest reo tantùm in Foro interno, *non in* Foro externo, si post absolutionem illam reus postuletur & accusetur ejusdem criminis in Judicio, *Riccius decis.* 518. *Vide infrà titulum* 39. *sub finem.* Et si simonia ab alio fuerit commissa, absolutio Legati vel Episcopi prodest etiam in Foro externo, ex capitulis suprà citatis.

SOLIER.

(*a*) QUADRAGINTA duos casus, in quibus Beneficia vacant ipso jure cumulat, *Gonzal. ad Regul.* 8. *Gloss.* 15. *à n.* 3. *usque ad n.* 133. & centum & quatuor effectus & discrimina vacationis seu privationis ipso jure, vel per sententiam, ponit *Tiraquel. in L. Si unquam, verb. revertatur, ex num.* 168.

(*b*) Is Hildebrandus, qui postmodùm fuit Romanus Pontifex, Gregorius VII. dictus vir magni ingenii, & animi, ac eximiæ Sanctitatis, quidquid in contrarium nefariè latret lividus Molineus, fuit Cardinalis creatus à Leone IX. & Legatus à latere in Gallias missus à Victore II. ad corrigendos Simoniacos, & alios Ecclesiæ Gallicanæ abusus, ubi Synodo habita in Provincia Lugdunensi, cùm Episcopus de simonia accusatus crimen confiteri detrectaret, repente jussus ab Hildebrando dicere, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, Patrem & Filium expeditè pronuntiavit; sed Spiritum sanctum in quem peccaverat, nequaquam potuit; cumque divino se judicio convictum cerneret simoniam confessus est, & depositò Episcopatu mox Spiritum quoque sanctum liberè pronuntiavit, eoque miraculo in tantùm perterriti fuere cæteri simoniaci, ut viginti septem inferiores Prælati: Episcopi verò quadraginta quinque se simoniacos fuerint confessi & sponte dignitates suas abdicaverint, cujus rei plures extant testes relati à Baronio & Spondano ad annum Christi 1055.

(*c*) Ut de summa sex solidorum est, *Gloss. ult. in §. ult. Proëm. decret. & in cap. Etsi quæstiones, in verb. Æquum de simon.* quia in his parvitas rei non attenditur, sed effectus & intentio, *Gloss. in d. §. ult.*

(*d*) Imò per subsecutam ex altera tantùm parte pacti simoniaci executionem non dicitur simoniæ conventionalis terminos egredi, nec in realem abire, nisi hinc inde saltem pro parte fuerit executioni demandatum, ut firmat post alios quos citat *Flamin. de consid. q.* 1. *n.* 141. & 142. contra Cajetanum & Sotum tenentes simoniam ex una tantùm parte executam transire in realem si complementum fiat ex parte illius, qui promisit spirituale & secus esse in implemento promittentis temporale, quam distinctionem latè refellit *Navarrus in manuali, cap.* 23. *n.* 4. unde ante resignationem simoniacam à neutra parte incurritur excommunicatio, nec vacat Beneficium ipso jure licet pecunia promissa soluta fuerit, ut ipse docet Author *hoc tit. n.* 19. quamvis è contrà post resignationem hujusmodi & secutam collationem vacet eo ipso, etiamsi pecunia non fuerit soluta, *text. est apertus in cap. Ea quæ* 1. *q.* 3. *Garc. de Benefic. p.* 8. *cap.* 1. *n.* 25. quia in primò casu ingressus non est vitiosus, in secundo sic. Non tamen incurruntur aliæ pœnæ nisi solutâ pecuniâ, ex quo non habent locum nisi in simonia reali, ut est communis sententia.

(*e*) Vult Author simoniacum realem non privari ipso jure Beneficiis ante simoniam legitimè obtentis, & idem tenet *Lotter. de re Benefic. lib.* 3. *q.* 29. *n.* 61. & 62. Sed magis placet sententia affirmativa, quam tenet *Garc. p.* 8. *cap.* 1. *n.* 20. *per extravag. cum detestabilis, de simon. inter commun.* quæ omnes pœnas anteà contra simoniacos à summis Pontificibus quomodolibet latas, aliàs tantùm per sententiam imponendas, ipso jure incurri decernit. Et quamvis Lotterius neget sacros Canones aliquid unquam decrevisse in articulo privationis Beneficiorum ante simoniam obtentorum, tamen contrarium convincitur *ex cap.* 2. *de confessis*, ibi; *ipsum per definitivam sententiam duximus ab omni Beneficio & Officio Ecclesiastico deponendum*, aliisque juribus per Garciam allegatis, *ibid.*

(*f*) Supponit Author hîc & num. præcedenti quod simoniacus realis sit irregularis: & tenet etiam *Flamin. de resignat. Benefic. L.* 14. *quæst.* 2. *n.* 11. quod tamen nullo jure cavetur, & sic contrarium est tenendum, cùm certum sit irregularitatem non incurri nisi in casibus à jure expressis, *cap. Is qui, de sent. excomm. in* 6. unde jure meritò irregularem negant *Navarrus Consil.* 91. *de simon. Suares de Religion. eod. tit. cap.* 56. *n.* 20. *Garç. de Benefic. p.* 8. *cap.* 1. *à n.* 66. *dixi ad Flamin. de consid. q.* 61.

(*g*) Et pluribus aliis, nam *primò* præter excommunicationem Papæ reservatam, privationem obtentorum & inhabilitatem ad obtinenda, quas ipso jure æquè incurrunt simoniacus realis & confidentiarius, iste insuper privatur ipso jure omnibus fructuum reservationibus & pensionibus etiam antea legitimè concessis, aliisque rebus Ecclesiasticis, ut cavetur Constitutione Pii V. contra confidentiarios ad Constitutionem Pii IV. accessoria. *Secundò*, de omnibus officiis Romanæ Curiæ ac temporalibus ipso jure jacturam facit eâdem Constitutione. *Tertiò*, Beneficia per confidentiam vacantia sunt Sedi Apostolicæ reservata utraque piarâ Constitutione. *Quartò*, fructus malè percepti ob confidentiam spectant ad Cameram Apostolicam eisdem Constitutionibus, quas tamen quoad Galliam modificavit Sixtus V. per suam Constitutionem 66. incipientem, *Pastoralis Officii*, voluitque Beneficia ob confidentiam in Regno Galliæ posse conferri ab Ordinariis collatoribus, perinde ac si reservata non essent & fructus malè perceptos ab eisdem posse applicari in usum & reparationem Ecclesiarum, in quibus confidentia fuit commissa, & demque dat facultatem Nuntio ibi existenti & Legato Avenionensi ab ea absolvendi. Cæterum advertendum est. *Primò*, solùm realem simoniacum in Ordine vel Beneficio ipso jure excommunicari *Extravag. cum detestabile, de simon.* ex communi Scribentium interpretatione: quamvis idem velit in conventionali *Duarenus, de Benefic. lib.* 8. *cap.* 6. *Secundò*, conventionalem esse inhabilem ad obtinenda, Constitutione Pii V. incipiente *cum primum* à Flamin. relatâ, *de Resig. lib.* 14. *q.* 2. *n.* 11. si executa fuerit simonia quoad spiritualia, aliàs secus, *Garc. de Benefic. p.* 8. *cap.* 1. *n.* 71. non tamen esse privatum obtentis, sed privandum, *cap. Cum super, de confessis*, nec excommunicatum, ut dixi, modò sit alius à confidentiario. *Tertiò*, similitudinarium seu interpretativum titulum non habere, sed tamen non esse privatum nec privandum aliis Beneficiis, *Abbas per illum text. in cap. constitutus, de transact. & ibi Gloss. & Author hîc n.* 21. nec aliquam inhabilitatem, aut excommunicationem contrahere, *Garc. loco cit. n.* 38. *Quartò*, mentalem nulli pœnæ subjici, sed debere Deo satisfacere per pœnitentiam, *cap. ult. de simon.*

(*h*) Depos-

(*h*) Depositio procuratoris vel cujusvis testis singularis non plenè probat confidentiam, sed tantùm conjecturam confidentiæ; una autem conjectura ad plenam probationem non sufficit, sed plures requirit Constitutio Pii V. Flamin. contentatur duabus *in tract. de confid. q.* 73. sed dico tres esse necessarias, dictio enim plures, tres ad minùs importat, *Gloss. & Bart. in auth. de trient. & semiss. §. & hæc sæpe in verb. filiorum, text. in c. Christiano, dist.* 34. & Regulare est ut concursu trium præsumptionum fraus & simulatio convincatur, *Molin. ad Regul. de public. Resig. n.* 363.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. RES *spirituales & mixtæ non recipiunt æstimationem*, quamvis Jus Pat. sit hujusmodi, nec pro illo possit aliquid pretii dari, hoc tamen non tollit, quin cùm illud est annexum bonis, ratione illius bona æstimentur & vendantur quàm aliàs, ut inquit *Garcias, de benefic. part.* 5. *cap.* 9. *n.* 35. *post Molineum de instituti.* 3. *disput.* 620. *n.* 6. pretium enim rei attenditur consideratis qualitatibus ipsius rei.

Eodem N. 2. *contra Jus Divinum.* An dare pecuniam pro Beneficiis vel accipere sit prohibitum Jure Divino? in Beneficiis Curatis, nulla est disputatio, quin prohibitio sit de Jure divino, propter Annexam sacro Ordini executionem, & clavium potestatem, quisquis enim horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit, ut sapienter admonet *Paschalis Papa in cap. Si quis objecerit* 1. *q.* 3. in Beneficiis verò simplicibus negant *Zabarella in cap.* 1. *de simonia*, *n.* 2. *Henricus Boich. in cap.* 1. *In principio, ne Prælati vices suas, Felin. in cap. Ex parte* 1. *n.* 1. *de Officio Legati, & in cap.* 1. *n.* 2. *de simonia, Præposit. in cap. Latorem*, 1. *q.* 1. *n.* 28. affirmant Turrecremata *in eodem cap. Latorem* 1. *n.* 9. *Cajetan. tom. opusc. tract.* 9. *de simonia*, *q.* 1. *Ancharan. in cap.* 1. *de Constitut. Apostol.* 11. *& alii per Cabassut. relati in theoria & praxi jur. Can. lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 15. quia eadem ratio in utrisque militat ob Annexum Beneficiis simplicibus Officium clericale, quod est spirituale, atque ita in materia vetita, licèt enim in spiritualibus sint diversi gradus, & potestas Orpinis & Clavium sit sacratior Officio clericali, sunt tamen utraque sub eodem spiritualium genere, non enim majus & minus distingunt speciem. Additque Cajetanus oppositam sententiam esse Canonistarum errorem, & Ancharan quod praxis opinionis illius universum Ecclesiæ statum denigrasset, *Cabassut. ubi supra*; quamobrem distingue cum Authore duas simoniæ species in Beneficialibus, veram & interpretativam, seu similitudinariam, vera est quando res temporalis datur aut promittitur pro re spirituali: Interpretativa verò eùm res spiritualis datur aut promittitur pro re spirituali, vel cùm in Beneficiorum collatione, resignatione, aut electione conditio, pactum, vel modus intervenit, *Gloss. in cap. Ex part.* 1. *in verbo, Dimittere, de Officio Legati*, vel cùm transactio initur super Beneficio litigioso, *cap. Constitutus, de transact.*

N. 9. *Ut si pecunia data promissave sit.* Non dicit mutuata, quia vult *Flamin. de confid. q.* 36. *n.* 53. *&* 54. simoniam non committi ex mutuo facto eadem die quâ fuit datum mandatum ad resignandum cessante pacto, si appareat resignantem se obligasse solvere pecunias illas mutuo acceptas, minimè si pro eo intercessit fidejussor & hinc excludit omnem pacti & simoniæ præsumptionem, quod vix crederem quia licèt non fuerit donata, fuit saltem mutuata pecunia; unde resultat temporalis resignanti commoditas, quæ satis inducit rationem pretii, ut optimè probatur *in L. Quisquis, Cod. Si certum petatur*, ubi qui Judici mutuat exilio punitur, quasi emptor Legum & Provinciæ.

N. 11. *Ut sic inutile sit distinguere si Patroni præsentaverint ut singuli, vel ut universi.* Quidquid dicat Author, hæc distinctio rectè procedit, & ratione fundatur, nam cum Patroni præsentant ut singuli, quilibet præsentat per se, & tot sunt præsentationes quot Patroni, & sic una præsentatio vitiosa seu simoniaca, non influit in aliàs juxta regulam, *utile per inutile non vitiatur*, nec in consequens præsentatio simoniaca unius Patroni reddit præsentationes aliorum simoniacas in præjudicium præsentati, qui nullam scientiam habuit simoniæ, sed sunt validæ ad effectum ut sustineatur præsentatio in favorem præsentati, ignorantis qui interim habebit titulum coloratum, & gaudebit Beneficio regulæ de triennali possessore, *Garcias post alios quos citat, part.* 8. *cap.* 1. *n.* 10. *seqq.* quod intelligendum est durante per triennium simoniæ alienæ ignorantia, aliàs secus: ubi verò Patroni præsentant ut universi, & jure Collegii, ut *in cap. Nobis de simonia*, tunc omnium una est præsentatio & sic simonia cum uno commissa tangit & vitiat præsentationem.

N. 14. *Simonia verò triplex est, mentalis conventionalis, & realis.* Simonia mentalis non inducit nullitatem, nec obligationem restituendi, quia nec ex natura rei, nec ex Jure naturali, aut divino simonia eam inducit, quia nulli fit injustitia cùm voluntariè hinc inde detur, nec jure humano obligatio hæc restituendi introducta est in simonia mentali, *cap. finali, de simonia*, sed solùm in simonia exteriori, quamvis de restitutione contrarium velit *Lessius lib.* 2. *cap.* 35. *dubit.* 28. *& Suares de Religion. tractat.* 3. *lib.* 4. *cap.* 4. *&* 59. *& alii quos improbat Garcias part.* 8. *cap.* 1. *n.* 85.

TITULUS XIX.

De aliis Delictis Vacationem Beneficii Inducentibus.

SUMMARIUM.

I. Ob hæreſim Beneficium vacat. Schiſmatici privantur Beneficiis. Magi privantur Beneficiis. Contra Hæreticos non agitur criminaliter in Gallia.
II. Hæreticorum liberi Catholici, irregulares.
III. Ob crimen læſæ Majeſtatis Beneficium vacat. Filii rei Læſæ Majeſtatis fiunt irregulares, licèt ſint innocentes.
IV. Epiſcopum percutiens privatur Beneficiis ipſo jure.
V. Privatur Beneficiis cogens Clericum reſignare.
VI. & VII. Privatur Beneficio qui Beneficium Curatum vi occupat.
VIII. Crimen falſi.
IX. Arreſtum contra falſarium.
X. Privantur Beneficiis ſodomitici, & obruteſcentes.
XI. Privatus Beneficio ob contumaciam intra quinquennium auditur. Arreſtum.
XII. & XIII. Privatus Beneficio facit fructus ſuos quandiu toleratur.

I. SEQUITUR ut de aliis delictis agamus, quibus commiſſis reus ipſo jure, antequàm accuſetur, privatur Beneficio. Olim Clerici ſuſpecti de hæreſi deſtituebantur ob ſolam ſuſpicionem, ut refertur de Macario Epiſcopo Hieroſolimitano, qui ob ſolam ſuſpicionem Dogmatum Origenis deſtitutus eſt, *Evagrius lib. 4. c. 36.* Verùm poſt Concilium Nicænum cum Hæreticis mitiùs agebatur: non enim ob ſuſpicionem deponebantur, nec ſi conſtaret de crimine, ſed eis Coadjutores adjungebantur, ut ſi erigerentur à lapſu, priſtinæ Dignitati reſtituerentur: Jure novo non deſtituuntur. Verùm ſi convincantur, & pertinaces ſint in ſuo errore, & moniti ad Fidei unitatem non revertantur, excommunicantur, Ordine & Beneficio deponuntur, & irregulares cenſentur, *c. ad abolendam, de Hæreticis, & c. cùm ſecundum Leges, c. commiſſa, eod. tit. in 6.* Hoc Jure utimur in Gallia, *Papon lib. 3. Placitor. tit. 6. n. 3.* etiamſi in temporalibus cum Hæreticis Jura nobis communia ſint ex Edicto Nantenſi, ob publicam Regni tranquillitatem: an Hæretici Jura Patronatûs laïcalia amittant, *vide ſuprà de Jure Patr.* Cum Hæreticis conjunguntur Schiſmatici, de quibus *in c. ad ſuccidendos, de Hæret. in 6.* qui deficiunt ab unitate Eccleſiæ ſicut Hæretici, excommunicantur, fiunt irregulares, & Beneficiis obtentis ipſo jure privantur, quoniam Beneficium non meretur qui authoritatem ſui benefactoris nititur expugnare. Eaſdem pœnas incurrunt Magi, ſed graviores, nempè extremi ſupplicii, de quibus agitur *in c. non oportet, c. 19. q. 5.* At cum Hæreticis non agitur criminaliter in Regno Galliæ, ad vitanda mala, clades & ruinas quas olim Edicta Principum, quibus Hæretici cogebantur hæreſim abjurare, & Fidem Catholicam profiteri ſub pœnis indictis, in omnibus partibus Galliæ, & in hâc Provinciâ temporibus Valdenſium, excitarunt: *Bacchæ bacchanti ſi velis adverſarier, ex inſanâ inſaniorem facies*, ait Plautus. Illa vertigo non poteſt minis & ſævitie ſanari: Hæretici, ut ait Tertulianus, potiùs ſuaſionibus alliciuntur quàm metu, vel ratione doceri debent, vel oratione converti, vel patientiâ tolerari, ut ait Marcilius Ficinus *in ſuo Libro de vera Religione.*

II. Quid dicemus de liberis Catholicis Hæreticorum? ſi pater in eo errore deceſſerit, filii & nepotes ſunt irregulares ad Ordines, & Beneficia (*a*) obtinenda; ſi mater eorum hæretica deceſſerit, filii ſolùm illius in primo gradu irregulares ſunt, *c. ſtatutum, de Hæret. in 6.* Non fiunt irregulares ex delicto, ſed ex defectu juſtæ originis, quòd ex parentibus Hæreticis orti ſunt ex radice infectâ, ideò non promovendi ne aliis ſint ſcandalo, niſi fuerint diſpenſati. Quod Jus etiam inter nos debet obſervari: nam ordinatio & diſtributio Beneficiorum pendet à poteſtate Clavium. Quidam etiam ſcripſerunt Hæreticorum liberos Beneficiis obtentis ante lapſum parentum ipſo jure privari, *Riccius cum aliis quos citat. deciſ. 674.* Sed id nullo jure probant; & contra rationem eſt quòd pro delicto patris filius Beneficiis & propriis bonis privetur, *c. ſatis perverſum, d. 56. & l. 3. ff. de interdictis & relegatis.*

III. Ob crimen Læſæ-Majeſtatis reus fit irregularis, & Beneficiis obtentis privatur ipſo jure, *Rebuff. de pacificis poſſeſſor. n. 201. ex c. fœlicis, de pœnis, in 6.* nam cui ipſo

jure bonorum administratio admittitur, *ex l. quisquis, C. ad l. Juliam Majestatis*, Beneficiorum simul administratio, quæ temporalis est, videtur adempta; & qui ex eadem Lege fiunt infames, ad honores & munera publica non possunt aspirare, fiunt etiam irregulares ad munera Ecclesiastica. Filii quoque & nepotes reorum hujus criminis, tametsi sint innocentes, fiunt infames, & irregulares ad Ordines & Beneficia adipiscenda: nam cùm ex dicta *l. quisquis* fiant infames ad honores & munera publica obtinenda, fiunt etiam inhabiles ad Ordines & Beneficia assequenda, non ex delicto proprio, sed ex defectu, velut orti ex radice infectâ, ut dictum est suprà de liberis Catholicis Hæreticorum. Idem dicitur de crimine læsæ Potestatis Ecclesiasticæ, si quis in personam Papæ, vel Statum Ecclesiæ, attentaverit, qui ut Hæretici & Schismatici puniendi sunt, Beneficiis ipso jure privantur: & eorum liberi inhabiles fiunt & irregulares ad Beneficia obtinenda, *ex d. c. fœlicis, & c. statutum, de Hæret. in 6.* Eandem pœnam Bonifacius VIII. in *d. c. fœlicis* irrogavit adversus eos qui Cardinalem hostiliter & injuriosè persequuntur, res Ecclesiæ gerentem: & contra liberos & nepotes illorum. Sed hoc addidit ampliùs supra *legem quisquis*, ad cujus exemplum Constitutionem suam formavit: quòd liberi & nepotes rei hujus criminis non solùm fiant infames & irregulares ad Ordines & Beneficia obtinenda, sed etiam Beneficiis obtentis ipso jure priventur. Verùm in judicando pro diversitate circunstantiarum Constitutiones mitigantur: quid enim si filius aut nepos seorsùm à patre habitaret tempore delicti commissi, & inscius fuerit sceleris & criminis paterni? Secundum præcepta Juris, pro delicto patris filius non privatur bonis propriis, nec Beneficiis, *l. 3. ff. de interdictis & relegatis, & c. satis perversum, d.* 56. Et ex Constitutionibus Cæsareis, pro crimine Læsæ-Majestatis filius non privatur bonis propriis, licèt fiat infamis, & excludatur ad omni successione: & hæc de crimine Læsæ-Majestatis, in primo capite, dicta intelliguntur, seu in Principem jura imperii in suis terris habentem, vel Statum publicum Regni, vel Reipublicæ crimen perduellionis commissum fuerit: nam si in Principes subalternos, aut Regis Officiarios, crimen commissum sit, morte rei crimen extinguitur, & pœna non extenditur ad filios, *l. finali ff. ad legem Juliam Majestatis.*

IV. Eodem genere pœnæ punitur crimen commissum contra Episcopum, si quis eum injuriosè percusserit, ceperit, aut bannierit, vel id fieri mandaverit, excommunicatur, & ipso jure privatur officiis & Beneficiis, ejusque filii & nepotes fiunt irregulares ad obtinenda Beneficia in Civitate & Diœcesi in quibus idem Episcopus qui talem injuriam passus est præsidet: (*b*) nam, ut scribit Divus Hyeronimus ad Marcellam, Episcopi Apostolorum locum obtinent; & ut ait Divus Ignatius ad Trallianos, Episcopos venerari debemus sicut Christum: Christus enim est primus Episcopus, & solus naturâ Pontifex, alii verò Episcopi sunt Christi loco vicariâ functione, ut ait idem Sanctus scribens ad Magnesianos. Tamen in illa Clementina filii illius rei si non sint sceleris participes, non privantur Beneficiis obtentis, & in alia Diœcesi ministrare & Beneficia obtinere non prohibentur.

V. Si quis Clericum ceperit, captumve detinuerit ut cogeret eum resignare, vel impediret ne citatus ad Sedem Apostolicam veniret, si sit Prælatus, suspenditur à Beneficio per triennium; & si sit humilioris conditionis, Beneficiis ipso jure privatur, *Clement. multorum, de pœnis ex Concilio Viennensi.*

VI. Qui Beneficium cui cura animarum imminet vi occupat, privatur Beneficio quod cum Cura simili primitùs obtinebat, & jus amittit quod habebat in Beneficio sic occupato. Eodem Jure, qui vi vel authoritate propria, Dignitates, personatus & alia quæcumque Beneficia occupant, jus quod in illis habebant amittunt, *c. eum qui, de præb. in 6.* Et sic resolutum fuisse in Congregatione Cardinalium notet *Farinācius decis. 4. parte, n. 56.*

VII. Homicidum simplex non inducit vacationem ipso jure, *c. ex Litteris, de excessibus Prælatorum, c. Clerici, ne Clerici vel Monachi*, tametsi homicida per sententiam privari debeat: idcircò ante sententiam nec Beneficium potest impetrari, nec post sententiam si reus ab ea appellaverit; & interim resignare non prohibetur, *Rebuff. de modis amittendi Beneficia, n.* 50. *Anfrer. decis. q.* 436. At homicidium qualificatum (*c*) facit vacare Beneficium ipso jure: homicidium qualificatum dicitur assassinium, *c. 1. de homicidio, in 6. ex Concilio Lugdunensi*, ex quo assassini & mandantes interficere excommunicantur, & Beneficiis ipso jure privantur. Idem in casu matricidii fuisse judicatum suprà

diximus *tit.* 1. Idem de patricidio, & infanticidio, dicendum eſt. Et ſi Patroni, Advocati, ſeu Protectores, Vicedomini, & Beneficiati, Rectorem aut Clericum Eccleſiæ cui patrocinium præſtant, vel in qua Beneficium obtinent, occidant aut mutilent per ſe, vel per alios, Patroni Jus Patronatûs eo ipſo amittunt, Feudatarii Feudum, & Beneficiati Beneficium; & liberi Patronorum, aut Feudatariorum, uſque ad quartam generationem fiunt inhabiles ad Beneficia in eadem Eccleſia obtinenda, *c. in quibuſdam, de pœnis.*

VIII. Falſi crimen commiſſum in Litteris Apoſtolicis reum irregularem facit, eumque privat ipſo jure Beneficiis adeptis, *c. ad falſariorum, de crimine falſi* & ſi ab alio delictum ſit commiſſum, & Clericus ſciens eiſdem Litteris utatur, Judicis ſententiâ deponitur; eidem verò parcitur ſi vitio comperto illis Litteris uti deſinat, *c. accedens, eod. tit.*

IX. Et Conſtitutione Gallicâ Henrici II. anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi, *art.* 6. qui falſum committit in Judicio, vel extra ad obtinendum Beneficium, privatur omni jure prætenſo in dicto Beneficio, & fit inhabilis in hoc Regno ad alia Beneficia obtinenda: quo Jure, contra Clericum qui ſimulaverat Epiſtolam Miſſam Patrono ad extorquendum conſenſum illius præſentationis, Senatus uſus eſt, anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo, menſe Junio, pronuntiando in cauſa poſſeſſionis. *Vide Rebuff. de pacificis poſſeſſor. n.* 20. *& Loëtium lit. R. n.* 48. *in Scholiis.*

X. Fiunt etiam irregulares ſodomitici, & Beneficiis obtentis ipſo jure privantur, *c. Clerici, de exceſsibus Prælatorum, Navarrus in Manuali c.* 27. *n.* 249. *ex Bulla Pii V. Riccius deciſ.* 353. Idem de obruteſcentibus dici debet; his enim criminibus violantur Leges Naturæ, *c. mulier* 5. *q.* 1. Conſtantinus in reos horum criminum Leges armari juſſit, *l. cùm vir. C. ad legem Juliam, de adulteriis*; quem ſecutus eſt Juſtinianus *Novella* 141. juxta Legem Divinam, *Levitici c.* 20.

XI. Verùm in caſibus ſupradictis, etſi Beneficium vacet ipſo jure, & de eo alter proviſus fuerit, poſſeſſor non eſt expellendus, niſi fuerit auditus, & convictus in Judicio: & ſi ob ſolam contumaciam juſſus ſit Judicis ſententiâ devolutario cedere, innocentiam purgare poteſt, reſpondendo ad objecta in Judicio, & Beneficium repetere, *Molin. de infirmis reſignant. n.* 395. Admittitur autem innocentiam purgare volens, intra quinquennium à die condemnationis; imò etiam poſt, ſi juſta ſit cauſa reſtitutionis in integrum adverſus lapſum temporis, ex Conſtitutione Gallica Molinenſi *art.* 28. ut in cauſa Præcentoris Aquenſis ſuprà relata *tit.* 9. vidimus obſervari, refuſis expenſis contumaciæ.

XII. Et quamvis ex cauſis ſupradictis Beneficium vacet, tamen reus non tenetur ad reſtitutionem fructuum à ſe perceptorum, poſt delictum commiſſum: nam licitè fruitur quandiu à ſuis Superioribus toleratur, fructus facit ſuos ratione miniſterii niſi crimen ſit tale, quòd titulum reddat retrò nullum, ut de ſimonia, confidentia, & crimine falſi, ſuprà diximus, *Innocentius & alii in c. cum noſtris, de conceſsione præbendarum, Molineus in Conſuetudines Pariſienſes, tit.* 1. *gl.* 31. *n.* 49. Idem dicitur de eo qui Beneficium injuſtè vi occupat, qui tenetur de fructibus perceptis ab injuſta detentione: & qui attentat lite pendente, tenetur etiam de fructibus percipiendis, *Rota deciſ.* 24. *&* 26. *in novis.* Et electiones, collationes & præſentationes factæ ab illis, qui munere eligendi, conferendi aut præſentandi, privati erant, valent quandiu ſuſpenſio eorum aut depoſitio eſt occulta, & ſuſpenſi aut depoſiti in eo munere tolerantur, *arg. l. Barbarius, ff. de officio Præſidis: de Selva, Corraſius, & alii quos refert Garcias* 5. *parte, c.* 4.

XIII. Cætera crimina, homicidium ſimplex, ſacrilegium, adulterium, raptus, incendium, perjurium, & ſimilia, quamvis atrocia ſint, & reum irregularem (*d*) faciant, & conſequenter gratias expectativas, indulta, nominationes & præſentationes extinguant, ut docet *Molineus, de infirmis reſignantib. n.* 397. tamen non inducunt vacationem Beneficii ipſo jure; nam pœnæ Juris extra caſus expreſſos non extenduntur, *c. odia, de reg. Juris in 6.* & non omnia quæ ordinandum impediunt ordinatum dejiciunt, *c. ult. c.* 15. *q.* 1. *Felinus & alii in c. ex parte, de Reſcriptis*: ſed interdùm ob delicti enormitatem, aut rei incorrigibilitatem, in cæteris caſibus pœna depoſitionis Judicis ſententiâ decernitur, ut dicemus infrà.

SOLIER.

(*a*) FILII hæreticorum ſunt inhabiles ad Beneficia uſque ad ſecundam generationem, *cap.* 2. §. *Hæretici*, *de hæretic. in* 6. videlicet primi & ſecundi gradûs ex linea paterna, & primi tantùm ex linea materna, *cap. Statutum*, *eod. tit. & lib.* niſi parentes hæretici emendati fuerint, & reincorporati Eccleſiæ unitati, *d. cap. Statutum*, vel filii Beneficia obtinuerint ante lapſum parentum, *Rebuff. in praxi*, *tit. de modis amitten. Benefic. n.* 25. *Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 57. *n.* 229. *Pyrrhus Corrad. in praxi diſpenſ. Apoſtol. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 6. & 7. ſed de inhabilitate ad ordines controvertitur. Negativam defendit *Sayr. de cenſur. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 40. *verſic. cæterum*, ex quo nullo jure filii hæreticorum ordinari prohibentur, ſed tantùm Beneficiari: affirmativam tenent *Navarr. in manuali cap.* 27. *n.* 205. §. *tertiò dico*, *Corrad. ubi ſupra n.* 2. & alii communiter, obſtante ſcilicet infamiâ paternâ, quæ filios afficit, *cap. Vergentis*, *de hæretic.* Sed hæc infamia non habet locum apud nos in hæreſi Calviniana, & ideò quoad hanc opinio Sayri obtinet in Gallia.

(*b*) *Clem.* 1. *de pœnis*, quæ filios non privat obtentis, nec inhabilitat ad obtinenda niſi dumtaxat in civitate vel Diœceſi læſi Epiſcopi, & nullatenus ad ordines ſuſceptos vel ſuſcipiendos, unde nequaquam dici poſſunt irregulares.

(*c*) Mihi autem, ut & *Hieronymo Gonzal. ad Regul.* 8. *Gloſſ.* 15. *n.* 80. magis placet opinio Hieronymi Gabriëlis, *Conſil.* 196. *lib.* 1. ut nec in homicido qualificato inducatur vacatio Beneficii ipſo Jure, niſi quatenus expreſſum reperitur in Jure, ita ut textus *in cap.* 1. *de homicid.* non ſit extendendus extra ſuos terminos, *Rebuff. de pacific. poſſeſſ. n.* 263. *in impreſſis in* 4. *Flamin. de Reſignat. lib.* 3. *q.* 16. *n.* 32. ubi cum Hieron. Gabriële tenet quod Beneficium non vacat ipſo Jure ob crimen parricidii, nec per conſequens matricidii, fratricidii, aut infanticidii.

(*d*) Hoc non eſt perpetuò verum niſi quatenùs in jure repetitur expreſſum, *cap. Is qui*, *de ſent. excomm. in* 6.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. SEQUITUR *ut de aliis delictis agamus*, *quibus commiſſis reus ipſo jure*, *antequam accuſetur*, *privatur Beneficis*. Sed quæritur quandò Lex privativa intelligatur, & primò verbum, aut participium præſentis temporis, in dubio eſt ante latam ſententiam *Gloſſ. in L. Si quis major*, *in verb. Infamia*, *Cod. de tranſact.* de quo vide fusè *Tiraquel. ad Leg. Si unquam*, *in verb. Revertatur*, *n.* 32. & *ſeqq. Cod. de revoc. donat.* item cùm dicitur ex hinc irritas decernimus, & inanes, *L. Statuimus*, *in fine*, *Cod. de Epiſc. audient.* Item quando adjicitur dictio, omnino, quia idem eſt ac ſi diceretur, ipſo jure, *Gloſſ. & Barthol. in L.* 1. §. *Si pecunia*, *ff. depoſiti.* Item dictio, omnimodo, *Gloſſ. collata ad textum in Authent. qui res*, *in verb. Sed melius*, & *in verb. Irroganda*, *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Item nullatenus, omnimodam nullitatem ſignificat, & habet vim latæ ſententiæ, *text. & Gloſſ. in Authent. ſi quæ mulieri eod.* Item cum diſpoſitio utitur his verbis, nullius momenti, *Gloſſ. in cap.* 2. *in fine*, *de filiis Presbyt. in* 6. Item ſi apposita ſit dictio, funditus, *Gloſſ. in L. Decernimus*, *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* ut dicitur, *L.* 1. *Cod. de formulis* 8. & *cap. Ex frequentib. de inſtitut.* penitus, *Gloſſ. in L. Si qui advocatorum*, *in verb.* Arceantur, *Cod. de poſtulando*, mox *Gloſſ. in Authent. de inceſtis nuptiis*, *in verb.* Imminere, confeſtim, incontinenti, illico, ſtatim, protinus, continuò, immediatè, extemplo, repente, incunctanter, ex tunc, ex ipſo, ipſo facto, ipſo Jure, de quibus ſingulis diſcurrit Tiraquellus ad Legem *Si unquam*, *Cod. de revoc. donat.* verba autem pœnam ipſo jure incurſam denotantia, ſunt, incurrat, ſubjaceat, ſubdatur, amittat, perdat, careat, ſpolietur, amoveatur, removeatur; ſit, maneat, remaneat, fiat. Jura verò quibus iſta fulciuntur, vel evertuntur, refert Tiraquel. ibid. vid. etiam Felin. *in cap. Rodolph. col.* 15. *de reſcriptis.*

N. 13. *Non inducant vacationem ipſo Jure.* Sed per ſententiam privationis, ut ſubdit Author: magna eſt inter utramque privationem differentia, & multiplices illarum effectus. *Primò*, enim ſi poſt vacationem ipſo Jure inductam, antequam privatus dimitteret poſſeſſionem, decederet, non vacaret Beneficium per obitum illius, ſed per privationem; quia prima vacatio impedit ſecundam (quod tamen fallit in Gallia, ubi Beneficium, per obitum poſſeſſori, quantumvis ipſo Jure ex delicto, vel incompatibilitate, vel aliàs privati, cenſetur vacare) ſecus ſi non vacaret ipſo Jure *Gonzalez ad Regul.* 8. *Gloſſ.* 15. *n.* 143. *Secundò*, privatus Beneficio ipſo Jure amittit diſpoſitionem Beneficii à tempore quo inducitur privatio, ut non poſſit renuntiare in favorem, aut permutare, *Gonzal. ibidem*, *n.* 146. *Gregorius Toloſan. inſtitut. cap.* 26. *n.* 15. ſed ſi veniret privandus per ſententiam, poteſt utrumque facere. *Tertiò*, Beneficium vacans ipſo jure poteſt ſtatim impetrari, vacaturum verò per ſententiam impetrari non poteſt ante privationem, cùm reverâ non vacet ante ſententiam. *Quartò*, privatus ipſo jure non facit fructus ſuos & tenetur illos reſtituere, ſecus ſi per ſententiam *Gloſſ. finalis in cap. Fraternitatis*, 12. *q.* 2. verba autem Juris quæ privandum denotant & non privatum, referunt *Tiraquel. & Felin. ubi ſupra.*

TITULUS XX.

De Vacatione Beneficii ob defectum Tituli.

SUMMARIUM.

I. & II. Inſtitutionis canonicæ qualitates. Proviſus debet eſſe aptus tempore proviſionis.
III. Irregulares cur dicantur.
IV. Irregularitatis triplex genus.
V. Irregularitatis cauſa duplex.

I. SIne canonicâ inſtitutione Eccleſiaſtica Beneficia non licet obtinere, *c. Beneficium, de reg. Juris, in 6.* In inſtitutione canonicâ tria requiruntur, poteſtas in collatore vel eligentibus, habilitas ſeu capacitas in proviſo, & ſolemnis electionis, collationis vel inſtitutionis forma. De poteſtate conferendi & eligendi, & formâ electionis & collationis, ſuprà diximus; nunc ſupereſt agendum de habilitate ſeu aptitudine requiſitâ in proviſo tempore electionis aut collationis, ut pars eſſentialis actûs, aut conditio ſine qua titulus nullus eſt, & tractu temporis non convaleſcit, *l. quod ab initio, ff. de regulis Juris*, tametſi poſt electionem aut collationem proviſus fiat habilis: nam quæ deſiderantur ad eſſentiam actûs, eodem contextu debent adhiberi, *l. hæredes palam, ff. de teſtam. & c. ex Litteris, de tranſact.*

II. Ad Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, deſideratur aptitudo ad Ordines tempore proviſionis: nam Beneficia ſunt ſtipendia militiæ Clericalis, cæteriſque qui ad illud munus apti non ſunt non debent erogari, *c. 1. & 2. d. 49.* Sufficit autem talis aptitudo tempore proviſionis, niſi Beneficium ſit tale ex fundatione, Statuto, vel conſuetudine, quòd Ordinem ipſum aliamve qualitatem requirat actu, *c. 1. de filiis Presbyterorum, & c. in quibuſdam, de pœnis.*

III. Qui ad Ordines apti non ſunt, irregulares dicuntur, à regula quam in ordinatione Epiſcopi præſcribit Apoſtolus, *ad Timotheum 3.* & refertur *in c. unum orarium, d. 75. & c. quoniam, d. 28.* Cæteri verò qui non habent actu Ordinem, aliamve qualitatem ſpecialiter requiſitam in Beneficio obtinendo, dicuntur inhabiles & incapaces ejuſdem Beneficii.

IV. Irregularitas trifariam diſtingui poteſt: alii enim irregulares ſunt ob impedimentum Naturæ, ut muti, & ſurdi, furioſi, infantes, qui non intelligunt id quod agunt. Alii ob impedimentum Juris Divini, ut non baptizati, (*a*) & mulieres, nam Baptiſmus eſt janua ad alia Sacramenta, *c. Presbyter, & c. veniens, de Presbytero non baptizato.* Et in Concilio Nicæno *c. 14.* & Synodo Laodicena *c. 11.* definitum fuit mulieres χειροτονίαν ſeu manûs impoſitionem & characterem non habere. Alii arcentur ob impedimentum Juris humani: eam enim poteſtatem Chriſtus dedit Vicario ſuo, Papæ, ut legitimum Sacramentorum uſum poſſit diſpenſare, & præſcribere. Impedimenta Naturæ & Juris Divini impediunt effectum ordinationis, & Ordinis ſuſceptionem: at impedimentum Juris humani non impedit Ordinis ſuſceptionem, nec ſimpliciter Ordinis uſum, quominùs Clericus ſic ordinatus contra regulas Eccleſiæ recipiat characterem, & poſſit in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare; ſed ſolùm impedit legitimum Ordinis uſum, ne ſic ordinatus poſſit impunè & ſine peccato in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, neve promoveri poſſit ad majores, quoniam forma Sacramenti eſt ex inſtituto Chriſti ſtabili, & immutabili, uſus verò legitimus Sacramenti, ex diſpenſatione Eccleſiæ: at in Beneficiis indiſtinctè impedimentum Juris humani impedit proviſionem, & ſuſceptionem tituli, quia forma proviſionis ab eodem Jure pendet. Impedimenta Juris humani diſpenſatione tolluntur, at impedimenta Juris Naturæ Jure humano tolli pon poſſunt: nam Jus Naturæ immutabile cùm ſit, eandem ſemper vim habet, τὸ δικαίον φυσικὸν ἀκίνητον πανταχὸ αὐτὴν ἔχει δύναμιν, *Ariſtoteles lib. 4. Eudemiorum c. 5.*

V. Duplex cauſa irregularitatis diſtinguitur; defectus qualitatis requiſitæ, & delictum; irregularitas quæ oritur ex delicto (*b*) ſine diſpenſatione tolli non poteſt; quæ verò oritur ex defectu ſublatâ cauſâ tollitur, ut notabitur infra.

SOLIER.

(*a*) PER baptismum autem nedum tollitur illa irregularitas, sed & omnis alia insurgens ex licito vel illicito homicidio sive mutilatione, quia jura, quæ occidentibus sive mutilantibus irregularitatem imponunt, loquuntur de iis qui occidunt vel mutilant post baptismum, *Gloss. in cap. Si quis viduam, in verb. Post baptismum, d. st.* 50. *Tolet. in summa, lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 2. ubi improbat contrariam sententiam, quia irregularitas ista oritur solùm ex illo horrore occisionis qui tollitur per baptismum: dum homo, qui priùs erat quasi Lupus, per regenerationem baptismi depositâ feritate fit Ovis mansueta & novus homo, *Arg. cap.* 1. *dist.* 26. Irregularitas tamen ex bigamia contracta, baptismo non abolebitur, *cap. Acutiùs, dist.* 26. quia non reparatur divisio carnis, estque prærogativa Sacerdotii ut ad illud unius uxoris viri assumantur, *Sayr. Thes. cas. conse. lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 26. *&* 27. Item nec irregularitas proveniens ex defectu natalium, *Joan. Franc. Leo. in thes. fori Eccles. part.* 3. *cap.* 9. *n.* 52. ingressu verò religionis tollitur omnis irregularitas exceptâ bigamiæ & homicidii voluntarii injusti, *cap. Scripturæ, de voto, cap.* 1. *de filiis Presbyt.*

(*b*) Irregularitas ex delicto proveniens non multiplicatur licèt iteretur delictum, & una tantùm incurritur & non plures, non solùm ob celebrationem iteratam in excommunicatione seu alia censura, verùm etiam ob homicidium, rebaptisationem, sive aliquod aliud delictum iteratum, *Garc. de Benefic. p.* 8. *cap.* 3. *n.* 80. *& seqq.* quamvis secus sit in censuris, quæ multiplicantur transgressionibus, *Garc. ibid.* Ratio diversitatis est, quia irregularitas est inhabilitas per modum habitûs permanentis, & ita non multiplicatur multiplicatis actibus ejusdem rationis seu generis: Censura verò est quædam pœna per modum permanentis, cùm sit de se absolubilis, seu vinculum dissolubile: *ibid. n.* 87. *Bellet. p.* 1. *tit. de discip. Cleric.* §. 5. *n.* 168.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. SUPEREST *agendum de habilitate & aptitudine requisita in provisо.* Idoneitas in tribus consistit, in ætate, moribus & scientia, *cap. Cum in cunctis, de elect.* & *primò*, requiritur quoad Beneficium simplex, sit quatuordecim annorum, *Conc. Trident. Sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* quamvis Jure Communi sufficerent septem anni completi, *cap. de his, dist.* 28. *cap.* 2. *de ætate & qualitate*, ad Curatum vel Dignitatem Curatam requiritur ætas 25. annorum. *Secundò*, boni mores sunt necessarii & gravitas morum plus valet quàm cætera. *Felin. in cap. In nostra circa finem de testib. Tertiò*, litterarum scientia, nam Ecclesia Dei eget viris litteratis, *cap. Cum ex eo, de elect. in* 6. & ideo eis multùm favet, *cap. de multa, & ibi Abbas, de Prabend.* & contra odit illitteratos, & eos repellit ab Ordinibus, *cap. Præcipimus dist.* 33. *cap. ult. de temp. ordin. in* 6. & comparantur cæcis, *cap. Post translationem*, §. *Item si quis de renunt.* & animali irrationabili, *cap. ult. dist.* 49. atque ita Episcopus debet esse Doctor in Theologia vel Jure Canonico, *Con. Trident. cap.* 2. *Sess.* 22. *de reformatione.* Curati debent habere scientiam, ut satisfaciant muneri injuncto, *Conc. Trident. cap.* 2. *Sess.* 5. obtinentibus verò simplicia sufficit ut sciant recitare Horas Canonicas, ad quas tenentur quamobrem debet superior ante institutionem inquirere de conversatione, & vita electi, *cap. Postquam, de elect.* & inquisitio hujusmodi debet fieri in loco natali, & ubi diutiùs est conversatus, *cap. Scriptum*, §. *Per Apostolica, de elect. dicto cap. Postquam, de elect.* & dicit Lex quòd quis est habendus prout æstimatur in civitate sua, *Leg.* 10. §. 5. *de quæst.* quocircà notandum quòd in promotionibus & provisionibus Beneficiorum emendatus præferri debet, ei qui semper bonus est, *Glossa magna ad finem*, §. *finali, dist.* 63. ad hoc facit illud Evangelicum relatum *in cap. Quia sanctitas, dist.* 50. ubi habetur, gaudium est Angelis super uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent Pœnitentiâ, & illud Davidicum *Lavabis me, & super nivem dealbabor.*

Dicto N. 1. *titulus nullus est, & tractu temporis non convalescit.* Licèt qualitas certo tempore requisita in aliqua persona, si postea intervenit, nihil operetur, *L. Sciendum*, §. *finali, ff. Qui satisd. cogant. L.* 2. §. *Non solùm, ff. de excusat. tutor.* Tamen in Senatu Tolosano Rector Parrochialis Ecclesiæ in villa murata, qui tempore suæ provisionis non erat Graduatus, vincit devolutarium ex hoc capite impetrantem si gradum sumpserit ante litem sibi motam, *Maynard. lib.* 1. *cap.* 55. ad hæc si non adsit qualificatus, juxta fundationem, vel non requirat præsentari, vel provideri, alius non qualificatus præsentari aut provideri poterit, neque enim tenetur Patronus, vel Collator quærere, aut requirere qualificatos, nam semper Lex, & quævis dispositio intelligi debet si talis persona id petat, vel velit, *Pyrrhus Corrad. in praxi Benefic. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 59. *Gonzalez, Gloss.* 56. *n.* 88. *& seqq.*

N. 2. *Quod Ordinem ipsum aliamve qualitatem requirat actu.* An Episcopus consentiente Patrono possit conferre Beneficium non habenti qualitatem in fundatione appositam? affirmant saltem pro una vice, *Felin & Panorm. in cap. Cum accessissent, n.* 19. *de constitut. Rochus de Curte de Jure Patr. in verbo, pro eo, q.* 15. *n.* 31. *&* 32. *Lambert. de Jure Patr. part.* 1. *lib.* 2. *q.* 7. *art.* 2. *Zerola in prax. Episcop. part.* 1. *in verb. Beneficium, Perez. Delara de anniversariis & Capellaniis, lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 28. & alii per eum citati, negant *Pyrrhus Corradus in prax. Benefic. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 145. *Ex Clem. quia contingit, de Religios. domib.* & ex eo quòd voluntas testatoris est pro Lege servanda, §. *Disponat, in Authent. de nuptiis, cap. ult. voluntas* 13. *q.* 2. *& ex Concil. Trident. Sess.* 25. *cap.* 5. *de reform.* cujus Decreto habetur demptam esse Episcopo hanc facultatem, dum expresè voluit, ut illis quæ bene constituta sunt, contrariis Ordinationibus non detrahatur, ob idque quando ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sint injuncta, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur, &c. Aliter facta provisio subreptitia censeatur: & hæc secunda opinio verior est, & apud nos indubitata; quam tamen limitarem, ut non habeat locum, quando fundator adhuc vivens præsentaverit non

habentem qualitates in ſua fundatione requiſitas, nec ſibi gravamen impoſuit, ſed ſuis hæredibus, quia ipſe fundator, quoad ſe non ligavit ſibi manus, *Corrad. ibid. n.* 142.

TITULUS XXI.

De Defectu Clericaturæ.

SUMMARIUM.

I. & II. Irregulares ſunt Laïci. | *III. Quomodo probetur Ordinatio.*

I. LAICI ſunt irregulares defectu Clericaturæ: nam per primam Tonſuram, (*a*) qui deſtinantur ad ſacra miniſteria priùs à plebe ſecernuntur, & in ſortem Domini eliguntur, ut olim Levitæ: unde Clerici dicuntur ἀπὸ τοῦ κλήρου: quod æquivocum nomen eſt apud Græcos ſortem & hæreditatem ſignificat, nam per Tonſuram bona temporalia abdicare videntur, & cum Pſalmiſta dicunt, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*, quoniam animos divinâ obſervatione devinctos non decet deſideriis patrimoniorum occupari.

II. Hoc impedimentum eſt ex præcepto Eccleſiæ, *c. In novatione, c.* 16. *q.* 7. *c.* 2. *de inſtitutionib.* conſequenter impedit electionem & collationem Beneficii, & legitimum Ordinis uſum: at non impedit Ordinis ſuſceptionem, nec ejus effectum, quominùs non tonſuratus, quamvis quoad ſe, cùm ſit ſuſpenſus, miniſtrando peccet, *D. Thomas* 4. *Sententiarum, q.* 23. *art.* 5. *Panormit. in c.* 1. *de Clerico per ſaltum promoto.*

III. Clericatura non probatur apud nos teſtibus, ſed exhibitione Litterarum, niſi Litteras & Regeſta in quibus inſeruntur amiſſas eſſe conſtet, ex Conſtitutione Gallica Molinenſi, *art.* 55. Idem de Litteris profeſſionis Monachalis cavetur *ibid.* & Litteræ hujuſmodi in Judicio fidem non faciunt niſi fuerint inſinuatæ, ut notavimus ſuprà: & quamvis Clericatura ſit præambula Ordinum, & in Ordinibus præſupponatur præceſſiſſe, ut neceſſarium antecedens, non probatur ſolâ exhibitione Litterarum eorundem Ordinum, niſi Litteræ Clericaturæ in illis fuerint enunciatæ, (*b*) *Riccius deciſ.* 317. probatur autem enunciatione, ob fidem debitam ordinanti.

SOLIER.

(*a*) CUM Antiocheni verticem capitis Divi Petri Apoſtoli ignominiæ cauſa abraſiſſent, ipſe deinceps de abraſione ea Gaudens, perpetuò eam in gloriæ ſignum retinuit; in cujus facti memoriam abradendi capitis conſuetudinem in Clericis induxit Eccleſia, *Toſtat. q.* 25. *in cap.* 19. *Levitic.*

(*b*) Ordinatio probatur per ſigillum Epiſcopi ſi notum ſit, *cap. Extraneo, diſt.* 71. *L. Si qua per calumniam, in fine, Cod. de Epiſc. & Cleric.* & ſi quis perdiderit litteras, probet amiſſionem, & tenorem ipſarum, & quod ſine vitio fuerint, *cap. Cum olim in fine, de privileg.* vel per teſtes, *cap. Tuæ fraternitatis, de Cleric. pereg.* vel per enuntiationem in litteris Superiorum Ordinum, ut Author hîc. Quod verum eſt ubi non eſt magnum præjudicium, ut in peregrinante, de quo dubitatur an ſit Clericus vel Sacerdos; ſed in Beneficialibus dicendum non poſſe probari Tonſuram niſi per Scripturam, ſi non probetur ejus amiſſio, *Rebuff. in praxi tit. forma litter. Tonſuræ, n.* 25. unde Tonſuræ littera producenda venit in qualibet parte poſſeſſorii Beneficialis, *Probus ad Gloſſ. Prag. de pacific. poſſeſſ. §. Ordinarii, in verb. Inquirant, n.* 23.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. IN *ſortem Domini eliguntur.* Et fiunt Beneficiorum capaces, modò chriſmate ſint confirmati, nam prima Tonſura de neceſſitate præcepti requirit Sacramentum chriſmatis *Concil. Trident. Seſſ.* 23. *cap.* 4. unde aliàs declaravit ſacra Congregatio Concilii teſte Fagnano, primâ Tonſurâ initiatum, non ſuſcepto chriſmate, ac poſtea ad minores Ordines eo ſuſcepto eſſe malè promotum, Beneficia minùs legitimè acquiſiviſſe, & non poſſe ad ſacros Ordines aſcendere, niſi prævià Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione quidquid contra ſcripſerit *Navarr. in manuali cap.* 22. *tit. de Sacram. Confirmat. n.* 9. licèt ſequacem habeat *Lotterium, lib.* 3. *q.* 36. *n.* 47. rationem aſſignat Fagnanus quia cùm per ſacram Ordinationem tradatur Ordinato ſpiritualis poteſtas, convenit ut priuſquam Laïcus rem adipiſcatur, per Sacramentum chriſmatis roboretur, juſtificetur, & armetur, contra inviſibiles hoſtes, *cap. Spiritus Sanctus, diſt.* 5. *de conſecrat.* ita Fagnan. *in cap. Cùm contingat. n.* 96. *de ætate & qualit.* apud nos tamen omiſſio chriſmatis in lite Beneficiali attenditur, & ſumens ab alieno Epiſcopo Tonſuram, non poteſt habere Beneficium, quia Ordinatio eſt irrita, *cap. Illud, diſtinct.* 71. *cap. Primatus, & cap. Seq. ibid.* qui Canones non reperiantur correcti, licèt correcti ſint Canones antiqui nullam decernentes proviſionem ſine titulo factam, *cap. Neminem, & cap. Sanctorum, diſt.* 70. habet autem Cle-

ricatus

ricatus Officium suum scilicet psallendi, canendi responsoria, hymnos, & reliqua, per quod ministerium etiam ipse cooperatur circa Sacramentum Eucharistiæ disponendo fideles, qui habent suscipere Sacramentum, & ideò dicitur Ordo in dicto *cap. Cùm contingat, & textus in cap. Cleros, dist.* 21. recensetur novem Ordines per hac verba, quorum gradus & nomina sunt hæc, Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolitus, Subdiaconus, Diaconus, Presbiter, & Episcopus. Concordat textus *in cap. Perlectis, dist.* 25. quarè inquit, *Dyon. de Ecclesiastica Hyerarchia, cap.* 61. nostra Hyerarchia, Deo traditis Ordinibus sanctè disposita, sanctis & cœlestibus, Hyerarchis conformis est, sed in cœlesti Hyerarchia, novem sunt ordines Angelorum, *cap. Principium, ff. Omnis lapis, de Pœnit. dist.* 2. ergo totidem Ordines esse debent in Ecclesia militanti, inquit *Fagnan. in dicto cap. Cùm contingat, n.* 54. *juncto numero* 103.

N. 2. *Impedit electionem, & collationem Beneficii.* An impediat etiam præsentationem, *Rota, 19. Novemb.* 1584. judicavit non impedire, quoties fuit præsentatus proximè Clericandus, nam hoc casu præsentatus non est penitùs indignus, cùm ante institutionem sit Tonsuratus, *Flam. de resign. lib.* 4. *q.* 2. *n.* 5. cui consonat declaratio sacræ Congregationis Concilii *Super cap.* 10. *Sess.* 7. *de Reformat.* relata per *Garc. part.* 7. *cap.* 1. *n.* 30. quæ sic ait *Vicarius Capituli Sede vacante infra annum potest concedere dimissorias ad primam Tonsuram, ei qui est præsentatus à Patronis Laïcis ad Beneficium Ecclesiasticum Juris Patronatûs ipsorum, & illud obtineri valeat*, & idem cum quadam modificatione, tenet *Garc. ibidem, n.* 28. sed contrarium tenent communiter Doctores, præsertim relati à *Flamin. & Garc. dictis locis*, & probat *Lambert. de Jure Patr. part.* 1. *lib.* 2. *q.* 7. *art.* 2. *ad finem, & art.* 7. *& 29. ad finem*, & hæc est veritas.

N. 3. *Clericatura non probatur apud nos testibus.* Quadruplici modo insignitio characteris Clericalis probari potest. *Primò*, per ostensionem litterarum Episcopis, *cap. Extraneo, dist.* 71. *L. Si qua per calumniam, de Episc. & Cleric. Secundò*, per Registri Episcopalis seu Secretarii, nam libro tento ab eo cui ex necessitate Officii hoc injunctum est debet plena fides adhiberi, *Flamin. lib.* 8. *q.* 11. *n.* 49. *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *q.* 48. *n.* 49. *Tertiò*, per inquisitionem amissionis litterarum, & Registri, *Constitutione Molin. art.* 55. *Quartò*, per indultum summi Pontificis de non docendo de litteris Tonsuræ deperditis in Gallia agnitum & receptum, ut in indice sumptus expeditionum Romanæ Curiæ præfinicnte authoritate Regia edito cernere est. Si verò prætermissâ Tonsurâ sequentes Ordines fuerint collati, Tonsura repetenda est, ut reprobatâ opinione Innocentii *in dicto cap. Cùm contingat, de ætate & qualit.* tenet Hostien. *n.* 2. quia Psalmitatus inquit, certus est Ordo, & est principium & quasi fundamentum militiæ Clericalis, cui per hunc Ordinem quis adscribitur, *cap. Eò libentiùs, de servis non Ordin.* & in hæreditatem Domini assumitur, *cap. Cleros, dist.* 21. *cap. Cum secundum, de Præbend.* non est ergo contemnendus, nam in omnibus rebus id est perfectum quod ex omnibus suis partibus constat, & certè cujusque rei potissima pars est principium, *L.* 1. *ff. de orig. Juris.* Ordinatè ergo ad Ordines ascendendum est, nam casum appetit qui postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum, *cap. Sicut Neophit. dist.* 48. & cùm manûs impositio & unctio omissa in aliis Ordinibus rite exhibitis repetantur, *cap.* 1. *& ult. de Sacram. non iter. cap. unico, de Sacram. Unctionis*, multò fortiùs erit hic, qui omnes debent præcedere repetendus: Ordinem dico, sive enim simplex esset dispositio seu præparatio ad Ordines, ut volunt Theologi, frustrà jam Ordinatus disponeretur ad id quod jam esset assecutus, cum præparatio debeat semper præcedere præparatum, *L. Ad Leg. ff. de procurat. cap. Ad audientiam, de Eccles. adific.*

TITULUS XXII.

De Defectu Justæ Ætatis.

SUMMARIUM.

I. & II. In Ordinatione Ætas requisita.
III. In Beneficiis ætas requisita.
IV. & V. Ætas Canonicorum & Dignitatum.
VI. VII. VIII. & IX. Ætas Episcoporum.
Ætas Abbatum.
X. An Beneficium conferri possit infanti. Super defectu ætatis quis dispensare possit. Arrestum.

I. SECUNDÒ, irregulares sunt defectu ætatis justæ, infantes, non solùm ad Ordines, sed etiam ad Clericaturam, & consequenter inhabiles ad Beneficia cujuscumque generis sint, donec ad justam ætatem pervenerint: nam ad primam Tonsuram septennium completum desideratur, *c. fin. de temporibus ordinandorum, in 6.* Post septennium, intra quinquennium, Clericus, Ostiarius, Lector, & Exorcista, fieri potest, exinde Acolitus anno decimo quarto (*a*) *c. Cum singula, d.* 77.

II. Quoad sacros Ordines, Jure veteri ad Subdiaconatum ætas annorum viginti sufficiebat, *c. Subdiaconus, d.* 77. ad Diaconatum ætatis annorum viginti quinque requirebatur, & ad Presbyteratum triginta, *c. Episcopus. ibidem.* Sed in Concilio Viennensi placuit ad Subdiaconatum annum decimum octavum sufficere; ad Diaconatum, vigesimum; & ad Presbyteratum, vigesimum quintum, *Clement. generalem, de ætate & qualitate or-*

dinandorum. Et postremò in Concilio Tridentino, *Sess.* 23. *c.* 12. Jus illud fuit correctum in Subdiaconatu & Diaconatu, ut nullus ad Subdiaconatum ante annum vigesimum secundum, nec ad Diaconatum ante annum vigesimum tertium promoveatur, quo Jure utimur: nam post Concilium Tridentinum, apud nos Constitutioni Aurelianensi, quæ annum requirebat trigesimum ad Presbyteratum, derogatum fuit per Constitutionem Blesensem *art.* 29. & juxta Concilia suprà allegata annus vigesimus secundus in Subdiaconatu, vigesimus tertius in Diaconatu, & vigesimus quintus in Presbyteratu requiritur: quæ Jura de anno cœpto intelliguntur, ut Constitutio Blesensis loco citato declarat, *juxta c. Cùm in cunctis*, §. *Inferiora*, *de electione.*

III. Sic in Beneficiis justa ætas requiritur; in Beneficiis simplicibus, quæ non sonant in nomen Rectoriæ, ut sunt Capellaniæ, septennium completum sufficit, nam cùm homines illius ætatis ad Tonsuram admittantur, eodem Jure ad Beneficia simplicia sunt admittendi, *De Selva* 3. *parte*, *de Beneficio*, *q.* 5. *Rebuffus de pacificis possessor. n.* 175. In Beneficiis simplicibus, quæ sonant in nomen Rectoriæ per se stantis, ætas annorum quatuordecim requiritur: nam ante illam ætatem impuberes non sunt capaces curæ quæ in exercitio & administratione illorum munerum desideratur, *c. Indecorum*, *de ætate & qualitate ordinandorum*, *& c. super inordinata*, *de Præbendis:* & novo Jure in omnibus Beneficiis simplicibus indistinctè annus decimus quartus exigitur, *Concil. Trident. Sess.* 24. *de reformatione*, *c.* 6. idque de anno cœpto Patres sacræ Congregationis intellexerunt, *Riccius decis.* 392. *Garcias parte* 7. *c.* 4. Apud nos in Beneficiis simplicibus septennium sufficit, ut dictum est suprà: nam Concilium Tridentinum in iis quæ pertinent ad reformationem nondùm fuit in Gallia in omnibus receptum.

IV. In Canonicatibus Ecclesiæ Collegiatæ decennium completum sufficit, & in Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis annus decimus quartus completus desideratur, juxta regulam Cancellariæ decimam septimam, *De Selva loco citato*, *Rebuffus*, *de pacificis possessorib. n.* 178. tametsi Ecclesia Parrochialis per Vicarium exerceri solita, sit unita Canonicatui, nam accessorium sequitur naturam sui principalis, *Garcias de Benef. parte* 12. *c.* 2. *n.* 24. *Riccius dec.* 490. Variis Arrestis collationes Præbendarum Ecclesiarum Cathedralium impuberibus factæ in Regaliâ habitæ fuerunt irritæ, *refert Bengeus in* §. *de qualitatibus ordinandorum*, *n.* 7. Verùm nec in Collegiatis nec in Cathedralibus Ecclesiis Canonici vocem habent in Capitulo nisi sint in Sacris, (*b*) *Clement. ut ii qui*, *de ætate & qualitate ordinandorum.*

V. In Dignitatibus, Personatibus, & Parrochialibus Ecclesiis, annus vigesimus quintus cœptus exigitur, *d. c. Cùm in cunctis.* Idem statuitur in Prioratibus Claustralibus habentibus Curam annexam, *Clement. ne in agro*, §. *finali*, *de statu Monachorum:* si verò per Vicarium Cura exerceatur, annus vigesimus sufficit, *ex dicta Clement.* §. *cæterum:* hodie verò ex Concordatis, quamvis Cura sit annexa, in Prioratibus electivis annus vigesimus tertius incœptus sufficit, *ex Concordatis de Regia nominatione*, §. *Monasteriis*, *Rebuff. ibid.* Et in Dignitatibus & Personatibus non habentibus Curam annexam, annus vigesimus secundus, *Concil. Trident. Sess.* 24. *de reformatione*, *c.* 12. Quod similiter de anno cœpto est intelligendum, licèt Concilium dicat non minores viginti duobus annis, nam in Honoribus annus cœptus habetur pro completo. Et in Parrochialibus Ecclesiis Jus antiquum servatur, nisi per Vicarium Cura exerceatur, quo casu annus decimus quartus sufficit: ea enim ætas semper desideratur in illis, (*c*) ob Curam & administrationem rerum temporalium, nisi Prioratus sit annexus Canoniæ Ecclesiæ Collegiatæ, in quâ decennium sufficit, ut dictum est supra.

VI. Olim in Episcopatu ætas quinquaginta annorum requirebatur ex Constitutionibus Apostolorum, quæ ætas dicitur constans & provecta, & ab ea homo videtur dilabi, moderatis passionibus libidinis & superbiæ, καθήκων τῇ ἡλικίᾳ, *Clemens Romanus Constitutionum Apostolorum*, *c.* 1. Posteà placuit annum trigesimum quintum sufficere, *Nov.* 123. *c.* 1. quoniam Conciliis & præceptis Evangelicis motus juveniles coërcentur, & passiones reprimuntur, ut de Thimotheo scribit Apostolus, qui non ætate, sed sapientiâ & prudentiâ provectus erat, τὴν νεότητα οὐκ προβεβήκος τῷ χρόνῳ: non enim spectatur ætas in eo qui virtutibus fulget, & bonis moribus pollet, ut aiebat Valerianus, *teste Vopisco.* Postremò post annum trigesimum completum Episcopi ordinari cœperunt, juxta Decreta Synodi Neocæsariensis, *c.* 11. & Concilii Lateranensis *in c. Cùm in cunctis*, *de electione*, quoniam in illa ætate Christus fuit baptizatus, & cœpit docere. Demùm in Concordatis, *tit. de Regia ad*

Prælaturas nominat. §. *in Monaſt.* & Conſtitutione Bleſenſi *art.* 2. viſum fuit annum vigeſimum ſeptimum ſufficere. In Abbatibus verò annus vigeſimus quintus ſufficit, *d. c. Cum in cunctis, Leſsius & alii quos citat Garcias parte* 7. *c.* 4. *n.* 42. Quæ omnia de anno cœpto intelliguntur, *Rebuffus in Concordatis, loco citato,* §. 1. *verſic. conſtitutum.*

VII. In Beneficiis defectus ætatis impedit & irritat proviſionem, (*d*) *c. Licet Canon. de electione, in 6. cum ſimilibus ſuprà citatis*, ſive ætas requiratur Jure communi, ſive Jure ſpeciali, ex Statuto vel Fundatione, in Litteris Papæ, vel Ordinatarii, in Beneficio dato in titulum, vel in Commendam, *Mohedan. de conceſſ. Præb. n.* 7. Et in Ordinibus defectus ætatis non impedit ſuſceptionem Ordinis, ſed legitimum ejus uſum, ex Theologorum ſententia, quos refert Toletus *lib.* 1. *c.* 55. Tamen non poſſum aſſentiri ſententiæ illorum qui aſſerunt Ordines majores, etiam Preſbyteratum, infanti nondùm habenti rationis uſum poſſe conferri: nam defectus rationis, legitimi conſenſûs, in infante & furioſo, eſt impedimentum Naturæ; & forma Sacramenti ex inſtituto Chriſti præſupponit habilitatem Naturæ, diſpoſitionem ſubjecti, & conſenſum recipientis; alioquin ordinatio & collatio facta dormienti valeret, quod ridiculum eſſet dicere.

VIII. Nec obſtat Capitulum unicum *de Clerico per ſaltum promoto*, quod inducitur ad probandam illorum ſententiam: ibi enim agitur de Clerico qui infra annos diſcretionis Subdiaconatum ſuſceperat: & ne inde reſultet pravus intellectus, debemus ſupponere in hypotheſi tempore ordinationis illum majorem fuiſſe ſeptennio, & minorem annis quatuordecim: nam à decimo quarto anno ætatem pubertatis & diſcretionis maſculorum Jus Civile metitur, & fœminarum à duodecimo: citiùs pubeſcunt fœminæ ob votorum feſtinationem, ut ait Macrobius *in ſomnium Scipionis*, aut quia res minùs perfectæ in ordine Naturæ citiùs matureſcunt, ut ait Petrus Venetus, eandem regulam Jus Canonicum ſervat in rebus ſpiritualibus, in matrimoniis & Ordinibus, *c. Puberes, de deſponſatione impuberum, & c. Cum ſingulis, d.* 77. *c. Pueri, c.* 1. *q.* 1. Ergo cùm Clericus ait in dicto capitulo unico ſe Subdiaconatûs Ordinem ſuſcepiſſe infra annos diſcretionis, annum decimum quartum intelligit, quo nondùm annos diſcretionis attigerat; & in eo non reïteratur Ordo Subdiaconatûs, quòd tempore ordinationis ſeptennium expleviſſet, & rationis capax eſſet: nam eo tempore Ordo Subdiaconatûs (*e*) inter ſacros Ordines non cenſebatur, & poſt annum decimum quartum conferri poterat, *c. A multis, de ætate & qualitate ordinandorum.*

IX. Similiter non obſtaret dicere, quòd Tonſura Clericalis infanti intranti in Religionem juxta votum parentum, ab Epiſcopo conferri poteſt, *c. Nullus, de temporibus ordinandorum, in 6.* nam prima Tonſura non eſt Ordo, ſed diſpoſitio ad Ordines; & in eâ conſenſus parentum ſufficit pro infante, ut in cæteris negotiis civilibus, *l. Si infanti, C. de jure deliberandi.* At in ordinatione conſenſus recipientis eſt de forma eſſentiali actûs, nemo poteſt ſtipulari vel acceptare pro ipſo, ut in Baptiſmo licet, & quæ ſunt de forma & eſſentia actûs eodem contextu debent intervenire, *l. Hæredes palam, de teſtamentis.*

X. Ergo defectus ætatis in infante non habente rationis uſum eſt impedimentum Naturæ ad Ordines, & conſequenter ad Beneficia; & Papa non poteſt cum eo diſpenſare; & ſi diſpenſet, non eſt parendum diſpenſationi, *Anfrerius q.* 488. In cæteris verò habentibus uſum rationis, defectus eſt impedimentum Juris poſitivi, & Papa cum illis diſpenſare poteſt ad Ordines & Beneficia; ut in cauſa Præpoſiti Eccleſiæ Graſſenſis Senatus cenſuit ſuper clauſula diſpenſatoria ætatis ab eo obtenta in ſignatura proviſionis ejuſdem Beneficii, *Arreſto menſis Februarii anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi octavi.* Verùm in iis quæ Concordatis ſtatuta ſunt Papa non poteſt derogare ſine placito Regis: & ſi defectus ætatis ſit biennio major, ex regula Cancellariæ Papa non ſolet diſpenſare; & diſpenſatio obreptitia cenſetur niſi regulæ ſupradictæ derogatum fuerit: quo Jure poteſtas revocatur quæ data fuerat Epiſcopis *in c. Unico de qualitate ordinandorum, in 6.* diſpenſandi cum majoribus viginti annis ad Dignitates & Perſonatus quibus cura animarum non eſt annexa: & ſententia Rebuffi aliud ſentientis, *lib.* 1. *Praxis Beneficialis, de collat. c.* 16. *n.* 41. non eſt tuta in Galliâ, ubi Conſtitutiones Bonifacii non ſervantur (*f*) niſi prout ſunt conformes Conciliis: nam neque poteſt Epiſcopus diſpenſare ſupra Concilia, nec derogare Statutis Eccleſiarum ſolemniter approbatis, certam ætatem aut qualitatem requirentibus in Beneficio, ſine conſenſu Capituli; nec legi fundationis Beneficii, ſine conſenſu Patroni: *Vide ſuprà lib.* 1. *tit.* 19.

SOLIER.

(*a*) TAMEN ætatem idoneam ad Ordines minores suscipiendos esse eam quæ sequitur post infantiam affirmat *Suarez tom.* 5. *disp.* 51. *sect.* 1. *n.* 22. Idem tenet *Azor instit. moral. p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *q.* 7. 8. *&* 9. *Ugolin. de offic. & potes. Episc. c.* 26. *§.* 7. *n.* 2. ubi dicit non solùm primam tonsuram, sed & minores post septennium & ante decimum quartum annum suspici posse, & ita sentire ait *Trid. Synodum sess.* 23. *cap.* 6. *de reform. ibi aut etiam in minoribus Ordinibus constituti*; non enim circa ætatem primæ tonsuræ & minorum Ordinum aliquid est innovatum à Concilio, *Garc. de Benefic. parte* 7. *c.* 4. *n.* 7.

(*b*) Nihilominus poterit Canonicus non constitutus in sacris conferre per hebdomadas sicut alii. Nec obstat *Clem. ut hi qui, de ætat. & qualit.* quia ibi privatur tantùm suffragio & sic electione, non autem nominatione vel collatione seu præsentatione. Ita se consuluisse asserit *Rebuff. in tract. nomin. q.* 8. *n.* 4.

(*c*) Idem tenet *le Prêtre Cent.* 2. *cap.* 73. *sed Bengeus de Benefic. cap. de div. s. Benefic. §.* 29. *n.* 6. innuit ætatem septem annorum ad Prioratus seculares simplices sufficere, quamvis ad regulares exigatur annus vigesimus, *Clem.* 1. *§. cæterum, de statu Monach.* quod verum arbitramur.

(*d*) Cum hoc de jure sit certissimum in tantum quòd dispensatus ut celebret ante ætatem, non censetur dispensatus ad curatum, *Gloss. in Clem.* 2. *in verb. constitutus, de ætate & qualitate.* Obstupui cùm in novella additione ad Scholia Lovetii *lit. B. cap.* 4. & in continuatione Darii Francis. Jamet. *lib.* 4. *cap.* 34. vidi judicatum in Senatu Parisiensi die 25. Januarii 1661. ætatem 25. annorum ad obtinendam Parrochialem Ecclesiam non requiri, sed sufficere quod provisus possit intra annum ad Sacerdotium promoveri. Sed utrum legibus, an verò exemplis sit judicandum? Determinat *lex, nemo Judex, Cod. de sent. & interloc.*

(*e*) Olim ante Innocentium III. Temporibus Urbani III. ordo Subdiaconatûs creditus est inter sacros non recenseri, *cap. fin. dist.* 60. *cap. à multis, de ætat. & qualit. cap. miramur, & ibi Gloss. de servis non ordin.* Sed hodie contrarium videtur fuisse declaratum ex indice librorum prohibitorum post Concilium Trid. edito, & libello purgatorio Glossarum Decreti fol. 2. ad finem, expungi jubetur *Gloss. dist.* 21. *in princ. in verb.* Subdiaconos, unà cum margine è regione posita, quæ ait, *Subdiaconatus tempore Apostolorum non erat Sacer.*

(*f*) Constitutiones Bonifacii VIII. etiam Conciliis non innixæ recipiuntur in Gallia quando favent potestati & juribus Ordinariorum, ut appositè observat *Brodel. ad Lovetium, lit. V. cap.* 1. *n.* 3. Inficiari autem non potest quin favorabile sit Ordinariis dispensare, & eorum subditis commodum ab eisdem dispensari posse ad Dignitates & Personatus sine cura in vigesimo ætatis anno expleto, *juxta c. Unicum, de qualit. ordin.* quod ideò, licèt sit Bonifacii, servari in Gallia dicendum est.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. IRREGULARES *sunt defectu ætatis justæ Infantes.* Si tamen Sacramentum Ordinis pueris, furiosis, vel amentibus, qui usu rationis carent administretur, characterem in eorum animum imprimi certò credendum esse ait *Barbos. de offic. & potest. Episc. allegati* 16. *n.* 2. unde *in cap. unico, de Cleric. per saltum promotis* habetur illos non esse reordinandos qui intra, id est, ante discretionis annos acceperunt minores Ordines quia usus rationis videtur solummodò requiri in suscipientibus Sacramenta, quæ consistunt in aliquo actu ipsius suscipientis, sicut est matrimonium quod consistit in mutuo consensu; & Pœnitentia ad quam necessarius dolor, & confessio. In susceptibus verò Sacramenta per quæ datur aliqua potestas, quæ est prior actu, non videtur necessarius usus rationis, sed sufficit capacitas potentiæ, seu potestatis quæ confertur; *ita Barbos. dicto loco*, quam tamen sententiam improbat Author *hic, n.* 7. & benè.

N. 2. *Ante annum* 22. Annus autem ibi computatur juxta consuetum Ecclesiæ morem prout dicitur de interstitiis, nec computandus est dies Bissexti, cum annus à jure determinatus, intelligatur ex 365. diebus continuis, *Henriquez in summa, lib.* 10. *cap.* 19. *§.* 2. Marga *de Beneficiis, q.* 3. quamvis Barbosa qui intricatè loquitur ubi supra, *n.* 3. videatur contrarium velle, idem de ætate ad Beneficia dicendum videtur, quod non credo.

N. 5. *In Dignitatibus & Personatibus non habentibus curam animarum annexam, annus* 22. Author indistinctè loquitur de omnibus Dignitatibus ex Concilio Tridentino & tamen Concilium verba dine Annexum habentibus, ut infra annum Presbyterari valeat, *Pyrrhing. de elect. n.* 78. facit de Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus; de Dignitatibus verò Collegiatis, nihil disponit. Ergo in his remanet Jus Commune immutatum, juxta quod sufficiunt 14. anni inchoati, *cap. In duorum, de ætate & qual.* & hinc etiam hodie sufficere tenent *Roderic. qq. Regul. tom.* 1. *q.* 11. *art.* 2. *Moneta de distribut. quotid. part.* 2. *q.* 19. *art. n.* 14. *Prases in praxi Episc. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 21. *Barbos. de offic. & potest. Episc. allegat.* 60. *n.* 67. sed contrarium tenet *Garc. de Benefic. part.* 7. *cap.* 4. *n.* 54. *& seqq.* ex quo Concilium Generaliter & absolutè de Dignitatibus & Personatibus loquitur, & puta, inquit, ex principio ejusdem Capituli Concilii, *cum Dignitates in Ecclesiis præsertim Cathedralibus*, nam dictio *præsertim* implicat idem in Collegiatis, & faciunt illa verba Concilii, ad Dignitates quascumque.

Eodem N. 5. *De anno cœpto est intelligendum.* Idem tenent *Azorius instit. q.* 3. *& Zerola in praxi part.* 1. *in verb. Beneficia*, sed completos volunt hos duos supra viginti annos, *Sess. de Justitia, & Jure, lib.* 2. *cap.* 34. *& Garc. part.* 7. *cap.* 4. *n.* 64. & colligunt ex illo modo loquendi Concilii, *cap.* 12. *Sess.* 24. ut non sit minor 22. annis, qui autem nondum complevit, est is minor ætate, & ita declaravit sacra Congregatio Concilii, *in dicto cap.* 12.

N. 7. *Defectus ætatis impedit, & irritat provisionem.* Hoc de jure verum est in Ecclesiis Parrochialibus, & Dignitatibus quibus cura animarum incumbit, *cap. Clem. in cunctis, §. Inferiora, de elect.* in aliis verò Ordinem Presbyteratûs aptitu-

TITULUS XXIII.

De Conjugatis.

SUMMARIUM.

I. II. III. IV. & V. Irregulares jugati.
VI. Matrimonium Religioſus & Sacerdos an poſsit contrahere cum diſpenſatione.

I. TErtiò, irregulares ſunt conjugati, *c. 2. & c. cùm decorem, de Clericis conjug. c. nam ſicut, & ſi Laïcus, d.* 31. ne per ordinationem matrimonio fiat præjudicium: nam eſt in matrimonio mutua ſervitus; vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, ut ait Apoſtolus, eâque invitâ ordinari non poteſt, aut in Religionem (*a*) ingredi, nec inter Latinos, nec inter Græcos, ut notat gloſſa *in c. quoniam d.* 31. Quod impedimentum Juris Divini eſt, & Jure humano, conſuetudine contrariâ, aut diſpenſatione, non poteſt tolli, *Mathæi* 5. *& Marci* 10.

II. At matrimonium nondùm conſummatum non impedit ordinationem ſponſi, ſi ipſe aut ſponſa, mutato conſilio, ante copulam carnalem in Religionem ingrediatur: nam per deſponſationem, aut ſponſalia de præſenti, matrimonium non perficitur, & res non deſinit eſſe integra niſi corporum commixtione ſecutâ, *c. in omni*, c. 27. *q.* 2. & vinculo Religionis, quæ eſt vis major, θεοῦ βία, deſponſatio ſolvitur, *c. deſponſatam*, c. 27. *q.* 1. & §. *ſponſalibus*, *Novella* 123.

III. *Secundò*, matrimonium licèt ſit conſummatum, non impedit ordinationem accedente diſpenſatione, ſi bonâ gratiâ, ut loquitur Juriſconſultus *in l. vitricus, ff. de donat. inter virum & uxorem*, ſeu ſponte ex communi placito & conſenſu partium fiat ſeparatio thori, & uxor ingrediatur in Religionem, aut vetula ſit, manens in ſæculo, de libidine minimè ſuſpecta. *c. Agathoſa, & c. ſi vir*, c. 27. *q.* 2.

IV. *Tertiò*, ſi uxor adulterii damnata ſit, eâdem invitâ fit ſeparatio thori à Judice Eccleſiaſtico cum cognitione cauſæ; nam ſolus partium conſenſus non ſufficit, *c. multorum*, c. 25. *q.* 6.

V. In quibus caſibus poſt ordinationem conjugati debent abſtinere à converſis, ſeu à ſuis uxoribus quæ continentiam promiſerunt, γυναικας ἐχοντες, ὡς μὴ ἔχοντες, uxores habentes, ut non habentes, ut ait Apoſtolus: Græci verò ſolùm abſtinent tempore oblationis, juxta Canones Concilii Nicæni, *c. Nicæna, & c. quoniam, d.* 31. nam in Ordinibus continentia eſt de præcepto Eccleſiæ Latinæ, Orientales verò noluerunt ſe ad continentiam obligare, *c. aliter, d.* 31. Tamen nec Latini nec Græci poſſunt nubere poſt Subdiaconatum, juxta Canones ejuſdem Concilii, *c. ſi quis, d.* 32. Nam cùm inter Græcos mos contrarius inoleſceret, & liceret Presbyteris intra biennium à Conſecratione nubere, ut conſtat *ex d. c. aliter, & Novella Leonis* 3. inter eos prohibitio Concilii renovata fuit eâdem Novellâ Leonis, & Conſtitutione Juſtiniani *in l. ſacris, C. de Epiſcopis & Clericis.*

VI. Cumque continentia ſit de præcepto Eccleſiæ Ordini annexa, ſequitur Papam cum Monachis (*b*) & Clericis conſtitutis in ſacris Ordinibus diſpenſare poſſe ut nubant, *gloſſ. in c. de illo, d.* 32. quod non niſi ob gravem cauſam & publicam utilitatem fieri ſolet, *D. Thom.* 4. *Sentent. d.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *Anchar. conſil.* 336. *Felin. in c. inter cætera, de Reſcrip.* ubi refert exemplum cujuſdam Monachi & Sacerdotis, Remigii nuncupati, de ſtirpe Regiâ Arroganum, qui maſculis deficientibus diſpenſatus fuit ut reverteretur in ſæculum, & duceret uxorem, ob publicam Regni utilitatem; nam licèt ex voto Religioſorum & promiſſione Sæcularium oriatur obligatio ad Deum, Summus Pontifex in Terris Chriſti Vicarius, pro poteſtate ſibi conceſſa, poteſt eam obligationem ſolvere ob publicam utilitatem. Idem tamen non poteſt facere, quòd conjugatus poſt conſummationem matrimonii ordinetur invita uxore: nam Chriſtus illius vinculi Sacramentalis ſe protectorem & defenſorem exhibuit, dùm dixit *quos Deus conjunxit homo non ſeparet.* Clericus autem nubens poſt Conſecrationem fit irregularis, ut conſtat ex ſupradictis.

SOLIER.

(*a*) IDEM de muliere, quia cum sit conjugata non est habilis ad transferendum sui Dominium in Monasterium, *cap. Quidam, de converſ. conjugat.* & si Religionem ingrediatur cogitur ad virum redire, *cap. Chariſſimus d. tit.* ut debitum solvat conjugale, non etiam ut exigat: quamvis alias Justinianus alteri ex Conjugibus facultatem fecerit, altero invito, à conjugio recedendi, & vitam eligendi solitariam, *L. Deo nobis, de Epiſc. & Cleric.* quam postea revocavit, *Authent. hodie, de repud.* concesso tantùm ut de mutuo consensu Monachari possint, quod de Jure Canonico etiam obtinet, *cap. Uxoratus & cap. Ad audientiam, de converſ. conjugat.* nisi copula carnalis non intervenerit, tunc enim alter altero invito continentiam vovere potest & Religionem ingredi, *cap. Ex publico, eod. tit.* non tamen domi remanere ut Religionem servet, *Gloſſ. ibid. in verb. Religionem.*

(*b*) Textus in contrarium videtur apertus *in cap. Cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* ubi Innocentius III. sic ait. *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt Annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* Sed legitima ejus Capituli interpretatio est non posse Summum Pontificem ista duo componere, scilicet proprium retinere, castitatem non servare cum statu Religiosi, id est indulgere licentiam ut cum proprio & sine castitate vivens Monachus sit; cum tria vota sint de substantia statûs Religiosi, *Innoc. & Panorm. in d. cap. Cum Monaſterium.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. IN *Religionem ingrediatur.* Matrimonium ratum, nondum tamen consummatum potest ingressu Religionis, & professione solemni alterius conjugum, etiam invito altero, dissolvi, *cap. 2. de converſ. conjugat.* & Sacrosancta Synodus Tridentina, *cap. 6. Seſſ. 24.* Sanxit, *ut ſi quis dixerit matrimonium ratum non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum, non dirimi Anathema ſit*, sed remanens in sæculo poterit ad secunda vota transire, ex quo non fuerint una caro effecti, *dict. cap. 2.* ordinis autem sacri causâ non licet matrimonium ratum nondum consummatum solvi, *Extravagant. antiqua, de voto, Joann. 22. Gloſſ. in cap. unic. de vot. in 6.* Ratio differentiæ est quia Monachi instar mortuorum habentur in mundo, Clerici verò sæculares non sic, *Gloſſ. in dicto cap. unic.*

N. 3. *Accedente diſpenſatione.* Id est cum conscientia Episcopi, *cap. Si vir 27. q. 2.* & tunc quando scilicet uterque conjux ex mutuo consensu emisit votum castitatis, non potest maritus irritare votum uxoris, nec uxor mariti nihilominus liberi procreandi erunt illegitimi, & irregulares, *cap. Litteras, de filiis Presbyt. Pontius de matrim. lib. 10. cap. 17. §. 1. & 2.* & quamvis contractus ille possit mutuo consensu rescindi, obstat tamen votum, in eo inclusum *Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 40. n. 20.* quòd si post votum castitatis mutuo consensu emissum, dent sibi iterum facultatem in corpus, & remittant renuntiationem illam juris petendi, ac reddendi debitum conjugale, iterum sibi conferentes potestatem exigendi, sacrilegè id fiet, sed tamen validè, & tenebit remissio, & jam deinceps alter alteri tenebitur reddere, tanquam ad pristinam servitutem reductus, petere tamen non poterit obstante voto, quia votum simplex castitatis non aufert corporis dominium, nec impedit valorem translationis in alium, neque enim translatio hæc, est propriè irritatio, & per se, sed quasi per accidens, & indirecta, quia non obstante voto habet uterque proprii corporis dominium ad illud quamvis sacrilegè transferendum, *Sanchez, lib. 3. diſp. 37. n. 15.*

N. 6. *Papam cum Monachis, & Clericis conſtitutis in ſacris Ordinibus diſpenſare poſſe ut nubant.* Hæc sententia tamen exposa est in illa librorum Pontificii Juris censura, quæ anno 1572. edita est, pag. mihi 5. dum apertè censuit abolenda postrema Glossæ verba *in cap. de illo, diſt. 32. in verb. Damus, in fine*, quibus licere hoc Pontifici maximo edocebatur.

TITULUS XXIV.

De Bigamis.

SUMMARIUM.

I. II. & III. Irregulares Bigamis, cur Bigami irregulares ſint.
IV. Clericus ordinatus ſit irregularis ſi nubat.
V. & VI. Cur Bigami ſolus Papa diſpenſat.

I. QUARTÒ, irregulares sunt Bigami: nam ex Apostolo *ad Titum c. 1.* Episcopus esse debet unius uxoris (*a*) vir Quod de cæteris etiam Presbyteris Concilium Nicænum intelligendum esse declaravit, *c. cognoſcamus, d. 34.* At sententiam Apostoli calumniantur Hæretici, asserentes Apostolum non matrimonium sed poligamiam Episcopis prohibuisse, ut voluit Illiricus in Apologiâ Confessionis Antuerpiensis *c. 19.* quo nihil ineptius: nam, ut ait Clemens Romanus, *lib. de Conſtitutionibus Apoſtolorum*, Apostolus ibi loquitur de eo qui unam uxorem solùm habuit, & uni soli nupsit, de quo in ordinatio-

ne priùs inquirebatur, ut conſtat *ex Novella Juſtiniani* 123. *c.* 1. ſi unicam uxorem habuiſſet, admittebatur; ſi plures, repellebatur: nec permittit Apoſtolus Epiſcopis unam uxorem habere, ut voluit idem Illiricus: nam conjugati ordinari non poſſunt ob impedimentum matrimonii, & continentiam in ordinatione requiſitam, ut oſtendimus ſuprà. Hoc ergo ſolùm voluit, quòd qui plures habuerint uxores, non ordinentur, ob duplicem cauſam. Primam eſt, quia Bigami ſunt ſuſpecti incontinentiæ: unde apud Græcos primæ nuptiæ Legis erant; ſecundæ, indulgentiæ; tertiæ, trangreſſionis; & quartæ, manifeſtæ libidinis, ex Gregorio Nazianſeno *in Mathæum c.* 19. & trigamia dicebatur moderata fornicatio, ἐυσχήμων μοιχεία, *Athenagoras in oratione pro Chriſtianis*, & ſine veniâ Principum non permittebantur, *Balſamum in Nomocane c.* 4. Secunda, ne violetur ſymbolum Sacramenti matrimonii, quo nobis repræſentatur unitas Chriſti cum Eccleſia ab Apoſtolo dicente de matrimonio, *Porrò hoc Sacramentum magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*, ſeu in Chriſtum & Eccleſiam, quia eſt ſymbolum ſeu figura unitatis Chriſti cum Eccleſia: quod ſymbolum in Bigamo repræſentari non poteſt, quia carnem ſuam diviſit in plures uxores, factus eſt plurium uxorum vir, & irregularis ex defectu, *c. cognoſcamus, cum ſequent. d.* 34. *& c. debitum, de Bigamis non ordinandis.*

II. Et quoniam diviſio carnis in figura matrimonii non ſolùm fit ex capite viri, ſed etiam ex capite mulieris, & utroque caſu ſymbolum Sacramenti violatur, & vir fit irregularis, triplex bigamiæ ſpecies diſtinguitur; propria, interpretativa, & ſimilitudinaria, ſeu exemplaris. Propriè Bigamus dicitur qui fuit plurium uxorum vir, duas pluresve uxores habuit ſucceſſivè diverſis temporibus; Interpretativè Bigamus dicitur qui viduam à marito defuncto cognitam, aut meretricem duxit in uxorem, & carnaliter cognovit, ſive matrimonium in caſibus prædictis ſit validum, ſive non: nam ut vir dicatur irregularis, ſufficit copula in figura matrimonii, *c. ſi Laici, d.* 34. *& c. propoſuiſti, d.* 82. Dicitur etiam Bigamus qui uxorem adulteram cognovit, *d. c. ſi Laici, & c. ſi cujus, d. eadem.* In caſibus ſupradictis vir fit irregularis ob diviſionem carnis unius cum pluribus; in propriâ Bigamiâ caro dividitur ex parte mariti cum pluribus uxoribus; & in Bigamiâ interpretativâ caro dividitur ex capite uxoris cum pluribus viris: utroque caſu ſymbolum Sacramenti matrimonii violatur, & vir fit irregularis ex defectu.

III. Tamen maritus adulterando cum aliis non fit irregularis, *c. quia, de Bigamis non ordinandis.* Ratio diſcriminis ex jam dictis colligi poteſt: nam maritus adulterando carnem ſuam dividit, ſed non dividit in figura matrimonii, quoniam copula adulterina fit extra figuram matrimonii: cùm verò cognoſcit uxorem quæ ab alio antè cognita fuerat, vel poſt matrimonium alteri ſe proſtituit, violat figuram matrimonii, (*b*) quia per talem copulam factam in figura matrimonii fit unum corpus cum uxore, quæ facta eſt alterius, ante matrimonium, vel poſt, etiamſi ignoret adulterium commiſſum, aut ſciens reddat debitum conjugale, ut libidinis æſtum temperet, vel à Judice juſſus fuerit cum eâ habitare; quoniam non delictum, aut culpa, in illis caſibus, ſed defectus qualitatis in ſymbolo matrimonii requiſitæ eum irregularem facit.

IV. Bigamia exemplaris, quam Theologi ſimilitudinariam vocant, contrahitur à Clerico in Sacris conſtituto, aut Religioſo profeſſo qui virginem duxit in uxorem, eamque cognovit in figura matrimonii: talis enim Clericus inter Bigamos cenſetur, quòd cum per ordinationem Eccleſiæ ſit alligatus; velut per matrimonium ſpirituale, matrimonium carnale contrahere voluerit: at cæteri fiunt irregulares ex defectu; hic verò fit irregularis ob delictum commiſſum, & Ordini illatam injuriam, *c. nuper de Bigamis non ordinandis, & c. quotquot* 27. *q.* 1.

V. Bigamia in ordinatione eſt impedimentum Juris poſitivi, & diſpenſatione (*c*) tolli poteſt. Cum Bigamis propriè vel interpretativè ſolus Papa diſpenſat ad Ordines & Beneficia *c. ſi quis viduam d.* 50. *c. à nobis, de Bigamis non ordinandis, c. altercationis, de Bigamis, in 6.* Quibus Conſtitutionibus corrigitur Jus antiquum, quo Epiſcopis ad Ordines minores, & exigente neceſſitate ad Subdiaconatum cum Bigamis diſpenſare licebat, *c. vidua, & c. ſi Subdiaconatus, d.* 34. At cum Bigamis ſimilitudinariis, ſeu Clericis in Sacris conſtitutis, qui matrimonium contraxerunt poſt longam pœnitentiam, & laudabilem vitæ conſuetudinem, Epiſcopus diſpenſare poteſt ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrent, non ut ad majores promoveantur, *c. ſi qua virgo* 27. *q.* 1. *c. ſanè, de Clericis conjugatis.*

VI. Duo caſus excipiuntur, in quibus Epiſcopus non poteſt diſpenſare; ſi Laïcus

poſt mortem uxoris ordinatus, de facto uxorem duxerit; aut Clericus ordinatus viduam aut meretricem ſibi matrimonialiter junxerit: hi enim inter Bigamos habentur, quamvis Bigami non ſint, non ob defectum Sacramenti, ſed ob affectum intentionis, & à ſolo Papa poſſunt diſpenſari ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtrent, & ad majores promoveantur, *c. nuper, & c. à nobis, de Bigamis non ordinandis*, niſi delictum ſit occultum: nam Concilium Tridentinum dedit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in omni irregularitate & ſuſpenſione proveniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & aliis delictis deductis in Forum contentioſum, *c. 6. de reformatione, ſeſſ.* 24. An talis diſpenſatio ab Epiſcopo conceſſa proſit ſi delictum deducatur in Forum externum, dicemus infrà *tit.* 32.

SOLIER.

(*a*) Sed quare Apoſtolus præcipit unius uxoris virum eligendum in Epiſcopum ſeu Presbyterum potiùs quàm qui nullam uxorem duxerit? Reſpondet Baronius ad annum 50. *n.* 14. quia in Creta, de cujus agebat Eccleſia, nullum Cœlibem, qui numquam duxiſſet uxorem erat poſſibile reperiri, cogentibus nimirum antiquis Cretenſium legibus ut omnes homines à puero uxores ducerent, teſte *Strab. lib.* 10.

(*b*) Alias rationes allegat *Gloſſ. in cap. Debitum, in verbo, Cognitam, de Bigam.* quas elegantiſſimè confutat *Divus Thom.* 4. *d.* 27. *q.* 3. *à n.* 1. aliam aſſignans videlicèt quòd actus contrahendi matrimonii non cadit ſuper ſeipſum, ſed ſuper alium, unde ſi mulier eſſet Ordinis ſuſceptiva recipiendo corruptum efficeretur Bigama. Sed adverſus hanc rationem fortiſſimè inſurgit *Bellarm. lib.* 1. *de Cleric. cap.* 24. *ad finem*; nam duo matrimonia conſummans cum duplici virgine eſt verè Bigamus, cùm tamen in fœmina non ſit vitium, ſed in ipſo viro, & ideò concludit virum contrahens cum corrupta non eſſe irregularem irregularitate Bigamiæ, ſed quod ita ſtatuerit Eccleſia ob dignitatem Ordinum, cùm nulla differentiæ ratio poſſit aſſignari. Tum quia *capitulum Si quis viduam, diſt.* 34. æquè prohibet ordinari qui duxit ancillam vel comœdiarum actricem, ubi nulla cadit Bigamia, ac qui duxit fornicariam. Quam ſententiam in puncto juris puto veriſſimam licèt communiter à Theologis & Juriſperitis ducens corruptam aut cognoſcens adulteram uxorem inter Bigamos interpretativè numeretur. Sed num reincidit difficultas? quare Eccleſia virum corruptæ licet virginem prohibet Ordinari, non autem virum incorruptæ corruptum? Ratio mihi videtur quia quoad famam major requiritur honeſtas in fœminis, quàm in maſculis, *L. Palam, §. Quæ in adulterio, & ibi Gloſſ. de ritu nupt.* à communi tamen ſententia non eſt recedendum.

(*c*) In qua impetranda non eſt opus facere mentionem, ternarum vel quaternarum nuptiarum, aut ulteriorum, ſed ſatis eſt referre binas nuptias; quia nullus textus trigamiæ meminit, & æquè eſt incapax Ordinis ſuſcipiendi ac repræſentandæ conjunctionis Chriſti cum Eccleſia Bigamus, ac trigamus, *Navarr. lib.* 1. *Conſil.* 1. *de Bigam.* Sed neceſſariò facienda eſt mentio Bigamiæ veræ, & interpretativæ, ac ſimilitudinariæ, ſi ſimul concurrant, quia ſunt diverſæ ſpecies, *Sanchez de matrim. lib.* 7. *diſp.* 86. *n. ultim.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Irregulares *ſunt Bigami.* Verè & propriè Bigamus dicitur, qui duas diverſis temporibus ſucceſſivè legitimas uxores habuit, & cum utraque matrimonium conſummavit, *Gloſſ. in cap.* 2. *de Bigam. & in cap. unic. in verbo, Bigamos, eodem in §.* impropriè verò, & interpretativè dicitur Bigamus, qui duas uxores eodem tempore habet, alteram ſcilicet legitimam, alteram verò de facto, quia de jure habere non poteſt, *cap. Nuper, & ibi notata, de Bigam. Abbas in cap. Super, eod. tit.* Item qui mortuâ uxore cùm ad ſacros Ordines tranſiiſſet, cum altera de facto matrimonium contraxit & conſummavit, non propter defectum Sacramenti, ſed propter affectum intentionis opere ſubſecuto, *Abbas in dicto cap. nuper.* Idem de eo qui in ſacro Ordine conſtitutus, de facto, quia de jure non poterat, viduam uxorem duxerit; idem à fortiori de Laïco qui viduam duxit, etiam ante baptiſmum, *cap. Si quis viduam, diſt.* 34. Item quiſquis adulteræ uxoris ſciens concubitum non refugit. Item qui pollicitam in profeſſione virginitatem violant, *c. quotquot* 27. *q.* 1. *Gloſſ. & Doctores in c. de Bigamis.* Qui autem propriæ uxori adulteræ ſcienter ſe commiſcent, vel matrimonium corruptæ ineunt interpretativi dicuntur. Bigami verò ſimilitudinarii dicuntur hi, qui conſtituti in ſacris Ordinibus contrahunt, vel duas uxores diverſo tempore, vel eodem tempore habent, alteram ſcilicet de facto, & utramque cognoſcunt, *Gloſſ. in d. cap.* 2. *in verbo in Bigamis.*

N. 5. *Cum Bigamis propriè vel interpretativè ſolus Papa diſpenſat ad Ordines, & Beneficia*, de hoc variæ ſunt ſententiæ quas refert, *Gloſſ. in cap.* 2. *in verbo diſpenſare de Bigam.* quarum præcipuæ ſunt quatuor. *Prima*, ait poſſe Epiſcopus diſpenſare etiam ad majores Ordines. *Secunda*, negat de majoribus, fatetur de minoribus. *Tertia*, concedit quidem de minoribus recipiendis Epiſcopum diſpenſare non poſſe, ſed diſpenſare poſſe in uſu minorum antea receptorum. *Quarta*, & verior, nullam Epiſcopo competere facultatem, diſpenſandi ſuper Bigamia quoad ſacros Ordines, quamvis *in cap. Lector. diſt.* 34. quod eſt ex Martino Papa contrarium fuerit diſpoſitum quoad Subdiaconatum, quia tunc temporis non erat Ordo Sacer. Ratio eſt quia cum Sacris Ordinibus ſit votum caſtitatis ſolemne annexum, per illos deputatur quiſpiam ſimpliciter, & perfectè Divino cultui, ita ut ampliùs reſiliendi facultas non ſuperſit; quod in Ordinibus minoribus contingit, & ita non eſt cur circa hos denegetur Epiſcopo facultas diſpenſandi, *Gloſſ. in dicto c.* 2. *in verbo diſpenſare de Bigam. Sanchez lib.* 7. *diſp.* 86.

TITULUS XXV.

De Defectu Natalium.

SUMMARIUM.

I. & II. Irregulares sunt Bastardi, & filii expositi.
III. IV. & V. Legitimatio fit tribus modis.
VI. Qui legitimare possint & dispensare cum Bastardis.

I. *Quintò*, irregulares sunt qui non legitimè nati sunt, ob suspicionem incontinentiæ, *nam patri similis filius esse solet*, ob detestationem criminis paterni & dignitatem Ordinis Ecclesiastici, *c. si gens Anglorum, d. 56. c. 1. & ult. de filiis Presbyterorum, in 6. Concilium Trident. de reformatione, sess. 22. c. 20.* Idem statuitur de expositiis, (*a*) quia ex complexu illicito nati creduntur, *Toletus Institutionum Sacerdotalium lib. 1. c. 52.* Idem dicitur de natis ex complexu vetito conjugum, si facta separatione thori ex consensu uxoris maritus Religionem professus vel ordinatus eam cognoverit, *c. Litteras, de filiis Presbyterorum, Rebuff. tit. de dispensatione super defectu natalium, n. 40.*

II. Tamen liberi nati in figura matrimonii, pro legitimis habentur, si parentes eorum, vel ambo, vel alteruter fuerit in bonâ fide ignorans impedimentum tempore complexûs, *c. ex tenore, qui filii sint legitimi, l. qui contra Legum præcepta, C. de incestis nuptiis.* Verùm hæc Jura loquuntur de successionibus, non de muneribus publicis sæcularibus aut spiritualibus, in quibus obstat defectus natalium, nisi principali Rescripto fuerit purgatus; & tale Rescriptum non habet effectum retrò in præjudicium juris alteri jam quæsiti, *l. quod si minor, §. Scævola, ff. de minoribus.* Unde cùm quæstio mihi proposita fuisset de quodam Clerico nato in figura matrimonii, nempè pater & mater cùm essent consanguinei in tertio & quarto gradu Rescriptum dispensationis obtinuerant super quarto tantùm gradu quem solùm expressérant; & à Parrocho qui sciebat impedimentum repulsi, in pagis coram Sacerdote non habente potestatem matrimonium contraxerant, ex quo filius natus & factus adultus, admissus ad primam Tonsuram, Semipræbenda provisus fuerat; moxque parentes aliud Rescriptum dispensationis obtinuerant super tertio & quarto gradu consanguinitatis, quo viso coram Parrocho commisso matrimonium celebratum & revalidatum fuerat; contra filium natum ex tali complexu illicito, tonsuratum, & provisum de Beneficio, ante dispensationem à parentibus obtentam super impedimento matrimonii, devolutarius illud Beneficium impetraverat ut vacans ob defectum tituli, quòd tempore provisionis suæ irregularis esset, & incapax Beneficii, ut illegitimus: ex adverso opponebatur eum habilem factum fuisse per legitimationem, & matrimonium subsecutum, dispensatione obtenta super impedimento consanguinitatis: Respondi non dubitari quin per matrimonium subsequens filius natus ex complexu illicito factus esset legitimus ad Ordines & Beneficia obtinenda in futurum; Tonsuram validam non (*b*) esse, & Semipræbendam quam obtinuerat ante legitimationem ab eo sine justo titulo possideri, quòd tempore suæ Clericaturæ & provisionis non esset aptus ad illa munera, & dispensatio obtenta super impedimento matrimonii non haberet effectum retrò ad validandam Tonsuram, & provisionem Semipræbendæ, quæ non fuerunt expressæ Legato: dispensationes enim strictè sumuntur, multò minùs extenduntur ad extrinseca, ut est Tonsura, & provisio Beneficii, in quibus principium est attendendum, ait *glossa in c. ex Litteris, sub finem, de transactionibus.*

III. Non legitimi tribus modis fiunt legitimi, ut docetur apud Justinianum, *in §. finali, Instit. de nuptiis. Primò*, per matrimonium subsequens, *c. tanta, qui filii sint legitimi:* quod de filiis naturalibus & matrimonio valido intelligitur: spurii enim per matrimonium subsequens legitimari non possunt quòd non habeant patrem certum, *Covarruvias, & alii quos refert Garcias parte 7. c. 2. n. 33.* & si matrimonium legitimum non sit, non prodest ad legitimationem liberorum, nisi dispensatione, impedimento sublato, illud ratum & legitimum factum sit, *Garcias loco citato c. 2. n. 4.*

IV. *Secundò*, legitimatio fit per dationem Curiæ, aut per oblationem factam Mo-

naſterio, & profeſſionem voti ſolemnem, *c. niſi, d. 56. & c. 1. de filiis Presbyterorum*: at legitimatus per ſubſequens matrimonium fit habilis ad Ordines & Beneficia; qui verò per profeſſionem Religionis legitimatus eſt, fit habilis ad Ordines dumtaxat, non etiam ad Beneficia, niſi fuerit diſpenſatus, *c. 1. de filiis Presbyt.* aut niſi in eâ Religione Beneficia Regularia habere liceat, *Rebuff. tit. de diſpenſatione ſuper defectu natalium, n. 75.* At ſi profeſſus ſit irregularis ex delicto, per profeſſionem non abſolvitur, *Rebuff. ibid. n. 71.*

V. *Tertiò*, defectus natalium tollitur aut relaxatur Reſcripto legitimationis aut diſpenſationis: nam Reſcripto legitimationis fit velut regeneratio, παλιγγενεσια, ad civiles effectus, plenum jus tribuitur ad Ordines & Beneficia, & alia bona temporalia; & Reſcriptum diſpenſationis operatur ad fines expreſſos; diſpenſatus ad Ordines non cenſetur diſpenſatus ad Beneficia, & diſpenſatus ad Beneficia ſimpliciter non cenſetur diſpenſatus ad Beneficia Curata, Dignitates, aut Perſonatus, *Rota deciſ. 408. in antiquis Rebuff. tit. de diſpenſatione ſuper defectu natalium, Garcias 1. parte, c. 6. n. 69.* & diſpenſatio generalis non ſufficit his quibus ſpeciali diſpenſatione opus eſt, ut filius nepoſve Sacerdotis illegitimus diſpenſatus ad Ordines & Beneficia, non poteſt obtinere Beneficium quod pater vel avus immediatè antè, vel mediatè poſſidebat obſtante Conſtitutione Clementis VII. nec penſionem habere in eodem Beneficio, nec aliud Beneficium in eâdem Eccleſiâ habere, in quâ pater vel avus Beneficium qualecumque etiam diſſimile obtinet, vel obtinuit, nec in eâdem Eccleſiâ miniſtrare, ut cavetur Concilio Tridentino, *ſeſſ. 25. c. 15. juxta c. cùm decorem, de filiis Presbyterorum*, ſpeciali diſpenſatione opus eſt.

VI. Papa legitimare & diſpenſare poteſt in Terris Eccleſiæ ad ſpiritualia & temporalia, & in Terris Principum ſæcularium ad ſpiritualia dumtaxat, non etiam ad temporalia, *c. nimis, de filiis Presbyterorum*; & Principes ſæculares in Terris ſuis legitimare poſſunt ad temporalia, non etiam ad ſpiritualia *c. per venerabilem, qui filii ſint legitimi, Benedictus in c. Raynutius, verb. & uxorem, n. 198. Rebuffus loco ſuprà citato*: Legatus Papæ poteſt diſpenſare ad Ordines minores, & ad Beneficium ſimplex, non etiam ad Ordines majores, Beneficia Curata, Dignitates, & Perſonatus, niſi illud habeat in mandatis: Epiſcopi ſimiliter diſpenſant ad Ordines minores, & Beneficium ſimplex, *c. 1. de filiis Presbyter. in 6. Rebuff. lib. 1. Praxis, tit. de Clericis*; ad Canonicatum Eccleſiæ Collegiatæ, non ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, *Garcias parte 7. c. 3. n. 19.* nec ad Beneficium ſimplex quod pater obtinet, aut obtinuit, vel in eâ Eccleſiâ in quâ pater aliud Beneficium obtinet; id enim Concilio prohibetur, *c. cùm decorem, ſuprà citato*, & ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ non debet admitti, *c. 1. de filiis Presbyterorum, in 6.* in illis verbis, *Dummodò ſit tale ſuper quo per Epiſcopum poſsit diſpenſari.* Verùm diſpenſatio Epiſcopi vix ſufficeret apud nos, cùm non alio Jure nitatur quàm præallegatâ Conſtitutione Bonifacii, cujus Conſtitutiones niſi Conciliis nitantur non ſervantur in Galliâ. (c)

VII. Ut Litteræ legitimationis vel diſpenſationis valeant, qualitas partûs exprimi debet, ſi ſit incertus, inceſtuoſus, aut adulterinus, quia non ita facile diſpenſatur cum ſpuriis, inceſtuoſis, aut adulterinis, ut cum natis ex ſoluto & ſoluta, *De Butrio in d. c. perve nerabilem, Decius conſ. 55. vol. 1.*

SOLIER.

(a) Imò ſecus dicendum quidquid dicat Toletus quem jure reprobat *Sayr. Theſ. caſ. conſc. lib. 6. cap. 10. n. 39.* quia expoſiti præſumuntur legitimi, & ideò poſſunt admitti ad Ordines etiam ſacros & quæcumque Beneficia, *Felin. in cap. cum deputati n. 10. de judic.* Siquidem veterum exemplis patet multos expoſitos fuiſſe filios, qui tamen ex matrimonio nati erant, ut de Moyſe, Semiramide, Paride, Cyro, Oedippo, & aliis Hiſtoriæ teſtantur, quos parentes metu alicujus periculi, aut aliis de cauſis exponebant: Et hujuſmodi expoſiti ſunt etiam capaces ſucceſſionum quarumcunque, *DD. in d. cap. cum deputati, Joan. de Anan. in cap. 1. de infant. expoſ.*

(b) Graves urgent in contrarium rationes: *primò* prior diſpenſatio quæ valida fuit expreſſo tantùm propinquiori gradu, *cap. ultim. de conſang. & affin. conſtitut. Pii V. de die 26. Auguſti 1566. Incipiente Sanctiſſimus.* Etiam non obtentis Litteris declaratoriis ſuper propinquiori, de quibus in d. conſtitutione; tum quia exorbitant à jure communi in Gallia recepto; tum etiam quia non requiruntur ad validitatem diſpenſationis, ſed ad vitandum ſcandalum ubi contraria eſt conſuetudo, *Sanchez. de matrim. lib. 8. diſp. 24. n. 28. Secundò* conſenſus præſtitus coram Parrocho quantumvis renuente & invito; ſcire enim, non etiam velle is debet, nam etiam eo invito, rectè fit, ut ait in caſu ſimili, *l. coram Titio 209. ff. de verb. oblig.* & tenet poſt alios quos citat *Sanch. lib. 3. diſp. 39. n. 9. Tertiò* matrimonium ſubſequens, quod purgat omnia præcedentia. Et quamvis hoc ultimum in ſubjecto caſu deficeret,

sufficiunt duo priora ad labefactandam Authoris sententiam, cùm primum matrimonium ac prior dispensatio fuerint valida per prædicta.

(c) Liber Sextus decretalium non facit jus in Gallia, *Brodell. ad Lovet. litt. P, cap. 43. n. 5.* & alii per eum citati. Sed contrarium verius, quia imò usu receptum est ut jus faceret, *Mornac. ad L. 8. ff. de Just. & Jure*, maximè in iis, quæ Conciliis innituntur, ut ait Author, vel favent potestati & Jurisdictioni Ordinariorum, *Brodell. ibid. litt. V. cap. 1. n. 3.* prout *cap. 1. de filiis Presb. eod. lib.* quod Ordinariis potestatem facit dispensandi cum illegitimis ad minores ordines & Beneficia simplicia & dispensandos relevat ab impensis in adeundo ad id Summo Pontifice exponendis, ideòque juremeritò in Gallia recipiendum quidquid velit Author.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 3. PER *subsequens matrimonium.* Legitimati per subsequens matrimonium verè sunt legitimi, & non tantùm pro legitimis habentur, quamvis *in cap. Tanta, qui filii sint legitimi*, dicatur, *legitimi habeantur*: nam verbum illud positum ab eo, qui potestatem habet veritatem continet, *Panormit. ibid.* & est habilis ipso facto ad omnia munera Ecclesiastica, sive Ordines, sive Beneficia, etiam Episcopatum, *Pont. lib. 11. cap. 11. n. 2. & 3.* non tamen ad Cardinalatum, *Bellet. in disquisit. Cleric. part. 1. tit. 1. §. 3. n. 22.* limita, nisi concepti vel nati sint ex adulterio, incestu, vel alio concubitu, à Lege damnato *Pyrrhing. de filiis Presbyter. n. 3. & alii per eum citati.* An autem filii habiti ex incestu quorum parentes postea contraxerunt matrimonium ex dispensatione Papæ efficiantur legitimi per subsequens matrimonium? Respondetur quod sic, *Garc. part. 7. cap. 2. n. 40.* Porrò habens filios ex concubina, licèt alter parentum contrahat matrimonium cum alio, vel cum alia post conceptum filium, si defunctis eorum conjugibus, inter se contrahant matrimonium, proles quæ concepta erat primo tempore quo soluti erant, fit legitima non obstantibus nuptiis intermediis, sic *Hostiensis in summa de filiis Presbyter. Panorm. in cap. Tanta, n. 3. qui filii sint legitimi*, & alii quos refert & sequitur *Sayr. in thesaur. lib. 6. cap. 10. n. 19.*

N. 4. *Legitimatio fit per oblationem Curiæ.* Legitimus efficitur filius oblatione Curiæ civitatis unde originem habet, vel sub qua vicus, aut possessio est, unde communiter consistit, vel quæ Principatum tenet Provinciæ ejus: qui legitimandi modus recessit ab usu Curiæ, ut loquitur *Auct. §. ult. Institut. de nuptiis*, cujus rei gratiâ, inquit *Pontius, lib. 11. cap. 10.* observandum est, Curam olim municipiis & civitatibus dictam esse communionem eorum qui Consilio publico præerant, unde Decuriones quidam dictos putarunt (ut habetur *in L. Pupillus, §. Decuriones, ff. de verbor. signif.*) quod cum deduceretur colonia essent decima pars eorum qui deducebantur, quæ pars consilii publici gratiâ conscribi solita erat: cæterum postea in Curia esse cœperunt omnes illi, per quos publica munera & functiones exercerentur, inter quos erant etiam Decuriones, quasi ejus Curiæ Senatores; omnes autem illi dicti Curiales, *L. Curiales 39. & L. Curiales 37. Cod. de Decur.* Ea verò Curialium conditio fuit, ut qui semel Curiæ adscripti essent, ab eâ recedere vel eâ se eximere nequaquam possent, adeo ut si se ad aliud vitæ genus contulissent, per Præsides vel alios Magistratus ad Curiam revocarentur & suis redderentur functionibus, & publica damna resarcire cogerentur, *dict. L. 39. & L. Curiales 33. & L. 40. Cum seq. Cod. de Decur. L. Si quis, Cod. de Episcop. & Cleric.* ex bonis etiam eorum certa pars certis conditionibus Curiæ debebatur, & extat *titulus in eod. quando & quibus quarta pars debetur de bonis Decurionum*, ideo illis denegata facultas alienandi vel repudiandi hæreditates paternas, vel donationes, ne fraudarentur Curiæ, *L. Quoniam, Cod. de naturalibus.* nec verò hâc conditione tenebantur solæ Curialium personæ, sed etiam liberi, qui ex illis nascebantur, *dict. L. Quoniam, & L. 3. in fine, Cod. eod. tit.* ut ergo ad ea Curialium onera, quæ plures refugiebant, multi invitarentur, hunc legitimationis modum prudenter excogitavit Theodosius, ut honor & commodum legitimationis esset, quasi illecebra quædam ad subeunda æquiore animo ea munera, sic constat ex Novella 89. *§. Primus itaque*, hæc autem oblatio Curiæ uno è tribus fiebat modis; nam vel pater offerebat Curiæ in publico consensu filium, non tamen invitum, nisi aliquam hæreditatem possideret à patre profectam. *Secundò*, si filias naturales traderet pater, nuptum viris Curialibus: vel denique ipsi filii naturales sese offerebant Curiæ, *hæc Pont.*

Eodem N. 4. *aut nisi in ea Religione Beneficia Regularia habere liceat.* Nullus est Religionis ordo in quo liceat illegitimis Beneficia Regularia absque dispensatione obtinere, & Rebuffus nihil tale dicit, *loco ab Authore citato*, sed tantùm ait illegitimo sæculari ad quæcumque & qualiacunque Beneficia dispensato qui demum ingressus est Religionem Prioratum regularem conferri posse, quia dispensatio ista erat generalis, per quam factus erat capax, inclusum erat quodcunque Beneficium. Teneas igitur irregularitatem ex quovis defectu natalium tolli per ingressum Religionis, professione subsecuta, *cap. 1. Qui filii sint legitimi*, ad Ordines scilicet, non etiam ad Beneficia *dicto cap. 1.* exceptis manualibus, non Curatis, *eod. cap. 1. & cap. Proposuit, dict. tit.* sed hâc unâ irregularitate exceptâ, cæteræ præsertim ex delicto insurgentes remanent in Monacho etiam quoad Ordines.

N. 6. *Episcopi similiter dispensant ad Ordines minores, & Beneficium simplex.* Ad majores ordines Dignitates, Personatus, & Beneficia Curata solus Papa dispensat, *cap. Nimis, de filiis Presbyterorum*, ad minores ordines, & Beneficia non Curata, etiam Episcopus dispensare potest, *cap. 1. eod. tit.* verum, inquit, Author noster, dispensatio Episcopi vix dispensaret apud nos, cùm non alio jure nitatur quàm præallegatâ Constitutione Bonifacii *in dict. cap. 1.* sed contrarium verius, quia imo potiori, & antiquiori jure nititur, videlicet constitutione *capituli Nimis*, ubi Gregorius IX. cùm in Provincia Turonensi filii non legitimè nati ad Dignitates, Personatus, ad Beneficia Curata sine dispensatione Sedis Apostolicæ promoverentur, mandavit Archiepiscopo Turonensi ut omnes tales promotos, à Dignitatibus, Personatibus, & ejusmodi Beneficiis Cu-

ram animarum habentibus amoveat, & illa personis idoneis conferri curet, per illos ad quos collatio eorum pertinet, & prohibet ne de id cæterò attentare præsumant, ex quo per sensum contrarium colligitur Episcopum ad simplicia Beneficia cum illegitimis dispensare posse, *Hostiensis in dicto cap. Nimis, in verb. Curam animarum* : Ratio est quia eo ipso quòd Papa ibi prohibet solùm illegitimos promoveri ad Dignitates, & Beneficia Curata sine dispensatione ejusdm Sedis, quia quod de uno prohibetur, de alio permittitur, & quod non invenitur prohibitum, intelligitur permissum, *Gloss. ibid. in verbis, Sedis Apostolicæ*. Poterit itaque Episcopus dispensare ad Canonicatum Ecclesiæ Collegiatæ & dimidiam portionem Ecclesiæ Cathedralis, *Garc. lib. 7. cap. 2. n. 69. Barb. de Officio & potestate Episc. allegat. 45. n. 22. & 23.* imò etiam ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, ubi non habens sacrum Ordinem Annexum ut præcipit *Concil. Trident. Sess. 24. cap. 2. de reform.* quia non sunt Dignitates, aut Personatus, vel Beneficia Curata *Gloss. in dicto cap. 1. de filiis Presbyt. in 6.*

TITULUS XXVI.

De Filiis Presbyterorum Legitimis. (a)

SUMMARIUM.

I. II. & III. In Beneficiis successionem hæreditariam abhorrent Canones. Arrestum.

IV. Pater Beneficia filii obtinere potest.

I. FILIUS Presbyteri, si legitimus sit, natus ex legitimo matrimonio, antequàm pater ordinaretur, non est irregularis ad Ordines & Beneficia obtinenda : verùm inhabilis est ad obtinenda Beneficia in quibus pater immediatè antè præfuit, *c. ad extirpandas, & c. dilectus, de filiis Presbyterorum*, ne illa Beneficia jure hæreditario videatur habere, nisi Papa cum eo dispenset, *d. c. dilectus* : solet autem Papa dispensare expressè per clausulam dispensatoriam in Litteris expressam ; aut tacitè, per collationem factam de Beneficio quod pater immediatè ante possidebat, vel si in supplicatione filius dixerit Beneficium vacare per cessum aut decessum patris, quod ille immediatè antè possidebat : nam Papa sciens impedimentum ex narratis, conferendo dispensat, ut dominus instituendo servum manumittere creditur, §. 2. *Instit. quibus ex causis manumittere non possunt.* Sic judicatum fuit in magno Consilio, in causa Blaini, qui Prioratum de Torves quem pater immediatè antè possidebat, ut vacantem per renuntiationem illius factam in favorem sui, impetraverat, *Arresto anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quinti. Vide suprà lib. 2. tit. 8.*

II. Tamen filius legitimus Presbyteri alia Beneficia in eâdem Ecclesiâ in quâ pater ministrat, & Beneficium possidet, obtinere non prohibetur sine dispensatione, *c. ad hæc, de filiis Presbyterorum* : quod illegitimis, quamvis legitimatis, sine dispensatione, scandali vitandi gratiâ, non conceditur, ut diximus suprà.

III. Eodem Jure nepotes repelluntur à Beneficiis in quibus avus paternus vel maternus immediatè antè præfuit, si avo mortuo in proximo sint gradu successionis : nam si pater aut mater sit in medio, (b) & succedat, nepos à successione excluditur, & Beneficium avi obtinere potest, *Garcias parte 7. c. 3. n. 27.*

IV. Verùm pater non repellitur (c) à Beneficio quod filius immediatè antè obtinebat : nam parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit, turbato ordine mortalitatis ; liberos verò ad successionem parentum vocat ordo naturæ, & parentum commune votum, *l. scripto, §. non sic, ff Unde liberi.* Sic decisum fuisse in Congregatione Cardinalium notat Farinacius *Decisionum parte 4. n. 128.*

SOLIER.

(a) DE materia hujus tituli dixi suprà, *lib. 2. tit. 8.*

(b) Imò indistinctè nepos ad Beneficium avi admittitur quia turbatur ordo mortalitatis, cùm pater moritur avo superstite, & præterea sumus in pœnalibus & exorbitantibus quæ non sunt ampliandа, ita tenet *Gloss. in cap. Apostolica 8. q. 1.* Nec distinctionem admittit, sed potius rejicit Garcias loco ab Authore citato, *n. 23.*

(c) Pater tamen impediendus est ab acquisitione Beneficii in Ecclesia in qua filius illegitimus aliud obtinet : cùm enim Concilium Trident. *in cap. 15. Sess. 25.* præcipiat filium resignare Beneficium ubi tempore Concilii pater & filius reperiebantur obtinere Beneficia in eadem Ecclesia, satis vult ne unquam pater & filius habeant simul Beneficia in eadem Ecclesia : nec in casu proposito filius est cogendus resignare, quia nihil peccavit,

sed potius pater qui de novo intrat in Ecclesiam, & certat de lucro captando; filius verò de damno vitando, *Garc. p. 7. cap. 3. n. 31.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. INHABILIS *est ad obtinenda Beneficia in quibus pater immediatè ante præfuit.* Potest tamen illegitimus cujus pater fuit Rector Ecclesiæ matricis obtinere Ecclesiam filialem dependentem seu aliàs unitam accessoriè, & per viam subjectionis matricis dummodò pater in ea non ministraverit: unitam vero æquè principaliter, ita ut intitulatus, aut si in utraque pater ministraverit, obtinere non potest, *Hostien. in cap. Ex transmissa, n. 9. Bellamera, n. 5. Butrius, n. 12. & Fagnan. n. 34. de filiis Presbyt.*

Eodem N. 1. *de Beneficio quod pater immediate ante possidebat.* Nam ut filius legitimus excludatur à Beneficio paterno, requiritur quòd pater fuerit in possessione, quamvis nunquam ministraverit, nec ullos fructus perceperit; nam si tantùm titulum Beneficii consecutus sit sine possessione, tunc filius non prohibetur idem Beneficium patris obtinere: Nam quando Lex loquitur de obtinentibus Beneficium, intelligitur, quòd apprehenderint ejus possessionem, *cap. Si tibi, de Præbend. in 6. Garc. part. 7. cap. 3. à n. 55. Gloss. Fracmat. §. Item insuper, in verb. Obtinebant, de collat. & de pacific. poss. §. Ordinarii, in verb. Inquirant, Pyrrhing. de filiis Presbyt. n. 36. & Fagnan. ibid. n. 30.*

N. 3. *Nepotes repelluntur à Beneficiis in quibus avus paternus vel maternus immediatè ante præfuit.* idem tenent *Hostiens. in summa de filiis Presbyt. n. 5. Silvester, in verb. Beneficium 3. q. 6. Lessius, lib. 2. de Justitia, cap. 34. n. 91. Pyrrhing. de filiis Presbyt. n. 37.* quibus favet Concilium Trident. *cap. 15. Sess. 25.* ibi longissimè arceatur, sed adversantur præter Glossam & Garc. supra citatos. *Navarr. Cons. 9. eod. tit. Ugolin. de Officio, & potest. Episc. cap. 50. §. 7. Barbosa in cap. Ad extirpandas, n. 4. Fagnan. ibid. n. 35.* & alii quibus assentimur, quia imo etiam nepos illegitimus à filio illegitimo ad Beneficia dispensatus, non prohibetur obtinere Beneficium, quod avus habuit *Garc. part. 7. cap. 3. n. 26. Fagnan. ad dictum cap. Ad extirpandas, n. 48.*

N. 4. *Verum pater non repellitur à Beneficio quod filius immediate ante obtinebat.* Repelli tenent Hostiens. *§. Quod in converso, Archidiaconus, & alii apud Fagnan. in cap. Ex transmissa, hoc tit. n. 26.* negant *Rebuff. in prax. tit. de dispens. super defectu natalium, n. 29. Garc. part. 7. cap. 3. n. 28. & alii quos citat & sequitur Fagnan. ibid.*

TITULUS XXVII.

De Corporis Vitio Laborantibus.

SUMMARIUM.

I. Irregularitas ex defectu corporis.
II. Irregularis non bibens vinum.
III. Cum irregularibus ex defectu corporis Papa dispensat.
IV. Irregularitas proveniens ex defectu corporis eo sublato tollitur.
V. Si irregularitas accidat post ordinationem.

I. S*Extò*, irregulares sunt qui corporis vitio laborant, *c. hanc etenim, d. 49. c. non confidat, d. 50. toto tit. Decretalium, de corpore vitiatis*; si tale vitium inducat deformitatem (*a*) & abominationem in Ordinis exercitio; ut de cæcis, claudis, (*b*) nasum deformem habentibus, aut pedes fractos; de mancis, lippis, gibosis, albuginem in oculo habentibus, aut jugi scabie laborantibus, statuitur *in d. c. hanc etenim*; de habentibus manum mutilam, aut aridam, vel digitos abscisos *in c. exposuisti, de corpore vitiatis, & c. 2. de Clerico ægrotante vel debilitato*; de tremulis, & morbo sontico laborantibus, *c. communiter, d. 33.* de leprosis, *c. de Rectoribus, de Clerico ægrotante vel debilitato*; & de cæteris aliud vitium vel corporis difformitatem habentibus: nam malum omen erat Antiquis Sacerdos non integri corporis, *Seneca controversia 2. lib. 4.* & imperfecta in sacrificiis non offerebantur, τὰ κόλοβα ἐν ταῖς ἱερουργίαις οὐ θύεται· ᾧ κατόλιν ὅπερ ἂν ᾖ μὴ τέλειον, ᾧ ὑγιὲς ἔχειν δεῖ τοῖς θεοῖς, *Aristophanes in Acharnanibus.* Idem Lege divinâ cautum fuerat, *Exodi c. 29.*

II. At si vitium corporis sit latens, est distinguendum: vel enim illud impedit Ordinis exercitium, & tale vitium irregularem facit; ut si promovendus non bibat vinum, *gloss. in c. ipsi Apostoli 2. q. 7.* etiamsi de simplici Tonsura vel Beneficio simplici agatur: nam Tonsura est dispositio ad Ordines, & omnes Ordines tendunt ad Presbyteratum: aut vitium illud non impedit Ordinis exercitium, & non obstat promotioni ad Ordines & Beneficia, ut de eunuchis & spadonibus dicitur *in c. & eunuchus; d. 55.* nam & qui cum uno testiculo natus esset, illumve amisisset; Jure militabat, *l. qui cum uno, ff. de re militari*, nisi vitium illud procedat ex delicto: (*c*) etenim quibus ex delicto corpo-

ris partes extremæ amputantur, aut ipſi ſibi amputant, à Græcis dicti ἀκροτηριάζοντες, illi irregulares ſunt; ut qui ſibi virilia amputant carnis aculeis reſiſtere non valentes, ut fecit Origenes tempore perſecutionis Eccleſiæ, ut liberiùs mulieribus prædicaret; & Conſtitutionibus Apoſtolorum damnantur, ut belli refugæ, *c. ſi quis abſciderit, & c. ii qui, d.* 55. Idem de alia mutilatione ſpontanea cavetur *ibidem*, ut fertur de Marco qui ſibi pollicem præſcidit ne dignus Sacerdotio videretur; & de Ammonio Monacho, qui ſibi aurem abſcidit ne Epiſcopus ordinaretur, *Hiſtoria Tripertita, lib.* 8. cæteri verò ſunt irregulares ex defectu.

III. Cum corpore vitiatis ſolus Papa (*d*) diſpenſat, mandando Epiſcopo ut corporis defectum inſpiciat, & ſi tale vitium non impediat Ordinis exercitium, nec grave ſcandalum pariat, cum oratore diſpenſet: difficiliùs diſpenſatur ſi vitium ſit in oculo ſiniſtro, quàm ſi ſit in oculo dextro: nam ſiniſter eſt oculus Evangelii, & faciliùs legit orbatus dextro quàm ſiniſtro, qui vix legere poteſt ſine revolutione capitis, *Toletus lib.* 1. *c.* 57. *Rebuff. de diſpenſatione cum corpore vitiatis, n.* 9.

IV. Sine diſpenſatione in Gallia (*e*) admittuntur claudi, *Rebuff. loco citato*, niſi tanta ſit difformitas ut in Altari ſcandalum pariat; & diſpenſatione non egent qui morbo ſontico (*f*) laborabant, aliove corporis vitio, ſi ſanitati fuerint reſtituti: nam irregularitas quæ oritur ex defectu: ſublatâ causâ tollitur, cenſentur autem qui laborant morbo ſontico convaluiſſe poſt ceſſationem triginta dierum, ſi morbus non eſſet formatus, *c. nuper, c.* 7. *q.* 2. Idem dicitur de aliis laborantibus morbo continuo: ſi verò morbus eſſet formatus, qui laborabant morbo ſontico non cenſentur liberati niſi poſt intervallum unius anni integri non interpollati, *d. c. communiter, d.* 33. Idem de furioſis, cæteriſque patientibus dilucida intervalla, dici poteſt.

V. Et Clerici qui poſt ordinationem ſine ſuo dolo aut culpâ corporis vitio deformantur, tolerantur in exercitio Ordinis jam ſuſcepti, ſi vitium non impediat Ordinis exercitium, nec grave ſcandalum pariat; & conſequenter Beneficia adipiſci poſſunt quibus exercitium Ordinis illis permiſſum ſufficit: nam non omnia quæ impediunt Clericum ordinandum, eumdem ſi fuerit ordinatus ante irregularitatem incurſam dejiciunt, *c. ult. c.* 15. *q.* 1. *Toletus Inſtit. Sacerdotalium c.* 57. *lib.* 1. *Suares & alii quos refert Garcias parte* 7. *c.* 11. Iidem tamen ad majores Ordines non poſſunt promoveri, nec Beneficia adipiſci in quibus exercitium majorum Ordinum deſideratur.

SOLIER.

(*a*) ALIAS ſi vitium ſit modicum, tunc corpore vitiatus poteſt ſine diſpenſatione fieri Clericus, *cap.* 2. *ubi Gloſſ. in verb. Viſum fuerit, de corp. vitiat.* quod autem dicatur modicum vitium, quæ notabilis deformitas remittitur conſideranda arbitrio Epiſcopi, *d. cap.* 2. *& ibi Gloſſ. penult. & ultim.*

(*b*) Verum claudus poteſt ad ordines promoveri, *cap. Si quis in infirmitate, diſt.* 55. niſi ſit talis quem oporteat cum baculo accedere ad altare, *cap. Nullus Epiſcopus, ubi Gloſſ. in verb. Cum baculo, de conſec. diſt.* 1. *Gloſſ. in d. cap. Si quis in infirmitate.*

(*c*) Proprio ſcilicet; aliàs à barbaris, aut medicis, aut per inſidias exciſus poteſt fieri Clericus, & ſi jam ſit, poteſt in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, *cap. Si quis à medicis, cap. Eunuchus, cap. Si quis pro ægritudine, diſt.* 55. *cap. Ex parte Bartholomei, & cap. Ex parte M, de corpore vitiat.* neque neceſſe habet is, cui virilia fuerunt amputata, ſecum in pulverem redacta aut ſicca portare, ut vulgares putant *Gloſſ.* 1. *in d. cap. Eunuchus.*

(*d*) Imò etiam Epiſcopus diſpenſat in levibus vitiis cum cauſæ cognitione, quæ in Papa non eſt neceſſaria, *Seraph. deciſ.* 625. *n.* 7. & 8. *Riccius in praxi reſolut.* 271. aliàs ſi vitium ſit notabile ſolus Papa diſpenſat, *Innoc. in cap. Significavit, de corp. vit.*

(*e*) Non eſt hoc ſpeciale Gallis, ſed Jus Commune, ut Paulò ſuprà *hoc. tit. litt. B*, diximus.

(*f*) Contrarium verius ut qui ſemel morbo ſontico reciderunt ordinari non poſſint (Prout nec obſeſſi Dæmonibus quamvis liberati) licèt in jam ſuſceptis poſſint poſt annum à liberatione miniſtrare, *cap. Maritum, & cap. Communiter & ibi Gloſſ.* 1. *diſt.* 33. *Navar. conſil.* 35. *n.* 1. & 2. *de temp. ordin.* Et collatio Beneficii illis facta eſt ipſo jure nulla, *Hoſtien. & alii in cap. cum inter Canonicos, de elect.* ſi videlicet Beneficium requirat Ordinem; ſecùs ſi Beneficium ſit ſimplex, quia tunc collatio non redditur ipſo jure nulla, *Riccius in Praxi, p.* 1. *reſolut.* 590.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. IRREGULARES *ſunt qui corporis vitio laborant.* Triplex eſt corporis vitium irregularitatem inducens, mutilatio, debilitatio, & deformitas, *Hoſtienſis in ſumma de corpore vitiatis, n.* 1. 2. & 3. mutilatus dicitur, qui membro aliquo caret, membrum autem dicitur ea pars corporis, quæ ad certum officium eſt deputata: debilitatus eſt, qui membrum habet, ſed inefficax, ut oculum

cæcum, manum aridam; deformis est, qui maculam vel vitium notabile habet in membro aliquo, ut oculo, pede, ut strabo, Claudus.

N. 2. *Aut vitium illud non impedit Ordinis exercitium, & non obstat promotioni ad Ordines & Beneficia*, non solùm ad Ordines majores & Beneficia, quæ sacrum Ordinem requirunt, sed nec ad minores Ordines, & primam tonsuram, & consequenter nec ad ullum Beneficium corpore notabiliter vitiati promoveri possunt, ita ut collatio eis facta sine dispensatione sit ipso jure nulla, quidquid dixerit Riccius, quem aliàs visi fuimus sequi, *loc. supra cit.* de quo vide nubem Authorum apud Garciam *part. cap.* 12. *n.* 2.

Eodem N. 2. *De Ammonio Monacho, qui sibi aurem abscidit.* Hic sanctus Eremita ad Episcopalem consecrationem adducendus, cùm dissuadere non posset, dexteram sibi auriculam amputavit, & cùm adhuc instarent, linguam sibi quoque rescissurum esse adjuravit, & ita cum reliquerunt. Nicephorus, *lib.* 11. *cap.* 37.

TITULUS XXVIII.

De Energumenis, Amentibus, & Furiosis.

SUMMARIUM.

I. II. & III. Irregularitas ex animi vitio.

I. SEPTIMÒ, irregulares sunt Energumeni, *c. Maritum, & c. Clerici, d.* 37. & quamvis liberati fuerint à spiritu maligno irregulares manent, διὰ τὴν ἀναπηρίαν, ut loquitur Divus Dionysius Areopagita, seu animi pusillanimitatem, quòd terroribus dæmonis succubuerint, nisi per ægritudinem aut melancholiam obsessi fuerint à spiritu maligno: illis enim casus adversus pendens ex pravâ corporis temperie, non debet imputari, si liberati fuerint; ut definitum fuit in Concilio Nicæno: censentur autem liberati post intervallum unius (*a*) anni, *c. Communiter, d.* 33.

II. *Octavò*, amentes & furiosi irregulares sunt, *c. si quis* 15. *q.* 1. qui tamen Beneficia de quibus ante contractum illud animi vitium provisi fuerant retinere possunt, ex eodem Canone, quasi voluntatis reliquiis in furore manentibus, ut loquitur Ulpianus *in l. Patre furioso, ff. de his qui sui vel alieni juris sunt*; qua ratione magistratum, potestatem & dominium rerum suarum retinent, ut ait idem Jurisconsultus *in l. qui furere, ff. de statu hominum*, & Beneficia quæ ante animi lapsum obtinuerant, Vicario aut Coadjutore ab Ordinario interim dato, cui assignatur portio congrua super reditibus Beneficii, qui serviat donec mentis compotes facti sint, nisi spes omnis resipiscentiæ perierit, post longum temporis intervallum: quo casu, si necessitas Ecclesiæ id exigat, Ordinarius alteri Beneficium conferre potest, reservatâ furioso pensione congrua, *d. c. si quis, & c. quamvis* 7. *q.* 1.

III. Et si furiosus resipuerit, (*b*) amoto Vicario, in susceptis Ordinibus ministrare potest; verùm ad Ordines majores non potest aspirare, nec ad majora (*c*) Beneficia, ob animi infirmitatem, & metum recidivæ, nisi casualiter, non ex defectu Naturæ, sed ex ægritudine aut melancholiâ, illud animi vitium ei contigerit, ut dictum fuit suprà de energumenis: eo enim casu, post resipiscentiam, ad Ordines majores, & majora Beneficia, promoveri potest; quoniam sublatâ causâ morbificâ phantasiæ cessat metus recidivæ. Constat autem de resipiscentia ex cessatione triginta dierum, si morbus nondùm formatus esset, & si formatus esset, cessatio anni integri expectanda est, *c. Communiter, d.* 33. *& c. nuper* 7. *q.* 2.

SOLIER.

(*a*) Hic annus datur ad verificandum an verè fuerint vexati cùm de hoc aliàs non constat, si verò constet datur ad videndum an sint liberati: priori casu si per annum sani extiterint possunt ordinari ut vult Author. Secundo casu non possunt, sed tantùm in susceptis ministrare, ut suprà litterâ proximâ diximus.

(*b*) Quod probandum est, nam præsumitur in eodem furore perseverare, *Gloss. in cap. fin. de success. ab intest.*

(*c*) Poterit tamen factus sanæ mentis præsentari ad Beneficium simplex, *Riccius in praxi p.* 1. *resol.* 588.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. CENSENTUR *autem liberati post intervallum unius anni.* In minoribus tamen Ordinibus constituti à Dæmone vexati nunquam ascendere debent ad majores, *Gloss. in cap. Clerici, dist.* 33. neque hi qui morbo caduco semel ceciderunt, *cap. Maritum & Gloss. quæ testatur de com-*

muni, in cap. Communiter, eodem tit.

N. 2. *Amentes, & furioſi irregulares ſunt.* Perpetuò amentes non ſunt Jure Canonico irregulares, ſed impediti Jure naturali, quia cùm uſum rationis non habeant, actus Ordinum exercere non poſſunt nec diſpenſari, quandoquidem carentes perpetuo uſu liberi Arbitrii, incapaces Ordinis ſunt; *Sayrus in theſauro caſuum conſc. lib. 6. c. 13. n. 1.* quare S. Eprhemſius cum intellexiſſet ſe ad Epiſcopatum electum tantiſper furorem ſimulavit, donec alius electus eſſet, *Sozomen. hiſtor. Eccl. lib. 3. cap. 15.*

TITULUS XXIX.

De ſervis, Curialibus, & Neophitis.

SUMMARIUM.

I. Servi ſunt irregulares.
II. Irregulares Curiales & Officiales.
III. Neophitæ.

I. NONÒ, irregulares ſunt ſervi, & promoveri non poſſunt (*a*) ad Ordines, niſi ex conſenſu ſuorum dominorum: *diſt. 54. per totam, & tit. Decretalium, de ſervis non ordinandis.* Cenſentur autem domini conſentire ſi ſint præſentes, & non contradicant, *c. Nulli, eadem diſt.* aut ſi ſervum ordinatum intra annum non revocent, *c. Si ſervus, eadem diſt.* In quibus caſibus ſervus fit liber favore Religionis, manumiſſione tacitâ; & extra illos caſus (*b*) remanet in poteſtate domini à quo vindicari poteſt: & quamvis habeat characterem Ordinis ſuſcepti, irregularis manet quoad exercitium illius Ordinis, & alios Ordines non ſuſceptos: nam Domino ſervire tenetur, ne per Evangelica conſilia Dominis fiat injuria, *c. Frequens, ead. diſt.* niſi ſervus ſic ordinatus Vicarium dare Domino paratus ſit, qui vice ejus ſerviat: quod ſimiliter admittitur favore Religionis, *c. Ex antiquis, ead. diſt. & c. Miramur, de ſervis non ordin.* ne delicta maneant impunita. Quæ de ſervis dicta ſunt, etiam in ſervis aſcriptitiis, libertis, & tributariis, locum habent, *c. Si quis, & c. Prohibendum, ead. diſt.* ob eandem rationem, ne Dominis aut Patronis fiat injuria: aſcriptitii enim tenebantur ſervire Dominis in operis ruſticis, villæ aut glebæ aſcripti; tributarii certum tributum annuum Dominis præſtare tenebantur, *d. c. Si quis:* liberti quamvis per manumiſſionem libertatem nacti eſſent, ſuis Dominis à quibus manumiſſi fuerant, retento Jure Patronatûs, obſequia præſtare tenebantur, & certas operas quas Dominus manumittendo ſibi reſervaverat: eiſque ſine liberis morientibus Patronus ſuccedebat. Plura alia traduntur in Jure Civili de poteſtate Dominorum in ſervos, & Patronorum in libertos, quæ hodiè apud nos non ſunt in uſu: nam una eſt Chriſtianorum conditio, omnes liberi ſunt, & ſervi Chriſti, qui fuit ἀντίλυτρον ſeu pretium Redemptionis noſtræ, ut ait Apoſtolus *ad Thimotheum, c. 2.* quo nomine ſervi ſumus Chriſti ſervitute voluntariâ & amabili, ἑκουσίως ὑποτασσόμενοι, *Theophilactus in Matheum c. Vltimo.*

II. *Decimò*, Curiales & Officiales (*c*) non debent ordinari, *c. prætereà diſt. 15. Auth. ſed neque, C. de Epiſc. & Clericis:* nec obligati ad ratiocinia Reipublicæ tutelæ, vel curæ (*d*) niſi priùs depoſito Officio rationes reddiderint, *c. Vnico, de obligatis ad publica ratiocinia:* alioquin ſic ordinati Clero moventur, & priſtinæ fortunæ reſtituuntur, *d. Auth. ſed neque:* at ſi rationes reddiderint, non moventur Clero, tametſi debitores exiſtant: verùm Fori privilegio uti non poſſunt. Et ſi Epiſcopus eos ſciens, & creditore reclamante, ordinaverit, tenetur eidem ad intereſſe, quòd eos ordinando occaſionem negotiandi & lucrifaciendi ut ſatisfacerent creditori abſtulerit, *Gloſſ. in c. Vnico, de obligatis ad publica ratiocinia.* Sed quod de Curialibus & Officiariis ſuprà diximus, apud nos non eſt in uſu: nam Curiales & Officiales Regii ordinantur etiam retentis Officiis, ſi ea cum muneribus Eccleſiaſticis ſint compatibilia, *Gothof. ad Auth. ſed neque, C. de Epiſc. & Cler.*

III. *Vndecimò*, repelluntur Neophitæ, ſeu Cathechiſati, & noviter in Eccleſiâ inplantati, *c. 1. & c. diſt. 48. & c. Qui in aliquo, diſt. 51.* ne illis objiciatur quod Divus Hieronymus ſuccenſebat cuidam, *heri Cathecumenus, hodie Pontifex:* periculoſus enim eſt ille tranſitus, & repentina mutatio. (*e*)

SOLIER.

(*a*) Debet enim esse immunis ab aliis, qui divinæ militiæ est aggregandus, ut à castris Dominicis quibus ascribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur, *Can. Nullus, dist.* 54.

(*b*) Adde & alium videlicet quando Episcopus scienter servum alterius ordinat, tunc enim licèt ordinans Domino servi satisfacere teneatur, nihilominus servus jugum evadit servitutis, *cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi.*

(*c*) Intelligendum est de his qui exercuerunt sæva, & turpia, sive vilia, ut sunt nuntii, lictores, & id genus, seu qui fuerunt Officiales in causa sanguinis propter dignitatem Ordinum: secus dicendum de illis, qui honesta, & nobilia procurant Officia, *Bellet. in disquisit. Clerical. p.* 1. *tit. de Discipl. cleric. §.* 11. *n.* 6.

(*d*) Obligatus ad reddendam rationem alicujus administrationis publicæ non potest fieri Clericus nisi deposito onere & ratione reddità, *cap. Non confidat, dist.* 50. *cap. Designata, cap. Seq. & ibi Gloss.* 1. *dist.* 51. *cap. Magnus, dist.* 54. *cap.* 1. *de obligat. ad ratiocin. L. Officiales, Cod. de Episc. & Cleric.* nec obligatus ad reddendam rationem ex aliquo Officio privato; ut sunt procuratores, actores, executores, curatores & tutores si illis fuerit mota actio, *d. cap. Magnus, dist.* 54. *& d. cap.* 1. *& ibi Abbas*: nisi administratio fieret causa pietatis & eleemosinæ, *Hostien. in d. cap.* 1. Item nec falsi decoctores, qui ea pœna quâ fures, ipsi puniri debent, prout sancivit Pius V. in sua Constitutione 116. quæ incipit, *postquam.*

(*e*) Qui enim formam discipuli nondum assumpsit, non debet assumi in magistrum, nec est præficiendus qui subesse non novit, *cap. In magistrum, de elect. cap. Ordinatus, dist.* 59.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. Curiales, *& Officiales non debent Ordinari.* Qui autem propriè dicantur Curiales in jure, ex Pontio, suprà, *tit.* 25. retulimus: cùm verò dura esset admodum Curialium conditio, ita ut eorum Ordini pœnæ nomine adscribentur rei, quin etiam & ipsi Christiani sæviente Ecclesiæ persecutione, multi ut ab ejusmodi muneribus se substraherent, abdicato patrimonio, quæ erat pœna desertionis, se se in clerum conferebant, quòd Ecclesiæ dedecori & fisci dispendio vertebatur, ait *Bengeus, de Benef. cap. de qualitate Ordin. §. 6. n.* 2.

N. 3. *Repelluntur Neophitæ seu Catechisati, & noviter in Ecclesia inplantati.* Neophitæ propriè dicuntur quia reprobata Religione ad fidem Catholicam noviter sunt conversi, *cap. Sicut, dist.* 48. quales sunt hodiè apud nos hæresis Calvinianæ nuper sectatores, quos ad sacros Ordines non debere promoveri probat textus *in cap. Neophitus, dist.* 61. momentaneus namque Sacerdos nescit habere humilitatem, observare modos personarum, vel se contemnere, qui non jejunavit, non flevit, non se correxit, non pauperibus arrogavit, &c. *Hieron. Epist.* 83. *ad Oceanum & idem super Epist. Pauli ad Titum.* non licet, ut qui erat heri cathecumenus hodiè fiat Episcopus, & qui heri erat in theatro, hodiè sedeat in Ecclesia, qui vespere erat in circo, hodie ministret in altari, qui dudum erat fautor histrionum, hodiè sit consecrator Virginum, & appositè *Felin. in cap. Eam te, n.* 12. *de rescript.* Ruit murus, inquit, cum pondus tignorum nondum exsiccato apponitur, unde *Campanel. in diversorio Juris Canon. rubric.* 11. *cap.* 7. *n.* 5. resolvit in Neophito volente Ordinari tam ad sacros Ordines quam ad minores requiri transactum biennium à sua conversione.

Eodem N. 3. *Hodie Pontifex.* Notandum tamen est Neophitum non repelli à minoribus Ordinibus, sed à majoribus ut notant *Archid. Præposit. à Turrecremata in cap. Quoniam, dist.* 48. *Decius in d. cap. Eam te, de rescript. Gemin. & alii in cap. Quicunque, dist.* 77. *Bellet. in disquisit. Clerical. tit.* 3. 12. *n.* 9. ubi autem Neophitus erat factus Clericus poterit etiam obtinere Beneficia quemadmodum dicitur de Judæo baptisato, *in d. cap. Eam te ubi Abbas, n.* 7. *& Decius, n.* 30. *de rescript.* unde inficit Belletus conversam ad fidem, posse statim effici minorem non autem Abbatissam.

TITULUS XXX.

De Defectu Litteraturæ.

SUMMARIUM.

I. II. III. & IV. Quæ scientia, quive gradus requirantur ad Ordines & Dignitates.
V. Indulctarii non admittuntur ad Ecclesias Parrochiales nisi juxta formam Concordati.
VI. Possessor triennalis Ecclesiæ Parrochialis sine gradu sit securus. Arrestum.
VII. Parvæ Parrochiæ.
VIII. Beneficia simplicia.
IX. An provisio facta non graduato sit nulla.
X. Beneficia Cantorum. Idioma loci.

I. Duodecimò, irregulares sunt illitterati, *Oseæ c.* 4. *Quia tu Scientiam repulisti ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi*, ait Dominus. Qui suscipit primam Tonsuram, scire debet rudimenta Fidei, & peritiam legendi scribendique habere, *c. Qui*

in aliquo, *diſt.* 5. *c. Nullus*, *de temporibus ordinationum*, *in 6. Concilium Trident. Seſſ.* 23. *de reformatione*, *c.* 4. Qui minores Ordines deſiderat Linguam Latinam (*a*) non debet ignorare, *Concilium Trident. Seſſ. cit. c.* 11. Qui minores Ordines petit ſcire debet ea quæ ad exercitium illorum neceſſaria ſunt, *ibidem c.* 11. *Toletus lib.* 1. *c.* 58. Qui verò Epiſcopatum deſiderat, magnum opus petit, ut ait Apoſtolus, diſciplinis Eccleſiaſticis debet eſſe inſtructus, *c. Qui Eccleſiaſticis*, *diſt.* 36.

II. Jure novo in Epiſcopo gradus Doctoratûs aut Licentiæ in Theologia aut Jure Canonico requiritur, *Concilium Trident. Seſſ.* 22. *c.* 2. In Scholeſteriis, ſeu Præbendis Præceptorialibus, eadem qualitas deſideratur, *Concil. Trid. Seſſ.* 23. *c.* 18. Idem ſtatutum fuit in Archidiaconatu, & primis Dignitatibus (*b*) Eccleſiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, ubi id commodè fieri poteſt, *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 12. In Præbenda Theologali gradus Theologiæ requiritur ex Coſtitutione Gallica Aurelianenſi *art.* 8. & Bleſenſi *art.* 33. ex quibus Conſtitutionibus in Præbenda Præceptoriali gradus non deſideratur. In caſibus prædictis gradus requiritur tempore proviſionis, alioquin proviſio nulla eſt defectu qualitatis requiſitæ: & ſi Papa diſpenſet in iis quæ Concordato vel Conſtitutionibus Gallicis ſtatuta ſunt, eſt abuſus, ut ſi diſpenſaverit cum proviſo de Præbenda Theologali ad vitam vel ad tempus, proviſio nulla cenſetur, locus eſt appellationi ab abuſu ab executione Reſcripti, ut judicatum fuiſſe Arreſto Senatûs Pariſienſis refert Bengeus *de diſpenſat. n.* 22. Tamen non eſſet abuſus ſi proviſio talem aut ſimilem clauſulam contineret in Forma dignum, *dummodò dignus repertus fuerit*, & proviſus gradum Doctoratûs requiſitum obtinuerit tempore examinis: nam vis & effectus Reſcripti committitur arbitrio Commiſſarii delegati, & tempus examinis refertur ad diem proviſionis obtentæ.

III. Eccleſiæ Parrochiales Civitatum & Villarum muratarum, in quibus plebs eſt numeroſior, non niſi Clericis qualificatis Litteraturâ conferri debent Doctoribus in Theologia, vel altero Jurium, aut Baccalaureis in eiſdem facultatibus, vel Artium Magiſtris, aut qui ſaltem ſtuduerint in Theologia, vel altero Jurium, per triennium, §. *Statuimus*, *in Concordatis*, *de collationibus*, ſive de Prioratu agatur in quo Rector reſidere & Curam exercere tenetur, ſive de Vicaria perpetua, juxta Conſtitutionem Aurelianenſem *art.* 4. quâ Ordinarii Beneficia hujuſmodi perſonis vitæ probæ & Litteratis conferre jubentur, & Concilium Tridentinum, quâ monitione præmiſſa in caſu vacationis Beneficia hujuſmodi dantur dignioribus, ut diximus ſuprà *lib.* 1. *tit.* 14. Verùm apud nos, ne libertas Ordinariorum minuatur, ſufficit quòd qualificatis hujuſmodi Beneficia conferantur: quod Jus habet locum non ſolùm in Eccleſiis Civitatum & Villarum muratarum, ſed etiam in oppidis numeroſæ plebis; ut in cauſa Vicariæ Alanſonii hujus Provinciæ, in gratiam Baccalaurei, contra alterum non graduatum priùs proviſum, Senatus noſtris temporibus judicavit.

IV. In hoc articulo gradus non requiritur præciſè; ſtudium triennii ſufficit (*c*) Theologiæ, aut Juris Civilis, vel Canonici, in Univerſitate privilegiata: nam Univerſitates quæ ſunt extra Regnum, & quæ Diplomate Regio confirmatæ non ſunt, non habent apud nos hoc privilegium, *ut notat Rebuff. in d.* §. *ſtat.* niſi à Rege illud obtinuerint, ut Univerſitas Avenionenſis, & aliæ Univerſitates Provinciarum confederatorum. Studium illud probatur Litteris Profeſſorum earumdem Facultatum Univerſitatis illius, authenticis, & Sigillo Univerſitatis munitis, ut diximus ſuprà de privilegio Graduatorum *lib.* 1. quibus eſt adhibenda fides: tamen hujuſmodi Litteræ proviſum ab examine non excuſant, neque gradus, ut diximus ſuprà *lib.* 2. *tit.* 13. Si quis proviſus fuerit ab Ordinario, vel à Papa, aut Legato, in forma gratioſa, tempore proviſionis de gradu aut Studio conſtare debet: ſi verò in Forma dignum proviſus ſit, ſufficit conſtare tempore examinis ut diximus ſuprà *art.* 2.

V. Sed nec Indulctarii à Rege nominati, nec proviſi à Papa, cum clauſulis derogatoriis, , admittuntur ad Eccleſias ſupradictas, niſi ſint Graduati, aut per triennium ſtuduerint: nam Papa non poteſt derogare Concordato, nec Rex cenſetur Juri publico per Indulcta derogare, *Molin. de publicandis reſignat. n.* 273. tamen in hoc articulo Concordati privilegio Graduatorum ibidem ſtabilito non derogatur; & Graduatus qui gradum inſinuavit, licèt in impetratione ſit poſterior, Clericum non graduatum, aut qui gradum non inſinuavit, excludit, *Rebuff. in* §. *Statuimus*, *verb. ſaltem*, *ſub finem.*

VI. Verùm qui per triennium Eccleſiam Parrochialem cum titulo colorato pacificè poſſedit, juvatur (*d*) regulâ de pacificis poſſeſſoribus, tametſi gradum non habeat, nec

atteſtationem Studii, modò ſit vitæ probæ, & aptus muneri, *Rebuff. de pacificis poſſoribus, n.* 83. Sic judicatum fuit Placito Senatûs hujus Provinciæ, in gratiam Curionis Eccleſiæ Cathedralis Forojulienſis, in Auditorio publico, *anno* 1646. juxta Concilium Tridentinum *Seſſ.* 25. *c.* 6. ubi Ordinarii monentur ut Rectoribus Eccleſiarum Parrochialium illitteratis Coadjutores deputent pro tempore, cum portione congrua; non tamen deſtituant, ſi alioquin ſint vitæ probæ & honeſtæ.

VII. In cæteris Eccleſiis Parrochialibus viculorum aut oppidulorum gradus vel atteſtatio Studii triennalis non requiritur, ob plebis paucitatem, & reditûs exiguitatem: nam neque ubi Concilium Tridentinum ſervatur, in caſu vocationis illarum, concurſus expectatur, *Riccius deciſ.* 421. in illis peritia Linguæ Latinæ, adminiſtrationis Sacramentorum, & Divini Officii ſufficit.

VIII. In Beneficiis quæ actu vel aptitudine Sacerdotalia ſunt ex Statuto vel Fundatione, peritia Linguæ Latinæ, & notitia eorum quæ ad Ordinis exercitium neceſſaria ſunt, requiritur: & in Beneficiis ſimplicibus, quæ à Clericis ſimplicis Tonſuræ poſſunt obtineri, peritia legendi ſcribendique ſufficit, cum notitia rudimentorum Fidei, & ſpe eruditionis, *Rebuff. de pacificis poſſeſſoribus n.* 215.

IX. Defectus Litteraturæ non impedit ordinationem, ſed Ordinis exercitium, & promotionem ad Ordines majores, *Gloſſ. in c. Illitteratus, diſt.* 36. At proviſio Beneficialis illitterati, aut nulla eſt, ſi ſpes eruditionis non ſit; aut venit annullanda ſi proviſus eruditi non curaverit, vel per inertiam Scientiam quam didiſcerat oblivioni tradiderit, vel dato Coadjutore ſuſtinetur, ut diximus ſuprà *n.* 6. Et ſi gradus ſit annexus Beneficio, ut in caſibus ſuprà relatis, defectu gradûs proviſio nulla eſt, ut definitum fuit Concilio Tridentino *Seſſ.* 23. *c.* 18. §. *Deinde*: tamen gradus eſt qualitas extrinſeca Beneficii: & ſi proviſus graduetur, ejus proviſio convaleſcit, ut ſuprà diximus de non promoto, modò jus alteri nondum quæſitum fuerit. Molineus contrarium ſentire videtur, *tit. de infirmis reſign. n.* 399. *& de publicandis reſign. n.* 18. Sed in dubiis favendum eſt poſſeſſori; & non graduatus per poſſeſſionem pacificam triennalem fit ſecurus, ut diximus ſuprà *n.* 6.

X. Sunt aliæ qualitates in certis Beneficiis requiſitæ quæ ad Litteraturam reducuntur: in Semipræbendis, & aliis minoribus Beneficiis, quæ in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis pro mercede Cantorum ſunt inſtituta, peritia cantandi deſideratur: & ſi proviſus ſit imperitus, ſine ſpe eruditionis, proviſio nulla eſt, aut venit annullanda ſi non curet erudiri, *Chopinus de ſacrâ Politia lib.* 1. *c.* 3. Et ex regula Cancellariæ 19. Beneficia Curata non debent exteris conferri niſi calleant idioma loci ubi illa ſita ſunt. Idem de Vicariis perpetuis ſtatuitur, *Gomeſius de idiomate q.* 11.

SOLIER.

(*a*) Quod tamen relinquitur arbitrio Epiſcopi, Conc. Trid. his verbis: *minores Ordines iis ſaltem qui Latinam Linguam intelligant per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo magis expedire videretur, conferantur.* Neque enim ex verbis Concilii Colligi poteſt ratio quare arbitrio Epiſcopi relinquatur potius diſpenſatio ſuper interſtitiis, quàm ſuper Grammatica, cùm verbum, conferantur, ſub quo ſtant illa duo poſt arbitrium collocetur, *Bellet. p.* 1. *tit. de diſcip. Cleric. §.* 4. *n.* 2.

(*b*) Verba ergo Concilii ſonant in monitionem, & non in conditionem; ita ut collatio dignitatis poſt Pontificalem majoris in Cathedrali, aut principalis in Collegiata non ſit ex eo nulla, quòd non graduato facta fuerit: ſecus tamen apud nos ex ordinatione Henrici IV. de anno 1606. *art.* 31. quæ cùm per verba prohibitiva concepta ſit, *nul ne ſera pourveu des Dignitez des Egliſes Cathedrales, ni des premieres Dignitez des Collegiales, s'il n'eſt gradué en Theologie, ou droit Canon*, neceſſitatem & pœnam nullitatis importat, cum Legiſlatori prohibuiſſe ſufficiat, & quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro infectis habeantur, *l. Non dubium, Cod. de legib.*

(*c*) Contrarium tenet Molin. *ad Regul. de infirmis reſign. n.* 280. & probat Ordinatione Ludovici XII. de anno 1499. *art.* 6. & Edicto Henrici II. dato Rhemis 9. *Martii* 1531. ac decreto Senatûs Pariſienſis de anno 1536. quod hodie pro indubitato habetur, ut ſcilicet ſtudium ſine gradu non ſufficiat.

(*d*) Ex his quæ proximè diximus ſequitur non graduatum eſſe inhabilem ad Eccleſiam Parrochialem in Villa murata obtinendam, & collationem ei factam eſſe invalidam & nullam; titulus autem invalidus habetur pro non titulo, *l. Nec ullam* 13. *§. Omnibus etiam, de petit. hæred.* & tandiu durat tituli nullitas, quandiu durat incapacitas titularii, ut obſervat *Lovet. ad Regul. de public. reſignat. n.* 32. atque ita dicendum poſſeſſione triennali non juvari, quæ inhabilitatem perſonæ non tollit.

(*e*) Licèt collatio Beneficii facta illitterato ſit ipſo jure nulla, *Innoc. & Abbas in cap. Cum in noſtris, de conceſſ. Præb. Felin. in cap. Per tuas* 1. *n.* 1. *de Simon. Molin. ad Reg. de idiomate, n.* 145. *& ſeqq.* ſi tamen ille poſtea litteras addiſcat, & collatorem non pœniteat priſtinæ collationis, tacitâ quâdam collatione reviviſcit, *Bellet. p.* 1. *tit. de diſcipl. Cleric. §.* 4.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. IN *Episcopo Gradus Doctoratûs aut Licentiæ in Theologia, aut Jure Canonico requiritur.* Qualitatem scientiæ requisitam in Episcopo exprimit Concilium Trident. *Sess.* 22. *cap. de reform.* quòd ejusmodi scientia pollere debeat, ut muneris sibi injuncti necessitati satisfacere possit, ideoque ut vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia vel Jure Canonico meritò sit promotus: Episcopus enim Evangelium, & omnem scripturam Sacram, & Canones scire debet, ut Populum universum sibi commissum edocere valeat, & in causis rectè judicare, *cap.* 2. *§. Ecclesia, dist.* 36. *cap.* 1. *cap. Nulli, cap. Omnes, dist.* 38. prius oportet discere quàm docere, *cap. vivo* 16. *q.* 1. scientiam autem in aliis Beneficiis inferioribus & Ordinibus requisitam indicat *Gonzales ad regul.* 8. *Gloss.* 4. *à n.* 68. *& à n.* 104.

Eodem N. 2. *In scholasteriis seu Præbendis Præceptorialibus eadem qualitas desideratur.* Conc. Trid. ut insignioribus Beneficiis, & viris Litteratis consuleret, decrevit omnes Dignitates & saltem dimidiam partem Canonicatuum in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiæ insignibus, ubi id commodè fieri potest, non nisi Doctoribus, seu Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico conferendas, ut habetur *in cap.* 11. *Sess.* 24. *de reform.* in quo Concilium hortatur, non autem præcipit: Archidiaconi qui oculi dicuntur Episcopi, *cap. ad hæc de officio Archid.* debent esse in omnibus Ecclesiis, ubi fieri potest, Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia vel Jure Canonico, *ex Cod. Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 12. *Scholasteria*, de cujus dignitate, origine, & officio tractat, *Duaren. de Benefic. lib.* 10. *cap.* 15. conferenda est Doctori, vel Magistro, aut Licentiato in Theologia, aut Jure Canonico, aliàs provisio est nulla, ex Decret. Concil. *Sess.* 23. *cap.* 18. *de refor.* Præbenda Theologaliis Magistro in Theologia, aut Licentiato vel Baccalaureo formato conferri debet, ut habetur in Concord. §. *Statuimus de collat.*

Eodem N. 2. *Non esset abusus si provisio talem clausulam contineret in forma dignum, dummodo dignus, &c.* & hæc est ipsamet hypothesis Senatusconsulti Parisiensis ex Bengeo ab Authore laudato, in qua tamen Senatus abusum subesse pronuntiavit, provisio enim Joannis Degestes resignatarii in forma dignum erat expedita, & in consequens clausulam inesse, si dignus repertus fuerit, inficias iri non potest assumptusque est gradus ante examen, ratio judicati est, quia non potuit Summus Pontifex gratiam facere super necessitate gradûs etiam per sex menses contra Concordata.

TITULUS XXXI.

De Infamibus.

SUMMARIUM.

I. Infames ex variis causis.
II. & III. Forma pœnitentiæ publicæ.
IV. Infames ad Sacerdotium non admittuntur.
V. Infames si fuerint ordinati tolerantur.
VI. Infamia purgatur variis modis.

I. DEcimò tertiò, repelluntur (*a*) infames, *c. infames, c. 6. q.* 1. sive causâ quâ notantur irregulares sint, sive non. Alii enim sunt infames censurâ Juris, alii censurâ hominum. (*b*) Censura Juris irrogatur ex variis causis, ex genere delicti, ex genere pœnæ, & genere facti, *c. infames, §. porrò, c.* 3. *q.* 7. Ex delicto publico reus fit infamis, si delictum per Judicis sententiam fuerit declaratum, sive ageretur criminaliter, sive civiliter, *l. infamem, ff de publicis judiciis.* Si verò de delicto privato agatur, aut reus convenitur civiliter, & non fit infamis, nisi famosa sit actio, ut est actio furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, doli mali, expilatæ hæreditatis, & sepulchri violati, *l. athletas, ff. de his qui notantur infamiâ, l. si te expilasse, C. eod. l.* 1. *ff. de sepulchro violato*; aut convenitur criminaliter, & fit infamis, ut constat ex locis citatis.

II. Ex genere pœnæ reus fit infamis, si fuerit deportatus, aut ad triremes damnatus, vel relegatus, aut fustibus cæsus, vel stigmate notatus, aut jussu Judicis publicam pœnitentiam egerit; nam post actam pœnitentiam manet nota infamiæ, *d. c. infames, sub finem.* Idem cautum fuerat de illis qui sponte pro expiatione delicti publicè pœnitentiam agebant, ne qui fuerant vasa vitiorum essent instrumenta Sacramentorum gerendorum, *c. illud quoque, cum similibus, dist.* 50. Solebant enim peccatores, sacco induti, nudis pedibus, vultu in terram demisso, ante fores Ecclesiæ Episcopo se offerre, & absolutionem humiliter deprecari, juxta formam præscriptam *in c. quadragesimæ, ead. dist.* Quod tamen Clericis non erat permissum, ne Laïci scandalizarentur, ut ibidem notatur.

III. Ex genere facti infamia Juris irrogatur in certis casibus: nam in Judiciis reus fit infamis actione directâ, mandati, depositi, tutelæ, & actione pro socio, ob suspicionem doli, *l. furti, §. mandati ff. de his qui notantur infamiâ*: & Histriones, qui artis

ludicræ causâ in scenam prodeunt: & Gladiatores, qui in arenam descendunt, infames fiunt jure Canonico & Civili: omnes enim jure Canonico censentur infames qui jure Civili sunt infames, *c. omnes 6. q. 1.*

IV. Censurâ hominum à muneribus publicis arcentur; alii ob inhonestam improbamque vivendi rationem; alii ob vilia exercitia: inhonestum enim est vile hominum genus ad munera publica admitti, *l. ut gradatim, ff. de muneribus & honoribus*: & ex Aristotele *Politicorum 7. c. 9.* nec agricola neque artifex quisquam vilis, Sacerdos est deputandus. ὅτι γεωργον ὅτι βάναυσον ἱερὰ κατασάτεον: qui locus ostendit quantus honor & dignitas esset Sacerdotii apud Antiquos.

V. Hos igitur Ordinarius potest repellere, sive notentur censurâ Juris, sive hominum censurâ: qui tamen si fuerint ordinati, aut provisi de Beneficiis, tolerantur in Ordinis exercitio, & Beneficio, nisi ob delictum vel defectum irregulares sint tempore ordinationis aut provisionis, ut post Navarrum & alios docet Garcias *parte 7. c. 8.* nam non omnia quæ ordinandum impediunt ordinatum dejiciunt.

VI. Infamia Juris à Principe tolli potest per restitutionem in integrum: Princeps sæcularis in suis Terris restituit quoad bona temporalia, honores, & munera publica: Papa verò, quoad bona spiritualia, Ordines, & Beneficia, *Panormit. in c. cum te, de sententia & re judicata.* Infamia facti tollitur sive Rescripto vel Judicis sententiâ, quâ reus innocens declaratur, & absolvitur; vel purgatione canonica, *c. ipsi Apostoli 2. q. 7. & c. cum P. de purgatione can.* quæ fit per testes, aut jusjurandum: purgatio verò vulgaris quæ fiebat apud Hebræos per aquam candentem, apud Æthiopes per laminam ardentem, ut legitur apud Heliodorum, apud Gallos & cæteras Nationes per duellum, reprobatur, *c. 1. & seq. de purgatione vulgari*: vel fit purgatio successu temporis emendatione morum, & cessatione ab operis illicitis quibus fama vilescit.

SOLIER.

(*a*) Scilicèt à Clericatu, quia infamibus portæ Dignitatum patere non debent, *cap. infamibus, de regul. juris in 6.* Ordo autem clericalis est Dignitas, & honor, *cap. admittuntur, dist. 54. cap. 1. de obligat. ad ratiocin. l. Officiales. Cod. de Episc. & Cleric.* quod intelligendum est de criminosis, & infamibus manifestis, & publicis; non autem de occultis, hi enim, si promoveri voluerint, non debent aliqua ratione prohiberi, *cap. ex tenore, de tem. ordinat. cap. fin. de furtis*; nec accusatus de aliquo crimine admittitur ad Ordines nisi prius se purgaverit, *cap. fin. de testib. cap. omnipotens, de accusat.* quin imò accusatus de Simonia debet pendente accusatione ab administratione prohiberi donec se purgaverit, *cap. accusatum & ibi gloss. fin. cap. quoties, de simon.*

(*b*) Infamia omnis sive juris sive facti tollitur per Baptismum, *gloss. in cap. sine pœnitentia, in verb. in Baptismate, dist. 4. de consecrat.* quia per Baptisinum tolluntur peccata, & quæ sequuntur ex illis sub ratione quâ sunt peccata, cujusmodi est infamia, *Sylvest. in verb. Baptismus 6.* an autem & quæ irregularitas tollatur dixi sup.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. REPELLUNTUR *infames.* Fama propriè nihil aliud est. *Quam illæsæ dignitatis status, vitâ & moribus comprobatus. l. cognitionum §. existimatio, ff. de extraord. cognit.* prout originaliter descripsit *glossa in cap. Infames, in verb. infamia*, 3. *q.* 7. & hæc fama est argumentum virtutis, ut inquit. *Baldus in cap. in Genes. 66. de elect.* & qui illam negligit crudelis est, *cap. nolo. 12. q. 1.* Unde Apostolus 1. *ad Corinth.* Expedit magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet, *cap. Sacerdos 1, q. 2.* unde quamvis principaliter sit curandum de bona vita, tamen quantùm possibile est, curandum est de bono nomine; ne Proximi scandalizentur, *cap. inter verba 11. q. 3.* nobis enim necessaria vita, aliis fama, *cap. non sunt dict. q. 3.* quamobrem fama dicitur à Baldo *in cap. dilecti de appel. n. 3.* Publicus. Præco virtutis, infamia vitiorum; famæ itaque contrarium est infami, quæ nihil aliud est, quàm læsæ dignitatis status, vitâ & moribus reprobatus, *scilicet. in leg. ea quidem, n. 92. cod. de accusat.* quæ quomodo contrahatur habetur *in cap. infamis*, 3. *q.* 7. & quomodo aboleatur, *in cap. 2. 6. q. 1.* & duplex est infamia, alia juris, alia facti: ut notat *gloss. in cap. Infames §. porro. 3. q. 7.* Infamia juris est, quæ à jure irrogatur, cùm quis per sententiam de jure publico condemnatur, civiliter vel criminaliter, aut de delicto privato si sit tale, quod descendat ex actione famosa, *l. Infames. ff. de publ. judic.* & non agatur civiliter, sed Criminaliter *l. 2. ff. de crimin. stellion.* nisi in casibus de quibus in eadem gloss. Infamia facti est, cùm quis aggravatur vel infamatur apud bonos, de quo agitur *in l. 2. & l. licet de obseq. à liberis præstandis, cap. sicut plurimi 6. q. 1.* scilicèt quando læsa est fama alicujus propter factum, quod commisit & hanc infamiam omnino removere solius Dei est, *cap. ex tuarum & ibi gloss. finalis de purgat canonic.*

N. 2. *Publicam pœnitentiam egerit.* Triplex est pœnitentiâ, videlicet solemnis, publica, & privata, *hostien. in summa §. utrum, de pœnit. & Remiss.* pœnitentia solemnis dicitur illa, quæ præscribitur à Concilio Agatensi relato in capitulo *in cap. quadragesimæ, dist. 50.* ubi modus præscribitur.

publica eſt illa quæ publicè imponitur, & ideo omnis ſolemnis pœnitentia poteſt dici publica, quia publicè imponitur, ſed propriè publica pœnitentia ad differentiam ſolemnis, dicitur illa quæ fit in facie Eccleſiæ, non tamen cum ſolemnitate, veluti cum injungitur peregrinatio per mundum cum pera & baculo benedictis, *Hoſtien. in dicto §. utrum. Fagnan. in cap. manifeſta, de pœnitent. & remiſ.* pœnitentia privata eſt quæ pro peccatis ſecretis injungitur à Sacerdote in actu Sacerdotalis confeſſionis, *cap. quis aliquando, de pœniten. diſt.* 1. Porrò ſolemnem Pœnitentiam ſolus Epiſcopus imponit vel Sacerdos de illius mandato *Hoſtien. dicto §. utrum*, nec imponitur niſi ſemel, quia figura eſt depulſionis hominis de Paradiſo, *dict. cap. in capite.* Publica verò pœnitentia per quemlibet confeſſorem imponi poteſt pro peccato publico & ſcandaloſo, ut ſatis innuit *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 8. Sed Clerico ne dum ſolemnis ſed ne quidem publica pœnitentia, eſt injungenda, niſi depoſito, ut *in cap. confirmandum, & cap. alienum, diſt.* 50. *cap. ult.* 26. *q.* 6.

N. 6. *Vel purgatione Canonica.* Suſpectus de Crimine occulto ſuſpicionem criminis præſtiti juſjurandi religione purgat adhibitis cum purgatoribus, qui ſuſpectum vere juraſſe pariter juramento affirmant, *cap. quoties, cap. inter, de purgat. canonic. cap. Presbyter.* 2. *q.* 4. & purgatione legitimè factâ, fit immunis à crimine, & ejus ſuſpicione: ſi verò in purgatione defecerit, punitur convictione, *cap. cum P. Manconella & dicto cap. inter, eod. tit.* Purgatio verò vulgaris, quæ eſt aquæ frigidæ, vel candentis ferri, vel ſingularis certaminis, vel alterius rei eſt ſuperſtitioſa, vulgi inventione inſtituta, Judicium ad probandum ſuſpecti innocentiam, vel extorquendam criminis occulti Confeſſionem adhibitum, *caq. conſuluiſti, cap. Mannam* 2. *q.* 4. *cap.* 1. 2. & 3. *dict. tit.* triplicique ratione reprobatur, *Primò.* Quia Sanctorum Patrum Sancitis adverſatur *dict. cap. conſuluiſti. Secundò.* Quia ſuperſtitioſa, invidioſa, & nociva eſt, *cap. ſignificantibus, eod. tit. & cap. ſatis perverſum, diſt.* 65. *Tertiò.* Quia hoc genere ſuperſtitionis Deus tentari videtur, *cap, Monomachiam.* 2. *q.* 4. quod omnibus modis cavendum eſt, *cap. ſi nulla urget.* 23. *q.* 8. *& cap. quæritur.* 22. *q.* 2. *Daniel venator in ſua Analyſi tit. de purg. canon.*

TITULUS XXXII.

De Irregularitate quæ Oritur ex Delicto.

SUMMARIUM.

I. Ex quibus delictis irregularitas oritur.
II. Homicidium licèt occultum, verum facit irregularem.
III. Mutilatores irregulares.
IV. & V. Homicidium triplex.
VI. Clerici exercentes Artem Medicam aut Chirurgicam fiunt irregulares.
VII. De homicidio commiſſo pro detentione bonorum.
VIII. De homicidio commiſſo pro defenſione perſonæ.
IX. De homicidio commiſſo pro defenſione proximi.
X. De homicidio mandato. §. 1. De homicidio in turma commiſſo.
XI. & XIV. Judices ob ſententiam ſanguinis irregulares fiunt. Teſtes in cauſa criminali an fiant irregulares. Pars civilis an fiat irregularis.
XII. Procurator partis civilis non fit irregularis. Arreſtum.
XIII. An ſola intentio faciat irregularem.
XV. Infantes non fiunt irregulares.
XVI. XVII XVIII. Quis poſsit diſpenſare ab irregularitate.
XIX. Litteræ gratiæ non diſpenſant ab irregularitate quoad Ordines & Beneficia.

I. DECIMÒ QUARTÒ, irregularitas oritur ex delictis quæ inducunt ipſo jure vacationem Beneficii, quamvis illa ſint occulta, & reus pœnitentiam egerit: nam in Foro externo reus actâ pœnitentiâ non deſinit eſſe nocens, *c. ut conſtitueretur, d.* 50. Ex cæteris delictis quæ non faciunt vacare Beneficium ipſo jure reus non fit irregularis, niſi illa ſint enormia & notoria: non enim ſola delicti enormitas irregularem facit reum, ſed ſcandalum ſurgens ex notorietate delicti reſultante ex operis evidentia, vel confeſſione rei, aut Judicis ſententiâ, *c. ex tenore, de temporibus ordinationum, & ibi gloſſ. c. qui in aliquo, diſt.* 52.

II. Homicidium excipitur, quod licèt non inducat vacationem Beneficii ipſo jure, niſi qualificatum ſit, reum tamen irregularem facit, (*a*) quamvis occultum ſit, & reus pœnitentiam egerit, *c. quæſitum, de temporibus ordinationum, Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. Sacerdotes enim mites & manſuetos eſſe oportet, non percuſſores, ut præſcripſit Apoſtolus *ad Timotheum c.* 4. & Deus noluit Davidem Templum ſibi ædificare, ob homicidium juſſu ejus commiſſum in perſona Uriæ, etiamſi de tali delicto pœnitentiam egiſſet, ut obſervavit Gloſſa *in c. ſi quis omnem, c.* 1. *q.* 7.

III. Et ex ſententia Apoſtoli non ſolùm irregularis eſt qui occidit, ſed etiam qui percuſſit, ſi mutilaverit, membrum abſciderit, aut debilitaverit, & tale membrum abſciſum aut mutilatum haberet functionem corporis ſeparatam, *c. in Archiepiſcopatu, de raptoribus, Clement. ſi furioſus, de homicidio.* At ſi ſolùm ſanguis fuerit effuſus, aut digitus (*b*) abſciſus, percuſſor non fit irregularis, quoniam unus ſolus digitus non habet functionem corporis ſeparatam, *Panormit. in c. 1. qui Clerici vel voventes, Capella Toloſana q.* 207. Eodem Jure irregulares fiunt qui ſibi manus violentas inferunt, membrum abſcindunt aut mutilant, *c. ſi quis abſciderit, d.* 55. ut diximus ſuprà *tit.* 27. nam idem in alios creditur auſurus qui hoc adverſus ſe audet, *l. cùm autem, §. excipitur, ff. de ædilitio Edicto.*

IV. Tamen non omne homicidium irregularem facit: triplex enim homicidium diſtinguitur: voluntarium, caſuale, & mixtum, *gloſſ. in c. ſicut dignum, §. Clericus, de homicidio voluntario & caſuali.* Per homicidium voluntarium reus fit irregularis, ut conſtat ex ſupradictis.

V. De caſuali diſtinguitur: nam vel reus dabat operam rei illicitæ, vel licitæ. Si primùm, indiſtinctè fit irregularis, ſive immediatè vel mediatè mors aut membri mutilatio inde acciderit; aut propter verbum injurioſum, adulterium, ſtuprumve commiſſum, aliudve opus illicitum, etiamſi improviſò mors alterius aut membri mutilatio hinc contigerit, *c. continebatur, de homicidio voluntario & caſuali.* At ſi daret operam rei licitæ, non fit irregularis, niſi culpæ reus ſit, *d. c. continebatur, & c. Presbyterum, eod. tit.* Culpæ reus cenſetur qui non adhibuit omnem diligentiam ut vitaret caſum, tametſi culpa leviſſima ſit, *c. ſignificaſti, de homicidio voluntario & caſuali*: nam culpa leviſſima Legis Aquiliæ actionem parit, *l. in Lege Aquilia, ff. ad Legem Aquiliam*, & in ſimilibus reum irregularem facit, *c. hi qui arborem, & c. ſæpè contingit, d.* 50. Qui Canones videntur traducti ex titulo Digeſtorum & Inſtitutionum de Lege Aquilia, §. *item ſi putator.*

VI. Opera illicita eſt quæ prohibita eſt in ſuo genere vel ſpecie, habitâ ratione perſonæ, loci, temporis, inſtrumenti, vel alterius circumſtantiæ: nam in moralibus circumſtantiæ variant ſpeciem, ut eſt caſus *in d. c. continebatur*, de ludo & inſtrumento vetito, *& in c. tua nos* de Clerico exercente Artem Medicam aut Chirurgicam, qui licèt omnem artem adhibuerit exuſtione vel inciſione, irregularis fit, ſi mors aut membri mutilatio hinc acciderit, quoniam Ars illa eſt Clericis (*c*) prohibita: Laïci verò quibus Ars illa permiſſa eſt, non fiunt irregulares, ſecùs ſi ſint imperiti: nam imperitia culpæ annumeratur, §. *imperitia. Inſtit. de Lege Aquilia.*

VII. De homicidio aut mutilatione neceſſariâ ſimiliter diſtinguitur: aut enim agitur de defenſione bonorum, aut de tuitione perſonæ: pro defenſione bonorum Lex Civilis permittit furem nocturnum aut agrorum Depopulatorem occidere, & diurnum ſi ſe telo defendat, *l. 1. C. quando liceat unicuique ſine Judice ſe vindicare*, cujus Legis meminit D. Auguſtinus *lib. 2. quæſtionum ſupra Exodum.* At quamvis in illis caſibus reus Legis Corneliæ pœnam vitet, Jure Canonico fit irregularis, *c. ſuſcepimus, & c. perfodiens, de homicidio volunt. & caſuali.*

VIII. Si verò de defenſione perſonæ agatur, aut agitur de ſalute propria, aut de ſalute proximi. Si de propria ſalute agatur; & reus non poſſit aliter ſibi conſulere quàm occidendo aggreſſorem, & occidat aut mutilet, non fit irregularis, *c. interfeciſti, & c. ſequenti, de homicidio volunt. & caſuali*: nam Jure naturæ vim vi repellere licet, adhibito moderamine inculpatæ tutelæ, *l. ut vim, ff. de Juſtitia & Jure*; ſi verò periculum vitare poſſit non occidendo, & occidat vel mutilet, irregularis fit: nam ex præcepto Evangelico & Canonico Jure præſtat injuriam pati, declinare à via, aut fugere, quàm gladium diſtringere, & hoſtem occidere aut mutilare, tametſi fuga aut tolerantia ſit ignominioſa apud ſæculares, habitâ ratione perſonarum, *c. de eo autem, d.* 50. Sic enim Chriſtus inſtruxit Petrum *Math. c. 26.* ordinans ipſum in Politiam Evangelicam, cùm juſſit ut converteret gladium in locum ſuum, *Theophilactus ibidem.*

IX. At ſi de tutela proximi agatur, irregularitas ſemper incurritur, ſive ſalus proximi aliter defendi poſſet, ſive non, ſive ex munere & officio injuncto id fieret, ſive non: nam quamvis in illis caſibus inevitabilis neceſſitas, munus injunctum, vel etiam imperium Ducis, in bello juſto excuſet à peccato, non excuſat ab irregularitate, quæ etiam ſine peccato, & interdùm cum merito, incurritur, ut advertit Gloſſa *in Clementin. unicâ, de homicidio.* Qui verò negant auxilium proximo in periculo mortis, non fiunt irregula-

res, niſi ex Juſtitia & munere injuncto teneantur auxilium præſtare: eo enim caſu irregulares fiunt ſi vim repellere poſſint, & ſine gravi periculo id facere valeant, *Navarrus in Summa c.* 27. *Toletus lib.* 1. *c.* 8.

X. Nec ſolùm irregulares fiunt qui per ſe occidunt aut mutilant, ſed etiam illi qui mandant, (*d*) opem ferunt, conſilium dant, & qui hortatu ſuo alios audaciores faciunt ut delictum committant, *c. ſicut dignum*, §. *qui verò*, *de homicidio voluntario & caſuali, & c. fin. de homicidio*, *in* 6. Et qui ratum habent homicidium, aut mutilationem commiſſam, ſi ſpe ratihabitionis delictum commiſſum ſit, *Navarrus in tit. de ſimonia*, *c.* 27. & 133. Nec non ſocii qui adfuerunt habentes animum occidendi, *c. ſicut dignum*, §. *item illi*, *de homicidio.* Sed & quamvis animum occidendi non habuerint: ſi delictum ſit in turmâ commiſſum, & incertus ſit author, omnes fiunt irregulares qui arma habuerint: *c. ſignificaſti*, *de homicidio*, ſicut omnes tenentur Lege Aquiliâ, de damno dato, aut ſervo occiſo vel vulnerato in turmâ, quoniam ſinguli fiunt ſuſpecti, *l. item Mela*, *ff. ad Legem Aquiliam*; tamen ſi Clericus fuerit in conflictu contra prædones, in quo nonnulli fuerint occiſi ab aliis, ipſe non fit irregularis quamvis arma geſſerit, aut lapides projecerit, ſi nullum percuſſerit, *c.* 3. & 4. *de Clerico percuſſore.* At in exercitu ſolâ armorum geſtione in bello irregularis fit, & diſpenſatione indiget à geſtione armorum, ut promoveatur quam poteſt obtinere à Legato: hoc enim ipſo quòd arma ſumpſit, & exercitum ſecutus eſt animo belligerandi, manſuetudinem illam in Ordinibus requiſitam amiſiſſe videtur; tamen excuſantur Eleemoſynarii exercitûs, à ſuis Ordinariis aut Superioribus licentiam habentes, ob ſalutem animarum; ſecùs ſi vagentur ſine licentia, ut cupidini potiùs ſerviant, quàm Deo, & ſaluti animarum.

XI. Ipſi etiam Judices, aſſeſſores, ſcribæ, & ſatellites, irregulares fiunt, ſi reus ad mortem, aut membri mutilationem, damnatus fuerit, & pœnam paſſus ſit, *c. ſi quis viduam d.* 50. *c. clericis*, *& c. ſententiam ſanguinis*, *ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant.* Idem de teſtibus, accuſatoribus, Procuratoribus, & Advocatis, aſſerit (*e*) Toletus poſt alios quos citat *lib.* 1. *c.* 80. Sed de teſtibus id nullo Jure cautum reperitur; imò contrarium probatur *in c. tua nos*, §. *ad ultimum*, *de homicidio*, ubi teſtis qui contra latronem depoſuerat, & indicia dederat, quibus latro convictus, Judicis ſententiâ damnatus, pœna corporali affectus & doloris impatientia defunctus fuerat, ad ſuſceptionem ſacrorum Ordinum admittitur ſine ulla diſpenſatione. De accuſatoribus eſt diſtinguendum: aut enim illi pœnam mortis vel mutilationis corporis in Judicio perſequuntur contra reum, & fiunt irregulares, *d. c. ſententiam ſanguinis*; ſive ſint Clerici, ſive Laïci: idemque de Advocatis & Procuratoribus eorum dici debet: aut illi mulctam pecuniariam & ſatisfactionem civilem perſequuntur pro damno & injuria illata; non fiunt irregulares, etiamſi per imperitiam, aut motus gravitate criminis, inſtante Procuratore Fiſci, Judex reum ad mortem aut membri mutilationem damnaverit, ut probatur *in c. tua nos*, *& c. poſtulaſti*, *de homicidio*, *& c. Prælatis*, *de homicidio*, *in* 6. nemo enim à perſecutione propriæ injuriæ vel ſuorum eſt repellendus, *c. de cætero*, *de teſtibus*; ubi quamvis fiat mentio de Clericis, Conſtitutio de Laïcis etiam eſt intelligenda, cùm ratio ſit generalis, ne malis detur materia alios trucidandi, vel eorum bona deprædandi *d. c. Prælatis*: ubi tamen ad vitandam irregularitatem proteſtatio exigitur ab accuſatore quòd non intendit ad pœnam ſanguinis. Verùm moribus noſtris talis proteſtatio inutiliter fieret: nam privatis dumtaxat civiliter agere licet, pro reparatione injuriæ illatæ, mulcta pecuniaria, & litis expenſis; & Procurator Regius aut Juriſdictionalis Domini Feudatarii pro publica vindicta petit pœnam mortis, mutilationis, verberum, deportationis aut exilii, & pœnam pecuniariam Fiſco vel Domino Juriſdictionali applicandam.

XII. Hinc ſequitur quòd Procurator (*f*) accuſatoris, qui litem perſecutus eſt contra reum criminis, ex quo convictus reus ad mortem damnatus & pœnam paſſus eſt, non fit irregularis, & depoſito Officio ad Ordines & Beneficia ſine diſpenſatione promovetur, ut vidimus noſtris temporibus in Procuratore nuncupato Autheman, qui plures annos Procuratorio Munere in Senatu functus fuerat, in cauſis capitalibus pro reis intervenerat, mortis judicium ſecutum fuerat, & pœna depenſa; cumque ille Procurator depoſito Officio Prioratum obtinuiſſet, à devolutario in Jus fuerat accerſitus ſuper poſſeſſorio illius Beneficii, aſſerente titulum illius eſſe nullum ob irregularitatem incurſam in Munere Procuratorio quo functus fuerat, & Judiciis capitalibus in quibus intervenerat, à qua non fuerat diſpenſatus; verùm ille devolutarius melius conſultus à lite deſtitit, & Judicio Senatus

natûs Autheman fuit manutentus in possessione Beneficii, audito Regio Procuratore.

XIII. Tamen sola intentio (g) reum irregularem facit, *d. c, Prælatis, & similibus*; unde sequitur quòd si accusator intendat ad mortem rei, aut corporis mutilationem, sit irregularis. Idem dicitur de Procuratore illius, & de testibus. Verùm ut intentio quæ non prodiit extrà est occulta, sic irregularitas illa est occulta, de qua in foro externo non est habenda ratio; & ab ea irregularitate Episcopus aut Confessarius ex authoritate illius absolvit, ut dicemus infrà.

XIV. Judices Laïci fiunt irregulares sine delicto; nam munus injunctum & necessitas officii eos excusat à peccato, *c. non est crudelis, c. qui malos, c. Judex, c. 23. q. 5.* imò cum merito Legum ministerium exercent, *c. homicidas, ibidem*; Clerici verò qui in causis ejusmodi interveniunt, ut Judices, Assessores, aut Scribæ, irregulares fiunt ex delicto: illis enim Judicium sanguinis interdictum fuit, non Lege Mosaïca, quæ Judicibus Ecclesiæ gladii potestatem dederat, *Levit. c. 20. & 24. Num. c. 21.* quo Jure Judæi usi sunt, donec Judææ à Romanis in Provinciam redactâ gladii potestas illis adempta fuit, ut constat ex illo loco Joannis *c. 28. nobis non licet interficere quemquam.* Sed Lege Evangelica, & Constitutionibus Ecclesiasticis, Judicium sanguinis fuit Clericis interdictum, *Mathei c. 26. c. cùm à Judæis 13. q. 8. c. Clericis, & c. sententiam sanguinis, suprà citatis*, ut alienum à mansuetudine in Clericis requisita.

XV. Excusantur infantes, sive occiderint aut mutilaverint, & furiosi, *c. aliquos, & c. illa, c. 15. q. 1.* illi enim dolo vacant & culpa; & in casu Legis Aquiliæ de occiso aut vulnerato non tenentur, *l. sed etsi, ff. ad Legem Aquiliam.* Ebrii (h) verò non excusantur ab irregularitate, quia in illis culpa præcessit casum, *c. sanè, & c. inebriaverunt, c. 15. q. 1.* Et si furiosus tempore furoris intermissi percusserit, non excusatur, *c. 1. & c. illud relatum 15. q. 1. Clementina unica de homicidio.*

XVI. Ab irregularitate proveniente ex delicto notorio, aut deducto in Forum contentiosum, solus Papa dispensat, propter scandalum ortum ex notorietate delicti: si verò delictum sit occultum, Episcopus Diœcesanus dispensare potest, vel Confessarius ex mandato illius, verbo vel epistola dato, in Foro pœnitentiæ, *Concilium Trident. sess. 24. c. 6.* excepto homicidio voluntario, à quo Episcopis dispensare non licet, quamvis occultum sit, *Concil. Trident. loco citato*, sive illud delictum opere, mandato, vel consilio, commissum sit, *Toletus lib. 1. c. 82.* Secùs si præter intentionem mandantis homicidium commissum sit, ut si quis mandaverit verberari, & mandatarius occiderit; aut si mandaverit Petrum occidi, & mandatarius Joannem occiderit: in quibus casibus Episcopus, vel ejus Vicarius dispensare potest, *Riccius decis. 516.* & à mutilatione voluntariâ occultâ dispensat: nam Concilium homicidium excipit, non mutilationem, *Toletus lib. 1. c. 82. n. 6.*

XVII. Dispensationes Episcoporum, vel Confessariorum ex mandato illorum, in casibus occultis prosunt dumtaxat in Foro conscientiæ, *Riccius loco cit.* ut reus absolvatur à peccato, & in susceptis Ordinibus possit ministrare sine peccato, & metu novæ irregularitatis: sed non habilitant eum ad alios Ordines aut Beneficia obtinenda, nec remittunt pœnam privationis incursam ex delicto: nam reus actâ pœnitentiâ non desinit esse nocens, ut dicitur de fure *in l. qui ea mente, ff. de furtis*: verbis Concilii loco citato potestas datur Episcopis absolvendi, *in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis in Foro Conscientiæ*: voluit enim Concilium saluti animarum consulere ob impedimenta & casus repentinos: & licèt neget Episcopis potestatem dispensandi ab irregularitate incursa ex homicidio voluntario occulto, non negat potestatem absolvendi à peccato, imò permittit in illis verbis, *quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis*, quibus homicidium voluntarium continetur. At aberrare videntur à sensu Concilii qui asserunt Episcopos posse absolvere Clericos sibi subditos à simonia occulta, & rehabilitare ad Ordines & Beneficia tàm obtenta quàm obtinenda, *Farinacius in suis notis ad Concilium loco citato*: nam sic Episcopi possent habilitare reos in omni casu occulto, cùm delicta in sua origine sint occulta; & ansa delinquendi cresceret ex spe & facilitate obtinendæ dispensationis & rehabilitationis ab Episcopis, quam Pontifices sibi eam potestatem reservando coërcere voluerunt. Nec placet sententia illorum qui asserunt Episcopos non habere eam potestatem dispensandi in occultis in partibus in quibus Concilium non fuit receptum, *Ric. post Garciam loco cit.* nam in iis quæ pertinent ad salutem animarum Concilium ubique fuit receptum inter Catholicos.

XVIII. Cum Clericis (*i*) pugnantibus in duello, Episcopi, & eorum Vicarii, & Sede vacante Vicarius Capituli dispensat, si mors aut membri mutilatio non sit secuta, *c.* 1. *de clericis pugnantibus in duello*; & dispensatio prodest etiam in Foro externo, ex eodem capitulo. Unde inferunt nonnulli eos etiam posse dispensare cum Clericis qui arma gesserunt in castris & exercitu, si non occiderint aut mutilaverint. Verùm in Praxi aliud observatur, Papa aut Legatus dispensat: nam in militiâ, latrocinia, cædes & mutilationes committuntur; & ob delicta hujusmodi in turmâ commissa singuli fiunt irregulares, *c. significavit, de homicidio*, licèt imperium Ducis excuset à peccato: tamen non est negandum Episcopos cum Clericis à gestione armorum in istis casibus dispensare posse in Foro interno veritas inspicitur: sed illa dispensatio non prodest in Foro externo, ubi præsumptiones Juris attenduntur. *Vide infrà tit.* 37. *sub finem.* Verùm Eleemosynarii qui castra sequuntur non fiunt irregulares, si licentiam à Superiore obtinuerint, & officii fines non excedant, ut suprà diximus.

XIX. Cæterum Litteræ Principum sæcularium, gratiæ, vel abolitionis criminis, prosunt reo ut liberetur à pœna in Foro sæculari, non in foro Ecclesiæ ut admittatur ad Ordines & Beneficia, nisi ab Ecclesia fuerit absolutus (*k*) & ab irregularitate dispensatus, ut de Rescriptis legitimationis suprà diximus *in tit. de defectu natalium.*

SOLIER.

(*a*) Ratio est quia cùm omnes Ordines referantur ad Eucharistiæ Sacramentum, in quo repræsentatur passio Christi, qui fuit mitissimus, & sanguinem pro hominibus fudit, ministri altaris ipsum repræsentantes potiùs parati esse debent proprium sanguinem effundere, quàm aliorum, & Sacerdos homicida magis repræsentat interfectores Christi, quàm ipsum Christum, *Divus Thom* 22. *q.* 40. *art.* 2.

(*b*) Digitus non est membrum, sed officium sive pars membri, nempè manûs sive pedis. *l. non sunt liberi, ubi gloss. ff. de statu homin.* quare si quis mutilet digitum alicui, non est irregularis, *gloss. in c.* 3. *in princ. de homicid. in.* 6. neque si quis amputaret auriculam; quamvis enim auris propriè sit membrum, membrana tamen illa, quæ auricula dicitur, non est membrum, sed potiùs tutela & ornamentum auris, *Bellet. part.* 1. *tit. de discipl. Cleric.* §. 5. *n.* 104. Limita nisi pollex artifici fuerit amputatus, *ibid. n.* 105.

(*c*) In sacris constitutis: secùs verò si tantùm Clericali charactere essent initiati, aut etiam in minoribus constituti, *c. sententiam, ne Clerici vel monach.* nisi essent Beneficiati vel monachi, *Panorm. ibid.* isti enim ut & sacris initiati, artem Chirurgicam excercentes fiunt irregulares, si mors vel mutilatio ex illorum operatione sequatur, licèt periti sint & omnem diligentiam adhibuerint, *c. tua nos, de homicid.* quia vacant rei illicitæ usurpando officium alienum; ut ait *text. in eod. c.* Simplices verò Clerici etiam ad minores promoti nullam incurrunt irregularitatem, si artis præcepta servaverint, licèt ex aliqua incisione absque eorum culpa ægrotus perierit; ratio diversitatis est, quia illis non autem istis Chirurgia est à jure prohibita, *d. c. sententiam, ne Clerici, vel monach. & ibi. D D.*

(*d*) Nisi re integra mandatum revocaverint, quia tunc mandantes effugiunt irregularitatem, quamvis mandatarius postea interficiat, *Innoc. in c. ad audientiam de homicid.* In consulente verò non satis est consilium revocare, sed debet insuper consulens insinuare illi, qui erat occidendus, ut sibi caveat, *Innoc. Pan. & Hostien. in d. cap. ad audientiam, Felin. in cap. sicut dignum, n.* 12. *de homicid.* & facere quantùm in se est ut dissuadeat, *Anani. in d. c. ad audientiam*; Ratio differentiæ est, quia mandatum datur, & suscipitur in gratiam mandantis, consilium verò in gratiam ejus, cui datur. Cæterum mandans licitè & justè capi possessionem Beneficii, licèt cum strepitu armorum non dicitur irregularis, etiamsi sequatur mors, vel mutilatio, *Henriquez de irregul. lib.* 14. *c.* 16. §. 1. *in annot. lit. G.* quemadmodum cum pater, magister, vel Dominus disciplinæ gratiâ mandaret percuti filium, discipulum, vel servum, & mandatarius mutilet aut occidat, mandans non fit irregularis, *gloss. in cap. fin. in verb. culpa, de homicid. in* 6.

(*e*) Idem tenet Hostien. *in cap. ad audientiam, n.* 11. *de homicid. &* post eum *Bellet. in disquisit. Cleric.* §. 5. *n.* 109. quibus accedimus, quia testes sunt causa proxima mortis in causa sanguinis; nec Scholaris de quo *in cap. tua nos* §. *ad ultimum, de homicid.* testimonium adversus furem dederat sed tantùm insignia. Et multò magis clerici testes fient irregulares, quibus est prohibitum testificari in hujusmodi causis, *cap. testimonium, & ibi Gloss.* 11. *q.* 1.

(*f*) In Gallia Procuratores & Advocati accusatorum, licèt Rei ultimo supplicio afficiantur, nullam incurrunt irregularitatem, cum ipsi accusatores illam evitent, ex quo vindictam publicam non prosequuntur, sed tantùm privata damna & interesse: nam licitè possunt Clerici querelam judicibus deferre civiliter de furibus, & de injuriis sibi, seu eorum bonis illatis, *cap. postulasti, cum ibi not. per Hostien. & Boich, de homicid. cap. Prælatis, eod. tit. in* 6. quod verum est in Gallia, etiamsi nulla præcesserit clerici protestatio quòd pœnam sanguinis non intendat, quæ de jure communi necessaria est, *d. cap. Prælatis.*

(*g*) Nimis à vero aliena est assertio hujusmodi, neque enim ex solo proposito aliquem occidendi quantumvis firma contrahitur irregularitas, nisi actu homo interficiatur, seu mutiletur, *Gloss. fin. in cap. si aliquis, ubi Panorm. & alii, de homicid.* Unde Judex qui judicavit in causa mortis sive mutilationis, non secuta morte vel mutilatione, non fit irregularis, *Panor. in cap. sententiam, n.* 34. 35. *&* 101. *ne cleric. vel monach. Sylvest. in verb.*

homicidium. 3. *q.* 2. *Navarr. in manuali, cap.* 17. *n.* 191. neque ad rem facit, *cap. Prælatis, de homid. in 6.* ab Authore in adversam partem citatum, aptiùs allegasset *cap. periculosè, & cap. homicidiorum, de pœnit. dist.* 1. ubi habetur quòd talis dicitur verus homicida, nec minùs dicitur reus, nec minori pœnâ puniendus, quàm si revera occideret & *Gloss. fin. in d. cap. periculosè*, quæ disertè pronuntiat irregularem eum, qui habuit animum occidendi, licèt non occiderit. Sed ista procedunt in irregularitate latè sumpta pro illa, quæ contrahitur ex quolibet peccato mortali, non autem in illa quæ sumitur strictè, quæ non contrahitur ex sola voluntate, sed ex facto, *Bellet. p.* 1. *tit. de discip. cleric. §.* 5. 145. fallit in assassinatu *c.* 1. *de homicid. in 6.*

(*h*) Ebrius non incurrit irregularitatem si occidat vel mutilet, nisi se inebriaverit ut aliquem percuteret, vel sit solitus se inebriare, & in ebrietate in alios furere: quia debet ab ebrietate cavere, *Panor. in Clem. si furiosus, n.* 3. *de homicid. Bellet. d. loco n.* 115.

(*i*) Laïci verò non indigent dispensatione: nam duellum non facit Laïcum irregularem, nisi sequatur mors vel mutilatio membri, *Decisionib. Diversorum p.* 3. *lib.* 3. *decis.* 23. *& decis.* 51. licèt sit excommunicatus, *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 19. *de reformat.*

(*k*) Sed an hæc Papæ absolutio sufficiat ad Ordines & Beneficia absque venia Principis sæcularis? Dicendum est utramque requiri saltem in Gallia, ubi Rex solus pœnam remittit, *Chassan. ad consuet. Burg. §.* des Justices, *In verb.* s'il n'a grace, *& famæ restituit, Joan. Ferald. privil.* 14. *Fevret. de abusu lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 13. nisi de crimine merè Ecclesiastico, nullamque juris Regii cognitionem habente admixtam ageretur, tunc enim Clericus degradatus, suspensus, privatus, aut aliâ pœnâ canonicâ mulctatus non eget venialibus Regis codicillis, sed potest à Papa absolvi, in integrum restitui, & ad Ordines & Beneficia habilitari, *Chopin. de Sacra polit. lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 17. *Fevret. loco citato.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. TAMEN *irregularem facit.* Non solùm committens homicidium vel mutilationem fit irregularis, sed etiam si sequatur homicidium vel mutilatio ex facto, vel præcepto, vel consilio suo, vel suggestione, adhortatione, aut defensione inevitabili, aut advocatione, & quando datur causa propinqua homicidio vel mutilationi, *cap. Si quis viduam, cap. Si quis homicidium, cap. Eos verò, & cap. Si quis voluntariè, dist.* 50. *cap. Finali* 23. *q. ult. cap. Perniciosè, de pœnit. dist.* 1. *cap. Sicut dignum, §. Qui verò, & §. Finali, & ibi Gloss. & DD. de homicid.*

N. 5. *Si daret operam rei licitæ.* Hinc si qui colluctatione dum exercerentur alius alium occiderit, non tenetur, *l. Aquilia, l. Quasi actione §. in colluctatione, ff. ad leg. Aquil. & ibi Glossa*, exemplum ponit, dum simul luctabantur pugnis, quia gloriæ & virtutis causa hoc factum est, *& in cap. Lator, de homicid.* ubi secundum DD. textus intelligitur de ludentibus ad brachia, dicitur quòd si ex tali lusu homicidium sequatur, alter Clericus qui lusit non prohibetur ad Ordines sacros promoveri, & ad lusum hujusmodi, seu colluctationem proximè accedit lusus quem *la Campe* dicunt, seu consuetudo, quæ Tolosæ viget inter pueros jactandi lapides una pars contra aliam & ex quo toleratur talis consuetudo, videtur permitti, & impunè quidquid ex tali ludo sequatur, *argum. leg.* 2. *ff. de jurisdict. omn. judic. & leg. Oratio de sponsal.* Unde in simili consuetudine, quæ Bononiæ obtinet, concludit *Ancharan. cons.* 283. quod cùm jactus lapidis non possit moderari nec regulari, de omnibus quæ sequuntur, scilicet de vulneribus, & de morte, videtur venia concessa & ideo in casu suo concludit puerum, qui alium in tali ludo cum lapide interfecerat, non debere puniri: cùm enim authoritate publica concedatur, pœnam non meretur. *Bald. in dict. l. Qua actione, §. Si quis in colluctatione, ff. ad leg. Aquil.*

N. 8. *Non fit irregularis.* Moribus nostris quamvis quis occiderit defendendo vitam suam cum moderamine inculpatæ tutelæ, ultimo tamen supplicio afficitur, nisi diplomate Regio sibi pœna remittatur, *Boër. decis.* 164. *& Papon in placitorum farragine, lib.* 24. *tit.* 17. *art.* 5. erit ergo censendus irregularis, donec veniam ab utraque summa potestate obtinuerit, à fortiori si excesserit modum justæ defensionis, quamvis tunc possit per Episcopum dispensari, *Conc. Trid. Sess.* 14. *cap.* 7. *de reformat.* ubi supponitur excessus inculpatæ tutelæ, aliàs non egeret dispensatione, quia de jure nullatenus esset irregularis, *Clement. si furiosus, de homicid.*

N. 11. *Ipsi etiam Judices, Assessores, Scribæ, & Satellites, irregulares fiunt.* Judex in hoc Regno, qui sententiam sanguinis profert aut votum mortis, vel mutilationis, in judicando emittit, nedum fit irregularis secuta morte, vel mutilatione, sed eo ipso Beneficium amittit, *Loüet litt. D. cap.* 1. & ita judicatum refert anno 1531. quod mirum videtur cùm irregularitas superveniens non privet ipso jure, sed privandum efficiat, ut omnes conveniunt, & tradit *Flamin. de resig. lib.* 5. *q.* 3. *n.* 182. certumque sit homicidium ipsum qualificatum & dolosum, excepto assassinatu, ob gravitatem, & detestationem criminis, *cap.* 1. *de homicid. in 6.* privationem Beneficii ipso jure non inducere, *Molin. post alios ad reg. de infirmis n.* 397. Tabellio verò, seu scriba, qui sententiam criminis scribit, aut recitat, vel testium depositiones recipit, & executioni capitalis judicii assistit, non censetur irregularis, ut in Senatu Parisiensi judicatum refert *Brodell. ad Lovet. d. cap.* 1. *litt. B. n.* 8. nisi sit Clericus in sacris Ordinibus constitutus, *cap. Sicut te. Ne Clerici vel Monachi, cap. Clerici, eodem*, licèt secus dicendum de testibus quia sunt causa proxima mortis, scriba vero est causa remota.

TITULUS XXXIII.

De Irregularitate orta ex Delicto commiſſo in ſuſceptione Sacramenti.

SUMMARIUM.

I. Rebaptizati irregulares. Irregulares qui | *ordinantur ab Epiſcopo depoſito vel ſuſpenſo.*

I. DECIMO-QUINTÒ, irregulares fiunt in ſuſceptione Sacramenti. *Primò*, rebaptizati: vel ex defectu, ſi ignorantes (*a*) aut inviti rebaptizati fuerint: vel ex delicto, ſi ſcienter & ſponte rebaptizati ſint; id enim Conſtitutionibus Eccleſiaſticis & Cæſareis vetitum fuit, *c. Qui bis, de Conſ. d.* 4. ubi qui ſponte rebaptizantur dicuntur Chriſtum iterùm crucifigere, *& tit. Codicis, de Baptiſmo non iterando*; etiamſi apud Hæreticos baptizati fuerint, non poſſunt ſine injuria Eccleſiæ (*b*) rebaptizari, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis baptizati ſint, *c. Rebaptizare, loco citato:* nam Hæreticorum intentio eſt dùm baptizant facere quod facit vera Eccleſia, etiamſi in eo fallantur quòd exiſtiment ſe eſſe in vera Eccleſia. Sacramentum Confirmationis ſimiliter non debet iterari; tamen ſi iteretur, irregularitas non contrahitur: nam extra caſus in Jure expreſſos hæc nota non irrogatur, *Suares de Sacram.* 38. *Sectione* 1. *Secundò*, irregulares fiunt ex delicto qui ſponte ab Hæreticis baptizari patiuntur, ſi doli ſint capaces, *c. Qui in qualibet* 1. *q.* 7. Baptiſmus tamen valet, & iterari non debet. *Tertiò*, qui in ætatem adultam aut periculum mortis baptizari diſtulerunt, *c.* 2. *diſt.* 57. *Quartò*, irregulares ſunt qui ſcienter ab Epiſcopo depoſito, excommunicato, vel ſuſpenſo, ordinantur, ſi cenſura illa ſit notoria: ſi verò ſit occulta, ſic ordinati ſuſpenduntur dumtaxat ab exercitio Ordinum ſuſceptorum, & à ſuis Epiſcopis abſolvi poſſunt, *c. fin. de ordinatis ab Epiſcopo qui renuntiavit Epiſcopatui.* Idem ſtatuitur de ordinatis ab Epiſcopo qui renuntiavit Epiſcopatui, *ibidem. Quintò*, excommunicati & ſuſpenſi ſunt irregulares, (*c*) ut dicemus infrà, & novo vinculo irregularitatis innodantur, ſi contra interdictum Divinis ſe ingerant, à quo ſi caſus ſit notorius à ſolo Summo Pontifice abſolvi poſſunt, ob contemptum Clavium, *c. Cum illorum, de ſententia excommunicationis, c. Is qui, eod. tit. in 6. c. Cum æterni, de re judicata, in 6.* nam idem ex variis cauſis multifariàm irregularis fieri poteſt, *Engeltrudam* 3. *q.* 4. Vide infrà *tit.* 42. *n. 6. & ſeqq.* alios caſus in quibus ſuſpenſio irrogatur ob defectum ordinationis.

SOLIER.

(*a*) Negant eſſe irregularem rebaptiſantem aut rebaptiſatum quando adeſt probabilis ignorantia facti. *Covar. in Clem. ſi furioſus, p.* 1. *in princ. n.* 8. *de homicid. & Sayr.* atteſtans de veriori & communiori opinione *in Theſau. caſ. conſc. lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 8. ſecùs quando adeſt ignorantia culpabilis, ut iidem ſubdunt, aut ignorantia juris, *Gloſſ. in cap. Qui bis, in verb. Ordinari, de conſecrat. diſt.* 4. multò minùs erit cenſendus irregularis qui invitus rebaptiſatur per motiva à Gloſſa ibidem adducta. Ordines verò ſive chriſma bis ſuſcipiens ſive conferens non efficitur irregularis, *Bellet.* poſt alios quos citat in diſquiſitione Clericali, *p.* 1. *tit. de diſcip. Cleric. §.* 5. *n.* 78. quia non eſt in jure expreſſum, licèt alii quos refert aliud ſentiant.

(*b*) Magna olim in Eccleſia Dei fuit agitata controverſia; num qui ab hæreticis baptiſati erant, cùm ad Eccleſiam Catholicam ſe conferrent, eſſent denuò rebaptiſandi? Primùm in oriente inſurrexit novitas affirmativæ, ex quo Iconium in Phrygia convenientes finitimarum Provinciarum Epiſcopi in odium Montaniſtarum, qui aſſeclas ſuos rebaptiſabant, ſtatuiſſent nihil eorum quæ ab hæreticis facta eſſent ab Eccleſia recipiendum eſſe, non Ordinationes, non baptiſmum, non manuum impoſitionem. Secundo loco nutavit Eccleſia Affricana, & tandem cum ſuo celeberrimo Antiſtite Divo Cypriano, malo Tertulliani exemplo qui ad Montani errores defecerat, in eandem ſententiam de iterando hæreticorum baptiſmo ferè tota abiit; ita ut de ea quæſtione Epiſcopi Affricani conſulti ab Epiſcopis Numidiæ ad Synodum coacti Carthagine definierint baptiſmum nullo modo reperiri extra Eccleſiam: Cujus rei per Synodicam Epiſtolam certior factus Stephanus Papa reſcripſit ut ſi quis à quacumque hæreſi ad Eccleſiam veniret, nihil innovaretur, niſi quod traditum eſſet, nempe ſervaretur ut manus illi imponerentur in Pœnitentiam. Exarſit hoc audito & ex humana imbecillitate in amara verba prorupit Divus Cyprianus, aliamque numeroſiorem Synodum Epiſcoporum ex Affrica, Numidia, & Mauritania Carthagine celebravit, in qua firmatum eſt prius ipſorum decretum de rebaptiſatione hæreticorum. Stephanus verò hujus novæ opinionis Sectatores præſertim Firmilianum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum ejus erroris propugnatorem acerrimum communione privavit; unde tanta ingruit tempeſtas & tentatio in Eccleſia ut ejus firmiſſimas turres veluti quodam vehementiſſimo turbine quaſſatas fuiſſe teſtentur annales Eccleſiaſtici ad annum Chriſti 285. Sed tandem authoritate Sedis Apoſtolicæ, & traditionis prævaluit definitio Ste-

phani Papæ, quam latè & ſcitè propugnat Divus Auguſtin. *de Baptiſm. contra Donat. lib.* 2.

(*c*) Hoc negant *Navarr. in Manual. cap.* 27. *n.* 191. *& Conſil.* 91. *de Simon. Suarez de Relig. cod. tit. cap.* 56. *n.* 20. *Garc. de Benefic. p.* 8. *cap.* 1. *n.* 60. & juremeritò per ea, quæ nos *ad Flamin. de conſid. Benefic. q.* 61. diximus.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. AUT *inviti rebaptizati fuerint.* Qui coactus abſolutè rebaptizaretur, ut narratur de Epiſcopo cui nomen fuit, *habetdeum*, quem Arriani ligatis manibus & pedibus invitum rebaptizarunt, ut refert Victor Epiſcopus Uticenſis *de perſecutione Vandalica, lib.* 3. & ſimile refert *Cyprianus, Epiſt.* 19. *ad Compresbyteros Carthaginenſes* de venerabili fœmina, cui nomen *Bona*, quatenus Manibus coacta eſt ſacrificare, Linguâ hæc verba exclamante, non feci: vos feciſtis. Talis, inquam, coactio exterior non facit irregularem, *ex Gloſſ. in cap. Eos quos, in verb. Seu coactos*, ut refert & ſequitur *Sylveſter, in verb. Irregularitas, q.* 4. *in fine.*

Eodem N. 1. *Sacramentum Confirmationis ſimiliter non debet iterari, tamen ſi iteretur, irregularitas non contrahitur.* Contrarium tenent *Hoſtien. in ſumma, lib.* 1. *de Sacram. non iterato, §. ult. n.* 12. *in fine, Archidiaconus in cap.* 1. *diſt.* 68. *& in cap. Qui bis de conſec. diſt.* 3. *Navarr. in man. cap.* 27. *n.* 247. & alii qui parem faciunt Confirmationis ac baptiſmi iterationem quoad irregularitatem incurrendam, & fundant ſe *in cap. Dictum, diſt.* 5. *de conſec.* ubi eodem modo prohibetur Confirmationis quo baptiſmi iteratio, & eadem pœna pro utroque delicto imponitur, ſcilicet ut qui ita delinquit non ſæculo ſed ſolùm Deo ſub habitu Regulari, vel Clericali Religioſſimè famuletur: ſed opinio Paſtoris noſtri verior eſt, & ſequenda, cum irregularitas non incurratur niſi in caſibus à jure expreſſis, *cap. Is qui, de ſent. excomm. in* 6. illud autem *capitulum Dictum de conſecratione, diſt.* 5. non innuit pœnam irregularitatis, ſed magis oppoſitum, videlicet exercitium Officii Clericalis, *& cap. Qui bis, de conſecr. diſt.* 4. loquitur de Rebaptizato, & non de Confirmato, & pœnæ ſunt reſtringendæ, *Tolet. lib.* 1. *inſtruct. Sacerd. cap.* 28.

TITULUS XXXIV.

De Irregularitate ex delicto commiſſo in miniſterio Sacramentorum, & Ordinis exercitio, & interdicto.

SUMMARIUM.

I. Qui fiant irregulares ex delicto commiſſo in miniſterio Sacramentorum.
II. Interdicto locali omnes tenentur.
III. In loco interdicto januis clauſis celebrare licet.
IV. Quibus modis Eccleſia polluitur, & reconciliatur.

I. DECIMO-SEXTÒ, ex delicto commiſſo in miniſterio Sacramentorum fiunt irregulares. *Primò*, qui ſcienter rebaptizant; & Acoliti qui eis miniſtrant, ſi delictum ſit notorium, *c.* 2. *de Apoſtatis, & Baptiſmum iterantibus:* cùm verò dubitatur de facto an præſentatus fuerit baptizatus, Baptiſmus conditionaliter celebrari poteſt, ſine metu irregularitatis, *ſi non ſis baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c. Secundò*, ex delicto commiſſo in Ordinis exercitio, irregulares fiunt miniſtrantes, ſi ordinati non ſint, *c.* 1. *de Clerico non ordinato miniſtrante*; aut ſi depoſiti ſint, *c.* 1. *de Clerico depoſito miniſtrante:* vel excommunicati, vel ſuſpenſi à Divinis, ob contemptum Clavium, ut diximus ſuprà. *Tertiò*, irregulares fiunt ex delicto qui ſcienter celebrant in loco interdicto, (*a*) palàm, vel altâ voce, *c. Poſtulaſti*, §. *Quæſiviſtis de Clerico miniſtrante.*

II. Nam ſi delictum ab Univerſitate aut Collegio ſit commiſſum, quoniam Univerſitas aut Collegium non poteſt excommunicari vel ſuſpendi, ne innocens pro noxio patiatur, locus interdicto ſupponitur, ne cuiquam liceat ibi celebrare ſive ſit nocens ſive innocens, aut extraneus, *c. Non eſt vobis, de ſponſalib. Speculator in tit. de diſpenſatione*; & indiſtinctè omnes qui ſcienter violant interdictum ſuſpenduntur; & ſi poſt monitionem non deſiſtant, deponuntur ob contemptum Clavium, *c. Latores, & c. Fraternitati, de Clerico excommunicato miniſtrante.*

III. Excuſantur tamen qui interdictum ignorant, *c. Apoſtolicæ, de Clerico excommunicato miniſtrante:* Nam in delictis ignorantiæ & imprudentiæ parcitur, *l. Fermè, ff. de regulis Juris*, & qui privilegium habent celebrandi in loco interdicto: nec non illi qui clauſis januis & voce ſubmiſsâ ibi celebrant, *c. Finali de ſententia excommunicationis, in* 6.

IV. Cæterùm quamvis Ecclesia sit polluta, non censetur interdicta; & licèt Clerici scienter ibi celebrantes peccent, tamen non fiunt irregulares, nisi Edicto prohibitionis proposito locus sit interdictus, *c. Tuarum*, *de privilegiis*, *Speculator in tit. de dispensatione*, §. *sed quæritur*. Polluitur enim Ecclesia, vel per effusionem sanguinis: etiam ex nece Martyris, aut per effusionem seminis etiam ex coïtu conjugali, *Gloss. & Dominicus in c. Unico de consecratione*, *in 6.* aut per sepulturam excommunicati notoriam, *c. Consuluisti*, *de consecratione Ecclesiæ*; & pollutâ Ecclesiâ cæmeterium quoque si sit contiguum polluitur, non tamen polluto cæmeterio Ecclesia polluitur, nam principale non regitur ab accessorio, (*b*) *d. c. un.* Et si levis sit effusio sanguinis, aut sine injuriâ contigerit, locus non censetur pollutus, *Panormit. in c. proposuit*, *de consecratione Ecclesiæ*. Locus autem pollutus reconciliari debet ab Episcopo proprio, aut alieno, cum licentiâ illius, juxta formam præscriptam in Rituali.

SOLIER.

(*a*) Celebrantes scienter in locis interdicto suppositis nisi super hoc privilegiati existant, irregularitatem incurrunt, à qua nequeunt nisi per Papam liberari, efficiunturque adeò ineligibiles ut nec ad eligendum cum aliis debeant admitti, *cap. Is qui*, §. *fin. de sent. excomm. in 6.* Tamen Laïcus violando interdictum locale non erit irregularis. Nec etiam efficiuntur irregulares Clerici, qui præsentibus majori excommunicatione innodatis etiam denuntiatis scienter celebrant, quamvis in hoc agant temerariè, *d. cap. Is qui & ibi Gloss. in verb. Nodatis*. Licèt ipso jure incurrant pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, *cap. Episcoporum*, *de privileg. in 6.* nam quando excommunicatus ingreditur Ecclesiam debet Sacerdos desistere à missa, nisi incepisset communionis Officium, sive Canonem, *Gloss. in Clem. gravis*, *in verb. Inexpleta*, *de sent. excomm.*

(*b*) Quamobrem neque polluitur Ecclesia per actus qui fiunt vel supra tectum, vel in turri campanaria, vel in simili loco cum illa conjuncto, & extra illam existente, *Suarez de virtut. & stat. Religion. lib. 3. cap. 9. n. 7.* licèt quoad immunitatem comprehendantur tectum, & tota Ecclesiæ fabrica, & campanile, *Abb. in cap. Ecclesiæ*, *de immunit. Eccles. n. 10. Suarez d. n. 7.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Ex *delicto commisso in Ordinis exercitio*, *irregulares fiunt ministrantes*. Depositi, excommunicati vel suspensi facientes solemniter aliquem actum connexum Ordini sacro contrahunt irregularitatem, & dicitur actus fieri solemniter quando fit à Clerico illis ceremoniis, & vestibus, quæ competunt ei ex Officio, & Ordine quem habet: unde non sufficit si faciat aliquod opus divinum more Laïci, *Sayr. in thesaur. lib. 7. cap. 9. n. 3.* quamvis *Innocentius in cap. finali*, *n. 1. versic. In Officio*, *& ibi Panorm. n. 5. de excess. Prælat.* velint incurri irregularitatem etiam solemni exercitio minorum, quos improbat *Sayr. post alios quos citat ibidem.*

N. 4. *Locus autem pollutus reconciliari debet ab Episcopo.* Ecclesia consecrata si polluatur, non potest reconciliari nisi per proprium Episcopum, seu alium de ipsius licentia, & hoc cum aqua ab Episcopo benedicta, vino admixta, & cineri, cum verbis quæ habentur in Pontificali, vel manuali Romano, ut traditur in *cap. Aqua*, *& in cap. Proposuisti*, *de consecr. Ecclesiæ*; si tamen Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantùm benedicta, reconciliari potest per quemcumque simplicem Sacerdotem, per solam aquæ lustralis aspersionem, *cap. Si Ecclesia*, *cum Gloss. in verb. Lavetur*, *de consecr. Eccles.* nec est necesse quòd aqua sit per Episcopum benedicta, ut Ecclesia non consecrata reconcilietur, licèt hoc requirat *Toletus in Summa lib. 5. cap. 8. n. 15.* convincitur enim ex verbis, *cap. Ultimi*, *de consecrat. Eccles.* ibi aqua protinus exorcizata lavetur, quod non licebit sine Episcopi licentia, benedictio aut authoritas esset expectanda, & exorcismus aquæ per Episcopum esset faciendus.

TITULUS XXXV.

De Excommunicatione, & aliis Censuris Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

I. Qui sint irregulares censurâ Ecclesiæ.
II. Excommunicatus Beneficio quando privetur.
III. Exceptio excommunicationis non admittitur in Judiciis rerum temporalium.
IV. Excommunicatus repellitur licèt ignoret se excommunicatum.

I. Decimo-septimò, irregulares sunt, Censurâ Ecclesiæ, excommunicati, suspensi, & depositi, de quibus breviter nobis est agendum.

Excommunicatio duplex est, major, & minor, *c. Ad mensam*, *c. 11. q. 3.* Excom-

municatio minor privat reum solâ perceptione Sacramentorum, sicut olim apud Druydes à Sacris arcebantur qui eorum Decretis non parerent, *Cæsar. lib. 6. de Bello Gallico.* Eâdem Censurâ cæteræ Nationes utebantur, ut testantur Poëtæ; Virgilius, *procul ô procul este profani.*

Calimachus, Ἕκας ἕκας ὅστις ἀλίτρος.

Orpheus, Φθέγζομαι οἷς θεμις ἐστιθύρας δε πιτὲς ται βεβήλοις.

Procul, procul quisquis nocens.

Canam quibus justum est, januas claudite scelestis.

Excommunicatio major dicitur ab Apostolo Anathema, (*a*) quia per eam reus repellitur non solùm à participatione Sacramentorum, sed ab omni communione Fidelium; nam cum eo (*b*) non licèt communicare in oratione, cibo, potu, osculo, seu salutatione, *c. Excommunicatos* 11. *q.* 3. Idem non potest esse Judex, Advocatus, Procurator, aut testis, *c. Ad probandum, de re judic. c. Decernimus, de sentent. excommunicationis:* non potest testari, contrahere, stare in judicio, aliove jure Civitatis uti; summum pœnæ genus, versari inter homines, & hominum carere suffragiis, ut ait Imperator *in l.* 3. *C. de Apostatis:* apud Romanos à testimonio repellebantur, ut constat ex illo loco Senecæ, *lib.* 1. *Controversiarum: Non sunt testes idonei quibus clausa sunt Templa.*

II. Et si excommunicatus insurduerit per annum, seu non curaverit absolvi, deponitur Beneficio, aliave pœnâ mulctatur: Nam si delictum sit tale, quod inducat ipso jure privationem Beneficii, excommunicatus ex tali delicto post annum habetur pro convicto, (*c*) & censetur ipso jure privatus: & si ex tali delicto deponi debeat, per sententiam deponitur, sin minùs pœnâ pecuniariâ mulctatur; si verò post lapsum anni indurato corde sustineat excommunicationem, Hæreticus censetur ob contemptum Clavium, & indistinctè deponitur, *Anfrerius q.* 132. *in additionibus.* Idem dicitur de eo qui authoritate Apostolicâ suspensus est, *c. Cum bonæ, de ætate & qualitate ordinandorum.*

III. Verùm in Galliâ excommunicati non sunt vitandi, nisi expressè fuerint denuntiati, ut dicemus infrà *tit.* 38. retinent testamenti factionem activam & passivam; testari possunt, succedere, contrahere, stare in judicio, jure gentilitio vel dominico uti ad retrahendum prædia alienata, & alio jure civitatis uti in temporalibus, *Tiraquellus de retractu n.* 27. *Ferrerius ad Guid. Pap. c.* 212. *Molineus ad l.* 1. *C. de Juris & facti ignorantia*; & de generali consuetudine Regni, in judiciis rerum temporalium non admittitur exceptio excommunicationis, *Anfrerius quæst.* 132.

IV. At in rebus spiritualibus utimur jure communi, excommunicati non admittuntur ad Ordines; si fuerint ordinati, non possunt ministrare in susceptis Ordinibus, nec promoveri ad Majores; eorum tamen ordinatio valet quoad characterem: electio verò eorum, collatio, præsentatio, & institutio nulla est, *c. Postul. de Cler. excom. minist.* & si ante excommunicationem Præbendam in aliquâ Ecclesiâ, vel expectativam obtinuerint, durante excommunicatione optare non possunt, ut contra Toletum sentiunt Suares & Lessius, quos citat Garcias *part.* 7. *c.* 13. quorum sententia probatur ratione Juris Civilis; nam in hærede extraneo habilitas succedendi requiritur tempore conditi testamenti, & tempore mortis, & tempore adeundæ hæreditatis, §. *in ext. Inst. de hæred. qualitate & differentia.* Ergo pari jure, si de Præbenda agatur, habilitas utroque tempore est attendenda, tempore concessionis expectativæ, vel Indulcti concessi, & tempore vacationis Præbendæ, quo Indulctarius eam debet acceptare, vel optare; alioquin sicut impetrare volens repelli potest defectu qualitatis requisitæ, sic volens acceptare Præbendam Indulcto suppositam, vel optare vacantem, ob eundem defectum repelli potest: & hæc locum habent in excommunicato, sive sciat se esse excommunicatum, sive ignoret, *Gloss. in c. Apostolicæ, de Clerico excommunicato ministrante. De Selva de Beneficiis* 3. *parte q.* 4.

V. Excommunicatus majori, celebrando, novo vinculo excommunicationis innodatur, ut diximus suprà *in tit. de irregularitate ex delicto commisso in susceptione aut ministerio Sacramentorum.* At excommunicatus minori quamvis celebrando peccet, non fit irregularis, *c. Si celebrat, de Clerico excommunicato vel deposito ministrante*; nec eligere prohibetur, ut dicitur ibi; tamen si fuerit electus, talis electio est irritanda, seu declarari debet irrita, quoniam ad susceptionem eorum eligitur, seu Sacramentorum administrationem, à quibus excommunicatione privatus est tempore electionis, vel collationis, ut habetur in dicto capitulo: ex quo patet verbum illud *irritanda*, intelligendum esse de sententia quâ electio aut collatio irrita declaratur, sive collator aut electores ignoraverint

defectum qualitatis requiſitæ, ſive ſciverint, ut explicat *Gloſſ. ibidem, in verb. ſcienter*, ob rationem generalem, quia æquè impedit reum excommunicatio minor ab adminiſtratione & perceptione Sacramentorum, ac excommunicatio major; & illud impedimentum obſtat electioni collationi, ſive oriatur ex majori excommunicatione, ſive minori, *Azorius lib. 6. c. 7. dub. 8. Riccius deciſ. 184. poſt Covarruviam, & alios quos citat:* tamen collatio, electio, vel inſtitutio facta ab excommunicato, valet quandiu excommunicatio eſt occulta, ratione publici officii, *l. Barbarius, ff. de officio Prætoris, De Selva de Beneficiis 3. parte, q. 4.*

SOLIER.

(*a*) QUAMVIS anathema frequentiſſimè pro majori excommunicatione uſurpetur, verum eſt tamen unum ab altero differre: anathema enim reſcindit & avellit ab ipſo corpore Chriſti ex decreto Ivonis *p. 14. cap. 51. relat. in can. Engeltrudam 4. q. 4.* adeòque ſegregat ab ipſo Deo tanquam impium, *can. certum eſt 24. q. 3.* Major verò excommunicatio ſimpliciter ſeparat à fraterna ſocietate ut in *d. can. Engultrudam*, & proinde anathema dicitur perditio & maledictio, *Gloſſ. in extravag. 1. in verb. anathematiſantes, de ſent. excom. inter comm.* ut hinc nutet eorum ſententia, qui exiſtimaverunt nihil differre anathematiſmum à majori excommunicatione præterquam in ſolemnitate; verius enim eſt nedum majori ſolemnitate fulminari anathema, de qua in *can. debet 11. q. 3.* ſed per anathema aggravari excommunicationem, id eſt augeri maledictionibus, & execrationibus, *Lotter. de re Benefic. lib. 3. q. 33. n. 82.*

(*b*) Etiam dormiente, aut verſo in furorem, *Baldus in verb. excommunicatio, n. 29.* quin & mortuo, *Abbas & Felin. in cap. à nobis, de ſent. excom.* cæterum nulla pœna major excommunicatione in Eccleſia reperitur: *Primò*, enim excommunicatus privatur commercio hominum *11. q. 3. per totam*, & *24. q. 1.* fidelium tamen quamvis excommunicatorum, contra *Gloſſ. in cap. devotam 27. q. 1.* quia lex de vitandis excommunicatis neminem Eccleſiæ ſubjectum excludit, ut habetur in *can. ſicut Apoſtoli 11. q. 3.* ita ut excommunicatum etiam tacentem non liceat alloqui, vel nullo dato reſponſo loquentem audire: etiamſi allocutio fieret ſecretò, vel tantùm per nutus & ſigna, *Ricciullus lib. 4. de jure perſon. extra Eccleſ. cap. 46.* nec ipſum ſalutare ſive verbo, ſive ſcripto, *Covar. in cap. alma mater, p. 1. §. 1. n. 1.* juxta illud Beati Joannis, *nec ave ei dixeritis.* Neque illi debita ſolvere, etiamſi fas ſit ab eo exigere, *Gloſſ. in cap. nos Sanctorum 15. q. 6.* non in uno loco, ſed ubilibet, *can. ſi quis Presbyter 7. q. 1.* quia excommunicatio eſt ſicut lepra, quæ non clauditur territorio, ſed perſonam ſequitur, *Panorm. in cap. 1. de treuga & pace*, ita ut ſicut truncus inter homines verſetur. *Secundò*, privatur communicatione in ſacris ut non poſſit Sacramentum aliquod, matrimonio excepto, ſuſcipere, *cap. Cum illorum, & cap. Si quem, de ſent. excom.* vel illud miniſtrare, *cap. Latores, de Cleric. excom.* vel Sacrificio Miſſæ aſſiſtere, *cap. Epiſcoporum, de privileg. in 6.* nec aliis divinis officiis intereſſe, videlicet horis canonicis, publicis orationibus, benedictionibus & Proceſſionibus, *Theoph. Rayn. de monit. p. 2. n. 21.* nec ipſe ſacrificare, *cap. Si celebrat, de Cleric. excom.* vel ſolemniter officia celebrare, *cap. Illud eod. tit. & cap. Nuper de ſent. excom.* nec concionari, quia eſt ſpiritualiter leproſus, qui in lege os habere opertum jubebatur: peccatori etiam dixit Deus; quare tu enarras juſtitias meas & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum. Quamvis poſſit concioni intereſſe, quia non eſt officium; nec de Beneficio provideri, *cap. Poſtulaſtis*: nec eligere, *cap. Cum inter, R. cap. Illa quotidiana, de elect. & cap. Cum dilectus, de conſuet.* etiam cum aliis, quia participaret cum illis, *Lambert, de Jure Pat.* quia licèt excommunicatus acquirat Jus Pat. tamen exercitium ejus conſequi non poteſt, & ſic præſentare, Proceſſionaliter honorari; & in egeſtate alimentari: quia iſta ſunt ejus exercitium & fructus, *Gloſſ. in cap. Piæ mentis 16. q. 7.* neque ipſe præſentari, per regulam vulgatam quòd jura loquentia in electione habent locum in præſentatione, *cap. fin. junctâ Gloſſ. de elect. in 6.* privatur etiam communibus Eccleſiæ ſuffragiis, *cap. Sacris, & cap. à nobis, de ſent. excom.* Item indulgentiis, ac ſpeciali Dei & Angelorum protectione, *Raynaud. de monit. p. 2. n. 37. & 38. Tertiò*, poſt mortem punitur in corpore, cui negatur ſepultura, *d. cap. Sacris*, & in anima negatis ſuffragiorum communium ſubſidiis donec abſolvatur, etiamſi in gratia deceſſerit, *Raynaud. cap. 3. n. 8.* Alias excommunicationis pœnas vide longo ordine relatas per *Rebuff. in concord. tit. de excom. non vitand.*

(*c*) Quia intra annum excommunicationis quis auditur: eo verò elapſo quaſi contemptor ab audientia rejicitur, *can. rurſus 11. q. 3.* & elapſo anno tenetur Epiſcopus privare hunc inſurdeſcentem, *Bonacin. de cenſ. diſp. 2. punct. ultim. in 2. propoſit. n. 3.* Imò debet expectari triennium, *cap. Cum bona, de ætat. & qualit.* cujus diſpoſitione circumſcripta, nullibi jure cautum reperitur, ex perpeſſione cenſurarum incurri pœnam privationis Beneficii per ſententiam juris aut hominis: textus enim *in d. can. rurſus*, non loquitur in terminis ſimplicis excommunicationis, ſed excommunicationis indictæ ad purgandum delictum, pro quo imminebat privationis pœna, *Cardin. in repet. cap. Perpendimus, n. 26. verſic. ego dico, & poſt eum Lotter. de re Benefic. lib. 3. q. 33. n. 98.* & in his terminis loquitur & intelligendus eſt Author noſter. Aliàs ex perſeverantia in ſimplici excommunicatione per annum citra aliud delictum non debet quis privari Beneficio, quia non eſt in jure cautum: niſi per triennium inſurduerit.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. EXCOMMUNICATIO *duplex eſt, major, & minor.* Major excommunicatio eſt cenſura privans privatione, tam activa, quàm paſſiva Sacramentorum, & hominum, *Abbas in rubr. de ſentent. excomm.* & anathema dicitur, *cap. ad menſam 11. q. 3. & cap. Engeltrudam 4. q. 4.*

cap.

cap. intelleximus, *& cap. ult. de judic.* minor privat solâ Sacramentorum receptione passivâ, sed non eorumdem collatione, quamvis illa conferendo quis peccet, *cap. si celebret de cleric. excomm.* scilicet venialiter, ut post alios quos citat, tenet *Cabassut. in Theor. & prax. juris can. lib. 5. cap.* 10. Privat insuper electione passivâ ad Beneficia, non autem activâ, nec Ecclesiasticâ Jurisdictione, nec celebrando fit irregularis, *d. cap. si celebrat*, & incurritur communicando cum excommunicato vitando, *cap. nuper de sent. Excomm. & cap. cum Excommunicatus* 11. *q.* 3. vitandus autem non est, nisi publicè denuntiatus, *Const. ad vitanda scandala Martini V. seu Concilii Constantiensis.*

N. 2. *Excommunicatio major*, Triplex est justa, injusta, & nulla, *Prima* ligat apud Deum & homines. *Secunda* Ligat quoad homines, non quoad Deum, *cap.* 1. 11. *q.* 3. *cap. Cum ego, dict. q.* 3. *Tertia* verò nec apud Deum, nec apud homines ligat: ideo observanda non est: *cap. dilecti de appellat.* Justa Excommunicatio ut sit, quatuor concurrere debent. *Primò* ut proferens habeat jurisdictionem, ut ex se patet. *Secundò* quòd causa subsit vera & rationabilis *cap.* 1. *de sent. excom. in 6. Tertiò* quòd monitio competens præcedat ad formam, *cap, sacro eod. tit. Quartò* quòd proferatur causa expressa, & in scriptis, *dict. cap.* 1. Injusta tribus modis dicitur, ex causa, ex animo, & ex ordine, *Gloss. in dict. cap. sacro, in verb. justa*, & injustâ excommunicatus non est privatus communionibus & generalibus suffragiis Ecclesiæ, *cap. illud planè*, 11. *q.* 3. Nulla est quæ ipso jure non tenet, ut lata post interpositam appellationem, *felin. in cap. Rodulph. n.* 43. *de sent. excom. Secundò* quando deest legitima potestas excommunicandi in excommunicante. *Tertiò*, Si feratur à delegato contra delegantis intentionem. *Gloss. in cap. præsenti, in verb. ad cautelam, de sentent. excomm. in 6.* & duodecim casus nullitatis excommunicationis ponit *Glossa, in dict. cap. præsenti.*

N. 5. *Excommunicatus majori, celebrando, novo vinculo excommunicationis innodatur* hîc & supra *tit* 33. Confundit author excommunicationem cum irregularitate: non enim censurâ irretitus divinis se immiscens, novam censuram incurrit, sed solùm irregularitatem, quæ censura non est, nec in consequens excommunicatio, ut dixi *ad Flamin. de Consid. Benef. q.* 61. præ aliis tenent *Navarr. in manuali cap.* 27. *n.* 191. *Garc. de Benefic. part.* 8. *cap.* 1.

TITULUS XXXVI.

De Sententia Excommunicationis, & Litteris Monitoriis.

SUMMARIUM.

I. Quotuplex est excommunicatio.
II. In sententia excommunicationis potestas Iudicis requiritur.
III. Forma sententiæ excommunicationis.
IV. Causa sententiæ excommunicationis.
V. Excommunicatio non laxatur in debitorem.
VI. Sententia excommunicationis ligat, licèt ob injustam causam.
VII. & VIII. Monitio debet præcedere sententiam.
IX. Quæ requirantur in Litteris monitoriis ad finem revelationis,
X. XI. XII. & XIII. A quo dentur Litteræ monitoriæ.

I. ALIA est excommunicatio latæ Sententiæ, alia Juris. Prior Judicis Sententiâ decernitur, posterior ipso Jure irrogatur. Excommunicatio latæ Sententiæ regulariter de majori intelligitur, ut excommunicatio Juris, si nulla restrictio addita fuerit, quoniam nomine excommunicationis in genere, omnis species continetur.

II. Ut sententia excommunicationis valeat, hæc requiruntur. *Primò*; potestas Judicis; nam extra territorium (*a*) aut Præfecturam Sententia ferri non potest; pro vindictâ propriæ injuriæ Judex Ecclesiasticus gladio Ecclesiæ uti non potest, ut Gregorius Pontifex rescripsit Januario Episcopo Calaritano, his verbis: *Pro vindictâ propriæ injuriæ maledictionem anathematis non esse ferendam, & c. si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum*, *Baronius Annalium* 592. nisi Dignitati injuria illata sit, *c. dilecto Filio, de Sententia excommunicationis, in 6.* Judex notoriè excommunicatus, vel suspensus, non potest alios excommunicare, vel suspendere: in exemptum aut privilegiatum ratione Fori sententia ferri non potest: Judex inferior non potest Jus dicere, vel sententiam decernere in præjudicium appellationis emissæ, (*b*) vel instantiæ à superiore evocatæ: nam per appositionem manuum Judicis superioris, ligantur manus Judicis inferioris; in illis casibus sententia excommunicationis vel suspensionis nulla est defectu potestatis, *c. quanto, de privil. c. nullus, de Parrochiis, gl. in c.* 1. *q.* 3.

III. *Secundò*, debita forma servanda est, sententia in scriptis debet ferri, causâ excommunicationis expressâ, & reo exemplum dari debet intra mensem, si requisierit ut deliberet, sententiæ-ne parere debeat, an verò ad superiorem provocare, *c.* 1. *de senten-*

tia excommunicationis, in 6. tamen sententia talis ligat, quamvis sine scripto lata sit, *gl. in d. c.* 1.

IV. *Tertiò*, justa causa (*c*) requiritur: non enim temerè & levibus ex causis gladius spiritualis est distringendus; sed sobriè, & cum magna circumspectione, ne magis contemnatur quàm formidetur, & perniciem potiùs pariat quàm salutem, *Concilium Trident. de reformatione c.* 3. *sess.* 25. Ex stylo Romanæ Curiæ non dantur Monitoria in causis civilibus, si interesse de quo agitur sit minus quinquaginta nummis, *Riccius decis.* 276. Apud nos pro re modicâ non dantur, *ex Constitutione Aurelianensi*, & arbitrio Ordinarii id relinquitur: ex stylo Romanæ Curiæ non dantur Monitoria pro causa criminali, nisi ut agatur civiliter, *Riccius decis.* 278. Apud nos dantur etiam in causis criminalibus, (*d*) vel ad instantiam partis, vel ad instantiam solius Procuratoris Regii, pro publica vindicta, si de gravi excessu agatur, aut scandalo vitando, *c. multi* 2. *q.* 1. *c. nullus* 11. *q.* 3. *c. tam Sacerdotes, c. corrigantur, & c. ecce autem* 24. *q.* 3. secùs si de levi excessu agatur, dictis Constitutionibus & Constitutione Aurelianensi suprà citatâ: & si spes sit correctionis, reus non debet excommunicari, *c. nemo* 11. *q.* 3. nec si ob iracundiam vel contumaciam rei Judex viderit excommunicationem inutilem fore; nam Ecclesia non distringit gladium spiritualem ut occidat, sed ut vivificet, *c. inter hæc* 23. *q.* 2. gladius ille medicinalis est non mortalis, disciplinans, non eradicans, *c.* 1. *de sententia excommunicationis, in 6.* sicut enim Medici ferrum & ignem applicant infirmis ad salutem, non ad mortem, & Deus doloribus, & laboribus, quos Simplicius appellat amabilem Dei medicinam, ἀλαστητὴν τοῦ θεοῦ ἰατρείαν, cruciat peccatores ut resipiscant, & convertantur; sic sancta Mater Ecclesia his censuris flectit discolos, & contumaces; & si viderit hæc remedia inutilia fore, & spes correctionis sit, eos etiam non petentes & invitos absolvit, *c. prod.* 23. *q.* 6. *Sanctus Thomas* 4. *Sententiarum dist.* 18. *q. ultima*, *Anfrerius q.* 298.

V. Si verò de solvendo aut restituendo agatur, reus non debet excommunicari vel *suspendi à divinis*, sed captis pignoribus aut carceribus coërceri, *c. Odoardus, de solutionibus, Concilium Trid. loco cit.* alioquin à concessione Monitorii aut publicatione, in Gallia appellatur tanquàm ab abusu, *Molin. in collectione Placitorum Curiæ Parisiensis, n.* 12. 5. *Loëtius lit. C. num.* 31.

VI. Tamen sententia Pastoris est semper timenda, sive ob justam sive ob injustam causam lata sit, *ex D. Gregorio c. causa* 11. *q.* 3. & semper ligat nisi intolerabilis sit error, aut pro indebitis exactionibus lata sit, *c. per tuas, de sententia excomm. & c. ad quorumdam, de excessu Prælatorum.*

VII. *Quartò*, monitio debet præcedere, sive ad finem revelationis aut mandati executionem agatur; si causa sit levis, trina (*e*) monitio requiritur, *c. in Audientia, & c. contingit, de sententia excomm. c. de illicita, c.* 24. *q.* 3. Si verò causa sit gravis ratione excessûs, periculi, scandali, vel tuendæ Dignitatis gratiâ, unica monitio & prohibitio sub pœna excommunicationis sufficit, ut post terminum elapsum, vel excessum commissum sine alia monitione, denuntiatione, aut declaratione, reus innodetur vinculo excommunicationis, vel suspensionis; si monitio ei fuerit intimata tempestivè, *c. venerabilis*, §. *porrò, de sententia excomm.* & verbis excommunicationem aut suspensionem incursam ipso facto denotantibus monitio aut prohibitio facta fuerit: at si monitio non fuerit ei intimata, vel intempestivè facta sit, excommunicatio non ligat, *c. sacro, de sent. excomm.* Idem dicitur de suspensione & interdicto, *c. statutum, de sent. excomm. in 6.*

VIII. Monitio generalis publicatione fieri solet in Ecclesia, diebus festis inter Missarum solemnia, vel edicto proposito in valvis Ecclesiæ. Monitio particularis Romæ eodem modo fieri solebat, edicto proposito in valvis Ecclesiæ sancti Petri, quo reus monebatur, aut in Jus vocabatur; & nisi tempore designato veniret, sine ulla alia denuntiatione damnabatur ut contumax, ex Constitutione Bonifacii VIII. quam Clemens V. in Concilio Viennensi limitavit, restringendo illam denuntiandi formam in illis qui citationem vel denuntiationem impediunt, & quorum domicilia tuté adiri non possunt, *Clement.* 1. *de judiciis.* Et juxta Constitutionem Clementis, ad postulationem Caroli IX. Francorum Regis, Pius IV. Pontifex revocavit Edictum quo Joanna Labretana Regina Navarræ in Jus accersebatur Edicto comminatorio, quòd nisi intra sex menses Romam veniret, ut de Hæresi convicta, damnaretur, ut refert Thuanus *Hist. Gallicæ tom.* 2. Nam hujusmodi Edicta, ut in re gravi, reo ipsi debent intimari, *Riccius decis.* 454. si periculosus non sit accessus.

IX. Alia insuper requiruntur in Litteris monitoriis ad finem revelationis, quæ hic breviter attingemus: nam, *Primò*, hujusmodi Litteræ non nisi post cœptam instantiam decerni solent, alioquin à decreto & ejus executione licet appellare tanquam ab abusu, *Molin. in c. ex parte, de verborum significatione*; ubi notat hinc ortas fuisse appellationes ab abusu tempore Philippi Valesii, postulante Cognerio Advocato Regio. *Secundò*, si de lite motâ coram Judice sæculari agatur, sine ejus veniâ (*f*) Judicem Ecclesiasticum adire non licet ad impetrandum Litteras monitorias ad finem revelationis: nam cùm hoc remedium sit extraordinarium, non licet eo uti nisi ob probationis inopiam, cùm deficit remedium ordinarium; & testes aliter cogi non possunt ad testificandum. *Tertiò*, hæ Litteræ in quibus facti series exponitur, tacitis nominibus partium dari debent, ne fama rei vel alterius sugilletur. *Quartò*, his Litteris partes aut testes à Jurisdictione sæculari ad Forum Ecclesiæ evocari non possunt, ne Jurisdictio sæcularis distrahatur: nam lites incidentes in hujusmodi causis sunt Jurisdictionis sæcularis, ut causæ à quibus pendent, *Chop. de sac. Pol. lib. 2. c. 3. n. 4. Quintò*, hæ Litteræ dantur exceptâ parte, & ejus consilio, ne quis cogatur se prodere, aut secretum mandantis vel clientis manifestare, *Faber. C. de probat. def. 54. Sextò*, qui inviti in testimonium evocari non possunt, his Litteris cogi non possunt, ut cognati, affines, liberti, & vassalli; nam his Litteris non derogatur Constitutionibus civilibus, quæ etiam in foro Ecclesiæ sunt observandæ, alioquin locus est appellationi ab abusu. *Septimò*, contra instrumentum publicum Monitoriis uti non licet, nisi inscriptio falsi præcesserit, alioquin est abusus, ut judicatum refert Fevret *lib. 7. c. 2. n. 28.* nam in casibus in quibus ex Constitutionibus Civilibus probatio vocalis non admittitur, Monitoria non permittuntur. *Octavò*, non licet procedere ad regravationem post promulgationem, sine nova licentia Judicis, alioquin est abusus, ex Arrestis citatis à Domino Fevret *lib. 7. c. 2. n. 33.* & in regravatione non licet Commissario Ecclesiastico pro re levi candelas accensas extinguere, & sonitu nolarum excommunicatum dyris devovere.

X. Dantur autem hujusmodi Litteræ à Papa aut Legato, ab Episcopo, vel ejus Vicario aut Officiali, aut Vicario Capituli, Sede vacante, ab Officiali foraneo non dantur, nisi id sit expressum in mandato, *Riccius decis. 270.* Et si Episcopus dare recuset, Decreto Senatûs hortari potest ut eas concedat, cogi tamen non potest, multò minùs si de causa ingerente pœnam sanguinis agatur, *Faber C. de Jurisdict. omnium Judicum, def. 38.* Apud nos Hæreticis & excommunicatis hujusmodi Litteræ non negantur, quibus etiam competit jus agendi, ut suprà diximus, alibi verò negantur, *Riccius decis. 685.*

XI. A sententia excommunicationis appellare licet ad superiorem, vel ad Senatum, si sit abusus: Rex enim Ecclesiæ protector est, & vindex disciplinæ, tamen à Rescripto Papæ non appellatur, quia à Rescripto Principis appellare non licet; sed appellatur ab executione Rescripti, si sit abusus, ut scripsimus in Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica.

XII. Si Sententia sit nulla defectu potestatis, vel formæ, non est opus absolutione; nam sententia nulla non ligat; tamen absolutio peti potest ad cautelam, appellatione pendente, sine approbatione sententiæ, & præjudicio appellationis; & absolutio non negatur appellanti, citatâ parte, & visis actis, si caveat se sententiæ pariturum, si illa à superiore confirmata fuerit, *c. venerabilibus, de sentent. exc. in 6.* Idem dicitur de suspensione, *Felinus in cap. Apostolicæ, de except.* Et si appellatum sit ab abusu, decreto Senatûs, vel Litteris appellatoriis, mandatur Judici Ecclesiastico ut appellantem absolvat ad cautelam cautione datâ, ut suprà dictum est; si recuset absolvere, alius deputatur in eum finem.

XIII. At si sententia sit valida, semper ligat, sive illa sit justa, sive injusta: nam in correctoriis jus devolvitur, non suspenditur, ut Constitutione Gallicâ Caroli IX. definitur *art. 5.* & non datur absolutio ante judicium appellationis finitum, quo vel sententia rescinditur, & Judex ipse appellationis absolvit, *d. c. venerabilibus, §. si verò*, sententia confirmatur, & reus remittitur ad Judicem à quo, ut absolvatur, quem idem Judex tenetur absolvere si sententiæ pareat; & si absolvere recuset, Judex ipse appellationis absolvit, aut alium delegat qui absolvat, *d. c. venerabilibus*; datur tamen absolutio ad cautelam pendente lite, ut suprà diximus.

SOLIER.

(*a*) Excommunicatio ut liget & valeat, debet ferri à proprio Prælato existente intra suam jurisdictionem & contra existentes in suo territorio, *cap. ut animarum §. statuto, ubi gloss. in verb. territorium, de constit. in 6.* Limita *primò*, in Beneficiatis non residentibus, ipsos enim ubilibet existentes possunt Episcopi excommunicare, *Navar. in manuali, cap. 27. n. 6. Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. circa finem, de reform.* Limita *secundò*, in absolutione excommunicationis quam Episcopus subdito suo ubique impertiri potest, quia id fit sine strepitu judicii, quo casu jurisdictio potest exerceri extra territorium, *Innoc. & Abb. in cap. novit, de offic. Legati.* Limita *tertiò*, in Superioribus regularibus qui subditos suos quamvis extra Monasterium & Provinciam existentes possunt excommunicare: Ratio est quia Religiosi non habent territoria divisa sicut Episcopi, sed eorum jurisdictio est in Ordine ad personas, *Sylvest. in verb excom. 2. n. 15.* ubi refert quosdam dicentes totum mundum esse territorium regularium.

(*b*) Et ideò excommunicatus post appellationem non tenetur desistere à divinis, quia excommunicatio est nulla, *cap. dilecti, de appellat. cap. per tuas, de sent. excom.* nec celebrando efficitur irregularis, *gloss. in cap. præsenti, eod. tit. in 6.* Si verò sententia excommunicationis præcesserit appellationem, tunc appellatio non habet effectum suspensivum sed tantùm devolutivum, *cap. ad hæc, & cap. pastoralis, §. verum, de appellat. cap. is cui §. fin. de sent. excom. in 6.* quia excommunicatio, suspensio, & interdictum secum trahunt executionem, *d. cap. ad hæc, d. cap. is cui & ibi gloss.* nisi ex die vel sub conditione sit lata, & ante diem vel conditionis eventum appellatio emissa, *cap. præterea 2. de appellat.* vel nisi appellatum sit à sententia declaratoria excommunicationis ipso jure incursæ, *Abb. in cap. pervenit 1. de appellat.* Ratio est quia hæc sententia habet annexum factum, super quo potuit Judex decipi, *Bellet. in disq. cleric. tit. de favor. cleric. §. 5. n. 26.* vel nisi tempore appellationis emissæ appellans ignoraret se excommunicatum, *Philipp, Franch. in d. cap. is cui, §. sanè de sent. excom, in 6.*

(*c*) Causa autem excommunicationis debet esse peccatum mortale, aut contumacia non parendi præcepto facto præcedente morâ, culpâ aut offensâ, *can. nemo 11. q. 3. cap. sacro. §. caveat, de sent. excom. cap. 1. §. quisquis eod. tit. n. 6.* nam pro veniali peccato nullus excommunicari debet, *can. nullus 11. q. 3.*

(*d*) Quod & juri consonat, quo variis in locis cavetur ut testes veritatem promere compellantur, utique si opus sit interpositâ quoque excommunicatione etiam super criminalibus, ut in crimine falsi, *cap. cum contra & cap. super his, de test. tib. cog.* In crimine Simoniæ & adulterii, *cap. pervenit 1. eod. tit.* In probanda conjuratione adversus Episcopum inita, *cap. ult. d. tit.* in furto, *cap. qui cum fure, de furt.* In crimine usurarum, *cap. ad nostram, de jurejur.* In causa incendii, *cap. pessimam 23. q. 8.* & expressè traditur in *Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de reform.* nec obstat cap. dilectorum, *de test. cog.* quia ibi cum agitaretur civilis causa uni Abbati & cuidam Canonico delegata, noluit Summus Pontifex ut delegati compellerent testes per censuras ad deponendum de criminibus utrinque objectis quorum discutio & punitio ad eos non attinebat, cùm esset causa omninò diversa & separata, non quòd intenderet generaliter prohibere monitoria in criminalibus, & quamvis Pius V. per constitutionem, quæ incipit, *sanctissimus*, id prohibeat suis Officialibus & Vicariis, liberum tamen relinquit cæteris Præsulibus: nec inde timenda est aliqua irregularitas, quia modus ille cooperandi ad effusionem humani sanguinis est remotus non autem proximus, ut requiritur ad contrahendam irregularitatem, *gloss. in cap. de cætero, de homicid.*

(*e*) In prima monitione seu citatione præfigitur terminus ad quid faciendum, vel non faciendum: In secunda verò alius terminus ad dicendum & allegandum causam quare non debeat excommunicari, seu excommunicatus declarari: in tertia ut compareat ad videndum & audiendum se excommunicari, & successivè excommunicatum declarari, cedulo nos decerni & affigi per loca solita Civitatis, *Bellet. in disq. cleric. tit. de favor. cleric. can. §. 4. n. 22.*

(*f*) Non etiam authoritate aut jussione: ait enim Concil. Trid. *sess. 25. cap. 3. de reform.* cavendum esse ne Episcopus ad has litteras monitorias concedendas cujusvis sæcularis etiam Magistratûs authoritate adducatur, subjungens nefas esse sæculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Judici ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet sub prætextu quòd contenta in decreto hujusmodi non sint observata, cùm non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Sed nihilominus jamdiù prævaluit apud nos contrarius usus, ut latè deducit *Laurentius Bouchel in Bibliotheca juris Gallici in verb. Monitoire.* Et ad easdem litteras monitorii in criminalibus concedendas posse cogi Officiales Episcoporum per arrestationem temporalium decernit recens ordinatio Regia de anno 1670. *tit. 7. art. 2.* unde expunge quòd Author noster hoc ipso *tit. n. 10.* ait, Episcopum has litteras dare recusantem decreto Senatûs hortari posse ut det, cogi autem non posse, maximè in causa sanguinis: nisi mavis non ipsum Episcopum, sed ejus Officialem, de quo tantùm ordinatio memorata loquitur, compellendum.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 4. *Non enim temere, & levibus ex causis gladius spiritualis est distringendus.*) Quamvis enim excommunicationis nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobriè tamen magnâque circunspectione est exercendus, cùm experientia doceat, si temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quàm formidari, & perniciem potiùs parere quàm salutem. *Conc. Trid. cap. 3. in principio sess. 25. de reform. cap. multi c. 2. q. 1. cap. corripiantur & ibi gloss. in verb. major, 24. q. 3. cap. dilecto §. & quoniam de sentent. excom. in 6.*

N. 7. *Monitio debet præcedere.* Hujusmodi

monitio fieri debet personaliter non autem ad domum, *Innoc. in cap. ult. n. 3. & Abbas n. 14. de eo qui mittitur in possess. Felin. in cap. Sacro, de sent. excom.* quando enim agitur de gravi præjudicio, ut de privatione Beneficii & de incurrendis censuris requiritur citatio personalis, *Cassad. decis. 2. depens. n. 4.* nisi excommunicandus dolo latitaret, tunc enim sufficit citatio ad domum, vel per Edictum in Ecclesia illius Parrochiali, vel in alio loco publico, si reus domum non habeat, ut præsumptio sive verisimilitudo sit, quòd citatio ad illius notitiam pervenerit, *Clement. causam, & ibi Gloss. de elect. cap. Finali, & ibi Gloss. 1. de eo qui mittitur.*

N. 9. *Hujusmodi Litteræ non nisi post cœptam instantiam decerni solent.* Ita ut abusivam esse velit Author ante litem motam illarum concessionem, at nos æquissimam arbitramur, denegatio enim veritatis indagationi obstaret, & probationum facultatem contraheret, optima sanè ratio quia quis prospicere an destituendus sit firmamentis litis cum fructu movendæ & persequendæ, nempe probationibus & testimoniis est concessio monitorii, quandiu ergo peti, & cedi poterit ante litem captam, ait *Theophilus Raynaudus, in tract. de monitoriis Eccl. part. 1. q. 13.* plerumque enim rei sunt incogniti, quos priùs vigore monitorii detegi necesse est, antequam in judicio pulsari possint. 1.

N. 10. *Dantur hujusmodi Litteræ ab Episcopo vel ejus Vicario.* Excommunicationes, quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis pro deperditis, seu sublatis rebus, fulminari solent, authoritate ordinariâ, à nemine præterquàm ab Episcopis decerni, & promulgari possunt, & non aliàs quàm ex re non vulgari, causâque diligenter ac magnâ maturitate per Episcopum examinatâ, quæ ejus animum moveat, *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 3. §. propter.* Cæteri autem Prælati etiam nullius Diœcesis Episcopis inferiores, qui ante Concilium Tridentinum monitoria & illorum vigore excommunicationes concedebant, jure proprio, aut ex privilegio, vel immemorabili consuetudine, Litteras monitoriales post Concilium concedere non possunt: in illis verò monitoriis expeditis à Summo Pontifice, procedit Episcopus tanquam delegatus, & ideo non possunt partes ad quarum instantiam fuerunt expedita, formare alia capita, ultra expressa in illis, nisi adsit clausula latiùs arbitrio tuo, quæ si desit publicanda sunt de verbo ad verbum, non alterando sensum sermonis, nec eorum verba, sed pro idiotis possunt publicari maternâ linguâ, seu vulgari, & ita rescripsisse Sacram Congregationem Archiepiscopo Neapolitano refert post alios quos citat *Barbosa de offic. & potestate Episcopi allegat. 96. n. 41.*

Eodem N. 10. *Si Episcopus dare recuset hortari potest ut concedat, cogi tamen non potest.* Hodiè cogi potest, non quidem ipse Episcopus, sed ejus Vicarius seu Officialis cui id injungitur etiam in criminalibus sub pœna arrestationis temporalium novellâ ordinatione criminali, *tit. 7. art. 3.*

TITULUS XXXVII.

De Juris Excommunicatione occultâ & notoriâ, & Potestate absolvendi.

SUMMARIUM.

I. Excommunicatio non ligat ante promulgationem sententiæ, vel Legis.
II. & III. Ut promulgatio fiat.
IV. A pœna excommunicationis ignorantia facti excusat.
V. & VI. Collatio facta excommunicato nulla, quamvis delictum sit occultum.
VII. A sententia excommunicationis qui possint absolvere.
VIII. & IX. An valeat absolutio satisfactione omissâ. Episcopi possunt absolvere à Juris excommunicatione, nisi casus sit reservatus.
X. Episcopi absolvunt in reservatis, si casus sit occultus.
XI. Episcopo non licet extra Diœcesim excommunicare, licet absolvere.

I. EXCOMMUNICATIO latæ sententiæ ligat post promulgationem sententiæ, non ante, *c. Venerabilem, de electione, c. Exceptionem, de exceptionib. & c. Pia, eod. tit. in 6.* Idem dicitur de excommunicatione Juris, post promulgationem Concilii, Constitutionis; vel Statuti: Leges enim tùm communes tùm particulares non ligant nisi fuerint promulgatæ, *c. In istis, d. 4. c. ut animarum, de Constit. 6.*

II. In promulgatione sententiæ mandatum Judicis desideratur, & intimatio facta parti, aut Procuratori illius, vel domesticis in domicilio; aut si latitet, vicinis, vel in valvis Ecclesiæ in quâ ministrat: & in promulgatione Concilii aut Constitutionis Pontificiæ mandatum Papæ requiritur, quo Concilium aut Constitutio divulgari jubetur per omnes populos & provincias Judicum programmate, *l. 3. C. de Legibus,* ne Princeps subditis insidiari videatur, ut Caligula, qui (teste Tranquillo) suas Leges minusculis litteris proponebat ut difficiliùs legerentur, & minùs cauti & expertes in laqueos inciderent.

III. Nec sufficit Legis promulgatio, nisi illa à populo fuerit recepta, *c. In istis dist. 4.* nam rectum & politicum imperium accommodatur Reipublicæ, Leges populi communi consensu firmantur, & dissensu infirmantur: *Quid Leges sine moribus? vanæ proficiunt,*

ait Poëta, poſt Ariſtotelem *Politic.* 2. *c.* 8. aſſerentem Legem vim nullam habere niſi ex more, & Demetrium qui dicere ſolebat Legem eſſe conſuetudinem ſcriptam, & conſuetudinem eſſe Legem non ſcriptam : συνηθειαν νομον εξ αγραφον, νομον δε συνηθειαν εγγραφην.

IV. Poſt promulgationem ignorantia facti in Conſtitutione propoſiti excuſat, putà ſi percutiens ignoret eum quem percutit eſſe Clericum, aut victualia quæ retinet Romam exportari, aliudve factum ſimile Conſtitutionibus Eccleſiaſticis prohibitum, *c. Si verò, de ſent. excomm. in 6.* niſi ſit ignorantia craſſa & ſupina : nam culpa lata causâ illius ignorantiæ æquiparatur dolo, *l. Quod Nerva, ff. depoſiti.* Idem dicitur de ignorantia juris, ſi ſit probabilis ſi jus ſit obſcurum, non omnibus notum, *Toletus lib.* 1. *c.* 8. tamen in Foro externo omnes præſumuntur ſcire Leges poſt publicationem, & non admittitur exceptio ignorantiæ, ut electio aut collatio Beneficii facta excommunicato valeat, *Panormitanus in c. penult. de Clerico excommunicato vel depoſito miniſtrante, Toletus lib.* 1. *c.* 13.

V. Aut delictum ex quo irrogatur excommunicatio eſt notorium, aut occultum : ſi primum, reus ligatur quoad ſe, & quoad alios, *c. Cùm non ab homine, de ſentent. excommunicat.* Si verò delictum ſit occultum, excommunicatio ligat reum quoad ſe, non quoad alios, *c. Statuimus, in Concordatis, de non vitandis excomm.* Hoc Jure electio aut collatio facta excommunicato nulla eſt etiamſi delictum ſit occultum, *Azorius lib. 6. c.* 7. *dub.* 8. Tamen collatio facta non excommunicato ab Epiſcopo excommunicato aut ſuſpenſo, valet, ſi excommunicatio aut ſuſpenſio ſit occulta, *ex d. c. Statuimus* : etſi enim Epiſcopus ſit ſuſpenſus quoad ſe, non eſt ſuſpenſus quoad alios, in his quæ ſunt ordinis & Juriſdictionis, quandiu ſuſpenſio aut delictum eſt occultum, ne is cogatur delictum & turpitudinem ſuam manifeſtare, aut privati qui eum adeunt juris aut gratiæ obtinendæ cauſa, publicâ fide decipiantur, *l. Barbarius, ff. de officio Præſidis.*

VI. Ut delictum ſit notorium, (*a*) notitia privata non ſufficit, notitia publica deſideratur : ſic proviſio conceſſa ab Epiſcopo ſuſpenſo valet quamvis proviſus ſciverit eum eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, ſi tempore proviſionis publicè eo munere fungeretur, & cæteri eum adirent ad eumdem finem : nam neceſſitas excuſat proviſum, & notorium non inducitur ex ſcientia privata, ſed ex notorietate facti, quod nullâ poteſt tergiverſatione celari, ſeu operis evidentiâ, vel ex confeſſione rei, aut Judicis ſententiâ, §. *Statuimus, in Concordatis, de non vitandis excomm.* Et ſi reus excommunicatus à Judicis ſententia appellaverit, delictum non cenſetur notorium, donec à Judice appellationis ſententia fuerit confirmata.

VII. A ſententia excommunicationis Judex qui excommunicavit poteſt abſolvere, aut ejus ſucceſſor, poteſt etiam ſuperior abſolvere per concurſum, aut per appellationem : nam à ſententia excommunicationis Archidiaconi aut Abbatis non exempti Epiſcopus abſolvere poteſt per concurſum, aut per appellationem, ſi ab ea fuerit appellatum, quoniam ipſe eſt Ordinarius in tota ſua Diœceſi, *c. Per totum, c.* 1. *q.* 1. *Gloſſ. in c. Paſtoralis, de officio Ordinarii.* Eadem eſt poteſtas Papæ (*b*) in toto Orbe, à cujus obedientia nullus ſubtrahitur, *c. Omnes, diſt.* 22. Idem dicitur de Legato in provincia ſibi commiſſa ſuper Prælatos ejuſdem provinciæ : Archiepiſcopus verò non poteſt concurrere cum ſuis Suffraganeis, nec de cauſis ad eorum Juriſdictionem pertinentibus cognoſcere, niſi per appellationem cognitio ad eum fuerit devoluta, *c. Romana, de appellat. in 6.*

VIII. Tamen Epiſcopus excommunicatum ab Archidiacono vel Abbate non debet abſolvere, niſi ſatisfactione præmiſsâ, aut ſatisdatione oblatâ, vel juratoriâ cautione, ne Prælato inferiori, aut parti ad cujus inſtantiam ſententia lata eſt, fiat injuria. Quid ſi abſolverit ſatisfactione aut cautione omiſsâ ? abſolutio valet, & appellatione emiſſa non retractatur, favore libertatis, exemplo manumiſſionis, quæ licèt facta fuerit à minore ex fal a cauſa, apud Prætorem non poteſt retractari, §. *Semel autem, Inſtit. qui & quibus ex cauſis manumittere non poſſunt, l.* 1. *& ſeq. C. ſi adverſus libertatem, Anfrerius q.* 231.

Et quoties in Gallia Papa vel ejus Legatus appellatur, datur Commiſſarius in partibus vicinis, ad diſcuſſionem cauſæ, ne partes diſtrahantur extra domicilium ultra bidui ſpatium, ut ſtatutum fuit in Concordatis, *tit. de cauſis*, juxta Reſcriptum Innocentii *in c. Nonnulli, de Reſcriptis*, Bonifacii *in c. Statutum, de Reſcr. in 6.* Concilium Baſilienſe; & Pragmaticam Sanctionem.

IX. Si verò excommunicatio ſit Jure lata, Epiſcopus in utroque Foro poteſt excommunicatum abſolvere, & proprius Sacerdos in Foro conſcientiæ, niſi caſus ſit reſervatus : nam in caſibus in quibus conditor Canonis non reſervavit ſibi abſolutionem, Epiſ-

copis eam relaxasse censetur, *c. Nuper, de sententia excommunicationis.*

X. In casibus reservatis Sedi Apostolicæ adeundus est Summus Pontifex, aut ejus Legatus, si eam habeat facultatem in mandatis; & in casibus reservatis Episcopo adeundus est Episcopus, aut ejus Vicarius: vel in Foro conscientiæ Confessarius, si eam habeat facultatem ab Episcopo absolvendi in casibus illi reservatis, excepto mortis articulo, quo casu quilibet Sacerdos omnimodam facultatem habere censetur absolvendi in omni casu, non obstante quâvis reservatione, nam in extremis prompta & parata esse debent remedia. Verùm reus absolutus in Foro conscientiæ actâ pœnitentiâ non desinit esse nocens, & de eodem delicto queri potest in Foro externo, sive de electione illius aut collatione agatur, *c. ut constitueretur, dist.* 50. aut nisi casus sit occultus: nam Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 6. etiam in reservatis Apostolicæ Sedi, dedit Episcopis facultatem absolvendi, si casus sit occultus, ut diximus suprà: an verò absolutio in illis casibus ab Episcopo, vel ejus Vicario, cui eadem facultas competit, vi generalis mandati exceptâ Hæresi, prosit reo in Foro externo, diximus suprà *tit.* 32.

XI. Extra Diœcesim Episcopus absolvere potest, si absolutio causæ cognitionem non requirat, *Innocentius in c. Novit, de officio delegati, Decius in l. Extra territorium, de jurisd. omn. Jud.* Tamen non licet Episcopo extra Diœcesim excommunicationis sententiam ferre: nam excommunicatio non potest decerni sine cognitione causæ; & quæ causæ cognitionem requirunt extra Tribunal non possunt expediri, si per viam judicii cum cognitione causæ reus ab Episcopo aut ejus Vicario fuerit absolutus, absolutio prodest illi in Foro externo, sin minùs ei prodest tantùm in Foro interno, *c. de his, de accusat. & ibi Gl. juncto c. Admonere* 33. *q.* 2. *Vide infrà tit.* 39. *sub finem, & suprà tit.* 32. *sub finem.*

SOLIER.

(*a*) Notorium ex tribus insurgit, ex sententia, ex confessione facta in judicio, & ex operis evidentia, quæ nulla tergiversatione celari potest, *Abbas in cap. vestra & cap. tua nos, de cohabit. cleric.* & ad inducendum notorium non requiritur scientia populi sed sufficit scientia viciniæ, vel decem hominum, *Gloss. juncto textu in cap. de manifesta* 2. *q.* 1. *cap. cum dilectus, de purgat. canonic.*

(*b*) Nec temerè nec facilè passa est Ecclesia Gallicana excommunicationes suas inconsultis Episcopis à Pontificibus solvi, sunt verba *Francisci Florentis in parat. ad tit. de rescript.* Quid dicendum? Credo apud nos judicialiter & nominatim excommunicatum ab Episcopo, maximè ad instantiam partis per Papam non exsolvi aliâ quàm appellationis viâ medio non omisso juxta decretum *de frivolis appellat. in Concord.* nisi forsan ad effectum provisionis vel alterius gratiæ Apostolicæ dumtaxat consequendum: secus verò de extra judicialiter excommunicato in vim generalis constitutionis Episcopalis, cum Papa sit supra omne jus positivum.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 5. HOC *jure electio aut collatio facta excommunicato nulla est.* Excommunicato Beneficium conferri non potest, *cap. Postulasti, de Cleric. excommunicato*, aliàs collatio est nulla, nec convalescit per sequentem absolutionem, etiamsi ignoret se excommunicatum, vel excommunicatio sit injusta; secus si esset nulla, *Garc. de Benefic. parte* 7. *cap.* 3. *n.* 3. *& seqq.* quod tamen limitatur ut non procedat in Beneficii jam collati vel sub sua expectativa cadentis, acceptatione facta excommunicato, quæ valida est, quia acceptatio, jus titulumque non tribuit, sed potiùs ad factum quàm ad jus pertinet; Beneficium tamen acceptatum vigore expectativæ non potest ei conferri ante absolutionem, quia licèt ante acceptationem non acquiratur jus in Beneficio collato, tamen acceptatio ipsa non tribuit, in ipso Beneficio, sed collatio præcedens, & acceptatio tantùm declarat consensum illius, cui Beneficium est collatum, & habet se tanquam conditio sine qua non; nec refert quòd tempore acceptationis acquisitio juris spiritualis fiat, nam jus solùm prohibet collationem fieri excommunicato: Item limitatur, ut non procedat in provisione facta ad favorem excommunicati à Papa, vel Legato cum clausula absolutionis à censuris, quæ tamen non prodest insurdescenti, & impetrans debet absolvi, antequàm fiat ei collatio à Commissario, aliàs collatio erit nulla, nam ista absolutio ad effectum operatur impetrationis validitatem propter capitulum primum *de rescript.* 6. nisi esset excommunicatus, propter hæresim, *Garc. ubi supra à n.* 35. *Lovet. ad Regul. de infirm. n.* 50. ait quòd absolutio hujusmodi non prodest quoad graviora crimina quæ ipso jure privant, sed tantùm quoad ea, ob qua quis veniret privandus.

N. 7. *Judex qui excommunicavit potest absolvere.* Absolutio ab excommunicatione hominis potest impertiri. *Primò*, ab eo qui eam tulit, *cap. Si Petrus* 24. *q.* 1. *cap. Inferior, dist.* 21. *L. Qui condemnare, ff. de re judic.* vel ejus successore, ubi lator est mortuus, vel amotus, *cap. Si Episcopus* 11. *q.* 3. *Secundo*, à superiore in casu appellationis vocatis partibus, & cognito de appellatione, *cap. Venerabilibus, de appell. & cap. Romana eod. tit. in* 6. vel si hoc habeat consuetudo, aut excommunicator negligenter vel malitiosè differat absolutionem, vel in aliis casibus in quibus judicare potest de subditis suffraganeorum, & si absolvat in casu non concesso, non valet absolutio, quia est à judice non suo, ut in *cap. Pastoralis, de offic. ordin. Tertiò*, à

superiore habente omnem Jurisdictionem, & plenam potestatem super excommunicatum, æque ac ipse excommunicator, sicut si Archidiaconus aut alius subditus Episcopo ex consuetudine vel alio jure suum subditum excommunicavit, quamvis non deceat Episcopum irrequisito Archidiacono ipsum absolvere, hoc tamen potest, *cap. Cum ab Ecclesiarum, de offic. ordin.* Idem de Provinciali Ordinis mendicantium absolvente quem Prior Conventualis excommunicavit, & de quolibet Vicario habente plenitudinem potestatis super subditis Priorum Conventualium, ita *Sylvester. in summ. in verb. Absolutio, n. 2. & 3.*

N. 8. *Ne partes distrahantur ultra bidui spatium.* Et ut loquuntur textus ab Authore laudati, ultra duas dietas, quælibet autem dieta continet viginti milliaria, seu circiter septem leucas, *Gloss. in cap. Nonnulli, in verb. Dietas de rescript. Barbos. de Offic. & potest. Episcopi part. 2. allegat. 28. n. 65.*

N. 10. *Excepto mortis articulo.* Absolutus propter mortis periculum, vel aliud impedimentum ab eo, à quo aliàs non poterat, si cessante impedimento se non præsentat, cùm commodè potest, ei à quo aliàs absolvi debebat, recidit in eandem excommunicationem; idem in absoluto, qui se debebat alicujus conspectui præsentare, si hoc non faciat, *cap. Eos, de sent. excomm. in 6.*

TITULUS XXXVIII.

Ex quibus causis Excommunicatio ipso Jure irrogetur: Et de casibus reservatis.

I. MINOR Excommunicatio irrogatur ipso Jure, in uno casu, cùm quis scienter communicat cum excommunicato Excommunicatione majori, in oratione, aut cibo, potu, vel osculo, aut salutatione, *c. Excommunicatos 11. q. 3. & c. Nuper, de sententia excommunicationis*, à qua proprius Sacerdos potest absolvere: at si quis communicet in Divinis cum excommunicato majori Excommunicatione per Sententiam Papalem, excommunicatur Excommunicatione majori, ob majorem contemptum Clavium, & ab ea excommunicatione solus Papa potest absolvere, ut dicemus infrà.

II. Verùm communio cum excommunicato non nocet nisi notoria sit excommunicatio, ut definitum fuit in Concordatis *de non vitandis excommunicatis.* Notoria dicitur, si excommunicatus expressè fuerit denuntiatus ex præcepto Ecclesiæ: & quamvis excommunicatus fuerit denuntiatus, necessitas excusat servos, ancillas, filios, uxores, viatores, peregrinos, pauperes, mendicantes, qui ab excommunicato eleemosinam petunt, vel auxilium. Excusantur similiter qui excommunicato miserationis causâ eleemosinam erogant, vel auxilium dant, *c. Quoniam 11. q. 3.*

III. Major verò excommunicatio in multis casibus decernitur, Conciliis, & Constitutionibus Pontificiis, quorum alii reservantur, & in cæteris facultas absolvendi Episcopis relinquitur, quos hîc breviter attingemus. *Primò*, in decreto, *in c. Si quis suadente diabolo, c. 17. q. 4.* Excommunicantur qui in Clericum vel Monachum manus violentas injiciunt, vel id fieri mandant, aut facientibus auxilium vel consilium dant, & qui non impediunt cùm possunt, & ex officii necessitate impedire tenentur, *c. Mulieres, & c. Quanto, de sententia excommunicat.* quod Jus etiam in Fratribus Conversis locum habet, *Riccius decis. 653.*

Excipiuntur illi qui non animo injuriandi, sed corrigendi, vel joco, vel inconsulto calore, vel se suosve defendendo, vel casu percutiunt; nam excommunicatio pœnalis est, & in istis casibus in quibus non est dolus non habet locum. Excipiuntur etiam qui Clericum degradatum, vel arma gerentem, vel in habitu Laïcali incedentem percutiunt: nam talis quis præsumitur, qualis reperitur in habitu, *l. Item apud, §. Si quis virginem, ff. de injuriis, c. In Audientia, de sent. excommunic.* Clericus enim in istis casibus privilegio Clericali uti non potest, *c. Contingit, de sent. excomm. & c. Ex Litteris, de vita & honestate Clericorum.* Tamen qui percutit Clericum excommunicatum, non excusatur, propter Ordini illatam injuriam, absolutio in isto casu reservatur Papæ, *d. c. Si quis suadente*, nisi injuria sit levis, aut casus sit occultus, vel delictum sit commissum in Collegio aut Claustris Monasterii inter Clericos collegialiter viventes, aut Monachos, aut nisi infirmitas ætatis, vel fragilitas sexûs, vel debilitas corporis, aut paupertas excuset reum, ob difficultatem itineris, & sumptus majores: in quibus casibus Episcopus Diœcesanus potest absolvere, vel Confessarius ex mandato illius, *c. Pervenit, de sent. excom. c. de Monialibus, ibid.* & Monachos absolvit Abbas, *c. Monachi, ibid. Concilium Trident. Sess. 24. c. 6. Toletus Instit. Sacerdotalium lib. 1. c. 32.*

IV. *Secundò*, Jure Decretalium excommunicantur falsarii (*a*) Litterarum Apostolicarum, nec non illi qui eis scienter utuntur, *c. Ad falsariorum, de crimine falsi.*

V. *Tertiò*,

V. *Tertiò*, excommunicantur majori, & non nisi à Papa absolvi possunt Clerici sciens communicantes in Divinis cum excommunicato à Papa per sententiam, *c. Significavit, de sententia excommunicationis.*

VI. *Quartò*, excommunicati à Legato Papæ per sententiam, ab eo possunt absolvi; at si per annum insorduerint in tali excommunicatione, ob majorem contumaciam, & contemptum Clavium, non nisi à Papa absolvi possunt, *c. Studuisti, de off. Legati.*

VII. *Quintò*, excommunicantur incendiarii: & si denunciati sint, à solo Papa absolvi possunt, *c. Tua nos, de sent. excomm.* Cùm dicimus, à solo Papa vel Legato absolvi, intellige, vel à Confessario ex mandato Papæ vel Legati in epistola vel Litteris ad Confessarium directis contento, ad postulationem oratoris: verum talis absolutio quæ non fit per viam judicii prodest tantùm in Foro interno.

VIII. *Sextò*, idem statuitur de sacrilegis, & effractoribus Ecclesiarum, *c. Conquesti, eod. tit.*

IX. *Septimus*, casus specialis est *in c. Fundamenta, de electione, in 6.* de electionibus Senatorum, & Urbis Romæ Rectoris, quæ sine Sedis Apostolicæ licentia fiunt.

X. *Octavò*, *in c. Clericis, de immunit. Eccles. in 6.* excommunicantur qui Clericis vectigalia imponunt sine Sedis Apostolicæ licentia; & ipsi Clerici qui ea sponte solvunt: sed novo Jure solventes excusantur *in Clement. quoniam, de immunitate Ecclesiarum.*

XI. *Nonò*, *in c. Fœlicis, de pœnis, in 6.* excommunicantur omnes qui Cardinales hostiliter insequuntur, & sceleris participes, ut diximus suprà *tit.* 19.

XII. *Decimò*, *in c. Quicumque, de sent. exc. in 6.* excommunicantur qui occidunt, vexant, aut id fieri mandant, eos qui sententiam excommunicationis promulgant, vel eos, quorum nomine sententia profertur, vel eos qui excommunicatum vitant ne sententiam excommunicationis incurrant; qui casus reservatur Papæ nisi intra duos menses post pœnam incursam excommunicati ab Episcopo curent absolvi.

XIII. *Undecimò*, *in Clement. 1. de Hæreticis, in 6. in §. Verum*, excommunicantur inquisitores (*b*) hæreticæ pravitatis, qui per sordes aut gratiam in officio prævaricantur.

XIV. *Duodecimò*, Religiosi non privilegiati, qui sine licentia Parrochi Sacramentum Extremæ-Unctionis vel Eucharistiæ ministrant, aut Matrimonia solemnizant, vel in Foro conscientiæ excommunicatos à Canone absolvere præsumunt, excommunicantur *in Clement. Religiosi, de privilegiis.*

XV. *Decimo-tertiò*, qui Episcopos percutiunt, capiunt, aut relegant, (*c*) excommunicantur *in Clement. Si quis, de pœnis.*

XVI. *Decimo-quartò*, Clerici & Religiosi qui viventium aut morientium desideria captant, ut sepulturam in suis Ecclesiis vel Monasteriis eligant, aliosve avertunt ne in aliis locis aut Monasteriis sepeliantur, excommunicantur, *Clement. cupientes de pœnis.*

XVII. *Decimo-quintò*, Domini temporales, cæterique qui loci interdictum violant, Sacerdotes cogunt ibi ministrare, aut populum Sacra audire, (*d*) excommunicantur *Clement. gravis, de sent. excommun.*

XVIII. *Decimo-sextò*, qui simoniacos, (*e*) occisores aut mutilatores Clericorum existentium in Sacris, aut violatores Ecclesiasticæ Libertatis, aliosve contentos in Bulla Cœnæ, absolvere præsumunt, aut super voto Castitatis, Religionis, vel Peregrinationis transmarinæ, ad sanctum Sepulchrum, Ædem Sancti Jacobi, aut Limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, dispensant prætextu facultatis sibi concessæ, nisi in Litteris concessionis expressè derogatum fuerit Constitutioni Extravaganti, quæ incipit, *etsi dominici gregis de pœnitentiis*, quâ absolutio in prædictis casibus reservatur Papæ, excommunicantur.

XIX. *Decimo-septimò*, excommunicantur *in Extravagante, detestandæ, de sepulturis*, illi qui cadavera humana elixant, (*f*) aut dissecant in frusta, ut ea transferant, & in aliis locis sepeliant; quod tamen in cadaveribus Principum toleratur, & Nobilium.

XX. *Decimo-octavò*, excommunicantur qui pecunias aliave munera ex pacto dant aut accipiunt pro ingressu in Monasterium, *Extravag. sanè, de simonia*, nisi id sponte detur, aut pro dote Monialis aut Religiosi detur ad illius sustentationem, si Monasterium sit inops, *Toletus loco citato: vide suprà tit.* 18.

XXI. *Decimo-nonò*, simoniaci in Ordine aut Beneficio, Mediatores & Procuratores eorum, excommunicantur, *Extravag. cùm detestabile, de simonia.* Vide suprà *tit.* 18.

XXII. *Vigesimò*, excommunicantur Religiosi, cujuscumque sint Ordinis, qui tran-

ſeunt in aliam Religionem ſine licentia Sedis Apoſtolicæ ; & qui eos recipiunt, exceptis his qui migrant in Religionem Carthuſianorum, *Extra viam ambitioſæ, de Regular.*

XXIII. *Vigeſimo-primò*, excommunicantur Concionatores, cæterique qui aſſerunt eos eſſe Hæreticos, aut mortaliter peccare, qui affirmant vel negant Virginem Deiparam conceptam fuiſſe in peccato originali, cùm neutra ſententia ſit de fide, & utraque defendi poſſit, *Extravag. grave nimis, de Reliq. & veneratione Sanctorum.* Idem ſtatuitur Concilio Tridentino, *Seſſ. 5. in fine.*

XXIV. *Vigeſimo-ſecundò*, eodem Concilio *Seſſ. 22. c. 21.* excommunicantur omnes, tam Laïci quàm Clerici, cujuſcumque ſint Dignitatis, qui alicujus Eccleſiæ Sæcularis, vel Regularis, alteriuſve loci pii, bona vel jura uſurpant, eoſve quibus jus competit moleſtant in poſſeſſione illorum.

XXV. In omnibus caſibus ſuprà dictis abſolutio reſervatur Papæ, excepto mortis articulo, in quo quilibet Sacerdos habet de jure poteſtatem abſolvendi ſine ullâ exceptione ; exceptis etiam caſibus occultis, in quibus facultas abſolvendi relaxatur propriis Epiſcopis in Foro pœnitentiæ, *Concilium Trident. Seſſ. 24. c. 6.* Vide infrà *ſub finem.*

SOLIER.

(*a*) APUD nos falſarii quarumcumque litterarum in cauſa Beneficiali excidunt omni jure ſibi in Beneficio, de quo agitur, quomodolibet competenti, & per eos prætenſo edicto Henrici II. de anno 1550. *Rebuff. in tract. de pacific. poſſeſſ. n. 252. Charond. in Pandect. lib. 1. cap. 10. ad finem.*

(*b*) Inferiores Epiſcopis : nam Epiſcopi & Superiores non excommunicantur, ſed ſuſpenſioni ab Officio per triennium ipſo jure ſubjacent, *Clem. multorum*, §. *ultim. de hæreticis.*

(*c*) Item mandatores, conſiliarii, & fautores ac Officiales qui in aliquo prædictorum fuerint culpabiles. Civitas verò, quæ præmiſſa vel eorum aliquod in Epiſcopum ſuum commiſerit interdicto ſubjicitur donec ſatisfecerit, *d. Clem. ſi quis, de pœnis.*

(*d*) Item illi qui excommunicatis publicè, aut interdictis prohibent ne exeant de Eccleſiis dum miſſarum ſolemnia aguntur à celebrantibus monitis ut exeant, nec-non ipſi excommunicati publicè & interdicti, qui in ipſis nominatim à celebrantibus ut exeant moniti, remanere præſumpſerint, *d. Clem. gravis, de ſent. excomm.*

(*e*) In ordine ſcilicet, vel Beneficio : de iſtis enim ſimoniacis dumtaxat loquuntur *Extravag. cum deteſtabile, de ſimon. & extravag. etſi dominici, de pœnit.*

(*f*) Aut truculenter exenterant, ut conſueverunt miſeri vitâ functorum Beneficiatorum occultatores, qui non ſolùm excommunicantur per *d. extravagantem deteſtandæ*, ſed etiam apud nos omni jure cadunt, quod in Beneficio ſeu ad illud habere poſſent, vel prætendere, ut cavetur ordinatione Franciſci I. de anno 1539. *art. 55.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 3. ABSOLUTIO *in iſto caſu reſervatur Papæ.* Abſolutio ab excommunicatione, in quam quis incidit ipſo jure ex Clerici percutione, eſt Papæ reſervata, *cap. Si quis ſuadente diabolo 17. q. 14.* niſi percuſſo vel injuria ſit Levis, quia tunc Epiſcopus poteſt abſolvere, *cap. Pervenit, de ſent. excomm.* pro enormi verò, regulariter non abſolvit niſi privilegiatos, qui ſunt *num. 17.* de quibus *Panorm. in cap. Illorum, eod. tit.* aut in caſu neceſſitatis.

N. 25. *In omnibus caſibus ſupradictis abſolutio reſervatur Papæ.* Sunt & alii caſus in quibus excommunicati veniunt à Papa abſolvendi, quales ſunt : *Primò*, inobedientes ſententiæ delegati intra annum, *cap. Quærenti, de Offic. delegati : Secundò*, gravantes eos qui tulerunt ſententias contra Magos, *cap. Quicunque, de ſent. excomm. in 6. Tertiò*, qui ſpoliant fideles navigantes aut naufragium paſſos, *cap. Excommunicationi, de raptoribus. Quartò*, impedientes ſeu invadentes eos qui victualia aut alia neceſſaria ad uſum Romanæ Curiæ adducunt *Bulla Cœnæ Domini : Quintò*, facientes promiſſionem vel pactum temporalium pro aliqua gratia vel juſtitia obtinenda in Curia Romana, *extravag. excommunicavimus, de ſentent. excomm.* inter communes, hanc extravagantem quæ eſt Bonifacii VIII. dicunt aliqui revocatam per Clementem V. & hoc tenendum ait *Sylveſter in verb. Excommunicatio 7. n. 82.* propter regulam logicalem, quia locus ab authoritate dicitur tenere affirmativè, non autem negativè, ex qua habetur quòd in hac controverſia ſtandum non dicentibus eam durare, quia ſcilicet non legerunt eam revocatam, non enim ex quo non legerunt, ſequitur quòd ſit revocata, ſed ſtandum eſt aliis qui non dixerint eam eſſe revocatam, niſi hoc ſcirent : *Sextò*, Commiſſarii inferiores Epiſcopis delegati ad cognoſcendum an rei Eccleſiaſticæ alienatio cedat, in evidentem utilitatem Eccleſiæ per gratiam, timores, vel ſordes alienationi conſentiunt, aut decretum & authoritatem imponunt, & qui iſta procurant, *extravagante Pauli II. quæ incipit cum omnibus.*

Eodem N. 25. *Excepto mortis articulo.* Nec tunc niſi præſtitâ priùs de ſtando ſanctæ Matris Eccleſiæ mandatis ſatisfactione, vel ſufficienti cautione, ut habetur in Bulla Cœnæ Domini, in qua alii extant caſus excommunicationis de quibus Author titulo ſequenti.

TITULUS XXXIX.

De aliis caſibus reſervatis in Bullâ Cœnæ.

I. HÆc Bulla poſt Concilium Tridentinum condita fuit à Sixto V. & Bulla Cœnæ dicitur quoniam ſingulis annis die Cœnæ Dominicæ Romæ publicari ſolet, in qua excommunicantur. *Primò*, Hæretici, eorumque receptatores, fautores, & defenſores.

II. *Secundò*, Imprimentes, vendentes & ſine licentia Sedis Apoſtolicæ legentes Hæreticorum Libros in quibus de Religione tractatur.

III. *Tertiò*, Schiſmatici, quique à Romani Pontificis obedientia ſe ſubtrahunt, & qui ab ejus Sententiis ſeu Decretis appellant ad futurum Concilium.

IV. *Quartò*, Pyratæ, curſarii maritimi, eorumque receptatores & fautores, & qui Chriſtianorum naufragantium bona in navibus vel littore ejecta diripiunt.

V. *Quintò*, qui ſine juſſu Principis vectigalia nova imponunt, vel augent, & qui ea exigunt.

VI. *Sextò*, qui per ſe vel alios falſificant Litteras Apoſtolicas, *juxta c. ad falſariorum, de crimine falſi ſuprà citatum.* Idem dicitur de iis qui falſificant ſenſum Litterarum, mutatâ litterâ aut puncto, ut advertit Toletus.

VII. *Septimò*, qui Infidelibus arma deferunt, opem dant vel conſilium, aut cùm illis tractant in perniciem Reipublicæ Chriſtianæ, *juxta c. Ita quorumdam, & c. Ad liberandum, c. Quod olim de Judæis.*

VIII. *Octavò*, qui impediunt ne victualia aliave neceſſaria Romam exportentur.

IX. *Nonò*, qui Romipetas proficiſcentes ad Sedem Apoſtolicam, aut ab eo recedentes, interficiunt aut mutilant, capiunt, ſpoliant, vel id agentibus auxilium dant.

X. *Decimò*, qui non habentes Juriſdictionem ordinariam, aut delegatam à Papa, vel ejus Officialibus, cognoſcunt de cauſis commorantium in Curia.

XI. *Undecimò*, qui Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Legatos Sedis Apoſtolicæ interficiunt, percutiunt, capiunt, hoſtiliter inſequuntur, vel id facientibus auxilium dant.

XII. *Duodecimò*, qui occidunt, percutiunt, boniſve ſpoliant recurrentes Romam ob negotia cauſaſve proprias, vel eorum Advocatos, Sollicitatores, & Procuratores.

XIII. *Decimo-tertiò*, qui frivolam appellationem prætexentes à gravamine aut executione Litterarum Apoſtolicarum Gratiæ vel Juſtitiæ, ad Laïcam poteſtatem recurrunt. *(a)*

XIV. *Decimo-quartò*, Judices ſæculares cujuſcumque ſint Dignitatis, qui perſonas Eccleſiaſticas aut rerum ſpiritualium vel temporalium Eccleſiæ cognitionem ad ſua Tribunalia, Concilia & Parlamenta evocant, ſeſeque de illis Judices interponunt præter Juris diſpoſitionem, *juxta c. Quoniam, de immunitate Eccleſiarum in 6.*

Dicitur, præter Juris diſpoſitionem; ſunt enim varii caſus in quibus de exceſſibus Clericorum, & rebus eorum, & de bonis Eccleſiæ Judices ſæculares poſſunt cognoſcere, quos diſtinguemus infrà, tractando de caſibus communibus & privilegiatis, & de appellationibus ab abuſu.

XV. *Decimo-quintò*, excommunicantur omnes qui Judices Eccleſiaſticos impediunt in functione Juriſdictionis ſuæ, *juxta c. Quoniam, ſuprà citatum.*

XVI. *Decimo-ſextò*, qui Juriſdictionem, fructus & reditus, ad Sedem Apoſtolicam & perſonas Eccleſiaſticas pertinentes ratione Eccleſiæ aut Monaſterii, uſurpant, aut ſine licentia ſequeſtrant.

XVII. *Decimo-ſeptimò*, qui collectas, decimas, taleas, & alia onera, Clericis, Prælatis, aut propriis eorum bonis, aut Eccleſiarum vel Monaſteriorum bonis, ſine Sedis Apoſtolicæ expreſſa & ſpeciali licentia imponunt, & qui ea exigunt, *juxta c. Clericis, de immunitate Eccleſiarum, & c. Quanquam, de cenſibus in 6.*

XVIII. *Decimo-octavò*, Magiſtratus ſæculares, ſcribæ, & executores, qui in cauſis criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, ſe Judices interponunt.

XIX. *Poſtremò*, excommunicantur hoſtes qui Romam, aliaſve Civitates Eccleſiæ Romanæ ſubjectas, immediatè vel mediatè invadere, deſtruere vel occupare præſumunt, aliave jura uſurpare ad eandem Eccleſiam pertinentia.

XX. In quibus caſibus Papa ſibi reſervat abſolutionem, excepto mortis articulo, revocando omnia privilegia etiam data in Conciliis generalibus, quibus abſolutio ab alio quàm à Summo Pontifice poterat impetrari; quâ clauſulâ facultatem datam Epiſcopis abſolvendi in caſibus occultis eſſe revocatam Toletus aſſerit. Verùm jure proprio Epiſcopus poteſt abſolvere in omnibus caſibus non reſervatis Apoſtolicæ Sedi, *c. Nuper, de ſent. excommunicationis*, eam poteſtatem habet ratione Dignitatis. Ergo cùm in caſibus occultis poteſtas abſolvendi reſervata non ſit Apoſtolicæ Sedi, ut conſtat ex verbis Concilii Tridentini, *Seſſ.* 24. *c.* 6. ubi non datur Epiſcopis poteſtas abſolvendi in caſibus occultis, authoritate Apoſtolicâ, ſed dicitur licere; quod de authoritate propriâ, non de delegatâ intelligitur; conſequens eſt quòd per hanc Bullam poteſtas abſolvendi in caſibus occultis annexa authoritati Epiſcopali, non tollitur, & Epiſcopi eâ uti poſſunt etiam in partibus in quibus Concilium nondùm fuit receptum, ut diximus ſuprà *tit.* 32. *ſub finem.* Apud nos in Gallia hæc Bulla non fuit publicata, nec ligat niſi in iis quæ Conciliis & Conſtitutionibus Eccleſiaſticis in hoc Regno receptis nituntur.

SOLIER.

(*a*) HÆ ſunt quæ apud nos frequentiſſimæ appellationes tanquàm ab abuſu nuncupantur, de quibus ſileo quia vix aliquid de his vel aſſeri vel negari poteſt ſalvo omni jure vero vel prætenſo utriuſque poteſtatis. Pavendum tamen anathema omnibus Judicibus quod contra perturbantes Juriſdictionem Eccleſiaſticam Romæ quotannis ſolemniter intorquetur ſeu intortum declaratur: Eccleſia enim Juriſdictionem habet ex ſe, non autem Beneficio alieno ut pluribus comprobat *Author Hiſtoriæ Juriſdictionis Pontificiæ lib.* 4. *c.* 1. Certum eſt autem unicuique licere ſuam Juriſdictionem tueri etiam pœnali judicio, & ſicut Regia Tribunalia à Judice Eccleſiaſtico cauſas ſæcularis notionis quotidiè vindicant inflictâ etiam in uſurpatorem amendæ pœnâ, quid vetat pariter Summum Pontificem ſpirituali gladio jura Eccleſiæ deffendere? An deeſt poteſtas, vel cauſa rationabilis? Certè de neutro ambigi poteſt: quamvis enim ſpeciali privilegio Officiales Regii in muniis ſuis excommunicari non poſſint hoc intelligendum eſt quando jura Regia conſervant, non autem ubi Eccleſiaſtica uſurparent, *Fevret de Abuſu, lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 10. quod & Chopinus ſatis agnovit *de ſacra polit. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 17. dum ait Pontificii Fulminis diploma ſanctiſſimum, quod in Eccleſiaſticam Juriſdictionem conturbantes quotannis recitatur & promulgatur Dominica Cœna ſolemni, non pertinere ad pios Reges, eorumque magiſtratus, qui Apoſtolicæ Sedi obſequentiſſimi juriſdicam Eccleſiæ poteſtatem tuentur juxta ſacros Canones, contrarium inſinuans ſi ſecus agerent.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 6. QUI *per ſe vel alios falſificant Litteras Apoſtolicas juxta cap. ad falſariorum.* Differt excommunicatio de qua in Cœna Domini contra falſificantes Litteras Papæ, ab excommunicatione, *cap. ult. ad falſariorum*, in eo quod ſub illa non comprehenduntur, qui per alios falſificant hujuſmodi litteras, omnes fautores vel defenſores falſariorum, ſicut comprehenduntur in excommunicatione *capituli Ad falſariorum*, ut videre eſt in textu, & etiam in eo quod idem capitulum excommunicat utentes litteris falſis Papæ, Bulla vero Cœnæ Domini nequaquàm, nullam tamen incurrit excommunicationem qui in litteris Apoſtolicis aliquid modicum mutat, vel corrigit quando ſubſtantia non mutatur, *Navarr. in manuali cap.* 27. nec falſificans litteras Cardinalis ſcribentis nomine Sanctiſſimi, cùm verè non dicatur falſare litteras Papæ, *Barboſ. ad dictum cap. n.* 2. *& ſeqq.* & notandum quòd in dicente falſum, non admittitur excuſatio ignorantiæ, ut ex textu notat *Gloſſ. ibid.* quâ verò pœnâ puniuntur Clerici utentes ignoranter falſis dimiſſoriis *vide Riccium in deciſ.* 89.

N. 20. *In Gallia hæc Bulla non fuit publicata.* Bullam Cœnæ Domini in pleriſque Regionibus non recipi certum eſt, ut de Germania teſtatur *Becanus in tract. de Leg. Humana, q.* 8. *de Belgis Baſſeus de Rege Hiſpaniæ, & Rop. in Genuenſi, Cicilia, Sardania, & Corſia Bonacina*, referente *Cabaſſ. in theoria, lib.* 5. *cap.* 15. Declaro tamen ut in Gallia locum non habeat reſervatio Papalis per memoratam Bullam inducta, ſed adhuc duret excommunicatio non reſervata antiquorum Canonum in certis caſibus ejuſdem Bullæ, ut in falſariis litterarum Apoſtolicarum juxta *caput Ad falſariorum, de crimine falſi*, in deferentibus arma, & alia hujuſmodi ad partes infidelium expreſſa *in cap. Ita quorumdam & cap. Quod olim, & cap. Ad liberandum, de Judæis & Sarracinis*, in Hæreticis, eorumque fautoribus, & receptatoribus, qui jure antiquo excommunicantur ipſo facto ſine reſervatione, *cap. Sicut ait, & cap. Excommunicavimus, de Hæreticis, & cap. Noverit, de ſent. excomm. ut Concil. Trident. Seſſ.* 24. *cap.* 6. reſervat ſolis Epiſcopis & hoc jure utimur.

TITULUS XXXX.

De casibus non reservatis.

I. SUNT plures alii casus qui non reservantur, in quibus Episcopi & eorum Vicarii absolvere possunt, sive casus sit occultus, sive notorius. *Primus* est *in c. Administratores 23. q. 5.* in quo administratores sæcularium Dignitatum excommunicantur si tertiò moniti tutelam pupillorum aut viduarum & refrænationem rapacium negligant.

II. *Secundus in c. Licet devitanda, de elect.* peculiaris est, de electione Summi Pontificis, adversus eos qui electi à minori numero quàm duarum partium de tribus Cardinalium, sibi Episcopi nomen usurpant, & cæteros qui eum talem agnoscunt.

III. *Tertius in c. Non minus, & c. Adversus, de immunitate Ecclesiarum*, quibus Consules & Civitatum Rectores, qui Ecclesias & Ecclesiasticas personas taleis, collectis & aliis exactionibus aggravant, excommunicantur, eorumque successores in eo regimine, & fautores, nisi Ecclesiam sublevent; nec-non illi qui Jurisdictionem Prælatorum evacuant, seu distrahunt: qui casus reservantur in Bullâ Cœnæ: *suprà n.* 14. *&* 17. apud nos non reservantur.

IV. *Quartus in c. Non magnopere, & c. Super specula, ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*; ubi excommunicantur Religiosi Professi qui ex suis Claustris exeunt ad audiendum vel docendum Leges Civiles aut Medicinam in publicis Auditoriis, nisi moniti intra duos menses à die exitûs ad Claustra revertantur. Idem statuitur de Clericis Dignitatem vel Personatum habentibus, & de Sacerdotibus *in d. c. Super specula.*

V. *Quintus in c. Clericis, ne Clerici vel Monachi*, ubi excommunicantur Sacerdotes qui Vicecomitis aut Præpositi sæcularis Officium exercent, si moniti non se abstineant: excusantur tamen qui in Consilium Principis accersiti sunt, *Toletus lib. 1. c. 37.*

VI. *Sextò, in c. Excommunicationi, de raptoribus*, excommunicantur pyratæ & cursarii maritimi qui Christianos spoliant, aut eorum naufragantium bona diripiunt; qui casus hodie reservatur in Bullâ Cœnæ.

VII. *Septimò, in c. Noverit* (*a*) *de sentent. excomm.* excommunicantur violatores Ecclesiasticæ Libertatis, Statuta condentes sine licentia Summi Pontificis, vel inducentes consuetudines contrarias in perniciem Ecclesiæ.

VIII. *Octavò, in c. 1. de Schismaticis*, excommunicantur qui consentiunt ordinationi Schismatici, & qui Beneficia aut bona Ecclesiæ ab eo scienter acquirunt.

IX. *Nonò, in c. ubi periculum, de elect. in 6.* excommunicantur qui in Conclavi dùm agitur de electione Summi Pontificis cum aliquo Cardinalium ad fines electionis ibi congregatorum, de eo negotio secretè tractant.

X. *Decimò, in c. Sciant, de elect. in 6.* excommunicantur qui Clericos aut Religiosos, eorumve consanguineos vexant, Beneficiis aut bonis temporalibus privant, quòd electioni quam ambiunt suffragari recusent.

XI. *Undecimò, in c. Generali, de elect. in 6.* excommunicantur qui prætextu Regaliæ, advocationis vel defensionis Ecclesiæ vacantis bona usurpant: quâ tamen Constitutione Jus quod ab ipsarum Ecclesiarum Fundatione fuit constitutum, vel antiquâ consuetudine introductum, non aboletur, (*b*) ut de Regaliâ in Franciâ suprà diximus.

XII. *Duodecimò, in c. Indemnitatibus, eod. tit.* excommunicantur deputati ad directionem Monialium qui inter eas discordiam pariunt in electionibus, directè, vel indirectè, non abstinendo ab iis quæ sunt causa discordiæ; & statuitur electionem Abbatissæ esse nullam nisi à duabus partibus de tribus electa sit, & Moniales quæ in contraria vota abierant posse post publicationem (*c*) antequàm ad alios actus diverterint, accedere, ob frequentes discordias quas fragilitas sexûs parit inter eas.

XIII. *Decimo tertiò, in c. Hæc Constitutio, de Officio Judicis delegati, in 6.* excommunicantur qui procurant Judices sibi datos ad alia negotia potestatem sibi delegatam prorogare.

XIV. *Decimo-quartò, in c. unico de iis quæ vi metûsve causa fiunt, in 6.* excommunicantur qui pro se vel pro aliis, per se vel per alios, per vim & metum extorquent absolutionem Ecclesiasticæ Censuræ; talis absolutio est nulla, reus novo vinculo excommu-

nicationis innodatur; & ſi non curet abſolvi intra bimeſtre, caſus reſervatur Papæ, *c. Quicumque, de ſent. excomm. in 6.*

XV. *Decimo-quintò, in c. Mulieres, de judiciis, in 6.* excommunicantur Judices qui prætextu teſtimonii recipiendi, viſitationis & libidinis gratiâ intrant in Monaſteria mulierum.

XVI. *Decimo-ſextò, in c. Hoc conſultiſſimo, de rebus Eccleſiæ non alien. in 6.* excommunicantur Laïci qui Prælatos Eccleſiæ aliaſve perſonas Eccleſiaſticas compellunt ut profiteantur ſe tenere ab ipſis aliqua bona Eccleſiæ titulo patrocinii vel advocationis, feudi vel emphyteuſis, ad reditum annuum in certum tempus, vel in perpetuum, ſine Apoſtolicæ Sedis licentia; & qui ex contractibus ſic initis cum licentia Sedis Apoſtolicæ ultra legitimum modum aliquid exigunt: quod capitulum deſumptum fuit ex Concilio Lugdunenſi; & Gallis nominatim ſcriptum videtur, ut patet ex illo verbo, *Avoir*, (*d*) ibi appoſito: hâc enim formulâ in recognitionibus uti ſolemus, *Confeſſe de avoir & tenir ſous la main directe & Seigneurie de, &c.* ad relegandam ſimoniam & confidentiam, quæ illis temporibus in Galliâ pullulabant, ut diximus ſuprà *de ſimonia.*

XVII. *Decimo-ſeptimò, in c. unico, de Religioſis domibus, in 6.* excommunicantur qui novum Ordinem Religionis ſine licentia Sedis Apoſtolicæ inſtituunt: in Gallia novi Ordines non admittuntur ſine Regis licentia, quæ non conceditur niſi Bullis exhibitis, audito Procuratore Regio, ex Decreto Ludovici XIII. *Novembris anni 1629.* & Monaſteria conſtruere non licet ſine licentia Epiſcopi diœceſani, auditis Civitatis Rectoribus *Fevret, lib. 2. c. 1.* ubi refert varia Arreſta Senatus Pariſienſis, quibus modus dotationis Monialium intrantium in Monaſteria taxatur, ne Familiarum patrimonia exhauriantur, Monaſteria nimis diteſcant, & luxu vitæ ſumptuoſæ & voluptuoſæ, vinculum Religionis diſſolvatur aut relaxetur, ut in multis Monaſteriis accidiſſe videmus.

XVIII. *Decimo-octavò, in c. Eos, de immun. Eccl. in 6.* excommunicantur Domini temporales qui violando Eccleſiæ libertatem ſubditos ſuos impediunt ne Prælatis aliiſve perſonis Eccleſiaſticis quidquam vendant, aut ab eis emant, vel ne illis bladi molendi aut panis coquendi in ſuis furnis & molendinis copiam faciant.

XIX. *Decimo nonò, in c. Ut periculoſa, ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant, in 6.* excommunicantur Religioſi profeſſi qui habitum temerè dimittunt; & qui ſine licentia Prælati ad quævis Litterarum Studia accedunt; eandemque Cenſuram incurrunt Profeſſores qui eos dimiſſo Habitu in ſuis Scholis ſcienter admittunt.

XX. *Vigeſimò, in c. Quicumque, de Hæreticis, in 6.* excommunicantur qui Hæreticos, eorum receptatores & fautores tradunt Eccleſiaſticæ ſepulturæ: excommunicantur etiam Laïci qui cum Hæreticis publicè vel privatim diſputant de Catholica Fide: ad nihil enim hujuſmodi diſputationes proſunt niſi ad ſubverſionem audientium, ut ait Apoſtolus ad Timotheum, *c.* 4. & Conſtitutionibus Cæſareis prohibitæ ſunt, *L.* 4. *C. de ſumma Trinitate & Fide Cath.*

XXI. *Viceſimo-primò, in c. ut inquiſitionis, de Hæret. in 6.* excommunicantur Judices ſæculares qui cognoſcunt de crimine Hæreſis; & qui Epiſcopis aut inquiſitoribus de eo crimine cognoſcentibus impedimentum præbent.

XXII. *Viceſimo-ſecundò, in c. 1. de homicidio, in 6.* excommunicantur aſſaſſini (*e*) qui per inſidias necem Chriſtiani moliuntur, & qui illorum operâ utuntur, tametſi mors inde non ſit ſecuta.

XXIII. *Viceſimo-tertiò, in c. 1. de uſuris, in 6.* excommunicantur uſurarii manifeſti, nec non Domini temporales qui eos in ſuis terris ſcienter admittunt, quique eis domos locant, niſi eos intra tres menſes expellant.

XXIV. *Viceſimo-quartò, in c. unico de injuriis, in 6.* excommunicantur Principes (*f*) temporales qui contra perſonas Eccleſiaſticas, vel earum bona: repræſalias concedunt, aut generaliter conceſſas ad eas vel earum bona extendunt, nam æquitati canonicæ repræſaliæ adverſantur, quæ non patitur quemquam pro alio gravari, inhoneſtæ & odibiles ſunt, *Nov.* 25. Et ſicut Conſtitutione Gregoriana in dicto capitulo, Clerici ab illis immunitatem obtinuerunt, ſic Fridericus ab illis Scholaſticos voluit eſſe immunes, *Authent. habita, C. ne filius pro patre.*

XXV. *Viceſimo-quintò, in c. Fœlicis, de pœnis, in 6.* excommunicantur Judices, & Civitatum Rectores, qui quæ in illa Conſtitutione decernuntur contra perſecutores Cardinalium non curant obſervari.

XXVI. *Vicesimo-sextò, in Clementina unic. de sequestr. possessionis & fructuum*, excommunicantur qui sequestrationem impediunt, & fructus occupant Beneficii, quos Ordinarius post Sententiam latam apud Sedem Apostolicam, vel à Commissariis ab ea delegatis, in petitorio, vel possessorio, jussit sequestrari, nisi illud Beneficium ante Sententiam per triennium pacificè possessum fuerit.

XXVII. *Vicesimo-septimò, in Clement. 1. de sepulturis, & c. 1. eod. tit. Decretalium*, excommunicantur qui sepeliunt in cæmeteriis tempore interdicti; & qui in cæmeterio aut loco sacro sepeliunt publicè excommunicatos aut usurarios manifestos.

XXVIII. *Vicesimo-octavò, in Clementina 1. de decimis*, excommunicantur Religiosi usurpantes decimas aliis Ecclesiis debitas, & qui fraudibus exquisitis Ecclesiam frustrant decimis à colonis suis vel emphyteotis illi debitis, vel à pastoribus habentibus pecora Monasterii in societatem aut locationem; ex quibus causis Religiosi Beneficium habentes suspenduntur; & si Beneficium non habeant, excommunicantur, nec relaxantur nisi satisfecerint Ecclesiæ læsæ.

XXIX. *Vicesimo-nonò, in Clement. ne in agro, de statu Monachorum*, excommunicantur Monachi & Canonici Regulares vagantes per Curias Principum sine licentia suorum Prælatorum, ut eisdem Prælatis aut Monasteriis negotium faciant.

XXX. *Trigesimò, in ead. Clement.* excommunicantur Monachi intra septa Monasterii arma tenentes sine licentia Prælati, Regulares arma gerentes sine licentia, excommunicantur ipso facto: Clerici verò sæculares excommunicantur si moniti non desistant, *c. 2. de vita & honestate Clericorum.*

XXXI. *Trigesimo-primò, in Clement. attendentes, de statu Monachorum*, excommunicantur illi qui Prælatos eorumve Commissarios impediunt in visitatione Monialium, si moniti non desistant.

XXXII. *Trigesimo-secundò, in Clement. 1. de consang. & affinit.* (*g*) excommunicantur qui scienter Matrimonia contrahunt in gradu prohibito consanguinitatis vel affinitatis, sine dispensatione.

XXXIII. *Trigesimo-tertiò, in ead. Clement.* excommunicantur Religiosi & Religiosæ Professæ, nec-non Clerici in Sacris constituti qui Matrimonia contrahunt.

XXXIV. *Trigesimo-quartò, in Clement. nolentes, de Hæret.* excommunicantur Episcopi, eorum Vicarii, & inquisitores Hæreticæ pravitatis, qui prætextu inquisitionis modis illicitis pecunias exigunt.

XXXV. *Trigesimo-quintò, in Clement. un. de usuris*, excommunicantur illi qui Statuta condunt de solvendis usuris, nec-non Judices qui in judiciis illa Statuta observant.

XXXVI. *Trigesimo-sextò, in Clement. cupientes, de pœnis*, excommunicantur Religiosi qui sine licentia Papæ Loca de novo recipiunt ad habitandum, aut recepta mutant. Verùm huic Constitutioni privilegiis contrariis Mendicantibus concessis derogatum fuit, ut advertit Toletus: *Vide suprà n.* 17.

XXXVII. *Trigesimo septimò, in ead. Clement.* excommunicantur Religiosi qui in suis Sermonibus publicis aut privatis audientes à solutione decimarum retrahere intendunt.

XXXVIII. *Trigesimo-octavò, in Clement. 1. de sent. exc.* excommunicantur, Religiosi tàm exempti quàm non exempti, qui non servant interdictum generale, quod sciunt servari à matrice Ecclesia.

XXXIX. *Trigesimo-nonò, in Extravag. super gentes, de consuetudine*, excommunicantur qui Legatos vel Nuntios Apostolicæ Sedis impediunt ne Regna aut Provincias ad quas delegati sunt ingrediantur. (*h*)

XL. *Quadragesimò, in Extravag. ambitiosæ, de reb. Ecclesiæ non alienandis*, excommunicantur (*i*) qui extra casus licitos, & Jure permissos, alienant bona immobilia Ecclesiæ, aut mobilia pretiosa: & qui eadem bona immobilia ultra triennium locant; nec non illi qui easdem res sic alienatas sine justa causa, aut necessitatis, aut evidentis utilitatis, recipiunt.

XLI. *Quadragesimo-primò, in Extravag. quia nonnulli, de sent. excom.* excommunicantur qui Litteras Papæ electi impugnant, etiamsi nondum fuerit coronatus. (*k*)

XLII. *Quadragesimo-secundo, in Concilio Trid. Sess. 4.* juxta Concilium Lateranense secundum, *Sess. 10.* excommunicantur imprimentes & imprimi mandantes Libros de rebus sacris sine nomine Authoris.

XLIII. *Quadragesimo-tertiò, eod. Concilio, sub finem, in Regulis Librorum prohibi-*

torum, excommunicantur habentes & legentes Hæreticorum Libros ob Hæreſim damnatos, aut ob falſa dogmata ſuſpectos, quo loco abſolutio non reſervatur; ſed in Bulla Cœnæ reſervatur, ſi Libri de Religione tractent ex profeſſo, & Hæreſim contineant: at, ut notavimus ſuprà, illa Bulla non fuit in Galliâ publicata, neque Concilium Tridentinum: tamen ob morum honeſtatem, & periculum animarum, à lectura illorum Librorum debent abſtinere imperiti cæterique in controverſiis minùs exercitati.

XLIV. *Quadrageſimo-quartò, eodem Concilio, Seſſ.* 1. *c.* 11. excommunicantur prædicantes, docentes & pertinaciter aſſerentes Confeſſionem ſacramentalem non eſſe neceſſariam ad ſacroſanctam Synaxim exiſtentibus in peccato mortali, & habentibus copiam Confeſſarii.

XLV. *Quadrageſimo-quintò, eod. Concilio, Seſſ.* 1. *c.* 11. excommunicantur raptores mulierum matrimonii contrahendi gratia, & qui eis auxilium dant vel conſilium.

XLVI. *Quadrageſimo-ſextò, eod. Concilio & Seſſ. c.* 9. excommunicantur qui violant libertatem matrimonii, directè, vel indirectè, impedientes aut cogentes ſuppoſitos poteſtati ſuæ, alioſve quoſcumque mares aut fœminas nuptias contrahere.

XLVII. *Quadrageſimo-ſeptimò, eod. Concilio, Seſſ.* 25. *c.* 5. excommunicantur qui clauſuram Monialium infringunt ſine licentia Epiſcopi; & Magiſtratus qui Epiſcopo auxilium petenti ad reſtituendam aut conſervandam illam clauſuram auxilium negant.

XLVIII. *Quadrageſimo-octavò, eod. Conc. Seſſ.* 25. *c.* 18. excommunicantur qui virginem aliamve mulierem quomodocumque cogunt ut Monaſterium ingrediatur, & velum Religionis ſuſcipiat, & qui ad hoc auxilium vel conſilium dant, niſi mulier adulterii damnata ſit, & detonſa, invitaque in Monaſterium detrudi debeat, *juxta Authent. ſed hodie, ad legem Juliam, de adulteriis.* Excommunicantur etiam eodem Concilio qui piam virginis vel alterius mulieris voluntatem avertunt, & impediunt ne in Monaſterium ingrediatur, & velum ſuſcipiat.

XLIX. *Quadrageſimo-nonò, eod. Conc. Seſſ.* 25. *c.* 19. excommunicantur pugnantes in duello, eorumque patrini, opem dantes aut conſilium; nec non ſpectatores, Reges & Principes deteſtabiliter duellorum uſum in ſuis Terris permittentes: olim enim permittebatur ad probationem veritatis in cauſis dubiis, ut conſtat ex Conſtitutione Philippi Pulchri, & forma poſtulandi duelli *apud Molin. in Stylo curiæ Pariſienſis, c.* 16. Verùm poſterioribus Conſtitutionibus Pontificiis & Gallicis diſtrictè prohibetur.

L. *Quinquageſimò.* Sunt & aliæ Conſtitutiones generales & particulares, quibus in aliis caſibus (*m*) Eccleſiaſtica Cenſura irrogatur; in quibus omnibus uſus eſt attendendus: nam Conſtitutiones Bonifacii VIII. quæ ſunt in 6. Decretalium, non ſunt receptæ in hoc Regno, ob multa capita quæ poteſtatem Ordinariorum lædere videbantur, ut teſtatur Imbertus *Inſtit. Forenſ. lib.* 4. *c.* 5. *in notis*, Duarenus *de ſacris Eccleſiæ miniſteriis*; idem aſſerit de Conſtitutionibus ſacri Concilii Tridentini ad Statutum Politicum Eccleſiæ & morum reformationem pertinentibus, *Loëtius in lit. P. n.* 6. De Bulla Cœnæ diximus ſuprà *tit.* 37.

SOLIER.

(*a*) Hoc capitulo, quod eſt Honorii III. excommunicantur: *Primò*, omnes, qui ſervari fecerint ſtatuta & conſuetudines, quæ ſunt contra Eccleſiæ libertatem: *Secundò*, qui dicta ſtatuta deleri non fecerint de Capitularibus ſuis intra duos menſes à publicatione conſtitutionis hujuſmodi: *Tertiò*, ipſi ſtatutarii & Scriptores ſtatutorum: *Quartò*, Poteſtas, Conſules, Rectores, & Conſiliarii locorum, ubi hujuſmodi conſuetudines & ſtatuta edita fuerunt & ſervata: *Quintò*, omnes judicantes ſecundum hæc, vel rediguntes judicatum in publicam formam.

(*b*) Quin potius expreſsè approbatur, & ſic Regaliâ noſtrâ conſtitutione conciliari canoniſatur: habet enim ſaltem antiquam conſuetudinem & circa fructus tantùm percipiendos, & tutamen Eccleſiæ tempore vacationis tota verſatur, ſalvâ omni bonorum ejus manente ſubſtantiâ ad fructus vel reditus non ſpectante, juxta conſtitutionem hujuſmodi. Cùm autem collationes Beneficiorum ſint in fructu, *Gloſſ. in cap. Cùm olim, in verb. Capitulo, de Majorit. & Obed.* conſequens eſt ipſas, vacante Sede, ad Regem jure pertinere.

(*c*) Quod aliàs eſt contra Jus Commune, *cap. Publicato, de elect.*

(*d*) Non eſt legendum *avoir* habere, ſed *avoüer*, confiteri, recognoſcere, verbum enim hoc Gallicum peculiare eſt recognitionis feudalis teſte *Molineo ibid.* unde *aveu, reconnoiſſance.*

(*e*) Aut aſſaſſinos recipiunt, deffendunt, vel occultant, *d. cap.* 1. *de homicid. in* 6.

(*f*) Et quicumque alii, ſi ſint perſonæ ſingulares: ſi autem ſit Univerſitas Eccleſiaſtico ſubjacet interdicto, *d. cap. unic. de injuriis, in* 6.

(*g*) Per iſtam Clementinam tria perſonarum genera excommunicantur. *Primò*, matrimonium ſcienter ineuntes cum conſanguinea, vel affine in gradu prohibito, vel cum Moniali. *Secundò*, Religioſi aut Moniales matrimonium contrahentes. *Tertiò*,

tio, Clerici in sacris constituti. Fœmina verò nubens professo, aut in sacris constituto non excommunicatur (cum de ea nulla fiat mentio in d. Clem.) nec contrahens cum cognata legali vel spirituali, vel cum impedimento publicæ honestatis, quia de his nihil dicit Clementina, *Sanchez. de matrim. lib. 7. disp. 48. n. 2. juncto n. 14.*

(*h*) Iste casus est hodie reservatus per Bullam Cœnæ Domini, *Barbosa de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 50. n. 173.*

(*i*) Hanc extravagantem receptam esse quoad nullitatem contractûs, non autem quoad excommunicationem, & alias pœnas extrinsecas resolvunt *Molina de instit. tract. 2. disp. 466. n. 10. Quaranta in summa Bullarii, verb. alienatio rerum Eccles. n. 48. Cenedus ad Sextum, collectan. 32. n. 1.*

(*k*) Quia eodem momento, quo quis in Papam Canonicè eligitur, confirmatur immediatè à Deo, & potest ante coronationem exercere officium suum, *Barbos. d. loco.*

(*l*) Nisi primùm examinati probatique fuerint ab Ordinario: Et si Authores regulares fuerint, ultra Ordinarii approbationem requiritur etiam proprii superioris recognitio & licentia *d. Sess. 4.*

(*m*) Quos *vid. apud Sylvest. in Summa, in verb. Excommunicatio 7. 8. 9. & Barbos. loco citat. n. 174.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. DE *electione Summi Pontificis.* Multæ fuerunt decursu temporum editæ Constitutiones de electione Romani Pontificis: *Prima*, fuit edita à Symmacho Papa anno 499. relata *in cap. Si Papa, dist. 79.* contra tractantes de electione successoris Papæ superstitis, eo inconsulto. *Secunda*, à Concil. Lateran. sub Nicolao Papa, quæ habetur in *cap. In nomine Domini, dist. 23. anno* 1059. de his ad quos electio Papæ pertinet. *Tertia*, ab Alexandro III. in Concil. Lateran. relata in *cap. Licet, de vitanda electione, ab Authore Laudato, anno* 1180. quæ à duabus partibus Cardinalium eligi debere præcipitur. *Quarta*, à Gregorio X. in Concil. Lugdun. anno 1274. relata in *cap. Ubi periculum, de elect. in 6. Quinta*, à Clemente V. in Concil. Viennensi anno 1310. & refertur *in Clementina ne Romani, de elect. Sexta*, à Clemente VI. quæ incipit licet in Constitutione anno 1351. quâ multa circa Conclavis usum, locum, servos Cardinalium, & alia eodem pertinentia declarantur. *Septima*, à Julio II. incipiente, *tam divino*, edita anno 1505. quâ per simoniam facta Papæ electio, nulla pronuntiatur. *Octava*, à Paulo IV. incipiens, *cum secundum* anno 1558. contra tractantes de electione summi Pontificis Papa vivente, eoque inconsulto. *Nona*, à Pio IV. quæ incipit, *in eligendis*, anno 1562. in qua de exequiis defuncti Pontificis & de potestate sacri Collegii, Cardinalium & Officialium Curiæ Romanæ Sede vacante agitur. *Decima*, & ultima à Gregorio XV. quæ incipit, *æterni*, edita anno 1621. in qua tres tantùm formæ electionis Romani Pontificis approbantur, Scrutinium per secreta Cedularum suffragia fieri præcipitur, juxta ceremoniale ab eodem Papa editum, quod penes me habeo, in quo præfatæ constitutiones referuntur.

N. 4. *Nisi moniti intra duos menses à die exitûs ad claustra revertantur.* Imo ipso facto & sine alia monitione excommunicatio post bimestre tempus incurritur. *Gloss. in cap. Super specula, in verb. Audiantur, ne Clerici, vel Monachi*; textus enim in *cap. Non magnopere, eodem tit. & cap. Super specula*, important Canonem latæ sententiæ ut satis inducunt hæc verba dicti capituli, *Non magnopere, sententiam excommunicationis incurrant, Barbosa in eodem cap. n. 1. & n. 6.* Ratio hujus prohibitionis est ut liberiùs, & diligentiùs Presbiteri, & Religiosi operam dent studio Theologiæ.

N. 22. *Excommunicantur assassini. Archid. & Joannes Andreas, in cap. 1. de homicid. in 6.* scribunt assassinos esse quosdam infideles, qui subsunt Principi itidem infideli à quo ita edocti & instructi sunt, ut quos ille occidere jusserit, facillimè occidant, atque arbitrentur mortem ex hoc non esse timendam, nec ullam pœnam post mortem esse passuros, imò se obsequium præstare Deo se opinentur, *Covarr. lib. 2. Variar. resolut. cap. 20. n. 10.* Sed hodie in praxi receptum est ex communi Doctorum interpretatione, ut assassini jam dicantur quicunque pecuniâ aliove pretio conducti homines occidunt, aut percutiunt, nihil tale præcaventes in *dicto cap. 1. n. 24.*

N. 26. *Excommunicantur qui sequestrationem impediunt, & fructus occupant Beneficii.* Litigans qui sequestrationem hujusmodi impedit, vel sequestratos fructus occupare præsumit, ultra sententiam excommunicationis, quam ipso facto incurrit, eo ipso cadit à jure quod habebat in Beneficio, *Vivian. in praxi jurisprud. lib. 8. cap. 8. n. 12. Gonzalez ad regulam 8. §. 7. Proëm. n. 45. & n. 46.* subdit pœnam *Clem. unic. de sequestr. possessionis & fructuum*, tanquam odiosam non extendi ad casum similem & ultra terminos de quibus loquitur, & *n. 59.* subjungit quod vacat ipso jure Beneficium per violationem sequestri impositi vigore sententiæ definitivæ latæ in Curia Romana; utrum autem Beneficium quod vacat per violationem sequestri possit impetrari per quemcunque, & an comprehendatur sub clausula sive alio quovis modo? Vide *Mohedan. decis. 2. de sequest. poss. ita Barbosa in dicta Clem. n. 27.*

N. 32. *Qui scienter matrimonia contrahunt in gradu prohibito.* Secus autem si ignoranter, etiam ignorantiâ crassâ, & supinâ, modò non affectatâ, *Covarr. de sponsal. part. 2. cap. 6. §. 8. n. 2.* sed quid si initio ignorant impedimentum, vel pœnam excommunicationis, & post contractum matrimonium superveniat scientia? Incurrunt excommunicationem si maritali affectione perseverant in matrimonio, si verò animo fornicario jure inspecto, excusantur ab excommunicatione, quia illa non imponitur pro incestu, vel pro peccato, sed pro illo quod cernitur in contrahendis nuptiis, *Covarr. & Barbos. iisdem locis.*

TITULUS XXXXI.

De Suſpenſione.

SUMMARIUM.

I. Suſpenſi irregulares.
II. Suſpenſio major & minor.
III. Suſpenſus à Beneficio.
IV. Suſpenſus ab officio.
V. Suſpenſus à Divinis quoad ſe.
VI. Suſpenſus à Divinis quoad alios.
VII. Suſpenſus à Pontificalibus.
VIII. Suſpenſus ab Ordine Sacerdotali.
IX. Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ.
X. Quando ſpecies videatur adjecta taxativè.
XI & XII. Pluribus irregularitatibus idem poteſt innodari.

I. CUM ſuſpenſi non habeant ſuſcepti Ordinis exercitium, conſequens eſt eos eſſe irregulares (*a*) ad Ordines majores & Beneficia, quia Beneficium datur propter officium, *c. dilectus, de conſuet. c. cum bonæ, de ætate & qualitate ordinandorum, Toletus Inſtit. Sacerdotalium lib. 1. c. 43. Rebuff. de pacif. poſſeſſ. n. 206.* in quo ſuſpenſi excommunicatis æquiparantur; à quibus tamen differunt, quòd excommunicati arcentur à participatione Sacramentorum, & communione fidelium; ſuſpenſi verò privantur uſu dumtaxat Eccleſiaſtici officii, & Beneficii.

II. Hæc Cenſura duplex es, major, & minor: major, quâ reus ſuſpenditur ab officio Eccleſiaſtico, & Beneficio: minor, quâ ſuſpenditur ab alterutro. Rurſus minor fit variis modis: nam interdùm reus ſuſpenditur ſolùm à Divinis, idque fit vel quoad ſe & quoad alios: (*b*) quæ etiam dicitur ſuſpenſio major habito reſpectu ad minorem; vel ſuſpenditur ſolùm quoad alios, non quoad ſe, & dicitur ſuſpenſio minor: & interdùm ſuſpenditur ab exercitio omnium Ordinum, interdùm à certi Ordinis exercitio: putà à Pontificalibus ſi ſit Epiſcopus, vel à celebratione Miſſæ ſi ſit Sacerdos, aut ab adminiſtratione aliorum Sacramentorum, vel ab officio cantandi in Choro ſolemniter cum cæteris, vel ubique, vel in certa Eccleſia, vel ad tempus, vel in perpetuum: interdùm non ſuſpenditur à Divinis, ſed à Beneficio, aut aliis officiis annexis Beneficio, aut disjunctis; putà à Juriſdictione, vel parte Juriſdictionis, à poteſtate conferendi Beneficia, vel confirmandi elections, præſentandi, vel inſtituendi, à poteſtate eligendi activâ vel paſſivâ, ab ingreſſu Capituli, à licentia concionandi vel docendi, & aliis muneribus, ut notat gloſſa *in c. cupientes, de pœnis, in 6.* His ſuppoſitis hæ Regulæ traduntur.

Suſpenſus majori privatur uſu Eccleſiaſtici Officii, & Beneficii, & conſequenter fit inhabilis ad Ordines & Beneficia: at ſuſpenſio minor operatur ad fines expreſſos: nam in pœnalibus non fit extenſio, *c. ſtatutum, de electione, in 6. & c. odia, de reg. Juris, in 6.*

III. Suſpenſus à Beneficio non videtur ſuſpenſus ab officio, (*c*) nec à perceptione diſtributionum quotidianarum, quæ debentur ratione officii, quoniam officium non eſt acceſſorium Beneficii, & diſtributiones quotidianæ ſunt acceſſoriæ officii debitæ propter officium: idem tamen ſuſpenditur ab aliis officiis, quæ ſunt acceſſoria Beneficii; ut Canonicus ſuſpenſus à Beneficio ſuſpenditur à poteſtate eligendi activâ & paſſivâ, ab ingreſſu Capituli, à jure optandi, *Decius in c. Apoſtolicæ, de exceptionibus*; & Epiſcopus ſuſpenſus ab Epiſcopatu ſuſpenditur à poteſtate Clavium, & Pontificalibus.

IV. At dubium eſt an ſuſpenſus ab officio ſit ſuſpenſus à Beneficio, nam Beneficium datur propter officium; tamen mihi placet ſententia Toleti ſuſpenſum ab officio non ſuſpendi à Beneficio; ſive ſit ſuſpenſus à Jure, ſive Judicis Decreto: nam ſpecies taxationis gratiâ cenſetur adjecta, ut dicemus infrà: idem tamen non poteſt percipere diſtributiones quotidianas, aliave commoda debita ratione officii.

V. Suſpenſus à Divinis quoad ſe, & quoad alios, non poteſt ea quæ ſunt Ordinis exercere, Miſſam celebrare, Sacramenta miniſtrare, Horas Canonicas ſolemniter cum aliis recitare, diſtributiones quæ eo nomine dari ſolent percipere, ad majores Ordines promoveri, nec Beneficia adipiſci: idem tamen tenetur privatim recitare Horas Canonicas, ſi ſit in Sacris, aut Beneficium habeat, ut dicitur de excommunicato: nam hono-

ribus prohibitus nihilominùs impendia debet præſtare, *l. ſed honore. ff. de interd. & relegatis*: at non cenſetur ſuſpenſus à Beneficio, nec ab aliis officiis annexis & acceſſoriis Beneficii.

VI. Suſpenſus à Divinis quoad alios, non quoad ſe, non prohibetur privatim celebrare januis clauſis: non enim poteſt aliis Sacramenta miniſtrare, nec dicere *Dominus vobiſcum*, *Dominicus in c. cum æterni de ſent. & re jud.* Et ſi ſit conſtitutus in minoribus Ordinibus, non repellitur à majoribus, & ad Beneficia eligi poteſt in quibus non requiritur exercitium Ordinis interdicti.

VII. Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus non poteſt ſolemniter celebrare in Pontificalibus, (*d*) Ordines conferre, virgines benedicere; Chriſma conficere, Eccleſias & Altaria conſecrare: verùm non prohibetur Miſſam ſimpliciter celebrare, Sacramenta miniſtrare, conferre Beneficia, & alia quæ ſunt muneris Epiſcopalis exequi: nam cui interdicitur Clavis Ordinis, non interdicitur Clavis Juriſdictionis; & cui interdicitur Clavis Juriſdictionis, Clavis Ordinis non videtur interdicta.

VIII. Suſpenſus ab Ordine Sacerdotali non eſt ſuſpenſus ab exercitio Ordinum minorum: at ſuſpenſus à minoribus cenſetur ſuſpenſus à majoribus, nam majoribus prohibitus minores petere non prohibetur; at prohibitus minoribus non poteſt aſpirare ad majores, *l. relegatorum, ſub finem, ff. de interd. & relegatis, l. qui indignus, ff. de Senatoribus.*

IX. Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ non poteſt in eâ miniſtrare, (*e*) aut in eâ Beneficia adipiſci, durante ſuſpenſione; alibi verò poteſt, *Toletus loco cit. c. 45. ſub finem, Rebuffus in Praxi, tit. declaratio novæ proviſionis.*

X. Nam in pœnalibus ſpecies poſita poſt genus cenſetur adjecta reſtringendi gratiâ, *ex doctrina Bartholi in l. quæſitum*, §. *ſi quis, & l. cùm de Lanionis, ff. de fundo inſtructo legato*: & in favoralibus & gratioſis ſpecies poſt genus adjicitur declarationis non taxationis gratiâ, juxta Juris regulam odia reſtringi & favores convenit ampliari, *c. odia de regulis Juris, in 6.* ſive ſuſpenſio ſit ad tempus, ſive ad vitam, *c. cum æterni, de ſententia & re jud.* At ſi nulla ſpecies poſt genus addita ſit, nomine ſuſpenſionis omnis ſpecies continetur, *l. qui vinum*, §. *cùm dulcia, ff. de tritico, vino & oleo legato, l. ſi quis, ff. ſoluto matrimonio*, ut nomine excommunicationis venit excommunicatio major.

XI. Suſpenſus à Divinis novo vinculo irregularitatis (*f*) innodatur, ſi Divinis ſe ingerat, ob contemptum Clavium, à qua ſolus Papa poteſt eum abſolvere, *c. cùm æterni, ſuprà allegato, & c. is cui, de ſent. excomm. in 6.* Idem enim poteſt pluribus Cenſuris irretiri, ut de excommunicatione ſuprà diximus: cæteri verò ſuſpenſi ab aliis muneribus, eiſdem ſe ingerentes, peccant quidem, & inutiliter agunt, ſed aliud genus irregularitatis non contrahunt.

XII. Aliâ pœnâ mulctantur ſuſpenſi authoritate Apoſtolicâ, per Sententiam aut Decretum: nam ſi intra annum non pareant, & curent abſolvi creſcente contumaciâ, ut ſuſpecti de Hæreſi, ob contemptum Clavium, & vivæ vocis oraculi, deponuntur, & Beneficio privantur, *c. cum bonæ, de ætate & qualitate ordinandorum, Extravag. ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non alienandis.*

SOLIER.

(*a*) Non propterea dicendi ſunt irregulares per eaſdem rationes quibus ſimpliciter excommunicatus irregularis non eſt, quas deduxi *ad Flamin. Pariſ. de confid. Benefic. q. 61.* & negat *Navar. in manual. cap. 27. n. 152.* irregularitatem eſſe ſuſpenſionem: tum quia non eſt cenſura, *cap. quærenti, de verb. ſignif.* tum quia eſt privatio & inhabilitatio ad Ordinem obtinendum vel exercendum, at ſuſpenſio ſimplex eſt impedimentum exercitii, juxta mentem Panorm. *in cap. at ſi, de judiciis.*

(*b*) Illa diviſio ſuſpenſorum, ſcilicet quòd quidam ſint ſuſpenſi quoad ſe ſolùm, & alii quoad alios ſolùm, & alii quoad ſe & quoad alios, licet ſit Panormitani in *cap. ſi celebrat, de cleric. excom, n. 4.* non eſt tamen vera, niſi accipiendo vocabulum ſuſpenſum in lata ſignificatione pro impedito ex quolibet peccato mortali, non autem accipiendo ſtrictè & propriè pro impedito per ſuſpenſionem ſpeciem cenſuræ Eccleſiaſticæ, *Navar. in manual. cap. 27. n. 153.* Iſta autem vera ſuſpenſio triplex eſt: officii & Beneficii ſimul, *cap. tuarum, de privileg.* officii tantùm vel partis ejus: & Beneficii vel rei pertinentis ad illud tantùm, ut colligitur ex exemplis poſitis per *gloſſ. in Clem. cupientes, de pœnis.* Quam Author noſter ad *capitulum cupientes de pœnis in 6.* quod nullum eſt, malè Collocavit.

(*c*) Suſpenſus à Beneficio non ob id ſuſpenſus eſt ab officio, puta ordine, & juriſdictione, *gloſſ. in cap. cum Vintonienſis, de elect. & ibi Panorm.* ubi dicit officium eſſe latum vocabulum & claudere

utrumque; unde suspensus simpliciter ab officio suspenditur ab Ordine & jurisdictione, *gloss. in cap. cum dilectus, de consuet.* non tamen à Beneficio, *gloss. in clem. cupientes. In verb. suspensi, de pœnis*, contra *gloss. in cap. quia sæpe, in verb. Beneficiis, de elect. in 6.* simpliciter verò suspensus intelligitur ab officio & Beneficio, *Sylvest. in verb. suspensio* 5. Et suspensus ab Ordine simpliciter est suspensus à quolibet Ordine, & per consequens ab omnibus fundatis super Ordine, & sic à jurisdictione spirituali & similibus, *Panorm. in d. cap. cum dilectus, n.* 20. denique suspensus à minori suspenditur etiam à majori; sed non ècontrà, *Hostien. in cap. dilectus filius, de temp. ordin.*

(*d*) Aliàs incurreret irregularitatem, ut vult *Navar. in manual. cap.* 27. *n.* 163. quia est actus peculiaris Ordini Episcopatûs, quem esse verum Ordinem distinctum ab aliis significat *Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 2. 3. 4. & 7. *de Sacram. Ordin.* & colligitur ex *can.* 1. *juncta gloss. dist.* 32. negat incurrere irregularitatem *Tolet. lib.* 1. *cap.* 43. *n.* 3. *post Covar. resolut. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 15. nam licèt Episcopatus sit Ordo, non tamen est Ordo ut Sacramentum.

(*e*) Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, si celebret in ea, fit irregularis, quia suspensus est ab Ordine exercendo in ea, *cap. is cui, de sent. excom. in 6.* Sed quamvis peccet ibi audiendo divina, non tamen est irregularis, quia audire non spectat ad Ordinem, *Tolet. lib.* 1. *cap.* 45. *n.* 2.

(*f*) Tota materia suspensionis in quantum est censura Ecclesiastica in isto titulo counfunditur, nam suspensus à divinis quoad se solùm propter peccatum mortale celebrando, non fit irregularis, quia non violat suspensionem strictè acceptam pro una specie trium censurarum Ecclesiasticarum; ideòque, ut superflua & quæ nihil nisi ad intricationem & confusionem conducunt excutiantur, meminisse, oportet triplicis veræ suspensionis à nobis supra relatæ, videlicet ab officio & Beneficio simul, ab officio tantùm, & à Beneficio tantùm, in toto vel parte. Celebrans in prima & secunda suspensione, vel exercens aliquem actum peculiarem alicujus Ordinis, sive majoris, sive minoris irregularitatem incurrit, *cap.* 1. *de Sent. excom. & cap.* 1. *de re judic. eod, lib.* secus si exerceret alium actum etiam Ecclesiasticum, & ad officia divina pertinentem, qualis est psallere etiam in choro cum aliis, canere responsa defunctorum, vel litanias, baptisare sine solemnitate, ut alius Laïcus, & alia id generis, quæ non sunt peculiariter alicui Ordini deputata, *Navar. in manual. cap.* 27. *n.* 163. non autem concionari; quia actus prædicandi est lege divina, vel humana, vel consuetudine, actus peculiariter Diaconatui deputatus, *Navar. ibid.* nisi non solemniter nec ex suo officio prædicaret, *Tolet. lib.* 1. *cap.* 45. *n.* 4. tunc enim licèt prædicans suspensus à prædicatione sit ipso facto excommunicatus, *clem. cupientes* §. *quibus, circa finem, de pœnis*, non tamen est irregularis, *Tolet, ibid.* De suspenso à divinis idem dicendum quod dictum est de suspenso ab Ordine vel officio, *Bellet. in disquisitione Cleric. tit. de disquisitione Cleric. tit. de discipl. Cleric.* §. 5. *num.* 94. Celebrans verò in tertia suspensione, quæ est à Beneficio tantùm irregularis non efficitur, *gloss. in cap. latores, in verb. officio, de Cleric. excom, Bellet. in disq. Cleric. tit. de discipl. Cleric.* §. 5. *n.* 62. *in fine.* Præterea suspensus ab activa collatione Sacramentorum, si conferat efficitur irregularis, quia conferre Ordinis est, *Sylvest. in verb. suspensio* 5. Suspensus verò à passiva non fit irregularis, quia suscipere non est actus Ordinis, *ibid.* Item suspensus ab administratione Ecclesiæ tam in temporalibus, quàm in spiritualibus celebrans non est irregularis, quia non est suspensus ab Ordine, *Panorm. in cap. si quorundam. n.* 8. *de solut.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. SUSPENSI *excommunicatis æquiparantur; a quibus tamen differunt*, excommunicatio, suspensio, & interdictum, in quibusdam æquiparantur, & differunt in aliis, *Primò* enim, conveniunt in forma, quia tam sententia excommunicationis quàm suspensionis, & interdicti in scriptis cum expressione justæ causæ proferendæ, & exemplum rei id requirentis tradendum intra unum mensem, *cap.* 1. *de sent. excom. in 6. Secundò*, quamlibet sententiam præcedere debet monitio, *cap. reprehensibilis, de appellat. Tertiò*, conveniunt in effectu, ista enim tria comprehenduntur appellatione censuræ Ecclesiasticæ, *cap. quærenti de verb. signif.* & arcent ab administratione divinorum officiorum, aliàs violatores censuræ contrahunt irregularitatem, à qua non nisi à Pontifice absolvi possunt, *cap.* 1. *de sent. excom. in 6. cap. is cui, eod. tit. & lib.* nec interim eligere, vel eligi, vel testificari possunt, *cap. cum dilectus, de consuet. cap. veniens, de testibus. Quartò*, nullam earum suspendit appellatio subsecuta, & quamlibet annulat præcedens, *cap. is cui* §. *fin. de sent. excomm. in 6. & cap. ad hæc quoniam, de appellat.* In quibus verò differunt. *Primò*, quia cum suspenso & interdicto participari potest, nisi participatio specialiter esset interdicta; non autem cum excommunicato, *cap. Sacris de his, quæ vi metûsve causâ. Secundò*, propriè loquendo homo excommunicatur vel suspenditur, sed non interdicitur, nisi impropriè, *cap. cum dilectus, de Relig. Domib. cap. Pastoralis, de appellat.* cadit enim interdictum in rem inanimatam, ut in locum *cap. si avitus, eod. in 6. Tertiò*, effectus excommunicationis latæ non potest suspendi, sed reliquarum possunt, *cap. ad hæc quoniam, de appellat. Quartò*, differunt quia relaxatio ad cautelam non habet locum in generali interdicto, *cap. præfecti, de sent. excomm. in 6.* plures differentias vide in *cap. statutum eod. tit. & lib. cap. finali* §. 1. *&* §. *in festivitatibus eod. extrà.*

N. 2. *Hæc censura duplex est, major & minor.* Suspensio minor est censura, nec comprehenditur in *dict. cap. parenti de verb. signif.* nec suspensio ab officio tantùm, vel à Beneficio tantùm minor est suspensio, sed major, atque ita propriè est censura Ecclesiastica, quæ triplex est, quædam est suspensio Beneficii & Officii simul, ut *cap. tuarum de privil.* Altera Officii tantùm vel partis ejus, tertia Beneficii; vel rei ad illud pertinentis *Gloss. in Clemen. cupientes, de pœnis*, minor verò suspen-

sio duplex est. *Prima*, quando quis est suspensus quoad se, quia scilicet constitutus in peccato mortali. *Secundâ*, quando suspensus est quoad alios, & est quando alicui celebratio non interdicitur, sed tantùm aliis auditio prohibetur, utraque dicitur suspensio impropria nec celebrans fit irregularis, *cap. si celebrat. de Cleric. excom.*

TITULUS XXXXII.

Ex quibus causis Pœna Suspensionis ipso Jure irrogetur.

POENA suspensionis aut irrogatur per Sententiam vel Decretum Superioris, in quibus eadem sunt observanda quæ diximus suprà de Sententia excommunicationis; aut irrogatur ipso Jure in variis casibus contentis in corpore Juris, Extravagantibus, & Concilio Tridentino, quos observare est necesse, ut de excommunicatione suprà diximus, quoniam in illorum resolutionibus tota fermè doctrina Juris Canonici continetur, & ex illis solvuntur difficultates occurrentes circa Clericorum incapacitatem ad Ordines aut Beneficia aspirantium.

I. *Primus* casus est *in c. quæsitum, de cohabitat. Cleric. & mul.* in quo Clerici concubinarii suspenduntur; quem textum intelligere debemus de publicis concubinariis, *juxta titulum Concordat. de publicis concub.* ubi publici concubinarii dicuntur non solùm ex Sententia aut confessione eorum in Jure facta, sed ex notorietate facti, & rei evidentia; & qui mulierem de incontinentia suspectam & diffamatam tenent, & per suum Superiorem admoniti ipsam cum effectu non dimittunt; qui primò à perceptione fructuum suorum Beneficiorum trium mensium spatio sunt ipso facto suspensi; quos fructus Superior ad fabricam vel Ecclesiæ necessitatem debet convertere, & concubinarios monere ut intra brevissimum terminum concubinas dimittant; si non dimiserint, aut alias publicè resumpserint, eos suis omnibus Beneficiis privare debet; & ipsi concubinarii manent suspensi, & inhabiles ad susceptionem quorumcumque honorum, Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum, donec post concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem, à Superiore fuerint absoluti, (*a*) & dispensati. Si verò delictum sit occultum, concubinarius incurrit solùm suspensionem minorem, quoad se, non quoad alios, *Toletus lib. 1. cap. 47.* ubi notat hanc Censuram incurrere etiam Clericos in minoribus Ordinibus existentes, ex Navarro, & aliis. Idem dici potest de Clericis simplicis Tonsuræ in servitio Ecclesiæ existentibus, aut Beneficia Ecclesiastica habentibus, ut constat ex Constitutione Leonis, in illis verbis, *Clericus cujuscumque conditionis.* Cum publicis concubinariis Episcopi dispensare possunt ad Ordines & Beneficia: at si post dispensationem recidivo vomitu in publicum concubinatum recidant, spes dispensationis eis denegatur, ex Constitutione præallegata, seu Episcopi dispensare non possunt; Papa vel Legatus adeundus est; & sine dispensatione, electiones, collationes & institutiones eorum sunt nullæ, cùm sint irregulares; tamen Beneficia ab illis priùs obtenta non vacant nisi per Sententiam depositi fuerint, ex eadem Constitutione, in verbo, *privet.*

II. Secundus casus est *in c. sæpè, de temporibus ordinandorum in 6.* in quo suspenduntur Clerici citramontani; qui sine licentia Papæ aut Litteris dimissoriis proprii Episcopi ab Episcopo Italo (*b*) ordinantur; & absolutio & dispensatio Papæ reservatur: quam Decretalem etiam in minoribus Ordinibus habere locum Toletus asserit.

III. Tertius *in cap. eos qui, de temporibus ordinand. in 6.* ubi Episcopus qui Clericum alienum (*c*) ordinavit sine licentia Papæ, aut Litteris dimissoriis sui Episcopi, suspenditur per annum à collatione Ordinum; interim verò Clericis Episcopi suspensi, sine ejus licentia, vicinos Episcopos adire permittitur, à quibus tempore debito, servatis interstitiis, & præhabito examine, ordinentur: ut verò succurratur Clericis qui sine licentia proprii Episcopi ab aliis fuerint ordinati, dicemus infrà *num. 35.*

IV. Quartus *in c. cùm quidam, de tempor. ordin.* ubi ordinati extra tempora suspenduntur ab exercitio Ordinum susceptorum; & casus reservatur; ordinantes verò suspenduntur à potestate ordinandi, *c. sanè, eod. tit. Vide Rebuff. de Clericis malè promotis, gloss. 1. num. 16.* Nam ad sacros Ordines (*d*) non nisi Quatuor Temporibus, aut Sabbato Sancto, vel Sabbato ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum præterquam Romano Pontifici licet Clericos ordinare sine ejus licentia; & Ordines minores diebus Dominicis & festivis uni & alteri dumtaxat conferri possunt, *d. c. cùm quidam.*

V. Quintus *in c. fin. de temporibus ordin. in 6.* ubi Epiſcopus ſuſpenditur per annum à collatione primæ Tonſuræ, qui eam contulit infanti minori ſeptennio, vel illiterato, vel homini alterius (*e*) Diœceſis, ſine licentia proprii Epiſcopi, niſi infans à patre fuerit oblatus Monaſterio, *ex dicto capitulo.*

VI. Sextus *in c. vel non eſt, de tempor. ordinand.* ubi Clericus promotus ad ſacros Ordines ante legitimam ætatem ſuſpenditur donec ad legitimam ætatem pervenerit (*f*) ſi probabiliter crederet ſe habere legitimam ætatem : nam ſi ſciret defectum ætatis ſuſpenditur donec à Papa fuerit abſolutus : Epiſcopus verò qui ſcienter ordinavit non habentem legitimam ætatem, ſuſpenditur donec à Papa abſolvatur, *c. Litteras, de tempor. ord. junctâ Conſtitutione Extravag. Pii II. à Toleto citatâ, Rebuff. de Clericis malè promotis, gl.* 4.

VII. Septimus *in c. unic. de Clerico per ſaltum promoto*, ubi Clericus per ſaltum promotus ſuſpenditur ab exercitio Ordinis ſic ſuſcepti : quod etiam habet locum in eo qui omiſſis Ordinibus minoribus promotus eſt ad majores, *Panormit. ibidem* : tamen Clericus per ſaltum promotus ad Ordines majores, non eſt irregularis reſpectu Ordinum minorum quos canonicè obtinuerat, nec reſpectu Beneficiorum quibus exercitium Ordinum canonicè obtentorum ſufficit, *Suares de Cenſuris diſput.* 46. *ſect.* 3. *n.* 38. *Riccius deciſ.* 318.

VIII. Octavus *in c.* 1. *&* 2. *de eo qui furtim Ordines ſuſcepit*, ubi qui furtim Ordines ſuſcipiunt, ſine prævio examine, ſuſpenduntur ab exercitio illorum, ſi priùs (*g*) ſub interminatione anathematis prohibiti fuerint accedere ſine prævio examine, *c.* 1. *de eo qui furtim Ordines ſuſcepit* : tamen ſic ordinati tolerantur in minoribus Ordinibus, & ſi migrent in Religionem, diſpenſantur ad majores, *c.* 2. *&* 3. *eod. tit.*

IX. Nonus *in c. Litteras, de temporibus ordinand.* ubi Clericus qui plures Ordines ſacros ſimul ſuſcepit, ab executione eorumdem Ordinum ſuſpenditur, & Epiſcopus etiam ſuſpenditur à collatione, & abſolutio & diſpenſatio Sedi Apoſtolicæ reſervatur. Verùm illa prohibitio in minoribus Ordinibus non habet locum, Ordines majores non licet ſuſcipere niſi gradatim, ſervatis temporis interſtitiis unius anni à ſuſceptione prioris, ut ordinandi intra illud tempus magis ſe exerceant, *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 11. niſi ab Epiſcopo ex cauſa fuerint remiſſa interſtitia, ut ſi Clericus proviſus de Eccleſia Parrochiali intra annum debeat promoveri ad Presbyteratum ; eandem habet poteſtatem Vicarius Capituli Sede vacante ; tamen Clericus ordinatus omiſſis interſtitiis non fit irregularis, (*h*) id enim nullo Jure cavetur, & pœnæ non ſunt extendendæ.

X. Decimus *in c.* 1. *&* 2. *de ord. ab Epiſc. qui renuntiavit Epiſcopatui*, Clericus promotus ad ſacros Ordines ab Epiſcopo qui renuntiavit Epiſcopatui, ſuſpenditur ; & abſolutio reſervatur ſi ſciret renuntiationem, ſi verò ignoraret, à proprio Epiſcopo poteſt diſpenſationem obtinere : tamen hæc prohibitio in minoribus Ordinibus non habet locum, qui ab Epiſcopo poſt renuntiationem & ab Abbatibus conferri poſſunt, *c. cùm contingat, de ætate & qualitate ordinandorum.* De eo qui ab Epiſcopo ſuſpenſo, depoſito, vel excommunicato, ordinatus eſt, diximus ſuprà *tit.* 32.

XI. Undecimus eſt *in c. Sanctorum, diſt.* 70. ubi ordinatio irrita declaratur, non quoad characterem, ſed quoad ejus executionem, ſi Clericus ſine Beneficio, aut patrimonio ſufficiente ad ſuſtentationem ſui, fuerit ordinatus. Verùm Jure novo illa pœna ſublata eſt, (*i*) id enim Epiſcopi culpâ fit, qui priùs inquirere debet de qualitate ordinandi, alioquin Clericum ſic ordinatum pauperem & egenum tenetur alere donec Beneficium aut patrimonium congruum adeptus fuerit, ne Clericus ſic ordinatus cum dedecore Ordinis Clericalis cogatur mendicare, aut vili arte ſordidum quæſtum quærere, *c. cùm ſecundum, de Præbendis* ; *Conc. Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 2. Nec excuſatur Epiſcopus, ſi Clericus mentitus ſit ſe Beneficium habere, aut patrimonium ſufficiens, *Concil. Trident. loco citato* ; aut quòd ſit Graduatus, *Garcias parte* 2. *c.* 5. *ſub finem.* Verùm in Religioſis Profeſſis (*k*) nec Beneficium nec patrimonium requiritur : nam non mendicantes alit Monaſterium : & mendicantes charitas Fidelium, nihil habentes, & omnia poſſidentes, ut ait Apoſtolus *ad Corinth.* 2. *c.* 9.

Beneficium verò aut patrimonium, quo Clericus ordinatur, æquiparatur doti : nam nec Beneficium reſignari poteſt niſi ſpeciali jure, mentione facta in reſignatione quòd eo nomine reſignans ordinatus fuerit, & habet aliunde ad ſui ſuſtentationem : quòd ſi verum non ſit reſignatio revocari poteſt, ut diximus ſuprà de reſignatione : nec patrimo-

nium alienari potest, nisi idem Clericus Beneficium sufficiens adeptus fuerit, ex eodem Concilio Tridentino *loco citato*, & Constitutione Aurelianensi *art.* 12.

XII. Duodecimus est *in c. si quis ordinaverit, de simonia*, ubi si Clericus non habens Beneficium aut patrimonium ordinatus fuerit, pacto convento cum ordinante, aut præsentante, ne quidquam ab illis ex Constitutionibus suprà allegatis possit petere ad sui sustentationem, tale pactum nullum declaratur, quòd sit contra Jus publicum : Episcopus sic paciscens suspenditur à collatione Ordinum; Ordinatus etiam suspenditur ab exercitio Ordinis sic suscepti, donec super hoc à Sede Apostolica fuerit dispensatus; & præsentator si sit Clericus suspenditur per triennium : est enim præsentator velut collaudator, cujus bona priùs sunt discutienda antequàm Episcopus conveniatur ad sustentationem Clerici inopis ordinati sub assertione præsentatoris, ut de Magistratu conveniendo in judicio tutelæ dicitur *in* §. *sciendum*, *Instit. de satisdat. tutorum.*

XIII. Decimus tertius *in c. cùm in cunctis, de elect.* ubi scienter eligentes indignum ad Episcopatum, Dignitatem, aliamve curam animarum, suspenduntur pro illa vice à potestate eligendi, & à Beneficiis Ecclesiasticis, (*l*) per triennium; & Episcopus qui tali electioni consensit suspenditur ab ingressu Ecclesiæ per mensem.

XIV. Decimus quartus *in c. cum medicinalis, de sent. excomm. in 6.* Judex qui excommunicat, suspendit, vel interdicit, sine scripto, causa non expressa, & reo petenti exemplum non præbet intra mensem, (*m*) suspenditur per mensem ab ingressu Ecclesiæ.

XV. Decimus quintus *in c. sacro, de sent. excomm.* Judex qui sententiam tulit excommunicationis, ob contumaciam, sine prævia admonitione competente, testibus præsentibus, suspenditur per mensem ab ingressu Ecclesiæ.

Verùm *in dd. c. sacro*, *& c. cum medicinalis*, Episcopi non comprehenduntur : nam *ex Constit. quia periculosum, de sent. excomm. in 6.* Episcopi non incurrunt pœnam excommunicationis, (*n*) ex ullâ Constitutione Ecclesiæ, Sententia Papæ, Decreto, vel mandato, nisi in illis de Episcopis expressè facta fuerit mentio.

XVI. Decimus sextus *in cap. quia sæpe, de elect. in 6.* Capitula & personæ quæ defuncti Prælati bona, Ecclesiæ applicanda, aut futuro successori reservata, occupant, ab officio & Beneficio suspenduntur, donec ea plenè restituant, ubi nomine bonorum emolumenta Jurisdictionis & Sigilli continentur futuro successori reservata, *Clement. statutum, de electione.*

XVII. Decimus septimus *in c. præsenti, de Officio Judicis Ordinarii, in 6.* suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ Episcopi & Abbates qui vacantium Ecclesiarum bona usurpant, donec ea restituerint, nisi privilegio aut consuetudine legitimo tempore præscriptâ sint muniti : cæteri verò qui eadem bona usurpant, suspenduntur ab Officio & Beneficio.

XVIII. Decimo octavò *in c. cum æterni, de sent. & re jud. in 6.* suspenduntur per annum ab Officio Judices Ecclesiastici ordinarii qui judicant per sordes, aut per gratiam: quâ Constitutione Episcopi non continentur, quia de illis in ea nulla fit mentio, *juxta capit. quia periculosum, de sent. excomm. in 6.*

XIX. Decimo nonò, *in c. provida, de elect. in 6.* confirmationes & consecrationes Episcoporum quæ fiunt in inquisitione omissa, declarantur nullius esse firmitatis quantùm ad executionem, ut declarat ibi glossa; & ipsi confirmantes & consecrantes ab eo munere suspenduntur per annum.

XX. Vigesimò, *in c. exigit, & c. felicis, de cens. in 6.* Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, qui nomine procurationis aut visitationis plus justo exigunt, in victualibus, aut pecunia, duplum ejus quod receperunt Ecclesiæ læsæ intra mensem restituere jubentur; quo elapso si non paruerint, ad ingressu Ecclesiæ suspenduntur; & inferiores qui eo munere funguntur : ut Archidiaconi, & Vicarii, ab Officio & Beneficio suspenduntur, etiamsi sponte solutio facta fuerit.

XXI. Nam singulis annis, aut saltem de biennio in biennium, Episcopi suos Parrochianos visitare tenentur per se, vel suos Vicarios, *c. inter cætera, & seq. c.* 10. *q.* 3. ad exhortandum Fideles, instaurandam Ecclesiasticam disciplinam, & providendum divino cultui, & reparationibus Ecclesiarum. Idem cavetur Constitutione Gallica Blesensi *art* 32. Plura diximus *in lib. de Jurisdictione Ecclesiastica*; & ex dictis Constitutionibus sumptus moderatos debent exigere, habitâ ratione dignitatis & familiæ, *c. cum Apostolus, de*

cenſibus : ſiquidem alia eſt ratio Epiſcopi per ſe viſitantis, alia Vicarii ; unaque portio ſufficit, etiamſi eadem die plures Eccleſias viſitaverit, *d. c. Fœlicis.*

XXII. Vigeſimo primò, *in c. Non ſolum, & c. Conſtitutionem, de Regularib. in 6.* Superiores Mendicantium ſuſpenduntur ab officio recipiendæ Profeſſionis qui ante legitimam ætatem, & probationis annum completum, alicujus Profeſſionem admittunt, ipſaque Profeſſio nulla & irrita declaratur.

XXIII. Legitima ætas erat olim quatuordecim annorum, *d. c. Non ſolum*, hodie verò in nulla Religione Profeſſio fieri poteſt ante annum decimum ſextum completum, tùm in Monaſteriis virorum, tum mulierum, *Concil. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 15. cui ſuffragatur Conſtitutio Gallica Bleſenſis, *art.* 28. Multa enim ex eodem Concilio in illam Conſtitutionem tranſcripta fuerunt, tamen ob alia capita quæ libertatem Eccleſiæ Gallicanæ infirmare videbantur, illud Concilium in Parlamentis Galliæ nondum fuit (*o*) receptum.

XXIV. Olim ad probationem triennium requirebatur, *c.* 2. *de Monachis, in Authenticis.* At novis Conſtitutionibus definitum fuit in quacumque Religione virorum & mulierum annum completum ſine ulla interruptione ſufficere, *Concil. Trid. loco cit.* quo corrigitur capitulum, *conſtitutionem, de Regul. in 6.* quod permittebat intra annum Profeſſionem fieri in Religione non Mendicantium.

XXV. Jure Communi Profeſſio expreſsè vel tacitè fieri poteſt, ſuſcipiendo & gerendo per triduum habitum Profeſſorum, ubi habitus Novitiorum ſunt diverſi, at moribus noſtris expreſsè fieri debet, nec aliter probatur quàm Litterarum (*p*) exhibitione, ut Conſtitutione Gallicâ ſuprà allegatâ definitum fuit & non niſi in Monaſterio approbato fit, ex variis Bullis à Quaranto relatis.

XXVI. Vigeſimo-ſecundò, *in c. fin. de off. Jud. del. in 6.* Judices Conſervatores qui aliis ſe immiſcent non pertinentibus ad officium, ſuſpenduntur per annum ab officio, & conſequenter à Beneficio, ſi ſit annexum officio, *Gloſſ. ibidem.*

XXVII. Vigeſimo-tertiò, *in c. Quia in omnibus, de uſuris*, ſuſpenduntur Clerici qui oblationes accipiunt à manifeſtis uſurariis : nam apud Prophetam Micheam Deus ait, *Ponam idola ejus in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata ſunt*: & Apoſtoli, ut teſtatur Clemens Romanus, *lib.* 4. *c.* 5. reſpuebant oblationes cauponum & latronum. Eodem capitulo qui uſurariorum cadavera tradunt Eccleſiaſticæ ſepulturæ ſuſpenduntur ab officio, donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfecerint.

XXVIII. Vigeſimo quartò, *in c.* 3. *de clandeſt. deſponſ.* Parrochi ſuſpenduntur per triennium ab officio qui conjunctiones matrimoniales illicitas ſcienter admittunt.

XXIX. Vigeſimo-quintò, *in Clement.* 1. *de ſtatu Monach.* præcipitur Monachis quòd habitum decentem gerant, à venatione abſtineant ; & ſecùs facientes, ſi ſint Abbates, ſuſpenduntur per annum à collatione Beneficiorum ; inferiores verò ſuſpenduntur ab officio, vel adminiſtratione ſibi commiſſa ; & ſi nullam adminiſtrationem habeant, inhabiles fiunt per idem tempus ad ullum officium, aut adminiſtrationem obtinendam.

XXX. Vigeſimo-ſextò, *in c.* 1. *de Clerico venatore*, venatio ſaltuoſa & clamoroſa (*q*) Clericis prohibetur : & ſi Epiſcopus ab ea non abſtineat, ſuſpenditur per tres menſes à Communione : Presbyteri per duos menſes : & Diaconi ab omni officio ſuſpenduntur.

XXXI. Vigeſimo-ſeptimò, *in c.* 2. *de ſortil.* Clerici qui ſortibus utuntur ad detegendum res occultas, aut divinandum futuras, ab Altaris miniſterio per annum (*r*) abſtinere jubentur.

XXXII. Vigeſimo-octavò, *in Clem. multorum, de Hær.* Epiſcopi & alii Superiores qui per gratiam procedere ceſſant contra Hæreticos, aut odio & animo calumniandi inſontes vexare præſumunt, per triennium ab omni officio ſuſpenduntur. Verùm hæc Conſtitutio apud nos non habet locum, ob Conſtitutionem Regni, quâ Hæretici tolerantur : habent nobiſcum jura communia : adeò enim inter nos hæc peſtis virus ſuum effudit, ut non ſine magna Regni convulſione poſſit expelli.

XXXIII. Vigeſimo-nonò, *in Clement. de rebus Eccl. non alien.* Regulares qui præſunt Monaſterio, aut Prioratui, ſine neceſſitate aut utilitate, Monaſterii res alienare non poſſunt ad vitam accipientis, aut aliud certum tempus : alioquin ſuſpenduntur ab officio, nullumque ex tali conceſſione jus acquiritur accipienti : locare tamen poſſunt, & fructus vendere ad modicum tempus : quod olim erat varium, & arbitrarium, hodie

verò

verò est triennii, *Extravag. ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

XXXIV. Trigesimò, *in Clement. quoniam, de vita & honest. Cleric.* Clerici qui partitis & virgatis vestibus aut diversi coloris utuntur, si sint Beneficiati, eo ipso suspenduntur per sex menses à perceptione fructuum: & si non sint Beneficiati, fiunt inhabiles per idem tempus ad Beneficia assequenda: qui verò Dignitatem, Personatum, aut Beneficium Curatum obtinent, suspenduntur per annum à perceptione fructuum: & Sacerdotes non habentes Beneficium fiunt inhabiles per annum ad Beneficium obtinendum, nisi causa rationabilis eos excuset: ut si sit probabilis causa timoris ne cognoscantur ab hostibus; aut si Clericus ad gradum Doctoratûs promoveatur, & Universitatis Insignibus utatur, *Toletus lib. 1. c. 48.*

XXXV. Trigesimo-primò, *in Extravag. cùm detestabile, de simonia*, ordinatores & ordinati suspenduntur à collatione & executione Ordinum ob simoniam in ordinatione commissam.

XXXVI. Trigesimo-secundò, *in Concil. Trident. Sess. 6. c. 5.* Episcopi celebrantes in Pontificalibus in aliena (*s*) Diœcesi sine Ordinarii ejusdem Diœcesis expressâ licentiâ, suspenduntur per annum ab exercitio Pontificalium.

XXXVII. Trigesimo-tertiò, *in eod. Concil. Sess. 24. c. 2.* Episcopi titulares qui homines alterius Diœcesis ordinant sine Ordinarii sui expressa licentia, ad Ordines minores, aut majores, in loco etiam exempto, & nullius Diœcesis, suspenduntur per annum ab exercitio Pontificalium: Clerici verò sic ordinati ab Episcopo non suo, sine licentia proprii Episcopi, suspenduntur ab exercitio Ordinum susceptorum, donec à suo Prælato fuerint absoluti.

XXXVIII. Trigesimo-quartò, *in eod. Conc. Sess. 7. c. 10.* qui Sede vacante intra annum vacationis petunt dimissorias à Vicario Capituli ut ordinentur ab Episcopis non suis privilegio Clericali uti non possunt, si sint in minoribus Ordinibus; & si ad majores promoti fuerint, ab eorum exercitio suspenduntur, donec à Prælato futuro fuerint absoluti: Capitulum verò Ecclesiastico subjacet interdicto, nisi occasione Beneficii recepti aut recipiendi Clericus ad Ordines festinare coactus fuerit; quo casu tàm Clericus qui Litteras hujusmodi obtinuit, quàm Capitulum quod concessit, excusatur, *Concilium Trident. ibidem.*

XXXIX. Trigesimo-quintò, qui ordinantur ab Episcopo non suo, sine Litteris commendatitiis proprii Episcopi, quibus eorum probitas & capacitas commendatur, suspenduntur ab exercitio Ordinum sic susceptorum, quandiu Ordinario videbitur expedire, non obstante prætextu cujusvis generalis aut specialis Rescripti: (*t*) Episcopus verò qui eos sic ordinavit suspenditur per annum à collatione Ordinum: quo decreto prima Tonsura non continetur, ut ex Decreto sacræ Congregationis Toletus asserit *loco citato*: tamen ex eodem Concilio Episcopus potest ordinare Clericum alterius Diœcesis, qui secum moratus est per triennium, si ei conferat Beneficium, *Sess. 23. c. 9.*

XL. Proprius Episcopus dicitur ratione originis Clerici ordinandi ibi domicilium habentis; & si in peregrinatione natus sit ubi domicilium non habet, locus originis & domicilii patris attenditur, *Faber def. 2. de verb. signific. post alios quos citat*: & si Clericus à loco originis alibi domicilium fortitus fuerit, non originis (*u*) sed domicilii locus est attendendus: censetur autem alibi domicilium elegisse, aut professione expressa aut tacita per habitationem decennalem, cum animo ibi perpetuò habitandi, *l. 2. C. de incolis, lib. 10.* aut si Beneficium ibi possideat, & resideat, *c. Cùm nullus, de tempor. ordin. in 6.* aut aliud munus publicum ordinarium exerceat Ecclesiasticum, aut Civile, Juris dicendi, aut docendi, non discessurus, *Guid. Pap. decis. 631. quem citat Riccius decis. 299.* Et si Clericus habeat domicilia in locis diversis, alterum hyemale, & alterum æstivale, Episcopum à quo primò ordinatus fuerit, pro cæteris Ordinibus adire tenetur, *ut post Archidiaconum docet Riccius decis. 306.*

XLI. Trigesimo-sextò, *ex eod. Conc. & Sess. c. 10.* Abbates Clericis Regularibus sibi non subditis, aut sæcularibus, Tonsuram & Ordines minores conferre non possunt, nec dare Litteras dimissorias ut ordinentur ab aliis, alioquin suspenduntur (*x*) per annum ab officio & Beneficio.

XLII. Trigesimo-septimò *ex eod. Conc. Sess. 24. c. 1.* suspenduntur Parrochi & alii Sacerdotes qui alterius Parrochiæ sponsos sine licentia proprii Parrochi desponsant, donec ab Ordinario ejusdem Parrochi absolvantur.

XLIII. Trigesimo octavò, *ex eod. Conc. Sess.* 24. *c.* 14. suspenduntur Episcopi (*y*) concubinarii, si moniti in Synodo Provinciali non se emendent: de cæteris concubinariis diximus suprà. Aliæ sunt suspensiones ex variis Constitutionibus & Statutis Ecclesiarum, in quibus usus attendi debet.

Hæc Censura absolutione tollitur, ut excommunicatio; (*z*) vel cessat lapsu temporis, aut causa sublata, si ad certum tempus vel incertum lata sit, his verbis, *quandiu*, *quousque*, *donec*, & similibus: in quibus casibus suspensio habet effectum resolutivum, *Gloss. in c. Quia sæpè, verb. donec, de elect. in 6. & c. Cùm medicinalis, de sent. exc. ibid. cap. Thol. dec.* 297.

SOLIER.

(*a*) De jure tamen hujusmodi suspensio fornicarii aut concubinarii notorii ipso jure tollitur per pœnitentiam, *gloss. in Can. si qui sunt, in verb. emendati, dist.* 81. quia Canon ille ipsum suspendit donec pœniteat: sed secus est jure nostro, *tit. de public. concubin. in Concordat.* imò etiam jure communi, *Sylvest. in verb. irregularitas*, 15. *nota.* 27. & habetur in *Can. pervenit dist.* 50. plus dico quòd non solùm indiget absolutione à suspensione, sed etiam dispensatione ab irregularitate; utramque enim incurrit, ut vult *Toletus lib.* 1. *cap.* 47. *n.* 6. *per cap. at si Cleric. de judic. & cap. quæsitum, de temp. ordin.* ubi tales etiam peractâ pœnitentiâ indigent dispensatione ut ministrent, & tamen in pœnitentia habuerunt absolutionem, & per *cap. quia circa, de Bigam.* ubi datur facultas dispensandi cum fornicariis; at dispensatio non est nisi super irregularitate, ut dixi ad *Flamin. de consid. Benefic. q.* 61. ad hæc concordatum nostrum ad quæcumque Beneficia inhabiles vult usquequò cum eis per suos Superiores post concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem fuerit dispensatum.

(*b*) Hanc Decretalem non habere locum in converso casu, ubi scilicet Italus ab Episcopo Citramontano fuerit ordinatus tenet *gloss. in verb. Italiæ:* tùm quia pœnalis est, tùm etiam quia cessat ratio, ut ibi.

(*c*) Nam si conferret alieno Laïco primam Tonsuram non haberet locum pœna, *Gemin. in d. cap. eos, de temp. ordinat. n.* 3. unde Clericis in casu dicti cap. licèt adire vicinos Episcopos, non autem Laïcis, *Joan. And. & Anchar. ibid.* quia non consideratur tanta necessitas in Laïcis ad Clericatum ascendere volentibus, quanta in Clericis volentibus promoveri ad superiores.

(*d*) Episcopus sex anni diebus Ordines sacros conferre potest, videlicet in Sabbato Quatuor Temporum & in Sabbato ante Dominicam Passionis, & in Sabbato Sancto, *Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 8. Ordines verò minores potest quâlibet Dominicâ & Festo de præcepto conferre, ad *text. cum gloss. in cap. de eo, de Temporib. ordin.* An autem possit Quatuor Minores & Subdiaconatum simul conferre eadem die? Negant *Hostien. & alii relati ab Angelo in summa, in verb. Ordo. q.* 7. affirmat *Covarr. lib.* 1. *variar. resolut. cap.* 10. ubi scilicet ea est consuetudo, quam à Concilio Trid. sublatam non esse dicit. Prima verò Tonsura quolibet die conferri potest & tam in Diœcesi quàm extra, *Rebuff. in praxi ad Regul. de Cleric. ad Sacros Ordines malè promot. n.* 4.

(*e*) Sed an suspensus sit, qui sic ab alieno Episcopo Tonsuram suscipit sine dimissoriis proprii Episcopi? Negant *Guid. Pap. q.* 449. *& Lapus allegat.* 139. *n.* 12. *&* 31. affirmant *Ferrerius in d. q. & alii communiter*, & habetur *cap. ultim. de temp. Ordinat. cap. privatus dist.* 71. *toto tit. de temp. Ordinat. in 6. Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 8. *de reformat.*

(*f*) Quamvis de jure communi Ordinati ante legitimam ætatem sint ad tempus suspensi, videlicet donec ad legitimam devenerint ætatem, *d. cap. vel non est compos, de temp. ordinat. cap. ex ratione, de ætat. & qualit. DD. per illum text. in Clem. generalem, eod. tit.* hodie tamen perpetuò sunt suspensi constitutione Pii II. incipiente, *cum ex sacrorum Ordinum, Flamin. de resignat. Benefic. lib.* 4. *q.* 2. *n.* 104. quam utpote exorbitantem non credo jus facere in Gallia.

(*g*) Imò distinctè suspenduntur ita tamen ut ubi præcesserit prohibitio sub excommunicationis interminatione à solo Papa veniant absolvendi, ubi verò non præcesserit, possint ab Episcopo vel Abbate dispensari, *d. cap.* 1. *de eo qui furtim Ordines suscepit.*

(*h*) Scio in hoc passu impegisse non semel Judices subalternos & eorum judicio causâ Beneficiali cecidisse tanquam irregulares Ordinatos non servatis interstitiis nec ab Episcopo super illis expresè dispensatos. In causa fuerunt præscriptum Concilii *sess.* 23. *cap.* 11. *& cap.* 13. *de reform.* Constitutio Sixti V. *incipiens Sanctum & salutare*, & Sententia *Henriquez in summa, lib.* 6. *cap.* 10. §. 3. *& Azorii instit. moral.*..... sed vana sunt hæc fundamenta: *Primò* enim Conc. Trid. id totum remittit arbitrio Episcopi qui neminem ordinat quin arbitretur Ordinandum & eo ipso satis dispensat, *Stephan. Quaranta post alios quos citat, in summa Bullarii in verb. Ordo.* Ampliando etiam si ab alio Episcopo Ordinetur. Tum Concilium nullam suspensionem, irregularitatem, aut aliam pœnam imponit: ergo nulla incurritur, cùm suspensio non incurratur nisi in casibus à jure expressis, *Bellet. in disquisit. Cleric. tit. de discipl. Cleric.* §. 5. *n.* 80. nec irregularitas, *cap. is qui, de sent. excom. in 6.* neque alia pœna, *gloss. ultim. in cap. fin. de jure Pat. Secundò*, memorata Constitutio Sixti V. fuit revocata per aliam Gregorii XIV. & reducta ad terminos juris communis ad vitandam illaqueationem, teste *Zerola in praxi Episcop. in verb. Ordo*, quam tamen non inveni in Bullario meo, ac per aliam Clementis VIII. incipientem, *Romanum Pontificem*, anno 1596. *Tertiò*, Henriquez & Azorius freti dumtaxat dictâ, quam allegant, tunc vigente Sixti Constitutione scripsere juxta illam Ordinatos omissis interstitiis esse suspensos & irregulares: ergo, circumscriptâ Constitutione hujusmodi, secus dixissent. Unum obesse videtur nempe Concilium Provinciale Tolosanum habitum an-

no 1590. *p.* 2. *cap.* 6. *n.* 1. ubi Constitutionem Sixti servari intendit & quotannis in Synodo Diœcesana pridie Ordinationum promulgari præcipit, At Concilium nihil roboris Decreto Apostolico adjecit, aut adjicere potuit, & impedire quominus à posterioribus summis Pontificibus postmodum revocaretur.

(*i*) Promotus ad Ordines Sacros sine titulo Beneficii aut patrimonii non est per hoc suspensus, neque aliquam pœnam incurrit; prout declaravit sacra Congregatio Concilii super *cap.* 2. *sess.* 21. *de reform.* §. *Concilium renovavit*, & §. *Ordinatus*, *Gonzal. ad Regul.* 8. *gloss.* 5. §. 10. *n.* 23. *cum seqq.* idem de Ordinato cum patrimonio ficto, *Gonzal. ibid. n.* 27. & *seqq.* licèt aliquam pœnam evadere nequeat ratione fraudis & doli commissi, *l.* 1. §. *quibus nulla*, *de effractor. l.* 1. *ff. de extraord. crimin. Gonzal. d.* §. 10. *n.* 31. & 32.

(*k*) Verumtamen nullus Religiosus Professus ordinari potest etiam in proprio Monasterio sine licentia Diœcesani in cujus districtu ejus Monasterium est situm, exceptis his qui à suis Abbatibus ordinantur ex instituto suæ Religionis, *Concil. Trident. Sess.* 6. *cap. His*, *Sess.* 23. *cap.* 10. *de reform.*

(*l*) Quæ scilicet habent in Ecclesia ad quam fuit facta electio, ad alia enim Beneficia suspensio non extenditur, ut notat *Panorm. in* §. *fin. d. cap. Cum in cunctis*, *per cap. Si compromissarius*, *de elect. in* 6.

(*m*) A die latæ sententiæ, non autem à petitione exempli computandum, *Gloss. in d. cap. Cum medicinalis in verb. Requisitus*, *de sent. excomm. in* 6. si verò exemplum post mensem petatur cessat pœna quamvis exemplum dari debeat, *Gloss. ibid.*

(*n*) Constitutio *quia periculosum* non loquitur nisi de interdicto & suspensione, non etiam de excommunicatione, in hac enim Episcopi non sunt privilegiati, quia noluit Papa tollere quoad eos *Can. Si quis suadente*, & alios similes, ut notat *Gloss. in d. cap. Quia periculosum*, *in verb. Suspensionis*: atque ita generali excommunicatione liganter ipsi Episcopi, etiamsi de illis mentio expressa non habeatur, prout & quacumque alia pœnali constitutione, *Gloss. in cap. Sciant*, *in cap. Cupientes*, §. *Cæterum*, *in verb. Suspensos*, *de elect. in* 6.

(*o*) Laxior est hæc locutio, Concilium enim Trid. in Gallia recipitur in omnibus quæ ad fidem spectant, ut declaravit Henricus III. *Lovet. litt. M*, *cap.* 6. *in fine*, & *ejus Scholiastes ibid. n.* 10. *Fevret. de abusu*, *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 9. cùm autem Concilium nihil novum quoad Jurisdictionem & politiam Ecclesiasticam constituat, sed tantummodò Jus Commune repetat & confirmet, *Ambian. in fascic. Jurisd. Episcop. pag.* 8. vix est ut nisi quoad pauca dici possit apud nos nondum esse receptum.

(*p*) Quia scriptura facit votum solemne, *Can. Omnes fœminæ* 27. *q.* 1. cui consonat ordinatio Molinensis, *art.* 55. quæ solam professionem expressam & scriptam admittit, tacitam verò aut testibus probandam rejicit, *vid. Molin. ad consuet. Blesen. art.* 147. & *Brodell. ad Lovetium litt. C*, *cap.* 8. *à n.* 25. unde cùm Moniales Civitatis Vaurensis quendam nobilem virum lite pulsassent ad sibi solvenda duo librarum millia, quibus se obstrinxerat pro dote filiæ Monasterium illarum & postmodum viam universæ carnis ingressæ, de cujus professione scripto non constabat, respondi testibus probari non posse & reum ab impetitione hujusmodi absolvendum, prout etiam posthac fuit absolutus per Sententiam Senescalli Tolosani à qua fuit ex parte Monialium emissa ad Senatum appellatio quæ adhuc pendet indecisa.

(*q*) Secus de venatione quieta, quæ sine strepitu exercetur, & utilitatis causâ, seu recreationis ad excitandum appetitum, vel calorem naturalem *Arg. cap. Dilectus filius*, *de homicid. cap. Etsi Christus*, §. *penult. de jure jur.* & *cap. Sit tibi*, *de consecrat. dist.* 5. qualis est venatio cum laqueis, pedicis, atque retibus, & etiam cum canibus modò cum modestia & silentio fiat, *Sayr. in cla. Reg. lib.* 11. *cap.* 9. *n.* 7. Item venatio cornicum seu quallearum, quæ cum cane & retibus exercetur. Quin imò venatio saltuosa, si rarissimè fiat causâ recreationis non erit illicita Clericis, *Arg. cap.* 1. *de Cleric. venat.* ubi habentur hæc verba. *In hac voluptate sæpius detentus.* Si igitur rarissimè fieret non erit prohibita Clericis, *Bellet. Disquis. Cleric. p.* 2. *tit. de pœnis Cleric.* §. 19. *n.* 3.

(*r*) Clericus qui bono zelo & simplicitate ductus sortilegio usus fuerit aut incantationes, superstitiones & divinationes commiserit, suspendendus est à divinis per annum & ultra arbitrio Judicis *d. cap.* 2. *de sortileg.* si verò non bono zelo, sed dolo malo sortilegia confecerit est suspendendus à divinis, omnibus Beneficiis privandus, & in Monasterium ad agendam pœnitentiam perpetuò detrudendus, *cap. Cum oportet* & *cap. Si quis Episcopus cum seq.* 26. *q.* 5. & ita in Concil. Lateran. statuit Leo X. Constit. 7. quæ incipit, *Supernæ*, §. 41.

(*s*) Episcopus etiam cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercens sine ordinarii loci expressâ licentiâ, aut etiam cum ea exercens in alias personas quàm ipsi Ordinario subjectas ab exercitio Pontificalium ipso jure est suspensus & alieni sic ordinati ipso jure ab Ordinum executione sunt suspensi, *Concil. Trid. d. cap.* 5. per Pontificalia verò non intelliguntur ea quæ sunt Jurisdictionis ut excommunicare, suspendere, interdicere, judicare, sed quæ ad ordinem Episcopalem & ipsius consecrationem spectant, ut ordinare, Chrisma conficere, Clericos deponere, virgines benedicere, Ecclesias, & altare consecrare & similia. Cæterùm licitum est eidem Episcopo etiam suos subditos, necnon alienos à proprio Episcopo, ritè dimissos, in aliena Diœcesi de consensu & licentia Ordinarii ipsius Diœcesis liberè ordinare, *Tolet. lib.* 1. *cap.* 49. *n.* 1. & alii communiter.

(*t*) Habens privilegium vel rescriptum ut etiam à non suo Episcopo Ordinari possit non eget litteris dimissoriis licentiam sui ordinarii continentibus, sed tantùm testimonio quo ipsius ordinandi mores & vita commendentur, *Conc. Trid. Sess.* 23. *cap.* 8. *de ref.*

(*u*) Imò triplex locus, originis, domicilii, & Beneficii æquè attenditur ad effectum ut à cujusvis loci ordinario quis valeat ordinari, vel ordinandus dimitti, *cap. Cum nullus*, *de temp. ordinat.* in tantum ut Episcopos trium locorum hujusmodi possit circa Ordinum susceptionem variare, cùm possit quis ea quæ sunt facultatis pluries variare & tantummodo speciale sit in ordinato à Papa ut nequeat ab aliis inferioribus promoveri, *cap. Cum in distribuendis*, *ubi Abb. de temp. Ordinat. Corrad. in praxi dispens. Apost. lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 39. sed Author noster intelligendus est de commendatitiis, non autem de dimissoriis obtinendis, ut illæ ab Episcopo domicilii

debeant impetrari : quod ſatis placet.

(*x*) Capitula verò etiam Cathedralium Eccleſiarum ſimiles dimiſſorias Clericis ſæcularibus Sede vacante infra annum concedentia interdicto ſubjiciuntur, *Concil. Trid. Seſſ. 7. cap. 10.*

(*y*) De ſuſpenſionibus contra Epiſcopos & Prælatos tractat *Sayr. in Theſaur. caſ. conſc. cap. 12.* Contra Judices Eccleſiaſticos & Religioſos, *cap. 13.* Contra ſimplices Clericos ob receptos Ordines, *cap. 14.* Contra eoſdem ob alias cauſas, *cap. 15.*

(*z*) Excommunicatio ob certam cauſam lata, licèt ceſſet cauſa, non tollitur niſi fiat abſolutio : ſecùs eſt in ſuſpenſione vel interdicto, *Gloſſ. in Clem. 1. in verb. Donec, de decimis, & in Clem. 1. de pœnis. Innoc. in cap. Cum bonæ, de ætat. & qualit.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. CLERICI *concubinarii ſuſpenduntur.* An autem notorius fornicator celebrando fiat irregularis ? Diſtinguendum eſt, vel notorius eſt per ſententiam, & tunc planum eſt irregularitatem incurrere, quia ſuſpenſi ab homine celebrando fiunt irregulares, *cap. 2. cap. Latere, cap. Poſtulatio, & cap. Si celebrat, de Cleric. excomm. cap. Si quis Presbyter, & cap. Seq. 11. q. 3. cap. Cum dilectæ de reſcript. cap. Apoſtolicæ, de except.* vel notorius eſt per operis evidentiam, & tunc dicendum eſt notorium fornicatorem non eſſe ipſo jure ſuſpenſum ſuſpenſione directâ, id eſt, quæ dirigitur etiam in ſubjectum, hoc eſt, in ipſum Clericum concubinarium, qui non eſt ſuſpenſus principaliter à Canone, ſed à Deo : quod ex eo apparet, quia quem citò pœnitet, licitè celebrat, *cap. Quæſitum, de cohabitatione Clericorum, & mulier.* ſuſpenſi autem à Deo eſſe dicuntur qui ſunt ſuſpenſi quoad ſe tantùm, & non quoad alios, ut ſunt in peccato conſtituti, *dicto cap. Quæſitum :* ſuſpenſio ſimiliter quoad alios non inducit irregularitatem ex ejus violatione, non ſolùm quia hæc eſt ſuſpenſio indirecta reſpectu aliorum ad effectum ut à fornicario notorio non audiant divina, ſed potiſſimum quia hæc ſuſpenſio quoad alios, niſi fornicator ſit ſuſpenſus ab homine & nominatim denuntiatus hodie prorſus ſublata eſt per *Extravagantem Martini V. editam in Conc. Conſtant. ut dicit Fagnan. ad dictum capitulum Quæſitum, de cohabitatione Clericorum & mulier. n. 6.*

N. 3. *Epiſcopus qui Clericum alienum ordinavit,* vel Laïcum, etiam ad primam Tonſuram, *Gloſſ. in cap. Eos qui, de temporibus ordinationum, in 6.* atque ita expunge quod hîc aliàs *littera C*, ex Geminiano diximus pœnam ſuſpenſionis locum non habere in Epiſcopo alienum Laïcum ordinante, quia imo Epiſcopus alienus primam Tonſuram conferens ſine proprii Epiſcopi licentia, ſuſpenſionis à collatione Tonſuræ per annum ipſo jure pœnam incurrit, ut expreſsè habetur, *cap. ult. eod. tit. & lib.* non tamen licebit ſuis ſubditis ab alio Tonſuram ſuſcipere, quia non reperitur expreſſum, *Gloſſ. ibid. in verb. Suſpenſum*, & Tonſuratus ab alieno, non poteſt Eccleſiaſtica obtinere Beneficia, ac ſi Tonſurâ non eſſet initiatus, ut *ex Salzedo refert Barboſa in dicto cap. Eos qui, n. 10. de temporibus ordin. in 6.* quia ordinatio eſt irrita, *cap. Illud, diſt. 71. cap. Primatus, & cap. Sequenti ibid.* qui Canones non reperiuntur correcti, licèt correcti ſint Canones antiqui decernentes nullam promotionem ſine titulo factam, *cap. Neminem, & cap. Sanctorum, diſt. 70. Rebuff. Conſil. 1.*

N. 6. *Promotus ad ſacros Ordines ante legitimam ætatem ſuſpenditur.* Sed an ſi ordinatus ſit ipſo jure ſuſpenſus vel ſuſpendendus ? Compoſtellanus, & poſt eum Abbas *in ipſomet cap. vel non eſt compos*, dicunt eſſe ipſo jure ſuſpenſum, *Gloſſ. verò ibid. in verb. ætatem, & in Clement. Ultima*, ſentit eſſe ſuſpendendum, & ſic recipere Ordinem, non tantùm quoad characterem, ſed etiam quoad exercitium niſi ſuſpendatur. Idem tenet Archidiaconus *in cap. Conſultationi, §. Si propter defectum de temp. ordin. Bellam. Butius Cardin. Joan. de Anan. in dicto cap. vel non eſt compos, Rebuff. in praxi, part. 2. tit. de Cleric. ad ſacros Ordines malè promotis, Gloſſ. 2. n. 8. Navar. conſ. 32. n. 4. de temp. ordin. Covar. in Clement. Si furioſus, part. §. 1. n. 4.* & de communi teſtatur, *Navarrus in man. cap. 27. n. 155. Fagnan. in dicto cap. Vel non eſt compos, n. 10.* ſupervenit Conſtitutio Pii II. quæ incipit, *cum ex ſacrorum*, quæ ipſo jure ſuſpenſos ſimpliciter decernit ante ætatem Ordinatos, quæ cum extra Jus Commune vagari noſcatur, vix receptam in hoc regno crederem, ideòque taliter Ordinatos non eſſe apud nos ipſo jure ſuſpenſos : ſi tamen velis recipiendam, ne putes per ſupervenientem ætatem, ſuſpenſionem ceſſare, niſi etiam ſuperveniat abſolutio, quia perpetuò duratura ex verbis conſtitutionis convincitur, cùm enim conſtitutio ſtatuat, ut promotus ad aliquem ex Sacris Ordinibus ante ætatem legitimam, ſi durante ſuſpenſione in eiſdem Ordinibus miniſtraverit, irregularitatem incurrat ; ergo per ſupervenientem ætatem legitimam ſuſpenſio non expiravit, *vid. Fagnan. in dicto cap. Vel non eſt compos*, & Conſtitutionem Urbani VIII. incipientem *ſecretis æternæ providentiæ Conſiliis*, editam ſub die 11. Decembris 1624. relatam per *Belletum in diſquit. Clericali part. 2. de pœnis Cleric. §. 28. n. 5.*

N. 8. *Qui furtim Ordines ſuſcipiunt, ſine prævio examine, ſuſpenduntur.* Ordines furtivè ſuſcipere dicitur qui minores & Subdiaconatum unâ & eâdem die recipit, *cap. Cum 5. & cap. Seq. de eo qui furtivè Ordin. ſuſcepit*, vel Clericalem Tonſuram quia collatio plurium Ordinum eſt generaliter reprobata, *cap. Litteras, & cap. Dilectus, de temp. Ordin.* non obſtante contrariâ conſuetudine, *Fagnan. in cap. de eo, eod. tit.* Tonſura enim eſt Ordo, *cap. Cum contingat, de ætate & qualitate.* Item qui contra conſcientiam ſui ſuperioris, & ſine examine ſe ingerit cum multitudine Ordinandorum in ſero Epiſcopo Ordinante, & Ordines recipit, *Gloſſ. in cap. 1. in verb. Furtivè, eod.* Item qui eadem die duos Sacros Ordines recipit, *cap. fin. dict. tit. cap. Litteras, de tempore Ordin. Concil. Trident. Seſſ. 23. cap. 13. de reform.* ſive etiam minores quidquid dicat Author hîc, *n. 9.* niſi aliud Epiſcopo magis expedire videatur, *Concil. Trident. Seſſ. 23. cap. 11.* Item qui promovetur per ſaltum, *cap. 1. de Cleric. per ſaltum promoto, cap. Sollicitudo, diſt. 57.* cum quo ſi non miniſtraverit Epiſcopus ex legitima cauſa poterit diſpenſare, *Concil. Trident. Seſſ. 23. cap. 14. in fine.* Item qui citra authoritatem Epiſcopi ejuſque approbationem promovetur, *cap. Quando, diſt. 24. cap. Extra conſcientiam, diſt. 64.*

N. 12. *Ordinatus etiam ſuſpenditur.* Tamen Or-

dinatus sub patrimonio sibi donato cum pacto, seu conditione de illo reddendo, seu restituendo post Ordinationem, quamvis graviter peccet, non est tamen suspensus, ut post alios quos citat, tenet *Garc. de Benefic. part. 2. cap. 5. n. 167.* nec obstat *capitulum Si quis Ordinaverit, de simonia*, quia solùm agit de Ordinato cum pacto Simoniaco de non petendo provisionem, seu alimenta ab Ordinante, aut præsentante, etiam si donaverint ad finem suscipiendi Ordines, ut latiùs disserit *Garc. ibid.* quem sequitur *Barbosa de offic. Episc. allegat. 20. n. 30.*

N. 40. *Aut si Beneficium ibi possideat, & resideat.* Vult Author quòd ut quis possit subjici Episcopo ratione Beneficii, quod in ipsius Episcopi Diœcesi obtinet, ibidem resideat, quod certè, *cap. Tunc nullus*, ab Authore laudato adversatur, is enim textus Episcopum Beneficii ab Episcopo domicilii ac originis distinguit, & ab illorum quolibet Ordines aut litteras dimissoriales suscipere posse concedit, sed illud capitulum Bonifacii VIII. *de temp. Ordin.* facultatem Præbens tribus Episcopis, originis scilicet, Beneficii, & domicilii dimissorias concedendi, & in consequens Ordines conferendi parum unquam in Gallia usu fuisse receptum testatur processus enarratorius cœtûs Cleri Gallicani de anno 1655. relatus *in Memorialibus ejusdem Cleri, tom. 1. pag. mihi* 823. quamobrem idem cœtus decrevit hortandos Episcopos, ne imposterum alios quàm ex propria Diœcesi oriundos ordinent, etiam in vim indulti Apostolici absque litteris testimonialibus proprii Episcopi originis, nec dimissorias concedant, nisi ad unicum duntaxat Ordinem per quatuor vel sex menses ad summum duraturas sub onere intrandi seminarium, & Episcopos noviter promotos esse monendos, ut dimissorias per decessores, vel Capitulum Sede vacante, concessas revocent, *Tomacin. tom. 3. lib. 2. cap. 2. n. 11.*

TITULUS XXXXIII.

De Degradatione.

SUMMARIUM.

I. Degradati si sint in Sacris non excusantur ab Horis Canonicis.
II. Depositio fit ipso jure, aut Judicis sententiâ.
III. Depositio verbalis, & actualis.
IV. V. & VI. Delicta privilegiata.
VII. VIII. & IX. Degradatus actualiter à Papa restituitur.

I. ULTIMÒ irregulares sunt degradati: illi enim Ordine moventur & Beneficiis, ac privilegiis sibi concessis ratione Ordinis privantur. Ordine moti dicuntur quantùm ad exercitium, & legitimum Ordinis usum, non quoad characterem, nec simpliciter quoad usum: nam semper retinent characterem etiam in inferis, ex Theologorum sententia, & quandiu sunt in vivis celebrare possunt licèt celebrando peccent, *c. 2. de Cler. excomm. vel depo. ministr. sanctus Thomas 4. Sent. dist. 18. q. 1. art. 2.* quo nomine tenentur recitare Horas Canonicas, ne sint melioris conditionis quàm sapientes, *l. sed honore, ff. de interdict. & releg.*

II. Clericus ipso jure deponitur, aut Judicis sententiâ: nam cùm in jure dicitur deponi, aut depositus, ipso facto id intelligitur, *ut in c. Ad falsariorum, de crimine falsi, & similibus*: cùm verò præcipitur quòd deponatur, *ut in c. 1. de Clericis pugnantibus in duello, & similibus*, Judicis Sententia desideratur ut deponatur, nisi præceptum Juris referatur ad declarationem aut pœnæ executionem, ut in pluribus casibus quos notavimus suprà.

III. Judicis Sententiâ reus verbaliter vel actualiter degradatur. Verbalis degradatio fit juxta formam præscriptam *in c. Degradatio, de pœnis in 6.* Actualis fit actu, & re ipsa: nam ut militi ob delicti atrocitatem militaria detrahuntur insignia, & sic exauthoratus à militia & castris ejicitur, sic Clericus degradandus insignibus sui Ordinis induitur, eisdemque exuitur, Ordine movetur, & privilegio Clericali privatur, & brachio sæculari traditur ut ex Legibus Civilibus puniatur; aut si à Judice ad mortem damnatus sit, ad suum Prælatum remittitur ut degradetur antequàm puniatur, *Nov. 85. & 123.* Et si Episcopus eum degradare nolit, eâ formâ omissâ punitur, ne delicta maneant impunita, & status Reipublicæ, qui continetur authoritate rerum judicatarum, conturbetur: omittitur etiam in Gallia (*a*) illa forma, si reus à Senatu damnatus sit, ob illius authoritatem, *Molin. ad quæst. Joannis Galli q. 82. Scholiastes Loëtii in lit. D. n. 59.*

IV. Nam Clericus ex certis delictis, quæ dicuntur privilegiata, accusatur coram Judice sæculari, Læsæ-Majestatis, infractæ Salvæ-Gardiæ Regiæ, vis publicæ; (*b*) vel à Judice Ecclesiastico remittitur ad potestatem sæcularem, si delictum sit tale quod pœnis

canonicis non poſſit expiari: Eccleſia enim non novit ſanguinem, ut de hac materia ſcripſimus in Tractatu de Juriſdictione Eccleſiaſtica.

V. Verbalis (*c*) degradatio ab Epiſcopo vel ejus Vicario fieri poteſt: actualis à ſolo Epiſcopo fit, ſex Aſſeſſoribus adhibitis in Dignitate conſtitutis, *Concilium Trid. Seſſ.* 13. *c.* 4. quo Jus vetus corrigitur, quod in degradatione Sacerdotis ſex Epiſcopos requirebat, & in degradatione Diaconi vel Subdiaconi tres, *c. Degradatio, de pœnis, in 6.*

VI. Degradatio verbalis non adimit privilegium Clericale reſpectu fori, & Canonis, tametſi adimat officium & Beneficium: actualis verò adimit omne privilegium, *Gloſſ. in c. Ad abolendam, de Hæreticis.*

VII. Verbaliter degradatus ab Epiſcopo qui eum degradavit, reſtitui poteſt; qui verò actualiter degradatus eſt, debet adire Papam, niſi ob falſam cauſam degradatus ſit, quo caſu probatâ innocentiâ ab Epiſcopo reſtitui poteſt, *Toletus loco citato.*

VIII. Olim ex quacumque cauſa lethifera Clerici Ordine movebantur: ſed ætas poſterior, quâ non ſolùm corpora hominum ſed etiam merita defecerunt, diſtrictionis illius cenſuram mitigavit, *c. Fraternitatis, diſt.* 34. Hodie enim Clericus non deponitur ipſo jure niſi in certis caſibus; Hæreſis cum pertinacia, *c. Ad abolendam, de Hæreticis*; quo nomine magia vetita continetur; falſi commiſſi in Litteris Apoſtolicis, *c. Ad falſariorum, de crimine falſi*; Schiſmaticis, *c. De Liguribus* 23. *q.* 5. *& c. Ad ſuccidendos, de Schiſmaticis*; criminis Læſæ-Majeſtatis, quod Schiſmati æquiparatur, *Rebuff. in tit. de modis amittendi Beneficia, n.* 33. Homicidii qualificati, *Doctores in c. Cùm non ab homine, de judiciis*; Simoniæ & confidentiæ, de quibus dictum eſt ſuprà; Sodomiæ, *c. Clerici, de exceſsibus Prælatorum, Rebuff. loco citato*; Si reus hoſtiliter perſecutus ſit Cardinalem, *c. Fœlicis, de pœnis in 6.* aut Epiſcopum, *Clement.* 1. *de pœnis:* ex quibus cauſis Beneficia ipſo jure vacant, ut diximus ſuprà.

IX. Alia ſunt crimina quæ non inducunt ipſo jure vacationem Beneficii, ſed Judicis animum movent ut reum deponat, ob enormitatem delicti, vel rei incorrigibilitatem, ut ſi Clericus cum nupta aut cum virgine fornicatus fuerit, *c. Si quis Clericus, diſt.* 81. *c. Lator* 2. *q.* 7. Si cum conſanguinea, *ibid.* aut cum filia ſpirituali, vel ea quam recepit ad pœnitentiam, *c. Non debet* 30. *q.* 1. Si cum Moniali, *c. Quis Epiſcopus* 37. *q.* 1. vel ſi Monachus cum ſæculari fornicatus ſit, nam Monachus ob ſimplicem fornicationem deponitur; gravius ſiquidem eſt delictum Monachi quàm Clerici ſæcularis, quòd Monachi ex voto abſtinere teneantur à fornicatione, & Clerici non ex voto ſed ex præcepto Eccleſiæ abſtinere debeant, *De Selva de Beneficio* 3. *part. q.* 43. Idem dicitur de publicis concubinariis, ſi moniti non ſe emendent, *c. Si qui ſunt Presbyteri, d.* 81. *c. Sicut ad extirpandum de cohabitat. Cleric. & mul. & c. de publ. concub. in Concordatis:* De publicis uſurariis, *c. diſt.* 47. De Clericis tabernas vel ergaſteria exercentibus, *c. Nulli, diſt.* 44. De his qui aleæ vel ebrietati dediti ſunt, ſi incorrigibiles ſint, & moniti non deſiſtant, *c. Commeſſationes, & c. Clerici, ead. diſt.* De Clericis excommunicatis vel interdictis miniſtrantibus, ſi moniti non deſiſtant, *c.* 3. *De Clerico excomm. vel depoſito miniſtr.* De Clericis pugnantibus in duello, *c.* 1. *eod. tit.* De homicida, *c.* 1. *de homicidio vol. & caſ.* De ſacrilegio, *c.* 2. *de rap.* De perjuro, *c. Quærelam, de jurejur.* De incendiario, *c. Peſsimam, c.* 23. *q.* 8. *l. Capitalium*, §. *Incendiarii, ff. De pœnis:* Et de cæteris delictis excedentibus poteſtatem Canonis, aut ſcandaloſis, aut repetitis, vel continuatis, ſi reus ſit incorrigibilis, aut irregularis, & non curet abſolvi, *Panorm. in c. At ſi Clerici, de judiciis:* ex quibus reus verbaliter degradatur: Et ſi Eccleſia non habeat pœnas condignas delicto, degradatur etiam actualiter, ut Legibus Civilibus ſatisfiat.

SOLIER.

(*a*) HINC ad annotationem meam ſuper Lanceloti Inſtit. *lib.* 1. *tit.* 20. §. *Clericus, in verb. Degradatus*, te remitterem, niſi præceps & lucro inhians conductitius Typographus totam continuis mendis deformaſſet; ſed vide ibi citatos, præter Molin. & Lovetium, *Choppin. de Sacra Polit. lib.* 2. *cap.* 3. *& Mornac. ad L.* 2. *de his qui not. infam.*

(*b*) Alia adde à nobis relata in notis ad Lancelot. Inſtit. *lib.* 3. *tit.* 1. §. *Laïcus, in verb. Similes.*

(*c*) Verbalem appellant degradationem quandò Judex ſententiam pronuntiat contra Clericum eum ſuſpendendo Clericalibus Ordinibus ſeu illorum executione, quæ propriè depoſitio potiùs, quàm degradatio appellatur, *cap. Sacerdos, diſt.* 18. *cap.* 2. *de pœnis, in 6.* actualis eſt quando Clericus non modò per ſententiam, ſed etiam perſonaliter privatur, exauctorizatur, exuitur & ſpoliatur Ordinibus Eccleſiaſticis per diſtractionem Clericalium inſignium, ſicque à Clericali militia remotus Clericus

rejicitur, privatus consortio & privilegio Clericali, *d. cap. 2. de pœnis.* Quando autem simpliciter imponitur pœna degradationis intelligitur de leviori & sic de verbali, *Bellet. disq. Cleric. p. 1. tit. de favor. Cleric. person.* §. 10. *n.* 5. & potest degradari Clericus in minoribus constitutus, *Can. Si Episcopus* 11. *q.* 5. *& d. cap. 2. de pœnis, in 6.* Alias inter utramque differentias *vid. apud Tolet. lib. 1. cap.* 5. utraque privat Officio, & Beneficio Ecclesiastico.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 8. EX *quibus causis Beneficia ipso jure vacant.* Sunt & alia crimina vacationem Beneficiorum ipso jure inducentia. *Primò*, per violentam possessionis adeptionem, *cap. Cum qui, de Præben. in 6. Secundò*, per violationem sequestri, *Clem. 1. de sequest. poss. & fruct. Tertiò*, per alienationem rerum Ecclesiæ seu Beneficii sine debita solemnitate, *Extravag. ambitiosæ*, §. *Per inferiores verò, de rebus Eccles. non alien. Quartò*, per apostasiam à fide *Rebuff. in prax. tit. de modis amittendi Beneficia, n.* 4. *Constitut. Pii V. cum ex Apostolatûs, & Constit. Gregorii XIII. in Eccles. Quartò*, non solùm vacant ipso jure Beneficia hæreticorum, sed etiam filiorum, quamvis priùs obtenta, ut post alios quos citat, *tenet Gonzal. ad reg.* 8. *Gloss.* 15. *n.* 67. licèt *Rebuff. ubi supra, n.* 25. aliud velit. *Sextò*, per crimen realis simoniæ, *Extravag. cum detestabile, de Præbend. Septimò*, vacant ipso jure Beneficia occidentis, vel percutientis Episcopum, *Clem. 1. de pœnis. Octavò*, vacant ipso jure Beneficia occidentis Rectorem suæ Ecclesiæ, *cap. In quibusdam, de pœnis*, quod etiam Felinus extendit ad occidentes quemlibet Clericum vel parentem aut fratrem, *in cap. Inquisitionis, n.* 3. 4. *&* 5. *de accusationibus*, quamvis contrarium teneat *Gonzalez, dict. Gloss.* 15. *n.* 79. ubi dicit quòd in homicidio qualificato, seu deliberato non inducitur vacatio ipso jure nisi quatenus expressum reperitur in Jure, & textus in *dicto cap. In quibusdam*, non est extendendus extra suos terminos. *Nonò*, si quis carceravit Clericum donec resignaverit, *Clem. multorum*, §. *Quod si inferiores, de pœnis. Decimò*, vacant ipso jure Beneficia illorum, qui pro obtinendis Beneficiis se ipsos pro aliis examini supponunt, vel annuas pensiones offerunt, aut Beneficia impetrant pro aliis, ut ab eis aliquid consequantur, vel quando impetrant pro se ipsis Beneficia cum voluntate illa resignandi, reservatâ sibi pensione vel non reservata, ut cavetur in Constitutione, *n.* 33. Pauli IV. quæ incipit, *inter cæteras*, ad longum relata per *Gonzalem Gloss.* 15. *n.* 89. quæ non servatur apud nos: *Undecimò*, per insurdescentiam in excommunicatione per annum & ultra, quod tamen jure non probatur: *Duodecimò*, vacant Beneficia ipso jure per confidentiam Constitut. Pii IV. incipiente, *Romanum Pontificem*, & Pii V. quæ incipit, *intolerabilis.*

N. 9. *Aut cum filia spirituali.* Presbyter carnaliter cognoscens filiam spiritualem, cujus Sacramentalem Confessionem audivit, crimen admittit depositione dignum, *cap. Si quis, cap. Non debet* 13. *q* 1. quam tamen pœnam jam ex consuetudine non infligi testatur *Joannes Sanctius in practicis disputationibus, disp.* 11. *n.* 2. *versic. aliis verò*, ut refert *Barbosa in dictis cap. Si quis, & cap. Non debet*, qui & ipse addit confessorem habens copulam cum filia confessionis non teneri in confessione hanc circumstantiam exprimere. Pius IV. suâ Constitutione incipiente, *dilectæ filiæ*, confessarios ad turpia & inhonestos actus sollicitantes gravibus pœnis perstrinxit, & illorum Constitutiones confirmavit, ampliavit, & extendit ad omnes ubique locorum existentes. Gregorius XV. sua Constitutione incipiente *universi Dominici gregis*, relatâ à *Lotterio de Benefic. lib. 3. q.* 31. *n.* 23. his verbis concepta, *statuimus, decernimus, & declaramus quod omnes & singuli Sacerdotes, qui personas, quacumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpatranda, in actu Sacramentalis confessionis, sive ante, sive post immediatè, seu occasione vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secutâ sicut extra occasionem confessionis in confessario, aut in loco quocumque, ubi confessiones audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire; sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio sanctæ Inquisitionis severissimè, ut infrà puniantur, &c. Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate & circunstantia suspensionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec-non vocis activæ & passivæ, si regulares fuerint, damnationis ad triremes & carceris, etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ sæculari puniendos tradant.* Ex quibus verbis satis apparet in easdem pœnas non incidere sollicitantem ad venerea extra confessionem filiam suam spiritualem, si sollicitavit aliâ occasione, quàm occasione seu prætextu, vel simulatione confessionis, ita *Barbosa, post alios quos citat in cap. Si quis, & seq.* 30. *q.* 1. & ita intelligendam & limitandam puto terribilem illam summarum Galliæ Tribunalium in sacrilegum nefas ultionem, quâ illud igne expiandum pronuntiant, ut videre est in causarum publicè peroratarum Diario, *tom. 1. lib. 2. cap.* 102.

TITULUS XXXXIV.

De aliis impedimentis ad Beneficia.

SUMMARIUM.

I. Ordo materiæ circa inhabilitatem ad Beneficia.
II. Exteri in Gallia Officia aut Beneficia obtinere non poſſunt ſine venia.
III. Exteri qui pro Regnicolis habentur. Arreſta.

I. IRREGULARITAS obſtat ordinationi, & conſequenter impetrationi Beneficii: ſunt alii qui licèt irregulares non ſint, & ordinari poſſint, tamen inhabiles ſunt, ob defectum qualitatis, aliudve Juris impedimentum, ad certa Beneficia, ut de filiis legitimis Presbyterorum diximus *tit.* 25. qui licèt irregulares non ſint, ad Beneficia paterna aſpirare non poſſunt: de defectu gradûs & Ordinis, & imperitiâ idiomatis, *tit.* 29. de eo qui impetravit Beneficium viventis, *tit.* 2. de intruſo & violento poſſeſſore, *lib.* 2. *tit.* 7. ſupereſt ut de peregrinis & Regularibus agamus.

II. Nam exteri in hoc Regno nec Beneficia nec Officia poſſunt obtinere, obſtantibus Conſtitutionibus Principum, Caroli VII. Ludovici XII. & Henrici III. Conſtitutione Bleſenſi *art.* 4. niſi jus Civitatis à Principe obtinuerint: eorum tamen filii in Regno nati pro Regnicolis habentur, ut obſervabatur inter Hebræos, ex Lege Moſaïca, *Nicolaus de Lyra in Ezechielem c.* 47. *verſic.* 22. *Bacquet du droit d'aubaine c.* 32. dicuntur apud nos Albini, quaſi alibi nati, à Græcis ἀπόλιδες, à Latinis peregrini: Jus Civitatis ſolus Princeps concedit, & proviſio Beneficii vel Officii à peregrino obtenta ante Principis Reſcriptum, nulla judicatur, ob defectum qualitatis requiſitæ, nec convaleſcit (*a*) poſt eam obtentam.

III. Sunt tamen ex Provinciis vicinis alienigenæ, qui pro Regnicolis habentur in Gallia ad Officia obtinenda vel Beneficia; ut qui orti ſunt ex Batavia, Brabantia, Hollandia, Zelandia, Luxemburgo, Comitatu Artenſi, & Burgundia, ex fœdere inito inter Franciſcum I. & Carolum V. *Bacquet loco cit. c.* 8. *n.* 21. & ex noſtris vicinis pro Regnicolis habentur qui orti ſunt ex Comitatu Nicenſi & Veneiſinenſi, quod hæc Provincia olim, ſcilicet ante quingentos annos, ambitu ſuo utrumque Comitatum contineret. Illi igitur Officia & Beneficia obtinere poſſunt in hoc Regno, modò Litteras declaratorias obtineant in Regis Cancellaria, ſuæ originis, ſive ante Beneficium vel Officium obtentum eas Litteras obtinuerint, ſive poſt, pendente lite; ut judicatum fuit in cauſa Figuiere, Preſbyteri; pro Præbenda Theologali Graſſenſis Eccleſiæ, & in alia cauſa Tontudi Nicenſis, Vicarii generalis Epiſcopi Glandetenſis, Arreſto menſis Octobris, anno 1626. qui pendente lite Litteras declaratorias originis obtinuerant: his enim Litteris non tribuitur jus novum, ſed declaratur quæſitum, *Fevret lib.* 1. *c.* 3. *n.* 14. Litteræ verò quibus Jus Civitatis conceditur, proſunt ſolùm ad futura: tamen Avenionenſibus cæteriſque Comitatûs Veneiſinenſis non eſt opus Litteris declaratoriis ad Officia & Beneficia obtinenda in hoc Regno: id enim ad poſtulationem Univerſitatis ſingulis conceſſum fuit, Reſcriptis noſtrorum Principum; & quod ſemel in perpetuum conceſſum fuit, non eſt per ſingulos concedendum, *l. Quæ ſub conditione, ff. de cond. inſtit.* Graduati Univerſitatis Avenionenſis gaudent privilegio Graduatorum in Regno, ſicut cæteri qui Graduati ſunt in Univerſitate famoſa Regni, ut judicatum fuit in gratiam Arnulphi, in magno Conſilio, *anno* 1653. pro Cura Sancti Fiacri. Pro confœderatis etiam habentur Judæi baptizati in hoc Regno, *Rebuff. tit. de pacificis poſſeſſoribus, num.* 217. nam in Baptiſmo fit παλιγγένεσις, regeneratio, omnis macula diluitur.

SOLIER.

(*a*) CONTRARIUM tradit *Rebuff. in tract. de pacific. poſſ. n.* 266. & 267. ubi dicit ita fuiſſe judicatum in Senatu Pariſienſi die 14. Maii 1522. ad favorem exteri qui de novo Litteras naturalitatis impetraverat, ſubditque notanter Judæum baptizatum in Regno non eſſe exterum quia ibi renatum, per ea quæ notat *Bald. in L. Aſſumptio, ff. Ad municipalem & cap. Cùm nullus, de temp. ordin. in* 6. *DD. in cap. Eam te, de reſcript.* nec poteſt ſummus Pontifex quantamcunque in Beneficiis habeat poteſtatem, de eo peregrinitatis vitio alicui gratiam facere, Fevret. *de abuſu, lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 15.

NOVÆ

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. INHABILES *ſunt ob defectum qualitatis.* Quales ſunt extranei, qui Beneficia patrimonialia obtinere non poſſunt, de quibus agit *Quintilianus Mandoſius ad regul. de infirmis reſig. q.* 15. quia patrimonialibus ſeu naturalibus, filiis loci ex fundatione vel alio ſpeciali jure conferri debent, quod magnam cum Jure Communi, Canonico, & Civili conformitatem habet; nam de jure Beneficia conferri ſeu concedi debent Clericis loci, ubi Beneficia conſiſtunt, *cap. Nec emeritis, & cap. Seq. diſt.* 61. *L. In Eccleſiis, Cod. de Epiſcop. & Clericis*, quamvis in *cap. Ad decorem de inſtitut.* reprehendatur Patriarcha Conſtantinopolitanus qui certæ nationi Beneficia conferebat, & ibi diſponatur quòd undecumque venientibus tribuantur, quia id procedit in defectum Clericorum loci Beneficii, unde taciturnitas nationis inducit ſubreptionem, *Abbas in cap. Si proponente, de reſcript.* ceſſante tamen Juris ſpecialitate, hodiè non attenditur nativitas; an autem Abbas, vel Rector loci quantumvis natu extraneus, cenſeatur originarius ad effectum obtinendi Beneficium patrimoniale compatibile? Reſpondetur affirmativè, & videtur caſus in *cap. Cum nullus, de temp. ordin. in 6. Barthol. in L.* 1. *n.* 17. *ff. Ad municipal.* quia miles poſitus in aliquo loco ad exercendam militiam, efficitur civis illius loci, ut *L. Municeps, §. fin. eod. tit.* ſi verò Abbatiam ſeu Rectoriam poſtmodum renuntiet, Beneficium illius occaſione quæſitum propterea non amittit per regulam, factum legitimè retractari non debet, licèt in eum caſum devenerit à quo non potuit inchoari, *cap. Factum, de reg. Juris, in 6.* licèt Bartholus contrarium annuere videatur.

TITULUS XXXXV.

De Regularibus & Commendis.

SUMMARIUM.

I. Mendicantes.
II. & III. Apoſtata. Carthuſianorum Regula auſterior.
IV. Commenda.
V. Papa & Legatus Commendant ad vitam.
VI. Commendatarius ad vitam fructus facit ſuos ut titularius.
VII. VIII. & IX. Jura Abbatum.

I. REGULARES ſunt in duplici differentia, Mendicantes, & non Mendicantes. Mendicantes ſunt inhabiles ad Beneficia ob votum paupertatis, *Clement. exivi de Paradiſo, de verb. ſignif. c. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Regularium.* Idem cautum fuit in Gallia, Conſtitutione Ludovici Pii.

II. Cum Regularibus ſolus Papa diſpenſat ut inter ſæculares vitam agant ob corporis infirmitatem, aut migrent in Regulam laxiorem non Mendicantium, & Beneficia obtineant: qui verò ſine diſpenſatione exeunt, apoſtatæ cenſentur, excommunicantur, & inhabiles remanent ad Ordines & Beneficia, *Extr. viam ambitioſæ, de Regularib. & tranſ. in Relig.* quam pœnam vitant qui migrant in Regulam æqualem, ob juſtam cauſam, cum licentia Abbatis: nam ſi juſta cauſa non ſit, Papæ licentia deſideratur; & qui tranſeunt in Regulam arctiorem, qualis cenſetur reſpectu omnium Regula Carthuſianorum, ob ſolitudinem, ſilentium, & perpetuam abſtinentiam ab uſu carnium, modò illi licentiam tranſeundi à ſuo Prælato poſtulaverint, tametſi ex proterva indiſcreti Prælati contradictione eam non obtinuerint, ut dicitur *in c. Licet, de Regularibus.*

III. Cæteri Regulares ſunt habiles ad Beneficia Regularia, & inhabiles ad Sæcularia, ſicut Sæculares ſunt inhabiles ad Beneficia Regularia, *c. Monachi, de ſtatu Monachorum, c. Placuit* 16. *q.* 1. *§. Volumus, in Concordatis, de collation.* ne jura confundantur, *§. Codicillis, Inſtit. de codicillis.*

IV. Tamen Beneficium Sæculare Regulari, vel contra, Regulare Sæculari in Commendam dari poteſt; nam temporalis mutatio non mutat jus Beneficii, ut dicitur de jure Provinciæ, ſi Provincia Cæſaris data eſſet Proconſuli ad certum tempus, vel Provincia Senatûs data eſſet Præſidi, *in l. Temporalis, ff. de regulis Juris:* commendare enim nihil aliud eſt quàm deponere, *l. Commendare, ff. De verb. ſignificat. l. Lucius, ff. Depoſiti,* ſive ad tempus ſive ad vitam Commenda data ſit.

V. Ordinarius (*a*) & Capitulum Sede vacante commendare poſſunt ad tempus, *c. Nemo, de elect. in 6. Rebuff. de Commendis, n.* 54. ſive Beneficium vacet, ſive Rector illius laboret infirmitate animi vel corporis; in quibus caſibus non eſt neceſſe recurrere ad Papam, *Molin. de public. reſign. n.* 308. At ſi Beneficium commendetur ob abſentiam

vel infirmitatem Rectoris, Commenda durat tandiu quandiu illud impedimentum durat: & si Ecclesia vacet, Ordinarius non potest commendare ultra sex menses, ne fraus fiat Concilio Lateranensi, quo post semestre jus devolvitur ad Papam, *c. Nemo, de elect. in 6.* Papa verò, & Legatus de Latere, commendare possunt ad tempus, vel ad vitam commendatarii.

VI. Si Beneficium vacans commendetur ad tempus, in gratiam Ecclesiæ id fieri creditur, & commendatarius de fructibus Beneficii tenetur rationem reddere, ut custos & depositarius, §. 1. *Instit. depositi*, nisi in Commenda clausula fuerit adjecta, quòd commendatarius de fructibus Beneficii possit disponere: si verò Beneficium commendetur ad vitam, in gratiam commendatarii id fieri videtur, ut de fructibus Beneficii possit disponere, renuntiare in favorem, permutare, & sine causa legitima destitui non possit, *c. Satis perversum, dist. 56.* Cùm Beneficium commendatur ad vitam, Commenda cessante, cessione, morte, vel depositione, collatio reservatur Papæ, à quo processit: apud nos reservationibus sublatis Ordinarius uti potest jure suo. (*b*)

VII. Abbates tàm titularii quàm commendatarii jus habent suffragii in Comitiis generalibus Cleri Gallicani, *Loëtius lit. B. n. 12. Loiseau des Offices Ecclesiastiques, c. 6.* Verùm Abbates Regulares jus habent correctionis in Monachos, institutionis & destitutionis, translationis, & successionis in peculio illorum, *Chopinus lib. 1. Monasticon, Ferrerius ad Guid. Pap. q. 55.* Quod jus Abbatibus sæcularibus non conceditur, nisi fulgeant Dignitate Cardinali: Cardinalibus enim ob eminentiam Dignitatis Jus illud tribuitur, quòd per se vel suos Vicarios exerceant, debent tamen Regulares adhibere in iis quæ sunt Regulæ, in corrigendo & admittendo professiones Regularium, proindeque si Abbas commendatarius Beneficium Monachale alterius Monasterii Monacho contulerit; habent enim Abbates commendatarii jus conferendi, at non habent jus transferendi, ut suprà dictum est, translatio Monachi à Priore Claustrali fieri debet, *ut judicatum refert Fevret lib. 2. c. 5. n. 29.*

VIII. Abbates sæculares in Gallia cognatos habent hæredes: at Abbates Regulares Monasterium habent hæredem; illos enim Dignitas à voto paupertatis non dispensat ut dispensat Regulares in Episcopatum electos, & Cardinales, ut notavimus *lib. 1. tit. 1.* Quibus tamen, cognatis succedere non licet, ut nostris temporibus judicatum fuisse in magno Consilio contra Dominum d'Attichy ex familia Minimorum electum Episcopum Regiensem, *notat Bengeus lib. 1. c. 43.*

IX. Nec solùm Regulares inhabiles sunt ad Beneficia sæcularia, sed etiam ad Beneficia Regularia (*c*) alterius Regulæ, vel Monasterii ejusdem Ordinis; Religio eodem loco tenet Religiosos, ne inde se movere possint, ait Ulpianus de suis Sacerdotibus, *in l. 1. ff. de in jus vocando*; & Seneca *de tranquill. vitæ.* Quamobrem licèt Clericus sæcularis diversa Beneficia simplicia possit habere in titulum in diversis Ecclesiis, Clericus Regularis in diversis Monasteriis diversa Beneficia habere non potest, nisi dispensetur, nec dispensatur ut utrumque Beneficium habeat in titulum in suo Monasterio, & alterum in Commendam, *Rebuf. de disp. cum Reg. n. 8. & 9.* nam Regularis Beneficium in alio Monasterio habere non potest in titulum; nisi transferatur, ut de translatione diximus *lib. 1.* Possunt autem Regulares Beneficiis de quibus provisi sunt renuntiare sine licentia Abbatis sive ab eo sive à Papa provisi sint, & ab Abbate cogi non possunt ut renuntient: nam licèt ei ex voto teneantur obedire, tamen quoad hoc non tenentur, *De Selva 3. parte, de Beneficio, c. 69.* exceptis Beneficiis manualibus quæ provisus habet precariò amobilis ad nutum Superioris.

SOLIER.

(*a*) INFERIOR Episcopo non potest Ecclesiam seu Beneficium commendare, *Garc. de Benefic. p. 4. cap. 4. n. 8.* Ratio est, quia dispositio omnium Beneficiorum in Diœcesi pertinet ad Episcopum, *cap. Noverint 10. q. 1. cap. Omnes Basilicæ 16. q. 7.* si autem inferiori competit collatio, illud est consuetudine, vel privilegio: ergo privilegium vel præscriptio dans jus conferendi, non dabit jus commendandi, quia tantùm præscriptum quantùm possessum, *Gambar. de offic. & potest. Legat. lib. 4. tit. de potest. Legati in commendando Beneficia, n. 165.* quamvis contrarium velit *Hoieda de incompatibilitate Benef. p. 2. cap. 4. n. 6.* Capitulum tamen Sede vacante commendare potest donec fuerit provisum de Pastore, *cap. Bonæ, ubi Panorm. de appellat. cap. fin. de statu Monach.* hoc enim necessarium est propter moræ & diutinæ vacationis periculum, *Coras. de Benefic. p. 2. cap. 17. num. 4.*

(*b*) Id est per obitum Commendatarii conferre, *Rebuff. de pacific. possess. n. 56. Probus in cap. Nemo, de elect. in 16. Gonzales, Gloss. 5. §. 8. à n. 48.* licèt de jure secus, *Can. Obitum & Can. Catinensis, dist. 61.*

(c) Regularia non possunt conferri Clericis Regularibus diversi Ordinis & Religionis, cùm non conveniat ut homines disparis professionis vel habitûs simul in eisdem Monasteriis associentur, *Clem.* 1. *de elect.* nec Religiosis etiam ejusdem Ordinis, diversi tamen Monasterii, *cap. Cum singula*, §. *Prohibemus*, *de Præb. in 6.* laudabilis namque est consuetudo, quòd Beneficia non conferantur, nisi uni de gremio Capituli, aliàs collatio sit nulla, *text. in cap. Cùm dilectus & ibi Gloss. in verb. Constitutum*, *de consuet.* quod adeò verum ut Regularis non possit dispensari ad duo à diversis Abbatibus dependentia, quia teneretur duobus Dominis eodem tempore obedire, quod in jure reprobatur, *Can.* 1. 21. *q.* 1. *Fevret. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 9. Monachus tamen unius Monasterii potest eligi in Abbatem alterius Monasterii, *cap. Cum Monasterium*, *de elect.* modò Monasterium ad quod vocatur sit ejusdem Religionis & habitûs, *Clem.* 1. *eod. tit.* aliàs non potest eligi, sed debet postulari, *Gloss. in d. cap. Cum Monasterium.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. *Modò licentiam transeundi à suo Prælato postulaverint.* Prælatus immediatus ipsius Conventûs, potest licentiam transeundi ad strictiorem Religionem concedere inconsulto Conventu, & si ille sit transiturus, eam petere debet à Provinciali, & iste à Generali, & hic à Romano Pontifice, *Sanchez. in præcept. Decal. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 63. ubi resolvit Prælatum Religionis, qualiscumque sit ille, eum transitum concedere non posse, si ille ad strictiorem Religionem, non ex zelo melioris frugis, sed ex levitate quâdam, aut aliâ animi perturbatione procederet; si fiat transitus de Religione æquali ad æqualem cum justa causa requiritur consensus Capituli Conventualis; si verò fiat sine causa, requiritur licentia Papæ, *Abbas in cap. Non est dubium*, *n.* 6. pariter licentiam transeundi ad laxiorem sine causa solus Papa concedere potest, quamvis id non soleat, cum derogatione *Concil. Trident. Sess.* 25. *cap.* 19. *de regul.* quæ requiritur, ut per *Navar. Consil.* 62. *aliàs* 65. sed existente justâ causâ, Prælatus Pontifice inferior potest eam licentiam indulgere, nam verba Concilii, nemo Regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, sunt intelligenda absque justâ causâ, *Barbos. in dict. cap. Licet à n.* 10. *de Regul.*

N. 3. *Et inhabiles ad sæcularia.* Possunt tamen Religiosi in Episcopos Ecclesiarum sæcularium eligi, *Clem.* 1. *de elect.* quo casu Monasticæ regulæ jugo solvuntur, *cap. Statutum* 18. *q.* 1. cujus tamen Canonis decisio apud nos non probatur, quatenus tales Episcopos ad legitimas successiones admittit, quamvis ejus consanguinei ad illius successionem admittantur, *Lovet. & Brodell. litt. E*, *n.* 4. *Beng. de Benef. cap. de divisione Benefic.* §. *Et ex adverso*, ubi Parrochiales Ecclesiæ Regularibus Beneficiis sunt Annexæ, ad Regulam Ecclesiarum Sæculares ut plurimum admittuntur, quia illud sæculare est, *cap.* 1. §. *Cæterum*, *de statu Monach.* cum vix Regularibus permittatur curam animarum exercere; per ea quæ Tomacinus in veteri & nova Ecclesiæ disciplina, *tom.* 2. *part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 51. plenè deducit. Vulneratur insuper aliâ exceptione Regula, quæ vult Regulariæ Regularibus, Sæcularia Sæcularibus esse conferenda; videlicet nisi procedatur per viam Commendæ, quia tunc ordine inverso Beneficia Sæcularia Regularibus, & Regularia Sæcularibus à Sede Apostolica, commendari consueverunt, de quibus numero sequenti dicemus.

N. 4. *Regulare Sæculari in Commendam dari potest.* Commendæ perpetuæ apud probatissimos Authores vocantur corruptelæ, ingeniosi fuci commentum, quo velut impostura fieri videtur Divinitati, dispensatio palliata, color contra Decreta quæsitus, incæsta machinatio, scandalum, &c. *Fevret. deabusu, lib.* 2. *c.* 6. *n.* 23. Cæterùm olim Ecclesiarum commendatio depositi naturam redolens temporanea, & quasi precaria concedentis voluntate fiebat, & voluntate cõtrariâ extinguebatur, nec ullum jus in Ecclesia commendata fiduciario acquirebat, sed tantùm quasi Procuratori administrandi facultatem transferebat, cum necessitate reddendarum rationum, fructuumque futuro successori reservandorum, *cap.* 4. *de offic. Ordin.* & hoc modo commendabantur omnia Beneficia, veluti Episcopatus, *cap. Obitum*, *cap. Catinenses*, *dist.* 61. Præbenda Cathedralium Ecclesiarum, *cap.* 12. *de accusat.* Ecclesiæ Parrochiales, *cap. Nemo deinceps*, *de elect. in 6.* hâc tamen differentiâ admissâ ut Ecclesiarum Cathedralium commenda non nisi unius anni lapsu expiraret, *cap. Cum vos*, *de offic. Ordin.* Ecclesiarum verò Parrochialium semestri tempore clauderetur, *dict. cap. Nemo deinceps*, sed hæ omnes temporales commendæ remanserunt, in quibus omnia jura de titularibus loquentia in commendatariis perpetuis sibi locum vindicant, *Clem. finalis*, *& ibi Imola*, *de Procurat.*

TITULUS XXXXVI.

De vacatione Beneficii per privationem, & Judicis Sententiam.

SUMMARIUM.

I. Beneficia vacant per Judicis ſententiam.
II. Relegatus in perpetuum damnatus ad Triremes.
III. Irregularis non curans abſolvi.
IV. Reſignatarius ob ingratitudinem.
V. Qui collatoris authoritatem aut Eccleſiæ jura expugnat.
VI. VII. & VIII. Ob non reſidentiam Clericus privatur Beneficio. Quæ Beneficia requirant reſidentiam.
IX. & X. Ex quibus cauſis abſentes excuſantur. Abſentes Studiorum causâ. Lectores Theologiæ aut juris Canonici.
XI. & XII. Diſtributiones quotidianæ. Arreſtum
XIII. & XIV. Portio congrua Vicarii.

I. POSTREMÒ Beneficia vacant per Judicis Sententiam, quâ poſſeſſor Beneficio privatur, & deſtituitur, cum cognitione cauſæ: nam non niſi ob juſtam cauſam deſtitui debet, *c. Satis perverſum, diſt. 56.* Juſta cauſa deſtitutionis eſt, ſi Clericus ob delictum Ordine moveatur per Judicis Sententiam, eodem enim Judicio expreſsè vel tacitè Beneficio deponitur, nam Beneficium datur propter officium.

II. Secundò ſi Clericus in perpetuum relegetur, non poteſt retinere Beneficium in quo reſidentia deſideratur, *Rebuff. in tit. de modis amittendi Benef. n. 57. Papon lib. 3. Placit. tit. 6. n. 1. Riccius deciſ. 690.* Si verò ad tempus ſit relegatus, retinet Beneficium, Vicario interim dato: at ſi damnetur ad triremes in perpetuum, vel ad tempus ſit ſervus pœnæ, (*a*) jus Civitatis amittit, & Beneficium retinere non poteſt, nec reſtituitur in integrum ad Beneficium amiſſum, licèt à principe pœna ſibi fuerit remiſſa, in præjudicium juris alteri jam quæſiti, ut de penſione ſupra diximus.

III. Tertiò, ſi poſt adeptum Beneficium Clericus fiat irregularis dolo vel culpa, & non curet abſolvi, Beneficio privari poteſt; ut diximus ſuprà de excommunicato & ſuſpenſo: ſi verò ſine dolo aut culpa irregularis fiat defectu animi aut corporis, retinet Beneficium, ut ſuprà dictum fuit *tit. 26. & 27.*

IV. Quartò, ob ingratitudinem Clericus Beneficio privandus eſt ſi ex cauſa reſignationis proviſus fuerit, & manibus impiis aut calumniis reſignantem fuerit inſecutus, aut ejus curam neglexerit cùm laboraret infirmitate animi vel corporis, vel egeſtate; tamen ſi reſignans non conqueratur injuriam videtur remiſiſſe, & alius non admittitur ad querelam, *l. finali, C. de revoc. donat. Molin. de veriſ. not. n. 56.*

V. Quintò, Ob eam cauſam Clericus Beneficio privari poteſt, ſi collatoris à quo proviſus eſt poteſtatem expugnet: non enim debet ab eo fructum conſequi cujus authoritatem nititur expugnare, *c. Eo, de Reg. Juris, in 6.* Idem dicitur de illis qui Jura Eccleſiæ in qua Beneficium obtinent impugnant, *c. fin. de poſtulando, Joannes Gallus q. 223.* niſi neceſſitate muneris & officii id fiat, *l. ult. ff. de poſtulando, l. cùm quidam, C. eod. tit.* At qui Papæ authoritatem expugnat, ut Hæreticus & Schiſmaticus, privatur ipſo Jure: qui verò Prælati ſui authoritatem convellere tentat, privatur per Sententiam, eo conquerente: nam ſicut Feudum, quod eſt Beneficium temporale, non amittitur ipſo jure per feloniam, niſi in Principem delictum ſit commiſſum, *Molin. in conſuet. Par. tit. 1. §. 43. Gloſſ. 2. n. 34.* Idem de Beneficio Eccleſiaſtico dici debet; tamen reus qui ſuum Epiſcopum hoſtiliter inſequitur, ipſo jure deponitur, ut notavimus ſuprà *tit. 18.*

VI. Sextò, Clericus privandus eſt Beneficio, ſi illud requirat reſidentiam, & non reſideat: nam ſicut qui matrimonium contrahunt individuam vitæ conſuetudinem ineunt, ſic Clerici reſidere debent in Beneficiis quæ requirunt reſidentiam, cujuſmodi ſunt Beneficia Curata, Dignitates, Perſonatus, (*b*) Canonicatus, & Semipræbendæ in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, non obſtante conſuetudine contrariâ, quæ ut irrationabilis reprobatur in Concilio Tridentino, *de reformat. Seſſ. 24. c. 12.* niſi ſtatus Eccleſiæ ſit mutatus: cætera verò Beneficia non requirunt reſidentiam, ni ſpeciali jure, Statuto, vel Fundatione, id cautum ſit, *Panorm. in c. fin. de Clericis non reſidentibus.*

VII. Hæc verò requiruntur ante Sententiam privationis; notabilis abſentia, quòd

ſaltem per ſex menſes Clericus abfuerit, & poſt illud tempus à Superiore tribus Edictis fuerit evocatus; quòd illa Edicta ei vel domeſtico in domicilio aut vicino fuerint intimata, aut in valvis Eccleſiæ fuerint propoſita, datis dilationibus competentibus ad comparendum, *c. Ex tuæ, de Clericis non reſident. Clem.* 1. *de judiciis*: quibus dilationibus elapſis, ſi Clericus non pareat, Edicto peremptorio poſſeſſione Beneficii privari poteſt, & creſcente contumacia omni jure privatur, *d. c. Ex tuæ*: & novo Jure, ex Concilio Tridentino, *de reform. Seſſ. 6. c.* 1. Prælati abſentes ſine legitima cauſa, ſi moniti non redeant, poſt primum ſemeſtre elapſum, quartæ partis fructuum unius anni Beneficii fabricæ Eccleſiæ vel pauperibus loci applicandorum pœnam ipſo jure incurrunt; ſi per alios ſex menſes in eadem negligentia perſeverent, aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandorum eo ipſo amittunt, & creſcente contumacia authoritate Sedis Apoſtolicæ deponuntur: cæteri verò in minoribus Dignitatibus conſtituti, aut aliis Beneficiis, in quibus requiritur reſidentia, ultra tres menſes abeſſe non poſſunt: & ſi moniti non veniant, primo anno privantur dimidia parte fructuum eorumdem Beneficiorum, ſi in eadem negligentia perſeverent privantur omnibus fructibus, & creſcente contumacia à Superiore deponuntur, ex eodem Concilio, *Seſſ.* 24. *de refor. c.* 12. idemque depoſitus condemnatur ad reſtitutionem fructuum poſt monitionem perceptorum: nam deſertor militiæ ſtipendia non meretur, *l. non dicas, C. de re mil. lib.* 10. Et ſi à monitione appellatum fuerit, competens datur dilatio appellanti ad perſequendum judicium appellationis, Vicario interim conſtituto, cum portione congrua de reditibus Beneficii, *c. Pervenit, de appellationibus*: in Gallia utimur Jure Decretalium.

VIII. Fructus autem quibus privantur abſentes, acquiruntur Eccleſiæ, ut apud nos Conſtitutione Bleſenſi *art.* 14. definitum fuit; vel menſæ communi, ſi procedant ex bonis deſtinatis ad menſam communem. Idem dicitur de diſtributionibus, ſi eæ ſint diviſæ: nam ſi non ſint diviſæ, non decreſcunt intereſſentibus, *Gl. in Clement. ut ii qui*, §. *Illi verò, de ætate & qualitate ordinandorum, Rebuff. in Praxi de diſpenſatione de non reſidendo, n.* 10. *q.* 11.

IX. Excuſantur tamen qui ex legitima cauſa abſunt, *Conc. Trid. loco cit.* ut ſi quis abſit ratione officii, vel ob negotia publica Papæ, vel Epiſcopi, *c. de cætero, de Cler. non reſid.* vel ob negotia Regis, aut Reipublicæ, *Rebuff. in Concord. tit. de collat.* §. *Si verò, De Selva de Beneficio part.* 1. *q. 6. n.* 24. ut qui miniſtrant in Capellâ Regis, & Senatores, *Boër. dec.* 17. *Loëtius lit. C. n.* 24. vel ob ægritudinem vel debilitatem corporis, *c.* 1. *de Cler. ægrotante vel debilitato*, ob incarcerationem, ſuſpenſionem, interdictum, juſtum metum, peſtilentiam, & aëris intemperiem, *Garcias* 3. *parte, c.* 2. Excuſantur etiam qui Studiorum causâ abſunt, *c. Tuæ fraternitati, & c. Cùm ex eo, de elect. in 6. c. fin. de Magiſtris*: quo capitulo ob Studiorum cauſam permittitur abeſſe per quinquennium. Excuſantur etiam Lectores Theologiæ aut Juris Canonici in publica Univerſitate, *Farinacius ex deciſ. Congregationis Cardinalium part.* 4. *deciſ.* 137. quamvis Præbenda ſit alibi, *ibidem.*

X. Si abſentia ſit neceſſaria, licentia Superioris non deſideratur, ſi verò ſit ſpontanea, requiritur, tametſi cauſa abſentiæ ſit probabilis, & ob eam cauſam licentia non debeat negari, putà ſi ſtudendi aut litigandi causâ petatur: debet autem de licentia ſcripto conſtare, ut definitum fuit in Concilio Tridentino, *Seſſ.* 23. *de reformat. c.* 1. *& Conſtit. Bleſenſi art.* 14. ubi hortantur Prælati ut adſint in ſuis Eccleſiis in Adventu, Quadrageſima, Feſtis Natalitii Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti: alioquin abſentia non excuſat, & licentia ab Epiſcopo, vel ejus Vicario, & Sede vacante à Capitulo petenda eſt, *Garcias* 3. *parte p. c.* 2. *n.* 425. Et ſi negetur, ad Superiorem licet provocare, velut à negata juſtitia: tamen in Beneficiis non Curatis licentia non requiritur, *Rebuff. tit. de diſp. de non reſid. n.* 25.

XI. Clerici ægrotantes vel debilitati habentur pro præſentibus lucrantur fructus, & diſtributiones (*c*) quotidianas, *c.* 1. *de Clerico ægrotante vel debilitato.* Idem dicitur de Clerico injuſtè incarcerato, *Farinacius parte* 4. *deciſ.* 124. Idem etiam dicitur de illis qui abſunt ob negotia Beneficii, aut Capituli: qui verò ſunt in ſervitio Epiſcopi, aut Papæ, aut Regis, aut abſunt Studiorum causâ, quorum abſentia probabilis eſt, non neceſſaria, non lucrantur diſtributiones quotidianas quæ intereſſentibus dari ſolent, niſi reditus Beneficii in illis ſolis diſtributionibus conſiſtat; quo caſu qui Studiorum causâ abſunt lucrantur diſtributiones integras, qui verò abſunt ob aliam juſtam cauſam, eas lucrantur, deductâ tertiâ parte quæ intereſſentibus accreſcit, ut ex reſponſis Congregationis Cardi-

nalium refert *Garcias part.* 3. *c.* 2. *n.* 51. *&* 353. Idem de abſentibus Studiorum causâ ait *Riccius deciſ.* 495. Neutro tamen caſu abſens lucratur emolumenta quæ pro Miſſis aut Anniverſariis dari ſolent, ſive abſentia ſit neceſſaria, ſive probabilis. Canonicus Theologalis diebus quibus legit aut concionatur habetur pro præſenti pro tota die, ex Bulla Gregorii XIII. *Riccius loco cit.* Cæteris verò diebus Canonici Theologales ſi abſint non lucrantur diſtributiones quotidianas, *Riccius ibidem*: Capitulum autem non poteſt ſine juſta cauſa abſentibus diſtributiones quotidianas donare, aut remittere, *Farinacius deciſ. p.* 4. *n.* 43.

XII. Si verò juſta cauſa abſentiæ non ſit, abſens non excuſatur, etiamſi Vicarium reliquerit: nam per ſe, non per Vicarium, debet ſervire, *c. Quia nonnulli, de Cler. non reſid. c. Extirpandæ*, §. *Quia verò, de præb.* niſi à Papa vel Epiſcopo Vicarius datus ſit: Papa enim Vicarium inſtituere poteſt in titulum Beneficii & Beneficium Curatum in ſimplex convertere, aſſignatâ Vicario portione congruâ: nam ſi portio aſſignata non ſit, titulus dici non poteſt, & per ceſſum vel deceſſum Vicarii Vicariæ nomen ceſſat, & Beneficium recipit curam animarum, *ex Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 16. Epiſcopus verò poteſt Vicarium dare ad tempus, vel etiam ad vitam, ſi duret impedimentum, & legitima cauſa ſit: at non poteſt Vicarium inſtituere in titulum Beneficii in perpetuum, quia non poteſt Beneficium dividere, niſi illud Beneficium ſit unitum Collegio, aut Capitulo: nam quia Collegium aut Capitulum per ſe ſervire non poteſt, neceſſe eſt quòd ibi Vicarius inſtituatur ab Epiſcopo, aſſignatâ portione congruâ, *c. Ad hæc, de off. Vic. & c. De Monac. de præb.* Et apud nos Jure ordinario Papa ipſe non poteſt Beneficium Curatum in ſimplex convertere inſtituto Vicario, niſi illud uniatur Collegio aut Capitulo favore unionis: alioquin locus eſt appellationi tanquàm ab abuſu, & tale Beneficium ſic poſſeſſum ut ſimplex poteſt impetrari contra proviſum, ob nullitatem tituli, ut judicatum fuit in magno Conſilio in cauſa Prioratûs de la Mote, & Vauginæ, contra poſſeſſorem & Vicarium *anno* 1647. Tamen poſt quadraginta annos de hujuſmodi inſtitutionibus à Papa *factis* queri non licet, ut judicatum fuit eodem Arreſto magni Conſilii contra Chabert, in cauſa Prioratûs Cucuroni, quòd à quadraginta annis Vicarius in eo inſtitutus fuiſſet, & ut Beneficium ſimplex regeretur: nam præſcriptione quadragenariâ ſtatus Beneficii mutatur, *c. Cùm de Beneficio, de præb. in 6.*

XIII. Portio congrua quæ Vicario aſſignanda eſt, dicitur quarta pars decimarum, immunis ab omni onere, & Eccleſiæ reparationibus, non computatis incertis oblationibus quæ ratione miniſterii integræ debentur Vicario, ſive in Eccleſia Parrochiali, ſive in Capella ab ea dependente eæ factæ ſint, niſi fuerint reſervatæ, nam portio hæc debet eſſe certa, *Rebuff. de portione cong. n.* 9. *Loëtius in litt. D. num.* 8. de qua ſi controverſia ſit coram Judice ſæculari, cauſa remitti debet ad Judicem Eccleſiæ: interim verò Judex ſæcularis debet providere Vicario pro ſui ſuſtentatione, & ſervitio Eccleſiæ juxta modum fructuum decimalium: hodie tamen in Gallia ex Arreſtis magni Conſilii querelæ Vicariorum pro ſupplemento portionis congruæ, non admittuntur, ſi portio eorum accedat ad ſummam ducentarum librarum, non computatis incertis oblationibus at ſi Vicarius non habeat reditum ducentarum librarum immunem ab omni onere, & partem habeat decimarum, eam partem decimarum remittendo Priori, admittitur ad petendum reditum ducentarum librarum, tametſi exiguus ſit reditus Beneficii: nam in hoc potior eſt cauſa Vicarii, & divini Officii.

XIV. In inſtitutione Vicarii Patronus Eccleſiaſticus vocari debet; vocantur etiam Conſules Civitatis, tamen etiam eiſdem invitis, ſi cauſa ſit rationabilis, inſtitutio fit, *Gl. in c. Ad hæc, de off. Vic.* At conſenſus Patroni Laïci requiritur, ut ſuprà diximus de unione, *lib.* 1. *tit.* 4. Vicariam autem inſtitutam Prior obtinere non poteſt ſine diſpenſatione, ne jura confundantur, *Abbas in c. ult. de inſtit.*

SOLIER.

(*a*) Cum hodie nemo ingenuè natus fiat ſervus pœnæ, *Auth. hodie, cod. de donat. inter virum & uxor.* idem de damnato ad triremes quod de bannito dicendum videtur.

(*b*) Quid autem de Officiis an reſidentiam requirant? Videtur quòd ſic; quia Dignitas, Perſonatus & Officium eodem jure reguntur, ut *in cap.* 1. *de conſuet. in 6.* & videntur quaſi Synonyma ut cernere eſt in textu, *cap. cùm acceſſiſſent, de conſtit.* ubi idem Officium appellatur, Dignitas & Perſonatus. Hinc duo Officia ſunt incompatibilia, *cap. cum ſingula, diſt.* 89. aut unum cum Dignitate,

vel Personatu, *cap. 1. de consuet. in 6.* vel cum Canonicatu, *Clem. ultim. & d. cap. 1.* in quo ratione consuetudinis permittitur ut quis possit habere Dignitatem seu Officium, vel Personatum in eadem Ecclesia, quæ consuetudo viget in omnibus ferè Gallicanis Ecclesiis, & ita cessante hâc consuetudine sequitur, quòd de Jure Communi Officium est incompatibile cum Canonicatu, & ita tenet *Gloss. in d. cap. 1. & Hoieda de incompatib. p. 1. cap. 8. & cap. 11. n. 1. & 2.* & alii per eum citati quamvis non desint qui aliud sentiant relati in *d. cap. 8. n. 1.* maximè cum Officium est nudum ministerium sine prærogativa præ aliis, *Panormit. in cap. de multa, n. 23. de Præb.* quin & idem dicendum est de quibuivis servitoriis Beneficiis ut scilicet residentiam requirant, *cap. conquerente & ibi Gloss. de Cleric. non resid. Garc. p. 11. cap. 5. §. 3. Hurtado, de resid. lib. 6. resol. 2.*

(*c*) Proventus Canoniæ aut portionis sunt in duplici differentia: alii enim dicuntur fructus assignati Beneficiatis pro titulo justo & Canonico Beneficii & de Jure Communi dantur etiam absentibus, & dicuntur grossa Beneficii aut vestiarium, *Hurtado de resid. lib. 5. resolut. 3. n. 1.* & isti sunt quorum valor exprimi debet in impetratione Beneficii juxta Regul. *Cancellariæ 21. 60. & 62.* & soli pensione onerantur, non autem distributiones quotidianæ, nisi aliud exprimatur, *Gloss. in cap. unic. de Cleric. non resid. in 6.* vel nisi ipsa quantitas fructuum Beneficii partita sit in distributiones quotidianas, quæ non dicuntur propriæ distributiones, sed impropriæ, *Gloss. in cap. Licet, in verb. Distributiones, de Præb. & in d. cap. unico, in verb. Receperint.* Alii verò Canoniæ proventus sunt ipsæ distributiones quotidianæ propriæ scilicet, quæ nihil aliud sunt quàm illa pars pecuniæ aut æquivalentis, quæ distribuitur singulis horis inter præsentes etiamsi solutio non fiat dictim sed post longum tempus, *Garc. de Benefic. p. 3. cap. 2. n. 440.* sive solvantur ex mensa capitulari, sive ex legato pio, aut ex alio capite, & definiri possunt stipendia quædam personalia, quæ ex reditibus Ecclesiæ (præter Præbendam aut portionem certam pro Beneficio competentem) Canonicis & Beneficiariis seu Clericis Cathedralium divinis Officiis interessentibus sive realiter, sive fictione juris pro Divino Officio in choro dicendo distribuuntur, *Hurtado d. loco, n. 20.* Ad distributiones propriè dictas spectant manualia, quæ originantur ex anniversariis & Missis pro Defunctis, ex Processionibus, & Festivitatibus, & etiam pro sepeliendis Defunctis, ex candelis & aliis rebus, quæ ex dispositione testatoris distribuuntur interessentibus. Absentes sine causa grossam dumtaxat lucrantur, absentes verò ex causa necessaria, aut aliàs privilegiata recipiunt etiam distributiones impropias, *Gloss. in d. cap. Licet, de Præb.* non autem proprias, *text. in d. cap. Licet & cap. Ad audientiam, de Cleric. non resid. cap. Cum non deceat, de elect. in 6. Concil. Trident. Sess. 24. cap. 12. de reform.* nisi alia sit consuetudo, *d. cap. unic. de Cleric. non residen. in 6.* cætera supple ex Authore.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. EODEM *enim judicio expressè vel tacitè Beneficio deponitur.* Sibi ipsi adversatur Author, nam supra *tit. 41. n. 4. hoc libro* adhæsit sententiæ Toleti dicentis, suspensum ab Officio non suspendi à Beneficio, sive sit suspensus à Jure, sive Judicis decreto, nam species, inquit, taxationis gratiâ censetur adjecta, hîc verò oppositum firmat, sed malè, nam ut ait *Bonifacius de vitalius in Clem. ult. de pœnis, n. 48.* suspensus ab Officio sive perpetuò, sive ad tempus, sive simpliciter, sive à jure, sive ab homine, sive ex levi causa, sive ex gravi, sive sit in mora, petendi absolutionem, sive non; nunquam censetur suspensus à Beneficio, nisi hoc in sententia exprimatur. Idem tenet post alios quos citat, *Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 51. n. 12. & prob. Primò*, quia in Jure interdum exprimitur suspensio ab Officio, vel Beneficio, *cap. Tam litteris, in fine, ibi, ab Officio, & Beneficio denuntiatos esse suspensos, de testibus, & cap. 1. de secund. nupt. ibi, ab Officio Beneficioque suspensum, & cap. Tuarum, de privil. ibi, ab Officio Beneficioque suspendas*, sed verba in Decretis non debent esse superflua, *cap. Si Papa, de privil. in 6. L. 3. In principio, ff. de jure jurando*, ergo dum exprimitur quod suspensio sit ab Officio & Beneficio non censebitur à Beneficio suspensus. *Secundò*, suspensio ab Officio, ut *cap. Quia in omnibus, de usuris, cap. finali, §. ult. de clandest. desponsat.* & quandoque à Beneficio, ut *cap. Cum in cunctis, §. finali, de elect.* ergo suspensio ab Officio non inducit suspensionem a Beneficio. *Tertiò*, quia constitutio pœnalis extendenda non est ad casum non expressum, *cap. Odia, de reg. juris, in 6. Quartò*, quia suspensus ab Officio potest licitè gerere multa pertinentia ad Beneficium, ut administrare ea quæ ad se attinent, imò & aliqua pertinentia ad Officium, ut Horas Canonicas recitare, confirmat quia Clericus non suspensus à Beneficio facit fructus suos, & per Vicarium inservire potest, nec datum est Beneficium Clerico, ut solum ministret in spiritualibus à quo ministerio removetur suspensus ab Officio, sed etiam ut administret in temporalibus, quod Jure præstare potest suspensus ab Officio, hoc ipsum tenet *Gloss. in cap. Presbyter si à plebe 2. q. 4. in verb. Suspendatur.*

N. 7. *Novo jure ex Concilio Tridentino, cap. 1. Sess. 6. de reformat.* Innovat Canones antiquos adversus Pastores non residentes quoad culpam, videlicet ut Episcopi residere teneantur, & quoad pœnam privationis tituli, de quo in Concilio Tridentino nihil statuitur, quare quod spectat ad privationem tituli, ejusque modum privationis, servandum est quod statuitur *in cap. ult. & in cap. Ex tuæ, de Cleric. non resid.* quando verò in *d. cap. 1.* dicitur quartam partem fructuum unius anni substrahendam esse, agitur de fructibus tempore residentiæ legitimè acquisitis. At vero *cap. 1. Sess. 23.* dicit quòd omnes fructus tempore absentiæ pro rata correspondentes integrè subtrahendi sunt. Demum licet Ordinariè loquendo, lex pœnalis etiam ipso jure lata non obligat delinquentem ad executionem sine sententia Judicis saltem declaratoria, excipi tamen debet, nisi lex confistat in privatione, ita ut faciat aliquem inhabilem ad acquirendum, v. g. ut fructus Beneficii suos non faciat, tunc enim ante omnem Judicis sententiam tenetur in conscientia ad restitutionem, sicut lex pœnalis requirit, & expressè habetur in *dicto cap. 1. Sess. 23.*

ita Pyrrhing. de Cleric. non resid. n. 74. novum jus Concilii in Clericos non residentes ab Authore relatum vix in praxi apud nos receptum puto, sed jura Decretalium servanda, & juxta ea si nescitur ubi sit Clericus absens, tribus publicis edictis citabitur in valvis Ecclesiæ, non contra latitantem, sufficit procedere ex Edicto ad Ecclesiam, vel domum suam, *cap. Causam, & cap. finali, de dolo & contum.* nec sufficeret una citatio peremptoria licèt personalis, *Gloss. in Clem. in verb.* 3. *de vita & honestate Cleric.* ac si postea expectatus per sex menses non redeat, privabitur, *cap. Ex tua, de Cleric. non resid.* ubi etiam ponitur practica procedendi contra Prælatos non residentes, sed non est citandus per Edictum, si intra Provinciam sui copiam faciat, & citari possit personaliter.

TITULUS FINALIS.

De Exceptione Triennalis Possessoris pacifici.

SUMMARIUM.

I. Exceptiones quæ opponuntur actori in causis civilibus.
II. Exceptio triennalis possessoris titulum coloratum requirit. Habet locum in pensionibus.
III. Utilitas hujus exceptionis. In Officiis sæcularibus quinquennio possessor fit securus.
IV. Intrusi non fiunt securi triennali possessione.
V. Possessor tenetur titulum exhibere.
VI. An resignatarius debeat exhibere titulum resignantis.
VII. An possessor decennalis teneatur titulum exhibere.
VIII. & IX. Quando titulus censeatur coloratus.
X. Collatio facta ab Ordinario suspenso est colorata.
XI. Collatio facta ab Ordinario de Beneficio reservato est colorata.
XII. Exceptio triennalis contra reservationes habet locum.
XIII. Exceptio triennalis contra Regalistas.
XIV. Collatio facta à Capitulo Sede vacante Beneficio hujus Regulæ convalescit.
XV. Provisus à Vicario Episcopi habente mandatum generale.
XVI. Restitutio in integrum non admittitur post triennium.
XVII. Præsentati, indultarii, & graduati. Non graduatus in villa murata, aut Beneficio qualificato.
XVIII. Irregularis tempore provisionis sublato defectu fit habilis, ad retinendum hâc Regulâ. Regula de triennali vim habet Litterarum perinde valere.
XIX. & XX. Obreptionis vel subreptionis vitium purgatur Regulâ de triennali.
XXI. Simonia non purgatur hâc Regulâ. Non simoniacus provisus simoniacè non fit securus possessione triennali. Arrestum.
XXII. Confidentiarius non juvatur Regulâ de triennali.
XXIII. Vis & violentia non purgatur Regulâ de triennali.
XXIV. & XXV. Abusus non præscribitur Regulâ de triennali. Abusus contra privatorum utilitatem præscribitur.
XXVI. Falsarius non juvatur hâc Regulâ.
XXVII. Non simoniacus provisus simoniacè per decennium fit securus.
XXVIII. Non simoniacus provisus simoniacè vitio detecto debet Beneficium dimittere. Arrestum.
XXIX. Mala fides superveniens post jus præscriptione quæsitum non nocet.
XXX. Tempora in Regula de triennali non conjunguntur.
XXXI. Possessio pacifica quæ sit.
XXXII. Possessio ut interrumpatur.
XXXIII. An detur restitutio adversus præscriptionem triennalem. Protestatio debet intimari. An subveniatur minoribus.
XXXIV. Querela criminis non præscribitur triennio.
XXXV. XXXVI. & XXXVII. *Pœna privationis per sententiam silentio triennali non remittitur.*
XXXVIII. *Quando licet possessori purgare moram.*

I. EXCEPTIONES quæ in causis Beneficialibus opponuntur, vel petuntur ex defectu tituli authoris; quòd irregularis, vel idoneus non sit, vel à non habente potestatem provisus fuerit, vel non servatâ formâ; quòd sine prævio examine & professione Fidei in possessionem Beneficii missus fuerit; quòd Litteras suas non insinuaverit, & annotaverit; & si devolutarius sit non satisdederit, & domicilium elegerit ubi lis disceptatur, juxta Constitutiones Galliæ, ut constat ex supradictis.

II. Altera exceptio hîc propo nitur, quæ petitur ex triennali pacifica possessione habentis

bentis titulum validum, aut saltem coloratum; nam ne diu litibus Ecclesia vexetur, Regula Cancellariæ ab Innocentio VIII. condita fuit, de triennali pacifico possessore non molestando, quæ ob eam rationem in Concilio Basilienſi fuit celebrata, & Constitutione Leonis firmata in Concordatis, *tit. de pacificis possess.* Quæ Regula locum habet in omnibus Beneficiis cujuscumque sint generis, sive in titulum data fuerint, sive in Commendam, si Commenda sit perpetua, & in pensionibus cedentibus loco Beneficii dimissi, ut fusè scribit Rebuffus *in tit. de pacif. possess.*

III. Hujus Regulæ magna utilitas est, nam lites ante triennium motæ triennali silentio finiuntur, instantiâ peremptâ lis ipsa perit, (*a*) ex integro litigare non licet, ut licet in cæteris judiciis, si actio principalis non sit præscripta, *l. & post edictum, ff. de jud.* Prætereà per hanc Regulam vindiciæ transeunt in vim Sententiæ definitivæ, seu si quis recredentiam per Judicis Sententiam obtinuerit, & ab ea Sententia per triennium Beneficium pacificè possederit, lite peremptâ fit securus: quod in cæteris judiciis possessoriis non observatur, in quibus post Sententiam recredentiæ lis prorogatur in petitorio usque ad triginta annos, donec actio sit præscripta, *Papon. lib. 8. tit. 9. n. 3.* Jus enim triennalis possessoris pacifici ope hujus Regulæ firmatur, ut imposterum nec in possessorio nec in petitorio possit molestari: quamobrem motâ controversiâ in judicio Litteras Regias potest impetrare in Cancellariâ, quibus mandatur Judici ut possessorem triennalem pacificum actore submoto manuteneat in possessione Beneficii: dantur enim à Rege hujusmodi Litteræ Jure Ordinario in quavis Cancellaria, quoniam Rex protector est Ecclesiæ & Concordatorum. Huic Regulæ convenit Constitutio Gallica, de possessore pacifico in Officiis Regiis post quinquennium non molestando.

IV. Verùm ut Regulæ sit locus, duo desiderantur, titulus validus, aut saltem coloratus; & triennalis possessio pacifica: solus titulus non sufficit si de possessione agatur: nec sola possessio sine titulo, ut in rebus temporalibus sola possessio prodest ad obtinendum interdictum, *uti possidetis* vel *unde vi*: nam Beneficia Ecclesiastica sine institutione canonicâ non licet possidere, *c. Beneficium, de reg. Juris, in 6.* Quamobrem intrusi titulum non habentes hâc Regulâ arcentur, cujusvis temporis detentione minimè suffragante.

V. Possessor triennalis titulum exhibere debet; nam illa possessio non tribuit titulum licèt illum adjuvet, *Papon. Placit. lib. 8. tit. 9.* alioquin habetur pro intruso: verùm si titulum amiserit, instrumenti amissio probari potest aliis Litteris vel instrumentis, putà per Bullam aut signaturam pensionis à resignante retentæ, *Gomesius ad eandem Regulam*, aut per Litteras in formâ dignum, aut per instrumentum missionis in possessionem: difficilè autem hujusmodi Litteræ amittuntur, cùm inserantur & annotentur in tot Regestis: probatio vocalis in iis actibus non sufficit.

VI. Si possessor causam habeat à resignante pacifico possessore Beneficii, non tenetur exhibere titulum resignantis: titulus enim ejus censetur validus, licèt de jure resignantis, non constet, quoniam resignatarius jus habet à collatore, non à resignante, *Molin. de publicandis resig. n. 43. & 203.* Si verò resignans non possideret pacificè, resignatarius docere debet de jure resignantis, nisi ipse à morte resignantis per triennium pacificè possederit: nam in hac præscriptione tempora non conjunguntur, ut dicemus infrà: at si intra illud triennium in jus vocetur à collitigante sui resignantis eundem resignantem debet repræsentare, aut ejus titulum exhibere & defendere, quoniam licèt à collatore jus habeat, tamen cùm fuerit subrogatus in jus resignantis, non censetur jus firmius aut potentius habere, quàm quod ille habuit in cujus vocem subrogatus est.

VII. At qui per decennium pacificè possedit Beneficium, excusatur ab exhibitione tituli: nam possessio longi temporis inducit præsumptionem (*b*) tituli, si bona fides & fama publica suffragetur: credibile enim est illum canonicè fuisse provisum quem Ordinarius visitando Diœcesim per decursum decennii passus est possidere, *Cassiodorus ad eandem Regulam, Riccius decis. 393. & 681.* Unde infero possessorem decennalem juvari exceptione hujus Regulæ, etiam sine titulo, contra Rebuffum *loco cit.* nam talis possessio junctâ fide, & publicâ approbatione, habetur pro titulo saltem præsumpto, *ex l. cùm de in rem verso, de usuris*: secùs si constet de malo principio, mala fide, vitio intrusionis; quo casu possessor amovendus est, cujusvis temporis detentione minimè obstante: hinc etiam infero possessionem decennalem sufficere, cùm excuset ab exhibitione tituli, & sit titulus præsumptus, contra Gomesium, & alios, qui ultra decennium requirunt

triennium ut poſſeſſor juvetur exceptione dictæ regulæ.

VIII. Titulus coloratus (*c*) dicitur qui juſti & canonici tituli figuram habet, ſed inutilis eſt & inefficax ad juris attributionem, ob aliquod Juris impedimentum amobile: interdùm enim titulus non habet figuram veri tituli, quòd aliquid deſit ad illius eſſentiam requiſitum, aut aliquid adſit ejus productionem impediens: interdùm ſolus effectus tituli impeditur figura tituli manente, ut per Macedonianum Senatuſconſultum in mutuo contracto à filiofamilias obligatio civilis impeditur naturali obligatione manente, *l. quia naturalis, ff. ad Macedonianum*: in duobus caſibus prioribus titulus nullus eſt; in poſteriore titulus eſt non validus & efficax, ſed coloratus.

IX. Itaque ut in collatione verâ illa tria requiruntur jus conferendi ex parte collatoris, habilitas ex parte impetrantis, & ſolemnis inſtitutionis forma; ſic in collatione illa tria attenduntur ut colorata dicatur: idem de electione & inſtitutione dicitur: titulus coloratus exceptione hujus Regulæ firmatur, quia per eam Juris impedimentum quod impediebat ejus effectum removetur, at titulus nullus tractu temporis convaleſcere non poteſt.

X. Sic facilè diſtinguemus caſus in quibus hæc Regula locum habet, vel non: nam ſi collator jus non habeat conferendi, aut ſi depoſitus ſit, vel renuntiaverit Beneficio, collatio ab eo facta nulla eſt & Beneficio hujus Regulæ non confirmatur, at ſi collator ſit ſuſpenſus, titulus ab eo conceſſus cenſetur coloratus, & prodeſt proviſo ad finem hujus Regulæ, modò ipſe non ſit ſuſpenſus, aut fuerit abſolutus: nam ſuſpenſio non adimit collatori jus conferendi, ut depoſitio vel renuntiatio.

XI. Licèt Beneficium conceſſum, ſit reſervatum generaliter aut ſpecialiter in gratiam alterius collatoris, vel mandatarii, aut indulctarii, collatio facta ab Ordinario in gratiam alterius eſt colorata: nam in Beneficiis reſervatis Ordinarius retinet habitu jus conferendi initio inſpecto, & reſervationi cenſetur derogatum Beneficio hujus Regulæ.

XII. Hoc Jure proviſus ab Ordinario de Beneficio familiaris aut domeſtici alicujus Cardinalis, eidem reſervato indulcto generali, contra adverſarium ab eodem Cardinali poſteà proviſum uti poteſt, ſi per triennium pacificè poſſederit: idem de cæteris reſervationibus, indulctis & privilegiis generaliter aut ſpecialiter conceſſis Prælatis, aut Capitulis, dici poteſt, non obſtantibus clauſulis derogatoriis irritantibus in privilegio vel indulcto contentis; nam per illas clauſulas exceptio hujus Regulæ non excluditur.

XIII. Idem jus in Gallia Principes noſtri ſibi præſcripſerunt: nam cùm olim jus Regaliæ ab hac Regula eſſet liberum, ut ab aliis Regulis Cancellariæ, & Conſtitutionibus Pontificiis formam proviſionum Beneficialium præſcribentibus; & reſervatio Beneficii vacantis in Regaliâ duraret triginta annos, ut Conſtitutione Ludovici XII. ſtatutum fuerat, *ut notat Rebuff. ad eand. Reg. & Papon Placit. lib. 3. n. 1.* tandem placuit Henrico IV. fœlicis & immortalis memoriæ, Edicto anni *1606.* hanc Regulam in Regaliâ admittere, & proviſum ab Ordinario poſt triennium pacificæ poſſeſſionis contra Regaliſtam fieri ſecurum, *ut notat Scholiaſtes Loëtii in lit. V. num. 2.*

XIV. Eodem jure proviſus à Capitulo (*d*) Sede vacante adverſarium à Succeſſore proviſum poteſt repellere, contra Rebuffum *loco citato*: nam Sede vacante Juriſdictio Epiſcopalis generaliter tranſit in Capitulum: & quamvis collatio libera Beneficii vacantis reſervetur futuro ſucceſſori, tamen ratione Juriſdictionis generalis in Capitulum tranſfuſæ collatio Capituli cenſetur colorata, & reſervatio ſublata pro illa vice Beneficio hujus Regulæ.

XV. Idem dici debet de proviſo à Vicario Epiſcopi habente generale mandatum, ſine clauſula ſpeciali de conferendo, ſi Epiſcopus paſſus ſit eum conferre, & proviſum ab eo per triennium pacificè poſſidere; nam qui patitur mandare videtur, *l. qui patitur, ff. mandati.*

XVI. Eâdem Regulâ derogatur regreſſui (*e*) ex permutatione, aliâve causâ, reſignanti conceſſo; nam regreſſus non datur niſi volenti, & reſignans per ſilentium triennale cenſetur renuntiaſſe juri ſuo.

XVII. Denique eâdem Regulâ præſentati à Patronis, nominati, indulctarii; mandatarii Apoſtolici, & ipſi Graduati, repelluntur ſi per triennium tacuerint; & proviſus de Eccleſia Parrochiali in villa murata ſit ſecurus etiamſi Graduatus non ſit, vel non habeat atteſtationem Studiorum requiſitam, modò alioquin idoneus ſit ad muneris exercitium, ut diximus ſuprà *tit.* 30. Idem dicendum de cæteris Beneficiis in quibus gradus eſt

annexus (*f*) modò possessor ad muneris exercitium idoneus sit: nam cùm dicta Regula excipiat solam reservationem clausam in Corpore Juris, in gratiam Apostolicæ Sedis, cæteræ reservationes omnes tùm generales tùm particulares quæ in gratiam Apostolicæ Sedis non sunt, & quæ non sunt clausæ in Corpore Juris, sed in aliis Constitutionibus Extravagantibus, vel in Regulis Cancellariæ continentur, censentur inclusæ, nam exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis: sic sola reservatio Beneficiorum morientium in Curia, vel intra duas dietas à Curia, quæ sola includitur in Corpore Juris, *c. 2. & c. præsenti, de præb. in 6.* hâc Regulâ excipitur; & in cæteris reservationibus cujuscumque generis sint Regula habet locum.

XVIII. Similiter ex capite provisi titulus nullus est aut coloratus: nam si is Laïcus aut conjugatus aut degradatus sit tempore provisionis, titulus coloratus dici non potest: illi enim non gaudent privilegio Clericali, censentur intrusi in Beneficiis; intrusi autem hâc Regulâ arcentur: at si provisus habeat privilegium Clericale, titulus quem obtinuit in Beneficio censetur coloratus ad finem hujus Regulæ, tametsi tempore provisionis irregularis esset, aut inhabilis ad Beneficia, ut habilis factus possessione triennali pacifica fiat securus exceptione hujus Regulæ, nam, ut ait Gomesius, in hac Regula duo solùm casus excipiuntur, simoniacus & violentus ingressus: ergo in cæteris casibus Regula locum habet, exceptio probat Regulam in casibus non exceptis: sic minor provisus de Beneficio quod per defectum ætatis non poterat obtinere postquàm justam ætatem attigerit, & per triennium pacificè possederit, hâc Regulâ uti poterit: idem de furioso si resipuerit, de illiterato si eruditus fuerit, de non graduato si graduatus fuerit, de spurio si legitimatus sit, de excommunicato vel suspenso si absolutus sit, & de aliis irregularibus ex delicto vel defectu si habiles facti sint, & per triennium pacificè possederint, sublato impedimento, antequàm jus esset alteri quæsitum, contra Rebuffum, asserentem irregulares nullo tempore exceptione hujus Regulæ juvari: nam verum quidem est possessorem quandiu irregularis est, vel inhabilis ad Beneficium, hâc exceptione uti non posse: at si habilis fiat intra triennium, vel post, & ab eo tempore per triennium pacificè possederit, tempore retracto, ejus provisio quæ nulla erat initio inspecto, confirmatur (*g*) hujus Constitutionis adminiculo, modò jus alteri non sit quæsitum: hæc enim Regula vim habet Litterarum *perinde valere*, quibus provisio quæ nulla erat ob aliquem defectum, confirmatur, modò provisus sit habilis eo tempore quo Regulæ Beneficium implorat: nam Regula non habilitat personam, sed purgato defectu fingit eam talem fuisse tempore provisionis, qualis fuit per triennium quo habilis factus Beneficium Regulæ sibi conciliavit.

XIX. Forma verò provisionis semper censetur colorata, modò constet de placito collatoris, nisi aliquid obstet quod eam decoloret: sic enim titulus censetur coloratus, etiamsi Litteræ sint obreptitiæ, vel subreptitiæ, quamvis verus titulus aut valor Beneficii non fuerit expressus, aut jus Patronatûs, aut reservatio, aut nomen, & tempus possessoris annalis pacifici, aut verus vacationis modus fuerit omissus, aliave quæ exprimi debuerant, ut post Cassiodorum observat *Gomesius q. 51. Vide tamen Riccium q. 611. multa contrà allegantem.*

XX. Idem dici debet, si sit defectus nominationis, aut præsentationis, aut resignationis: nam titulus principaliter pendet à collatore; & nominatio, præsentatio, aut resignatio, non nisi per modum conditionis desiderantur, cujus defectus suppletur exceptione hujus Regulæ: idem dicendum est, si sit defectus annotationis & insinuationis Litterarum Edictis Gallicis requisitæ, aut examinis, vel professionis Fidei, de quibus singulis post triennium non est curandum: nam hæc Regula solùm excipit intrusionem quæ fit sine titulo, aut per violentum ingressum.

XXI. Hæc verò sunt quæ titulum decolorant, & impediunt effectum hujus Regulæ; simonia quæ dictâ Regulâ excipitur; & Regula intelligitur tàm de simonia quæ provisо scienter ab eo vel ab alio ejus nomine committitur, quàm de ea quæ à parentibus vel amicis eo nesciente ad Beneficium obtinendum committitur: nam licèt ignorantia provisum excuset à pœna personali irregularitatis, excommunicationis, tamen non excusat à defectu aut nullitate tituli simoniacè acquisiti, *c. si quis insaniens, c. 15. q. 1. c. nobis, de simonia*: & titulus simoniacus non prodest ei ad effectum hujus Regulæ, ne post triennium possit molestari, contra Gomesium, & Rebuffum, asserentes non simoniacum provisum simoniacè, titulum coloratum habere, & post triennium esse securum: quorum sen-

tentiæ Regula adversatur, quâ indistinctè ingressus simoniacus arcetur, & Jura suprà citata quibus ingressus simoniacus damnatur sive provisus conscius sit sceleris, sive non, ne per malignas artes Ecclesiastica Beneficia captentur; ut contra Laurentium Canonicum Ecclesiæ Barjolensis, quem de Canonicatu provisum fuisse constabat per simoniam à parente commissam, dùm ipse adhuc juvenis Studiorum causâ à patria abesset, Senatus hujus Provinciæ ante aliquot annos judicavit, pronuntiante Domino Du Chaine Præside meritissimo, post triennium pacificæ possessionis sæpiùs repetitum.

XXII. Ut simonia, sic confidentia à Regulâ excepta intelligitur, *Molin. de publicandis resign. n. 29. Charondas Respons. lib. 5.* unde sequitur resignatarium non posse juvari dictâ Regulâ, si Regulæ de publicandis resignationibus non paruerit intra triennium, quoniam ille defectus post triennii decursum arguit confidentiam, ex eodem Molineo (*h*) *loco citato*, cujus sententia Edicto novo annotationis Litterarum Beneficialium confirmata fuit, ut notavimus suprà *tit.* 8.

XXIII. *Secundò*, excipitur vis & violentia commissa ad titulum obtinendum, aut possessionem adipiscendam; & sicut simonia ab aliis commissa titulum decolorat & obest proviso etiam ignoranti, sic vis aut violentia ab aliis adhibita obest proviso etiam ignoranti ad Beneficium obtinendum, & ne possit uti beneficio hujus Regulæ, quâ simoniacus & violentus ingressus arcetur: nam ut per largitionem, sic per vim & violentiam in Muneribus & Beneficiis adipiscendis ambitus committitur, & utroque casu damnatur, *c. sunt quidam, c. 1. q. 1.*

XXIV. *Tertiò*, abusus qui contra Ecclesiasticam disciplinam committitur non solum titulum Beneficii, sed etiam Statum Ecclesiæ decolorat, & impedit effectum Regulæ: nam Regula possessorem pacificum requirit; qui verò per abusum Beneficium obtinuit, non potest pacificè possidere nam conscientia & lex publica semper reclamant, possessorem interpellant: tamen alii sunt casus in quibus per abusum utilitas publica Ecclesiæ principaliter offenditur; in quibus si damnum Ecclesiæ reparabile non sit, abusus semper durat, nulla præscriptione obstante, ut si Vicariatus alicujus Ecclesiæ Parrochialis fuerit unitus Ecclesiæ Cathedrali Collegiatæ pro Præbenda alicujus Dignitatis, aut Canonici: id enim fit in perpetuum dispendium Ecclesiæ Parrochialis: vel illud damnum est reparabile, ut si Ecclesia Parrochialis sit unita Capitulo, aut Collegio, aut Seminario, instituto Vicario in ea, qui serviat cum portione congrua: & licèt sit peccatum in forma, vel solemnitate omissâ, abusus præscribitur spatio quadraginta annorum, ut diximus suprà *lib. 1. tit. 4.* Alii sunt casus in quibus primariò offenditur utilitas privatorum, & secundariò utilitas publica, in quibus abusus præscribitur eodem tempore quo privatorum quærela præscribitur, ut si collatum sit Beneficium spreto Patrono, post semestre, si Jus Patronatûs sit Ecclesiasticum, aut quadrimestre, si Laïcale sit, Patronus non auditur, nec alius quisquam, quoniam eo tempore querela Patroni præscribitur.

XXV. Quæsitum fuit an Regularis cui Beneficium sæculare aut Regulare alterius Ordinis collatum fuit sine dispensatione, aut translatione, post triennium possessionis pacificæ dictâ Regulâ (*i*) juvari possit: Rebuffus existimat posse; sed verius est non posse: abusus enim est quòd jura confundantur, quæ inter Sæculares & Regulares & inter ipsos Regulares diversi Ordinis aut Monasterii divisa sunt; ut Placito Senatûs Parisiensis solemniter definitum fuit contra Regularem Augustinianum qui de Beneficio alterius Ordinis provisus fuerat post possessionem pacificam annorum septemdecim, *teste Brodeo in notis ad Loëtium lit. B. n. 12.* Idem de sæculari dicendum est si de Beneficio Regulari provisus fuerit in titulum, nisi status Beneficii præscriptione quadragenariâ sit mutatus, *cùm de Beneficio, de præb. in 6.* aut illud per sæculares & Regulares regi solitum sit, aut provisus credatur dispensatus: nam si Papa sciens qualitatem Beneficii eidem contulerit, dispensasse creditur, & dispensatio tacita sufficit ad obtinendum titulum coloratum, ut Regulæ sit locus.

XXVI. *Quartò*, falsi crimen similiter titulum reddit nullum, & impedit effectum Regulæ, sive proviso sciente sive ab amicis eo ignorante commissum sit, *Rebuff. loco citato, num. 204.* Titulus falsus numquam præscribitur, etiamsi provisus ignoret, & sit in bona fide: nam error falsæ causæ non parit usucapionem, §. *error autem, Instit. de usucap.* Abusus contra publicam utilitatem Ecclesiæ similiter non præscribitur, ut diximus suprà; ingressus simoniacus aut violentus præscribi non potest, si provisus sit conscius & particeps sceleris, quoniam possessor malæ fidei nunquàm præscribit, *c. possessor, de reg.*

juris, *in 6.* & excommunicatio quæ in prædictis caſibus irrogatur, *c. ſciant de elect. in 6. Extravag. cùm deteſtabile, de ſimonia*, impedit præſcriptionem.

XXVII. At non ſimoniacus proviſus ſimoniacè, non excommunicatur, ut diximus ſuprà: & quamvis titulus illius ſit nullus ob vitium ſimoniæ ab aliis eo ignorante commiſſum, & coloratus non ſit ad effectum hujus Regulæ, tamen ſi per decennium pacificè poſſederit bona fide, fit ſecurus: nam ad uſucapionem ſufficit bona fides poſſeſſoris, cum titulo putativo, (*k*) ſeu quem poſſeſſor validum eſſe putat, ſine labe ſimoniæ, aliove vitio, licèt vitioſus ſit, & vitium ipſum lateat, ut probari poteſt *ex l. ſequitur*, §. *ſi tu*, *& l. non ſolùm*, §. *ſi dominus*, *ff. de uſucap.* ubi dicitur quòd poſſeſſor bonæ fidei uſucapit fundum de cujus poſſeſſione verus dominus vi, & violentia dejectus fuerat: nam quod ibi dicitur de vi & violentia, de ſimonia rectè dici poteſt, cùm in hac Regula ingreſſus ſimoniacus & violentus pacificentur: probatur etiam ex iis quæ ſuprà diximus de poſſeſſore decennali, in principio; plus juris habet poſſeſſor decennalis beneficio Juris, quàm triennalis beneficio hujus Regulæ: & cùm graves Authores ſuprà citati exiſtiment non ſimoniacum ſimoniacè proviſum exceptione hujus Regulæ poſt triennium fieri ſecurum; quorum ſententiæ accedit Riccius *deciſ.* 225. licèt illa ſententia ſit contra mentem Regulæ, quæ ingreſſum ſimoniacum penitùs arcet; nos ſaltem in eam ſententiam debemus inclinare, ut putemus eum poſt longi temporis decurſum, quod eſt decennium, eſſe ſecurum.

XXVIII. Mala fides ſuperveniens ante præſcriptionem completam nocet: nam ſi durante decennio poſſeſſor Beneficii deprehendat ſimoniam ab aliis fuiſſe commiſſam, ut ipſe illud Beneficium obtineret, ſine mora tenetur illud dimittere, *c. præſentiam* 1. *q.* 5. *c. de Regularibus*, *& c. ex inſinuatione*, *de ſimonia:* alioquin ſi vitio deprehenſo poſſideat illud Beneficium, reus ſit criminis, & præſcribere non poteſt, ob excommunicationem & irregularitatem quam incurrit, illud Beneficium malis artibus acquiſitum retinendo contra Eccleſiæ præcepta; & poſt decennium eo Beneficio privandus eſt; ut in cauſa ſuprà relata de Canonicatu Eccleſiæ Barjolenſis, contra poſſeſſorem poſt tredecim annos poſſeſſionis pacificæ, Senatus judicavit: tamen in illis caſibus poſſeſſor non privatur aliis Beneficiis non ſimoniacè obtentis: nam pœnæ latæ contra ſimoniacos non ſunt exaſperandæ extra ſuum caſum: ut non ſimoniaco proviſo ſimoniacè provideatur, diximus ſuprà *tit. de ſimonia.*

XXIX. At ſi poſt decennium tranſactum pacificè poſſeſſor Beneficii detegat vitium proviſionis ſuæ ab aliis commiſſum per ſimoniam aut violentiam, non tenetur Beneficium dimittere: nam mala fides ſuperveniens poſt præſcriptionem *legtimi temporis*, & jus quæſitum, non nocet nec in foro externo, nec in foro interno; Jura præſcriptionibus non ſolùm lites ſed etiam ſcrupulos conſcientiarum tollere voluerunt, *Felinus poſt Abbatem in c. vigilanti, de præſc. Rebuffus de pacificis poſſeſſoribus, num.* 2.

XXX. Secundò, ut Regulæ ſit locus, poſſeſſio triennalis deſideratur, quod tempus numeratur ex quo proviſus adeptus eſt poſſeſſionem Beneficii, aut majorem ejus partem, quæ conſiſtit principaliter in officio, & Curæ exercitio, eamque pacificè cœpit poſſidere: nam in hac præſcriptione tempora non conjunguntur ut in materiâ profanâ: ratio diverſitas eſt, quia in materiâ profanâ poſſeſſor jus habet à ſuo authore, ideoque utitur acceſſione temporis, *l. Pomponius*, §. *cùm quid*, *ff. de acquir. poſſeſſ.* At in Beneficiis poſſeſſor jus habet à collatore; poſſeſſio defuncti fuit interrupta morte aut reſignatione illius, & conjungi non poteſt cum poſſeſſione ſucceſſoris, ſive ſucceſſor per ſimplicem reſignationem vel per reſignationem in favorem, vel ex cauſa permutationis proviſus fuerit, *Gl. Pragmaticæ*, *in tit. de pacific. poſſeſſor. Gomeſius in eand. Reg. q.* 13. Contra tamen Rebuffus *ad eand. Reg. n.* 158. aſſerit ſucceſſorem uti poſſe acceſſione temporis poſſeſſionis ſui prædeceſſoris, ſi fuerit proviſus ex cauſa reſignationis in favorem, vel permutationis, ob clauſulam ſubrogationis, quem ſequitur Loiſellus *de Off. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 22. Hæc quæſtio brevi diſtinctione ſolvitur, ſi reſignatario opponatur vitium reſignantis, tempora conjunguntur, ut ſi reſignans per biennium pacificè poſſederit, & poſt reſignationem reſignatarius per annum pacificè poſſederit, acceſſione temporis uti poſſit, vi clauſulæ ſubrogationis in Litteris appoſitæ, vel etiam ſubintellectæ in reſignationibus in favorem, & ex cauſa permutationis, ad puniendam negligentiam collitigantis, & litem finiendam, cui fini Regula hæc condita eſt: idem dicendum exiſtimo cum Loiſello, ſi de Officio ſæculari agatur, & reſignatarius juncto tempore poſſeſſionis ſuæ

cum tempore possessionis resignantis, utatur Constitutione Gallica de quinquennali possessore pacifico in Officio Regio non molestando: at si resignatario opponatur defectus proprii tituli, vel ex suo capite, vel ex defectu collatoris aut formæ, exceptionem proponere debet ex proprio jure, non ex jure aut possessione resignantis: & hoc voluit Rebuffus confusè *loco citato, versic. licèt contrarium.*

XXXI. Possessio pacifica dicitur si possessor nullam in judicio possessorio, aut petitorio de Beneficio seu titulo Beneficii controversiam patiatur, etiamsi de certa re Beneficii lis sit, *Guid. Pap. quem refert Rebuff. in dicto Tract. n.* 168. Et si lis fuerit, tempus numeratur à die litis finitæ aut peremptæ: nam instantiâ peremptâ in hac materia lis ipsa perit, ut diximus suprà.

XXXII. Continua est, si non fuerit interrupta: interrumpitur autem per citationem, si de titulo Beneficii aut possessione ejus agatur: at si plures sint competitores ejusdem Beneficii, & alter eorum, interrumpat, interruptio illi soli prodest, non aliis competitoribus qui tacuerunt; quibus possessor Beneficii objicere potest *quod ad vos, liberas ædes habeo*, ut in simili dicitur *in l. loci*, §. *penult. ff. si servitus vendicetur*, *Rebuff. in dicto Tract. n.* 162. contra Gomesium. Eodem Jure, si quis Beneficium dimiserit, illudque de novo adeptus fuerit, possessio antiqua non prodest illi, nec conjungitur cum nova, ob interruptionem, nisi is rescisa resignatione, aut permutatione, in possessionem Beneficii dimissi fuerit restitutus, *Rebuff. in dicto Tract. n.* 195.

XXXIII. Tamen adversus hanc præscriptionem triennalem alteri subvenitur, si justum fuerit impedimentum, & non potuerit agere, nimirùm tempore hostilitatis, pestis, captivitatis, infirmitatis, & necessariæ absentiæ: si privatum sit impedimentum, protestatio requiritur juris conservandi causâ; eaque fit coram Judice loci, vel coram Notario, & duobus testibus; & talis protestatio debet intimari adversario, alioquin inutilis est ad præscriptionem interrumpendam: *Clem. causam de electione, & l. cùm quidam, ff. de appellationibus.* Si verò impedimentum sit publicum, protestatio non *(l)* desideratur; minoribus autem post annum decimum quartum non datur restitutio in integrum adversus hanc præscriptionem, tùm quia minores in spiritualibus pro majoribus habentur, *c. si annum: de judiciis, in 6.* tùm quia negotia geruntur per procuratores, *Rebuff. loc. cit. n.* 38. hæc *& seq.*

XXXIV. Cæterùm hæc Regula non prodest possessori ad præscribendam querelam criminis; quæ non nisi viginti annorum silentio præscribi potest, *l. querela falsi, C. ad legem Corneliam, de falsis:* & si ex eo delicto reus excommunicatus vel suspensus sit, non potest uti exceptione hujus regulæ nisi fuerit absolutus: verùm si absolvatur, utilitatis causâ absolutio habet effectum retroactivum, si jus alteri non sit quæsitum, *l. fin. C. de sent. passis & restitutis.* De absolutione vide suprà *tit.* 37.

XXXV. Eâdem Regulâ pœna privationis aut depositionis, quam provisus incurrit, non remittitur, nam vel is Sententiâ privatur Beneficio, vel ipso jure: si primum non potest juvari dictâ Regulâ, quia per Sententiam titulus funditùs evertitur, *Molin. ad Reg. de public. resign. n.* 27. modò Sententia valida sit, & transierit in vim rei judicatæ.

XXXVI. Si verò provisus depositus sit ipso jure, distinguitur: aut enim deponitur ex delicto, aut sine delicto: si primum, non potest juvari dictâ Regulâ, quia per privationem titulus evertitur & annullatur, & à privatione ad habitum non datur regressus, ut aiunt Philosophi, nisi is fuerit absolutus, retento Beneficio, ut diximus suprà de simonia.

XXXVII. Si deponatur sine delicto, subdistinguendum est: aut enim id fit tacitâ renuntiatione, nimirum per contractum matrimonii, aut professionem voti solemnem in Religione, & similiter titulus annullatur, non prodest ad effectum Regulæ, ut ex soluto matrimonio, aut absolutus à voto Religionis, gratiosè possit Beneficium retinere, vel recuperare; secùs si professio declaretur nulla, quo casu renuntiatio Beneficii remedio restitutionis in integrum simul annullatur, *(m)* si justa causa subsit, & Beneficium recuperatur, ut diximus *tit.* 17. & de matrimonio *tit.* 14.

XXXVIII. Aut Clericus Beneficio privatur defectu conditionis insitæ provisioni, putà quòd Regulæ de promovendo infra annum non paruerit, vel adeptâ pacificâ possessione Beneficii incompatibilis alterum non dimiserit; & si ventum sit ad pœnæ executionem per Sententiam declaratoriam privationis, aut collationem Beneficii alteri factam, possessor Beneficii non potest juvari dictâ Regulâ, quamvis post Sententiam, aut

collationem alteri factam, Beneficium per triennium poſſederit ; non enim poteſt pacificè & ſine formidine poſſidere, ut contra Gomeſium ſentiunt *Rebuff. in dicto Tract. n. 169. Molin. de publ. reſig. n. 29.* At ſi res integra ſit, ſeu ſi nondùm proceſſum ſit ad pœnæ executionem, poſſeſſor Beneficii quandocumque poteſt purgare moram intra triennium, vel poſt, ſatisfaciendo conditioni, antequàm jus fuerit alteri quæſitum, ut emphyteota vitat pœnam commiſſi poſt terminum ſolvendo canonem antequàm pœna fuerit declarata, *c. potuit, de locatione.*

SOLIER.

(*a*) ETIAM in ipſo Senatu & proceſſu omnino inſtructo, ita ut per partes non ſteterit ſed tantùm per Supremos Judices quominus judicium infra triennium fuerit latum, prout judicaſſe Senatum Toloſanum circa annum 1661. ad favorem Gabriëlis Gibert, pro Parrochali Eccleſia S. Artet Rivenſis Diœceſis adverſus Carolum Delpech, mihi teſtis eſt vir eruditæ æquè ac amœnæ converſationis D. de Boiſsiere cauſarum Patronus à quo nunquam vacuus, ſed aliquo ſemper rei litterariæ incremento ditior factus receſſi. Ratio eſt quia lex in rem ſcripta, ut de Regula de publicandis reſignationibus pronuntiavit *Molin. n.* 239. & 244. nec in ſubjecto caſu impedimentum actorem excuſat, niſi de illo fuerit proteſtatus, & illud intimaverit, ut ipſo decreto de pacifico poſſeſſore in concordato cavetur, rejectâ diſtinctione paſtoris infra advecta inter impedimentum publicum & privatum, ut ibi dicam.

(*b*) A profanis ad ſpiritualia mala illatio, in illis ſola poſſeſsio ſtat pro titulo, in iſtis ſecus, quia Beneficia Eccleſiaſtica ſine Canonica inſtitutione obtineri non poſſunt, *cap.* 1. *de Regul. juris in 6.* nec poſſeſsio longi temporis habilitat incapacem, *cap. cauſam, & cap. accedentes, & ibi Panor. & Felin. de præſcr.* Cum itaque in his non cadat præſcriptio ſine titulo colorato, neceſſariò produci debet titulus omni tempore, ſaltem apud nos, ad excludendum impetrantem per nullitatem tituli hujuſmodi ; aliàs intruſi defenderentur per hanc Regulam contra ipſius mentem, & verba expreſſa.

(*c*) Iſta tituli colorati deſignatio eſt nimis vaga & ambagibus involuta : ideò breviter dic titulum coloratum eſſe cum qui proceſſit ab habente poteſtatem defectu tamen aliquo in conferente vel collatario : vel ipſo titulo vel aliâ ratione injuſtus redditur : juſtum autem & verum, cui nihil vitii objici poteſt, *Gloſſ. Pragm. Sanct. §. 1. de pacif. poſſeſſ. Guid. Pap. q.* 85.

(*d*) Contrarium intrepidè teneas, quia ad Capitulum collatio Sede vacante non ſpectat actu, nec habitu, *cap. illa, ne Sede vacante.* Ergo talis titulus non eſt coloratus ex defectu poteſtatis conferentis. Nec refert quòd juriſdictio Epiſcopalis tranſeat ad capitulum, quia collatio Beneficiorum non ſpectat ad juriſdictionem, cùm non competat Epiſcopo jure Magiſtratûs, ſed ſpeciali legis conceſſione citra imperium aut juriſdictionem, ſicut dicitur de tutoris datione in *l. muto. §. tutoris datio ff. de tutelis*, in qua Magiſtratus gerit vices patris pupili ex legis conceſſione de eo bene præſumentis, ut omnium optimè deducit, *Lotter. de Benefic. lib. 1. q. 21. n. 24. juncto n. 34. & lib. 2. q. 2. n. 4. & n. 23.* Et hæc eſt ratio cur poſsit Epiſcopus exiſtens extra propriam Diœceſim conferre ; *cap. poſt electionem, de conceſſ. præb. Gloſſ. in cap. novit in verbo terminos de officio Legat.* quod alias non poſſet ſi jus conferendi eſſet juriſdictionis, *l. ultim. ff. de juriſd. omnium judic.* rejectâ diſtinctione, e *Gloſſ. ibid. in verb. non paretur inter voluntariam & contentioſam juriſdictionem, Lotter. d. q. 21. n. 3.* & exemplum manumiſſionis & adoptionis quo viſa eſt moveri gloſſa, refertur ad jus ſingulare Proconſularis Imperii, ut advertit, *Cujac. lib. 1. Pauli ad edictum in interpretatione d. l. ultim.* Confirmatio verò & inſtitutio cùm ſint juſtitiæ & non gratiæ & cauſæ cognitionem requirant, *Gloſſ. in cap. quâ fronte in verb. contra debitum juris, de appellat.* reputantur inter juriſdictionalia, ideòque tranſeunt ad Capitulum Sede vacante, *cap. cum olim, de majorit. & obed. cap. 1. de inſtit. in 6.* Idem dic de collatione Vicarii Epiſcopi ſine ſpeciali mandato, quod dictum eſt de collatione Capituli, ut ſcilicet non ſit colorata niſi appareat de expreſſa Epiſcopi ratihabitione.

(*e*) Imò reſignatarius ex cauſa permutationis non juvatur hâc regulâ contra Reſignantem regredi volentem evicto ſibi *ex capite non ſuo* poſt triennium Beneficio in permutationem recepto, ut ex ſe patet, quia ante evictionem agere non valebat, *l. qui rem, Cod. de evict.* nec magis tutus eſt in caſu ſimplicis reſignationis factæ in infirmitate, quæ diu duraverit ut non ſemel judicatum refert *Brodellus ad Lovetium, lit. B. cap.* 13. *n.* 12.

(*f*) Cùm regula hæc incapacem non habiliter, ut omnes conveniunt, ſequitur non graduatum qui inhabilis ad præbendam Theologalem vel ad Parrochialem Eccleſiam villæ muratæ aut aliud quodcumque Beneficium gradum actu habens annexum ; quantumvis capacem & aliàs idoneum poſſeſſione triennali abſque gradu non juvari ; *vid. quæ ſupra, tit.* 30. *diximus.*

(*g*) Ideò non obſtat regula quod ab initio nullum eſt tractu temporis non convaleſcit, quia fallit ubi duo concurrunt, videlicet impedimentum ceſſans, & cauſa confirmans, ut hîc.

(*h*) Author objectionem accipit pro reſolutione : *Molin.* enim *n.* 32. concludit pro affirmativa, dicens & benè Reſignatarium, qui regulæ de public. Reſig. non ſatisfecit, habere titulum coloratum & juvari decreto de pacificis, cùm habeat ab habente poteſtatem & reſolutio tituli in vim regulæ de public. reſig. non fiat purè, ſed ſub multis conditionibus quæ conſiſtunt in facto & circumſtantiis, quæ ignorantur donec probentur, titulo interim colorato manente.

(*i*) Non eſt locus regulæ de triennali poſſeſſ. quoties locus eſt appellationi tamquam ab abuſu *Lovet. ad Regul. de infirm. reſig. n.* 206. unde poſſeſſio ejus, qui cùm regularis eſſet provideri ſe fecit de ſæculari Beneficio quaſi ſæcularis non poteſt dici colorata cùm ſit nulla & abuſiva, *Fevret. de abuſu. lib. 2 cap. 6. n.* 22. qui tamen

malè dicit Rebuffum tenere contrarium, cùm idem teneat in *tract. de pacific. possess. n.* 259. conclusio nihilominus egeret distinctione, aut enim per abusum læditur jus publicum : aut dumtaxat privatum : primo casu cessat regula & durat abusus : secundo verò cessat abusus & regula obtinet.

(*k*) Dic contra nunquam sufficere titulum putativum, sed omni casu requiri verum saltem coloratum ad effectum Regulæ de triennali; simoniacus autem non est hujusmodi vel ex ipsius regulæ dispositione. Adde quòd is provisus ignoranter per alienam simoniam est inhabilis ad idem Beneficium pro illa vice seu vacatione, *Gloss. & Pan. in cap. penult. de elect.* Regula autem personam non habilitat ut sæpe dictum est.

(*l*) Imò indistinctè protestatio requiritur, textus enim in concordato, *tit. de pacif. possess.* non distinguit, & subest ratio quia per protestationem debitè intimatam turbatur possessio intra triennium & constat de prætensione & intentione protestantis se acturum fore ut cessaverit impedimentum.

(*m*) Idem dicendum de eo qui Religionem ingressus ante possessionem resignavit & postmodum profiteri nolens aut non valens, ob adversam valetudinem, aut aliis de causis ad sæculum redit, cum intuitu mortis civilis, & quasi in extremis agens resignaverit : ei enim regressum adjudicandum putamus ex interpretatione extensiva favorabilis Placiti Henrici II. infirmos resignantes sanitati restitutos Beneficio quoque restituendos statuentis. Ne Beneficio privatus cogatur mendicare unde Concilium Tridentinum, *Sess.* 25. *capite* 16. *de Regular.* prohibet & annullat factas aut faciendas à Novitio donationes ante duos menses quàm profiteatur; & non aliàs effectum suum sortiri vult nisi secutâ professione, quod Decretum habere locum etiam in renuntiatione Beneficii sæpius censuit Sacra Congregatio Concilii teste Flaminio, *de Resignat. lib.* 3. *quæst.* 13. *n.* 5.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. DE *triennali pacifico possessore non molestando.* Regula trigesima tertia de triennali possessore, & Decretum de pacificis possessoribus in Concordato, ex eodem fonte emanarunt, videlicet ex Concil. Basil. ut de ipsa Regula tradit, *Gomes. q.* 11. *& Gloss. Pragm. in verb. Quicumque, dict. tit.* atque ideò juremeritò recipitur in *Gallia, & tuetur pacificum* possessorem triennalem cum titulo colorato, & absque simoniaco ingressu vel violento, ut habetur in *Concil. Basil. & Concord.* An autem interruptio pacificæ triennalis possessionis, facta ad citationem unius prosit aliis qui litem non moverunt? Nutat in hac quæstione Gomesius, & in incerto hæret *hîc q.* 22. sed *Gloss. Pragmat. Sanct. dict. tit. de pacif. possess.* §. *Lis autem, in verb. Terminorum, & Rebuff. in tract. de pacif. n.* 200. quibus adhærendum, negativam tenent, scilicet non prodesse, quia interruptio prodest agenti, sicut interruptio civilis solùm prodest actum exercenti, *L. Inter quatuor, ff. de diverss. & temp. præscript.* & possessio procedit sine lite quoad negligentes, ut in *L.* 1. *ubi Gloss. & Barthol. ff. de litigiosis*, patet quod vitium litigiosi est personale, non reale, ita tenet *Papon. in sua placitorum compil. lib.* 8. *tit.* 9. *n.* 7.

N. 7. *Unde infero possessorem decennalem juvari exceptione hujus regulæ, etiam sine titulo.* Mala ut reor illatio cum regula requirit titulum, & quidem coloratum, nec ex possessione decennali subintrat præsumptio tituli in Beneficialibus licèt subintret in profanis juxta textum *in Lege Si filius, Cod. de pet. hared.* quia jus resistit cum hæc regula requirat nedum præsumptum titulum, sed & verum, quamvis non omni ex parte validum, & apud nos in causa Beneficiali titulus est semper, & indistinctè edendus.

N. 11. *In Beneficiis reservatis Ordinarius retinet habitu jus conferendi.* Vult Author quod Ordinaria authoritate provisus de Beneficio reservato juvetur triennali possessione, est tamen textus regulæ Cancellariæ talem provisum de Beneficio Sedi Apostolicæ reservato, reservatione in corpore juris clausâ, à Beneficio regulæ nominatim excludit, tanquam in Beneficium intrusum, quia non censetur habere titulum, ut ait *Gloss. in d. Regula*, & reservata simpliciter in signum superioritatis non præscribuntur, *L. Competit, Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum*, & cum collatio de reservato sit ipso jure nulla, *cap.* 2. *de Præb. in* 6. non potest esse colorata nam titulus datus à non habente potestatem, habetur pro non titulo, *L. Sulpicius, ff. de donationibus inter vir. & uxor.* & illa tenent *Gloss. in d. Regula, Joannes Achokier ibid. Glossa Pragmaticæ Sanct. in verb. Coloratum de pacificis, n.* 350. *in impressis in fol.* quamvis *Molineus ad Regulam de infirmis, n.* 175. prætendat collationem Ordinarii intra mensem factam de Beneficio vacante in Curia non esse nullam ipso jure, sed tantùm annullandam, & cessante Papâ esse validam.

N. 17. *Provisus de Ecclesia Parrochiali in Villa murata fit securus.* Contrarium est verius, *Maynard. lib.* 1. *cap.* 56. quia regula de triennali non habilitat incapacem.

N. 18. *Excipiuntur simoniacus & violentus.* Sed quæritur de qua simonia intelligatur? *Gomes. ad hanc Regulam, quæst.* 12. *versic. Quid dicendum*, Respondet de simonia reali & conventionali intelligi, sed in fine quæstionis palinodiam canit, aitque simoniacum conventionalem de Jure Communi non esse ipso jure privatum, sed per sententiam, quia in pœnalibus verba sunt accipienda cum effectu, *L.* 1. *ff. Quod quisque juris, Molin. de infirmis, n.* 206. *& Author noster hoc lib. tit.* 18. *n.* 16. & interim habere titulum coloratum, & juvari dictâ Regulâ, sicut Perjurus, homicida, & alii de quibus per Innocentium *in cap. Cum nostris, d. Conc. Præbend. Lovet. ad Regulam, de infirmis, n.* 206. *Maynard. lib.* 1. *cap.* 58. unde sequitur solum simoniacum realem à Regula excludi.

N. 20. *Idem dici debet si sit defectus nominationis aut præsentationis, aut resignationis.* Hâc definitione & declaratione indigent, nam si nominatio, præsentatio, aut resignatio penitus non sint, nec unquam fuerint, collatio super nominatione præsentatione, vel resignatione innixa stare non potest, utpote omni fundamento destituta, nec in consequens esse colorata, cum nominatio & præsentatio sit pars & initium collationis ab alio, quàm à Patrono, & sic à non habente potestatem, habita, scilicet ab ipso collatore, vel ab alio falso Patrono ;

licèt

licèt si collatio fuerit absoluta; ab Ordinario collatore pleno jure concessa, nedum possessione triennali firmetur, sed post semestre tempus tacente Patrono incommutabiliter corroboretur: similiter ubi nulla unquam fuit Resignatio, sed in provisione Papæ vel Ordinarii falsò enuntiata, inferri non potest talem provisionem esse funditus nullam & exanimem, nec posse spiritum aliquem ex possessione triennali recipere, quæ titulum morbidum sanare potest, mortuum suscitare non potest, minùsque illum de nihilo creare: si verò defectus aliquis in forma, intervenerit, puta, quia consanguineus, affinis, vel domesticus resignantis aut resignatarii testis in mandato ad resignandum fuit adhibitus, minùs rite fuerit resignatum, tunc intrare poterit dispositio regulæ ad deffensionem possessionis.

N. 27. *Et coloratus non sit ad effectum hujus Regulæ.* Vult tamen, & quidem primæ classis scriptores oppositum tenent, videlicet *Gomesius*, *de trien. possess. q.* 12. *vers. Et ista quæ dicta fuerunt*, *Rebuff. Riccius*, *decis.* 227. *Garcias de Benef. part.* 8. *cap.* 1. *Hugolinus*, *de simonia tab.* 4. *cap.* 6. §. 4. *n.* 2. *Lessius de justitia & jure lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 140. *Lotterius de re Benefic. lib.* 3. *q.* 29. *n.* 121. *Rota*, *decis.* 319. *n.* 1. *part.* 2. qui tenent provisum ignoranter alienâ simoniâ habere titulum coloratum, & hâc regulâ juvari: ex duabus sententiis sequere quam velis, utraque suis nititur fundamentis, secunda tamen mihi arridet.

N. 30. *Hæc quæstio brevi distinctione solvitur.* Nota perpetuò distinctionem hanc, quam verissimam puto, ut si opponatur resignatario vitium resignantis, tempora possessionis utriusque conjungantur ad conflandum triennium integrum: secus si vitium sit ipsius resignatarii, licèt in profanis tempora indistinctè conjungantur, *L. Pomponius*, §. *Cum quid*, *ff. de acquir. poss.* Ratio differentiæ ut notat Author, est quia in materia profana possessor jus habet à suo Authore, ideòque utitur accessione temporis ejus, at in Beneficiis, possessor jus habet non à prædecessore, sed à collatore, ideòque amborum tempora jungi non possunt, *Gloss. Pragmat. Sanct. tit. de pacificis possessoribus.*

N. 31. *Possessio pacifica dicitur.* Pacificus possessor est, qui nullam sentit molestiam juris vel facti judicialem, vel extrajudicialem, *Flamin. de resign. lib.* 10. *q.* 4. *n.* 12. Viginti sex modos quibus turbatur possessio refert *Mathæus apud Guid. Pap. q.* 85. *in verb. Vi turbativa*, cæterùm notandi sunt mirabiles aliqui possessionis effectus. *Primò* enim possessio temporis, cujus initii non est memoria habet vim tituli, *cap.* 1. *de præscript. in* 6. modò adsit capacitas in possidente, *Abbas in cap.* 4. *n.* 2. *de consuet. Secundò*, ex decennali possessione præsumitur titulus, *Felin. in cap. Illud*, *n.* 8. *ad finem de præsumpto juxta Legem Qui in aliena*, *ff. de acquirenda hæred. & L. Si filius*, *de petit. hæred.* possessio cum titulo extinguit alium titulum sine possessione, *cap. Si à Sede Apostolica*, *de Præbendis*, *in* 6. *Tertiò*, triennalis possessio sanat titulum morbidum juxta Decretum *de pacific. possess. Quartò*, provisus de Beneficio non potest se in illo ingerere ante captam possessionem, *Flamin. de confid. Benef. q.* 35. *n.* 8. *& seqq.* Tritum est enim in praxi, jus quod acquiritur provisо ex ipsa collatione, *cap. ult. de conces. Præb. in* 6. non esse firmum & efficax, antequam provisus capiat possessionem, *Rebuff. cons.* 186. *Flamin. de resig. lib.* 10. *q.* 6. *n.* 3. *Quintò*, ante possessionem adeptam non licet in jure experiri de possessione Beneficii, nam sola collatio non tribuit jus possessionis, *cap. Cum Bartholdus*, *de re judic.* nisi constet de injusta repulsa, *Pastor noster*, *lib.* 2. *tit.* 16. *n.* 1. nam, qui actuali possessione caret, de turbatione queri non potest, *L. Si ex stipulatione*, *ff. de acquir. possess. Lovet. litt. C*, *cap.* 10. *Sextò*, Dominium non potest acquiri nisi unica ex causa, possessio verò ex pluribus, ut dicit textus, in *L.* 3. §. *Ex pluribus*, *ff. de acquir. possess.* quin imò sine causa aliqua, *L.* 1. §. *Si vir*, *eodem titulo*, *Bartholus in Lege Quod meo*, *n.* 1. *eodem.* Ideò non datur concursus duarum possessionum, non solùm justarum, vel injustarum, *L. Duo in solidum*, *ff. de precario*, sed etiam unius justæ, & alterius injustæ, cum non multùm intersit justè quis an injustè possideat, ex Labeonis sententia *in dicta L.* 3. §. *Ex contraria*, *ff. de acquir. possess.* ita ut nullomodo attendatur defectus tituli, etiam in Beneficialibus, *Lotter. de re Benefic. lib.* 2. *q.* 46. *& seqq.* & ante ipsum *Rebuff. in praxi tit. de rescripto etiam & perinde valere*, *n.* 52. quamvis *Flaminius*, *lib.* 10. *q.* 6. *n.* 44. contrarium velit. *Septimò*, possessio est facti, *L. Denique*, *ff. Ex quibus causis majores*, ideò ad alium non transit si non sit per eum apprehensa, *L. Cum hæredes*, *ff. de acquir. poss. Octavò*, nunquam ipso jure amittitur, ideo possessor inauditus ejici non debet, *cap. Licèt Episcopus*, *de Præbend. in* 6. *Flamin. lib.* 11. *q.* 10. *n.* 10. *& seqq. Nonò*, sufficit mihi possidenti vincere per non Jus adversarii, *Rebuff. de armatis versic. Sexta regula in Concordat. Decimò*, prior in possessione præcedere debet, licèt sit posterior in provisione, *Gonzales ad reg.* 8. §. 3. *Proëmiali*, *n.* 23. *Undecimò*, possessio non acquiritur nisi ex investitura facta à persona Ecclesiastica ad hoc deputata, *cap. Ex frequentibus*, *de offic. Archidiac. Flamin. lib.* 7. *q.* 1. *n.* 103. *Duodecimò*, possessio capta per procuratorem acquiritur ignoranti ante notitiam, *L.* 1. *Cod. de acquiren. poss. Gonzalez ad regulam* 8. *Glossa* 6. *n.* 157. non tamen præscriptio, *L. Possessio quoque*, *eod. tit.* ideò qui solam hanc possessionem habet, quam Fevretus fictam, & imperfectam vocat, non gaudet Beneficio triennalis possessionis, *Fevret. de abusu*, *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 7.

LIBER

DE

BONIS TEMPORALIBUS ECCLESIÆ ACQUIRENDIS ET CONSERVANDIS.

Sequentes Titulos complectens.

De Ecclesiis ædificandis, reparandis, & consecrandis.
De Decimis.
De Oblationibus.
De Privilegio Ecclesiæ in acquirendo.
De Oneribus Ecclesiasticis.
De Privilegio Ecclesiæ in bonis suis temporalibus conservandis.
De Privilegio Ecclesiæ in præscriptione.
De Revocandis alienationibus rei Ecclesiasticæ.

EX OPERIBUS POSTHUMIS.

D. MELCHIORIS PASTORIS dùm viveret in Universitate Regia Aquisextiensi Juris Canonici Professoris.

Cum Scholiis & additionibus JOANNIS SOLIER, *in Senatu Tolosano Patroni & veterani Expeditionum Romanæ Curiæ Bancharii.*

LIBER
DE BONIS TEMPORALIBUS
Ecclesiæ acquirendis & conservandis.

QUONIAM CLERICI NON SOLUM OBSERVARE DEBENT jura quibus Beneficia Ecclesiæ acquiruntur & conservantur; sed etiam ea quæ pertinent ad administrationem bonorum temporalium eorumdem; in hac postrema Editione Librum hunc Tractatui de Beneficiis Ecclesiasticis adjicere visum est, in quo de jure & privilegio rei Ecclesiasticæ breviter discutietur.

TITULUS PRIMUS.

De Ecclesiis ædificandis, reparandis, & consecrandis.

SUMMARIUM.

I. Ecclesia cœtus fidelium. Ecclesiæ veræ notæ.
II. Ecclesia locus sacer.
III. De Ecclesia nova ædificanda.
IV. De Ecclesia succursali erigenda.
V. Causa erigendæ Ecclesiæ succursalis.
VI. Domus Presbyteralis ædificatur expensis plebis.
VII. & VIII. Si de Ecclesia reparanda agatur. An pro reparatione Ecclesiæ Vicarius perpetuus debeat contribuere.
IX. Cognitio novæ Ecclesiæ ædificandæ, est Fori sæcularis.
X. Cognitio Ecclesiæ reparandæ, est mixti Fori.
XI. De consecratione Ecclesiæ. Ut Ecclesia polluatur, & reconcilietur.
XII. Qui certam sedem habeant in Ecclesia.

I. ECCLESIA duobus modis sumitur, pro contento, & pro continente metonymicè, pro contento, definitur cœtus hominum, vera in Christum fide, & Sacramentorum communione, sub uno communi Pastore & Rectore legitimè congregatis. Vera Ecclesia una est unitate Fidei, unitate doctrinæ, & unitate Pastoris, *Joann. c. 10. unus Pastor, & unum ovile.* Sancta est, tametsi in aliquibus membris sit polluta, ut declarat Sanctus Chrysostomus, in illum locum Apostoli ad Ephesios: Templum Dei sanctum est: Catholica est, seu universalis: nam in omnem terram exivit sonus eorum, scilicet Apostolorum, ut ait Apostolus *ad Romanos*, à quibus Apostolica dicta est. His notis vera Ecclesia designatur in Concilio Nicæno; quas soli Ecclesiæ Romanæ convenire series Pontificum, sanctitas Martyrum & Confessorum, & fidei unitas, manifestè declarant, ut disputat Optatus Milevitanus contra Parmenianum.

II. Ut autem Ecclesia pro continente sumitur, est locus sacer, in quo publicè celebratur ad sonum campanæ: non in privatis ædibus celebrare licet Missam, *sine magistratu*, sine licentia Episcopi, quæ non datur nisi locus sit decenter ornatus: & si Episcopus id permiserit, sine licentia speciali ibi celebrare non licet publicè, *c. Petentibus, de privilegiis, c. 8. Novell. 131.*

III. Si de nova Ecclesia erigenda agatur; id fit expensis plebis, & forenses ab eo

onere non eximuntur : loci dominus vendere cogitur, ob neceſſitatem, & publicam utilitatem, juſto pretio, arbitrio boni viri : tamen ex Statuto hujus Provinciæ, in hujuſmodi caſibus pretium augetur, quinta parte valoris ſuper adjecta : nam jure communi nemo cogitur vendere, *l. Nec emere, C. de jure delib.* Licentia Epiſcopi priùs imploratur, *c. 7. Nov.* 131. & ædificatur ad Orientem, in memoriam Chriſti, qui lux eſt oriens, *De Selva de Benef. part.* 1. Tamen id neceſſarium non eſt, ſed liberum, attentâ loci commoditate & conſuetudine.

IV. Si de Eccleſia ſuccurſali (*a*) erigenda agatur, Rector Eccleſiæ Matricis ſeu Principalis vocandus eſt, non ut contribuat, expenſis enim plebis id fit, ſed ut cauſam erectionis impugnet, cùm de jure ſuæ Eccleſiæ agatur : quo etiam invito, ſi neceſſitas id exigat, Eccleſia ædificatur, & pro eo quod ejus intereſt, Eccleſiæ ſuæ reditum minuitur, cenſus annuus à Rectore Eccleſiæ ſuccurſalis ſolvendus ei reſervatur, & Jus nominandi & præſentandi Rectorem, in caſu vacationis, *c. Ad audientiam, de Eccleſiis ædificandis.* Dixi, pro eo quod ejus intereſt, nam proventus villæ ubi Eccleſia ſuccurſalis erigitur, & oblationes quæ fiunt in ea detrahuntur de Eccleſia principali, pro ſervitio Eccleſiæ ſuccurſalis, *ex d. c. Ad audientiam*, niſi in fundatione fuerint reſervati Rectori Eccleſiæ Principalis.

V. Cauſa juſta erigendæ Eccleſiæ ſuccurſalis, eſt, ſi locus ſit diſtans ab Eccleſia Parrochiali, difficilis acceſſus, *d. c. Ad audientiam*, ſi in eo loco ſint decem manſus, nam decem manſus ſeu patres-familiæ faciunt plebem, *c. unio, c.* 10. *q.* 3. ſicut decem oves faciunt gregem, *l. Oves, ff. de abigeis*, ſont un hameau.

VI. Pari jure ſi de domo Preſbyterali erigenda agatur, pro habitatione Rectoris Eccleſiæ Parrochialis, & ejus Vicarii, expenſis plebis id fit, ut judicatum fuiſſe in Senatu Pariſienſi refert Charondas, *lib.* 4. *reſp.* 1.

VII. At ſi de Eccleſia Parrochiali reparanda agatur, aut lapſa erigenda, vel amplificanda, plebis aucto numero, Rector Eccleſiæ debet contribuere pro tertia parte ſumptuum operis, reliquum plebs, *c. de his, de Eccl. ædificand.* quod intellige ſi fructus annui decimarum, prædiorum, & cenſuum Eccleſiæ, non computatis incertis oblationibus, deductis neceſſariis pro victu Rectoris, & ſervitio Eccleſiæ ſufficiant huic tertiæ exolvendæ, *can. non ſatis, d.* 86. *Capella Tholoſana q.* 499. At Vicarius perpetuus Eccleſiæ Parrochialis inſtitutus cum portione congrua pro ſervitio illius ad reparationes hujuſmodi nullo modo tenetur, ne cultus divinus minuatur : ſic judicatum refert *Loëtius lit. O. n.* 6.

VIII. Tamen ſi Vicarius habeat partem proventuum Eccleſiæ, & fructuum decimalium, ab hoc onere non poteſt ſe excuſare quin contribuat cum Rectore, pro modo partis fructuum quam percipit, deductis neceſſariis ad victum, & ſervitium Eccleſiæ, nam ex Canonibus antiquis fructus Eccleſiæ dividebantur in tres partes ; altera pauperibus erogabatur, altera Clericis ſervientibus, & altera pro fabrica Eccleſiæ reſervabatur, *can. unio, & can. decernimus* 10. *q.* 1. Ergo ſi Vicarius habeat mediam partem fructuum Eccleſiæ, pro tertia parte ſumptuum, quæ exigitur à Rectore, pro fabrica contribuere debet, ſi poſſit, ut dictum eſt ſuprà, deductis neceſſariis ad victum, & ſervitium Eccleſiæ. Sic in cauſa occurente in Curiâ Archiepiſcopali Aquenſi judicatum fuit contra Vicarium, anno 1659. & in cauſa appellationis Sententia fuit confirmata.

IX. Si de Eccleſia nova ædificanda agatur, cognitio eſt Fori ſæcularis ; ſic enim Senatus retinuit ſibi cognitionem controverſiæ ejuſmodi inter Conſules Arelatanos petentes erectionem Eccleſiarum Parrochialium in territorio latiſſimo illius Civitatis, & Archiepiſcopum & Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ, defendentes & declinare volentes, *Arreſto primæ Martii anno* 1626. Idem judicatum fuit de Eccleſia amplificanda in territorio Maſſiliæ, *Arreſto* 26. *Maii* 1645.

X. Si verò de Eccleſia reparanda agatur, cognitio eſt mixti fori, *Joannes Gallus, quæſt.* 187. *&* 225. *Benedictus in c. Rainutius, n.* 430. Sic Senatus Priorem Eccleſiæ Parrochialis Loci de Chanterſi, tertiam partem ſumptuum pro reparatione contribuere juſſit, & cognitionem veſtium & ornamentorum, de quibus etiam agebatur ; remiſit ad Judicem Eccleſiaſticum, *Arreſto* 10. *Octobris, anno* 1582. ut vidi in Obſervationibus antiquis, nam cauſa reparationum celeritatem requirit : Epiſcopus viſitando Diœceſim, vel in ſuo Tribunali poteſt de iis cognoſcere : poteſt etiam Judex Laïcus ſi adeatur, & uterque poteſt cogere per captionem & ſequeſtrationem fructuum : nam Rectores Eccleſiarum te-

nentur rem salvam facere, & sarta tecta præstare, ut usufructuarii, *L. Hactenus, ff. de usufr.* Vicarii verò ad hæc onera non tenentur, ut diximus suprà, nisi sub hoc onere fuerint instituti: & si unum onus in institutione sit expressum, non fit extensio ad alia onera, ne gravamina multiplicentur, contra rationem Juris communis.

XI. Ecclesia consecratur ab Episcopo proprio, vel ab alieno, cum licentia illius, *c. Tua, de consecr. Eccl. vel Altaris*, & polluitur per effusionem (*b*) sanguinis, etiam ex nece Martyris, vel per effusionem (*c*) seminis, etiam ex coïtu conjugali, vel per sepulturam excommunicati denuntiati, *Gl. in c. unico, de consecr. Ecclesiæ in 6.* Tamen si sine injuria sanguis sit effusus, & sine scandalo, Ecclesia non polluitur, *Panormit. in c. Proposuit, de consecr. Eccl.* Pollutâ Ecclesiâ cæmeterium contiguum censetur pollutum: at cæmeterio polluto Ecclesia non polluitur, *d. c. unico.* In Ecclesiâ pollutâ celebrare non licet donec fuerit reconsecrata (*d*) ab Episcopo proprio, aut alieno, licentia illius, juxta formam in Rituali præscriptam, *c. Aqua, de consecratione.* Locus enim est interdictus ipso jure: at Ecclesia semel consecrata iterùm consecrari non debet, nisi fuerit diruta, (*e*) & de novo erecta, vel dubitetur an fuerit consecrata, ut Baptismus non iteratur, *c. Proposuisti, de consecratione Ecclesiæ.*

XII. Magistratibus, Officiariis publicis, Dominis feudatariis, & Patronis, in Ecclesia jus Banchi (*f*) sedendi gratiâ conceditur, & eo jure judicio possessorio possunt experiri: privatis verò nulla competit actio, tametsi nitantur præscriptione longissimi temporis & licentia Prælati, nam talis licentia censetur concessa precariò revocabiliter, ut judicatum fuit in causa Arelatana, *Arresto mensis Maii 1628.*

SOLIER.

(*a*) Aliquando Ecclesia succursalis ad ibi Parrochialia officia & Sacramenta administranda per Vicarium temporalem impensis Rectoris remunerandum ob distantiam matricis Ecclesiæ vel itinerum impedimenta constituitur, & tunc Parrochiani, qui hujusmodi subsidio utuntur, celebrioribus anni festivitatibus matricem Ecclesiam adire tenentur divina Sacramenta percepturi, maximè in festo Paschatis ut præcepto Ecclesiæ satisfaciant, juxta *cap. Omnis utriusque sexûs, de pœnit. & remiss.* & ita judicatum referunt, *Choppin. de sacra polit. tit. 3. n. 19. & Beng. ac Pinson. de Benefic. cap. de fundat. Eccles. §. 1. n. 7.* Interdùm verò Parrochia scinditur, & Ecclesia succursalis in curatam erigitur per alterum Rectorem seu Vicarium perpetuum in titulum regendam & obtinendam, quo casu decimæ omnes reservantur Ecclesiæ veteri: novæ verò obventiones casuales conceduntur, & dos ab ipsis erectionem prosequentibus suppletur, *cap. Ad audientiam de Eccl. ædif. Dufresne in suo diario cap. 90.* Utroque casu adeundis est Judex Ecclesiasticus cujus est causas erectionis investigare & illam facere privativè ad potestates sæculares.

(*b*) Non sufficit igitur aliquarum guttarum sanguinis emissio, quia jura requirunt effusionem, quæ largitatem denotat, *cap. revertimini 16. q. 1. Gloss. in cap. Cum illorum, in verb. effusionem de sent. excom.* & effusio illa debet injuriâ & non casu evenire, *Gloss. in cap. unic. in verb. sanguinis, de consecr. Eccles. in 6.* Si quis autem extra Ecclesiam fuerit vulneratus, & in illa sanguinem effudit non est Ecclesia polluta, nec ideò reconcilianda, quia non est facta Ecclesiæ injuria vel irreverentia; secus è contra cùm quis in Ecclesia vulneratus, extra Ecclesiam sanguinem spargit, *Gloss. in d. cap. Unico. Joan. Francisc. Leo in Thesauro fori Ecclesiast. p. 1. cap. 5. n. 6.*

(*c*) Scilicet voluntariam: alias secus, *Gloss. in Can. Ecclesius, in verb. semine, de consecrat. dist. 1.*

(*d*) Lege reconciliata: Ecclesia enim polluta non reconsecratur, sed reconciliatur, *cap. Proposuisti, de consecrat. Eccles.*

(*e*) Adde, vel exusta ita quòd sit decrustata in totum vel pro majori parte, *cap. Ecclesius & ibi Gl. in verb. exustæ, de consecrat. dist. 1.*

(*f*) In sedibus seu banchis Ecclesiarum Laïci non possunt sibi jus vindicare invito Episcopo, *Hostiensis in cap. Abolendæ, n. 5. de sepult.* nec pro illis agere interdicto possessorio, quia ad naturam rerum sacrarum, quæ à nemine possidentur, accedunt, *Joan. Faber §. retinend. instit. de interdict.* Excipiuntur Patroni, *Fevret. de abusu lib. 4. cap. 8. n. 2. & 3.* ubi ait ex usu Regni jus banchi assignandi in Ecclesiis carum operariis, quos matricularios vocant, sub aliqua gratuita largitione fabricæ applicanda competere. Idem de Officiariis & Dominis feudatariis subdit Author, quod verum puto ex usu & gratia, non autem jure communi.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Ecclesia *duobus modis sumitur, pro contento, & pro continente.* An autem excommunicatus ab utraque Ecclesia arceatur, & sicut est à communione fidelium exclusus, *cap. Nihil, & cap. Canonica 11. q. 3. cap. Viduas 27. q. 1. & cap. Tam Sacerdotis 24. q. 3.* Ita excludatur ab Ecclesia materiali? Respondetur affirmativè, *cap. Perlectis, dist. 25. cap. Cleros, dist. 21.* Ubi dicitur ad ostiarium pertinere claves Ecclesiæ, ut fideles recipiat, excommunicatos, sive occultos, sive manifestos nullo tempore debere intrare in Ecclesiam, limita nisi causâ audiendi verbum Dei, *cap. Responso, de sententia excom.* Dispensatur enim hoc casu propter favorem animarum, & ita possunt intrare Ecclesiam, verbo tamen finito, statim, exeant & fugiant, *Hostien. in dicto cap. Responso, n. 3.* Licèt

alii dicant licere excommunicato transire per Ecclesiam, & ibi esse non causâ orandi, sed pro alio suo negotio, quod tamen improbat, *Fagnan. in dict. cap. Responso, n.* 8.

N. 4. *Si de Ecclesia succursali erigenda agatur.* Licèt Regulariter nova Parrochia seu Capella intra limites alterius Parrochiæ cum præjudicio ejusdem ædificari non debeat, *cap. Ecclesiæ* 43. *& cap. seq.* 16. *q.* 1. ex causa tamen id fieri potest, *cap. Ad audientiam* 2. *de Eccles. ædifi. Concil. Trid. Sess.* 21. *cap.* 4. *de reform.* causa autem præcipua erigendi novam Parrochiam, seu Ecclesiam, vel Capellam, est magna difficultas, sive ut loquitur Concilium, magnum incommodum accedendi ad Parrochialem, præsertim hyberno, aut pluvio tempore; nam illud solùm possumus, quod commodè possumus, *l. Nepos in fine, de verb. signiff. cap. ult. de dilation.* etiamsi Parrochiani nunquam decesserint sine Sacramentis, ut censuit sacra Congregatio Concilii, teste *Fagnano in d. cap. Ad audientiam, n.* 17. sive difficultas proveniat ex distantia loci, sive ex alia causa, vel si Ecclesia Parrochialis sita sit intra mœnia Civitatis vel oppidi, & plures familiæ Parrochiæ sint extra mœnia, & fores Civitatis maturè claudantur, & tardè aperiantur, ut videre est in Parrochia oppidi de Cologne Lumbariensis Diœcesis & de Monasterio sancti Ambrosii, cui cura imminet personarum Sæcularium, refert *Lapus allegat.* 66. & nova Ecclesia dotari debet de reditibus antiquæ, si qui supersint; sin minùs populus necessaria ministrare Sacerdoti instituendo compellendus est, *d. c.* 4. *Sess.* 21. Si populus egeat, Abbas aut præpositus cui Parrochia in temporalibus subest, *cap. Sanctorum, versic. si quæ tamen Capella, dist.* 70. *& cap. Extirpendæ* §. *Cum igitur de Præben.* quòd si illos etiam inopia excuset, tenetur Episcopus, *cap.* 2. 16. *q.* 3. ad extremum novus Parrochus propriis manibus ex artificio sibi victum quærat, *cap. Clericus* 1. *&* 2. *dist.* 91. *Fagnan. dicto loco, n.* 5. *&* 6.

N. 9. *Si de Ecclesia nova ædificanda agatur, cognitio est fori Sæcularis.* Imò Ecclesiastici quandòquidem competens portio pro sustentatione novi Rectoris assignanda est ab Episcopo ex reditibus ad matricem Ecclesiam quomodolibèt pertinentibus, *dict. cap.* 4. *Sess.* 21. *Secundò*, debet reservari jus Patronatûs Rectori antiquæ Ecclesiæ, *d. cap. Ad audientiam*, quæ reservatio seu creatio juris Patronatûs excedit omnem Sæcularem potestatem, quia cùm illud sit spirituale vel spirituali annexum, non possunt Laïci propria authoritate de illo tractare, *cap. Messana, cap. Sacrosancta de elect. Tertiò*, novam Parrochiam erigit Episcopus per se vel per suum generalem Vicarium, ad id speciale mandatum habentem, *cap. Nemo, januâ, Glossa in verb. veniat per se, de consecr. dist.* 1. *Quartò*, ad Diœcesanum spectat examinare locum Ecclesiæ, & dotem, & disponere qualiter sit regenda, & gubernanda, ut in *cap. Nemo dist.* 1. *de consecrat.* ubi dicitur quòd Episcopus debet Crucem figere, atrium designare, dotem sufficientem assignari facere, vel cautelam publicam de dote danda recipere, quæ sit sufficiens juxta modum regionis ipsius Ecclesiæ, per determinationem dicti Capituli *Nemo.*

TITULUS II.

De Decimis.

SUMMARIUM.

I. Decimæ sunt juris Divini. Decimæ debentur de omni fructu. Dispensatio decimarum est juris humani. In decimis consuetudo spectanda est.

II. & III. Jus decimandi variatur in specie & in quota. Decimæ prædiorum feudalium minores. Decimæ novalium ex conventione minores. Immunitas à decimis privilegio concessa, & an tale privilegium prosit colonis, an revocari possit.

IV. Decimæ militibus concessæ à Carolo Martello.

V. Ecclesia contra Ecclesiam jus decimarum præscribit. Laïci nullo tempore jus decimandi possunt præscribere.

VI. Decimæ prædiales à Judæis & Hæreticis debitæ in aream vel in gerbis.

VII. Decimæ personales ex quæstu sunt voluntariæ non necessariæ.

VIII. Decimæ mixtæ ex fœtu pecorum.

IX. Quarta decimarum Episcopo debita.

X. Decimæ Regi debitæ, & an successor pro reliquis resignantis teneatur.

XI. Cognitio de decimis cujus sit. Pœna contra fraudatores decimarum.

I. DECIMÆ debentur Ecclesiæ ex præcepto Divino, (*a*) *Ex c.* 22. *Decimas & primitias tuas non tardabis offerre*; ubi Rabini legunt, plenitudinem & lachrymam tuam non tardabis offerre, per *plenitudinem* intelligentes, fructus aridos, & per *lachrymam* fructus liquidos, ut post Lyranum observat Cardinalis Hadrianus, *quæst. quodlibetica* 5. Nam decimæ debentur de omni fructu, *c. Nuntios, de dec.* etiam de fructibus qui bis in anno percipiuntur, *Riccius dec.* 731. Tamen in Evangelio D. Matthæi Christus exprobrat Phariseis, dicens, *Væ vobis qui decimatis mentam & anetum*, objurgans eorum avaritiam quòd de oleribus & fructibus exigui valoris decimas exigerent, & opera Legis non curarent: nostris Moribus consuetudo loci attenditur, *Faber C. de Sacros. Eccl.*

Eccl. def. 63. Constitutione Gallicâ Philippi Regis, quæ Philippina dicta est, cavetur in decimis ne quid supra solitum modum exigatur.

II. Hinc sequitur quòd licèt Jus decimandi impræscriptibile sit in genere, (nam contra Deum Authorem temporum tempora non præscribunt, ut loquitur Chrysologus, jura debita in signum superioritatis non præscribuntur, *l. Malè agitur, C. de præscr.* 30. *annorum*,) tamen præscribitur in specie, vel in quotâ, vel consuetudine contrariâ, aut partium consensu minuitur aut variatur : etsi enim jus illud sit divinum, tamen dispensatio illius est juris humani. Sic apud nos decimæ non debentur ex oleribus, ex consuetudine generali, neque ex oleo aut apibus, alibi debentur ex leguminibus & cannabo, alibi verò non, consuetudo regulatur juxta communem usum : quota pariter decimandi variatur in diversis locis, consuetudine immemoriali, aut conventione partium, aut privilegio concesso, *Bertrandus cons.* 14. *vol.* 1. *Choppinus de sacra Polit. lib.* 3. *num.* 4. Sic in hac patria ex consuetudine generali vicesima solùm debetur de fructibus prædiorum feudalium sive ab ipsis dominis excolatur, sive ab eorum colonis, ut judicatum fuit in publico Auditorio, *Arresto mensis Novembris anni* 1630. & decimæ novalium ob operam, culturam, & majores impensas, conventione partium à Papa vel ab Episcopo approbatâ cum cognitione causæ minuuntur : quin etiam immunitas à decimis variis Collegiis, Monasteriis, & Ordinibus concessa est Bullis Pontificiis, auditis Parrochis habentibus aliunde pro servitio Ecclesiæ, ut de privilegiis concessis Religiosis Ordinis Cisterciensis, Templariis Hospitalariis, dicitur *in c. Licet, de decimis*, quod tamen privilegium non extenditur ad terras quas ipsi tradunt aliis colendas, vel ab aliis conducunt, *c. Licet, & c. Dilecti, de decimis :* tamen verba privilegii sunt ponderanda, ut monet Glossa *in Clement.* 1. *de privil.* si privilegium eximat terras privilegiatorum, coloni & emphiteotæ eorum censentur exempti, ut judicatum fuit pro emphyteota in gratiam Ordinis Sancti Joannis, *Arresto* 26. *Maii anno* 1646. Si verò privilegium eximat Religiosos personale est, non extenditur ad emphiteotas.

III. Verùm hujusmodi privilegia revocari possunt ex causa superveniente damni emergentis Ecclesiæ Parrochiali, ex multitudine prædiorum de novo acquisitorum privilegiatis, vel ex diminutione redituum Ecclesiæ Parrochialis, *c. Suggestum, de decimis* : & privilegia hujusmodi tolluntur consuetudine contrariâ quadraginta annorum, *c. Accedentibus, de privilegiis.*

IV. Et licèt Laïci juris decimarum sint incapaces, quod in gratiam Ministrorum Ecclesiæ fuit introductum ; tamen in Gallia Carolus Martellus, Sarracenis abactis, varia jura decimarum in multis locis militibus concessit pro stipendio, approbante Summo Pontifice : investituræ ab eo concessæ ante Concilium Lateranense valent : quæ verò post illud Concilium factæ reperiuntur, irritæ sunt ; nam possessores investituram tenentur exhibere, tametsi nitantur possessione longissimi temporis, quæ sola non tribuit jus Laïcis, cùm juris istius sint incapaces, *Choppinus de sacra Politia lib.* 3. *c.* 4.

V. Ecclesia contra Ecclesiam jus decimandi potest præscribere spatio quadraginta annorum cum titulo, *c. Auditis, de præscr.* vel spatio temporis immemorialis sine titulo, *l. Hoc jure, §. Ductus aquæ, ff. De aqua quot. & æst.* Laïci verò nullo tempore præscribunt, ob rationem suprà allatam.

VI. Decimæ prædiales debitæ sunt ex fructibus prædiorum à possessoribus indistinctè, etiam ab Hæreticis & Judæis, *c. De terris, de decimis*, sunt enim jura realia : solutio harum decimarum, si de frumento agatur, fit in area, vel in horreo, vel in gerbis, sine deductione seminis & sumptuum, in certa quantitate diversa, juxta consuetudinem loci, *c. Tua nobis, de decimis :* si solutio fiat in gerbis dominus denuntiare tenetur exactori ut accedat, & descriptio fiat, quo non comparente post duodecim horas diurnas à denuntiatione, ipse potest dinumerare fructus suos, & exportare, relictâ parte debitâ exactori, ex Constitutione Blesensi, *art.* 49. Sic judicatum fuit *Arresto mensis Maii anno* 1622. & sic alibi observatur, *Thesaurus decis.* 9. *Riccius decis.* 544. Idem dicitur de aliis fructibus : onus solvendi incumbit colono, tametsi dominus habitet alibi, *c. A nobis, de decimis*, & solutio fit Ecclesiæ Parrochiali in cujus finibus prædia illa sunt sita, *ex d. c.* Tamen si decimæ petitæ non fuerint, arreragia præteriti temporis peti non possunt, *Faber C. de Sacros. Eccl. Rota dec.* 25. *in antiquis.* Idem sentiunt Theologi, *D. Thom.* 2. 2. *q.* 87. *Hadrianus q.* 5. *vers.* 2. Verùm præceptum Ecclesiæ de decimis prædialibus est omnibus notum, & qui obdurato corde non solvit reus est peccati, tametsi in foro externo, de

reliquis non solutis, ob negligentiam Rectoris non petentis non possit conveniri.

VII. Aliæ sunt decimæ personales debitæ ex quæstu deductis sumptibus & expensis, Ecclesiæ Parrochiali in cujus finibus debitor inhabitat, *c. Ad Apostolicæ, de decimis.* Verùm moribus nostris oblationes ejusmodi sunt voluntariæ, non necessariæ.

VIII. Aliæ sunt decimæ mixtæ seu reales & personales, ut quæ debentur ex fœtu pecorum, quæ, ut de prædialibus diximus, solvuntur sine deductione sumptuum Ecclesiæ Parrochiali in cujus finibus illa pecora pascuntur, & si pascantur in diversis prædiis diversarum Parrochiarum utrique Parrochiæ pars decimalis debetur, *c. Ad Apostolicæ, de decimis*, ut servatur apud nos de fœtu pecorum quæ tempore hyemali ex locis montanis descendunt in nostram regionem ob nives, & verno tempore in montes revertuntur frigidiores, & pascuis commodiores.

IX. Rectores Ecclesiarum de decimis quas exigunt Episcopo diœcesano quartam præstare tenentur, *c. Dudum, de decimis:* quod jus minuitur aut tollitur privilegio, cessione, vel consuetudine contrariâ, ex dicto Capitulo, ex quo auctus fuit reditus mensæ Episcopalis, largitione Principum, ut videre licet apud nos.

X. Aliæ sunt decimæ Regi debitæ, pro patrocinio, de omnibus Beneficiis: ipse enim in suo Regno est communis Episcopus omnium Ecclesiarum, ut de Constantino olim dicebatur: à quibus Vicarii ipsi non sunt exempti, nisi in fundatione aut reservatione id ita cautum sit: quo casu onus solvendi incumbit Rectori aut titulario Beneficii: & si non solvatur, hæredes eorum pro reliquis debitis conveniri possunt, quibus non extantibus vel deficientibus successor Beneficii tenetur, ne tamen ære alieno nimis gravetur si sit resignatarius, pro reliquis trium annorum dumtaxat tenetur, & si ex alia causa provisus fuerit pro reliquis duorum annorum, *ex Constitutione Henrici VI. de decimis, art.* 16. imputatur enim exactori quòd debitorem dùm viveret non urserit.

XI. Si quæratur an decimæ solutæ fuerint de facto, cognitio est Judicis Laïci, severè enim agitur contra fraudantes & recelantes, per confiscationem fructuum & animalium, & mulctæ dictionem, *ex Constitutione Blesensi, art.* 49. Si verò quæratur de jure, an sint debitæ in specie vel in quota, cognitio est Judicis Ecclesiastici, *Faber de Jurisd. omnium Judicum, def.* 49.

SOLIER.

(*a*) Decimæ prædiales sunt de jure divino ut omnes tenent *Covarruvias lib.* 1. *Variar. resolut.* quamvis quota sit de jure humano tantùm in qua consuetudo est attendenda, *cap. in aliquibus §. fin. cap. Commissum, cap. Cum sicut homines, c. Dilecti, cap. Apostolicæ, de decim.* & ideò præscriptibilis spatio 40. annorum, *cap. Ultimo de consuet.* Personales verò debitæ ex quæstu non sunt de Jure Divino, sed humano tantùm, *Felin. in cap. Causam quæ, de præscript.* ideò in totum præscriptione tolli possunt, *Hostien. in summa, de decimis, Rebuff. in tract. de decimis q.* 13. *n.* 44.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. Decimæ *debentur Ecclesiæ ex præcepto Divino.* In confesso est apud omnes decimas à Deo esse institutas, & olim saltem sub veteri lege præceptas, sed dubium est maximum an hoc præceptum adhuc duret, affirmativam tenent Canonistæ plerique omnes, quia morale præceptum est, seu esse videtur; moralia autem præcepta obligant etiam tempore novæ legis, *cap. Finali §. Is ita, dict. 6. Gloss. 2. in cap. A nobis, & Gloss. penult. in cap. Nuper, de decimis*, negativam verò sequuti sunt ferè omnes Theologi, quia præcepta veteris legis ceremonialia, vel judicialia in lege Evangelica vim legis ampliùs non obtinent, *cap. unic. de purificat. post part.* Præceptum autem decimarum est ceremoniale, ut tradit *Covarruvias lib.* 1. *variarum resolut. cap.* 17. *n.* 2. *&* 3. alia plura utriusque sententiæ fundamenta, vide apud Petrum Monetam *in tract. de decim. cap.* 1. *q.* 2. *n.* 2. 27. *&* 28. ubi vult, post eos quos citat, præceptum solvendi decimas esse mixtum scilicet partim morale, & partim ceremoniale, & tandem Theologis adhæret ut solutio decimarum hodiè in lege Evangelica juris Divini non sit, sed solùm Ecclesiasticâ constitutione præcepta, & argumenta Canonistarum diluit.

Eodem N. 1. *Cavetur in decimis ne quid supra solitum modum exigatur.* Quia consuetudo est attendenda circa portionem, & qualitatem decimæ, *cap. In aliquibus, §. ult. cap. Commissum, cap. Cum sint homines, cap. Dilecti, cap. Ad Apostolica de decimis.* Tam in personalibus quàm in prædialibus, *Rebuff. in tract. de decimis q.* 13. *n.* 46. quia quota decimæ diminui potest per consuetudinem, sive quia decima nunc est de jure humano, ut volunt Theologi, sive quia consuetudine jus Divinum ac naturale limitari & quodammodo diminui possunt, ut voluit Glossa communiter ferè à Canonistis recepta, *in cap. à nobis de decimis*, quod verum est interpretando non derrogando, *cap. finali, & ibi Abbas & alii de consuet.*

N. 2. *Licèt jus decimandi impræscriptibile sit.* Imo valere consuetudinem eximentem Laïcos à solutione etiam prædialium decimarum, ubi iis non indiget Parrochus, sentiunt Theologi omnes, teste Petro Moneta, ubi suprà, *cap.* 5. *q.* 4. *n.* 93. præsertim

Azor. instit. moral. lib. 7. 37. *q.* 2. Item consuetudo valet, ut de prædiis Ecclesiasticis decima non solvatur à Clericis, & posse Clericos consuetudine eximi à solutione decimarum, tam prædialium, quàm personalium, etiam ratione bonorum patrimonialium, voluit *Gloss. in cap. In aliquibus de decimis, & cap. Quia cognovimus* 10. *q.* 3. à fortiori valebit consuetudo ut ex certis fructibus, puta fœno, oleo, decima non solvatur, *Moneta dicto cap.* 5. *q.* 4. *n.* 94. quamvis Alexander III. in cap. pervenit de decimis mandet Episcopis, ut Parrochianos suos moneant, etsi opus fuerit sub excommunicationis censura compellant, ut de proventibus Molendinorum, etiam si sint ad ventum, *Gloss. hìc in verb. eod.* & piscariarum, de fœno, & lana decimas integrè persolvant.

N. 8. *Immunitas à decimis variis Collegiis, Monasteriis, & Ordinibus concessa est Bullis Pontificiis.* Hinc inferunt Theologi decimas jure Ecclesiastico non autem jure Divino esse solvendas, aliàs non posset Papa ab illis immunitatem indulgere, cùm non possit dispensare circa jus Divinum, *Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum, n.* 19. *de constitut. cap. Litteras, de restitut. spoliat. cap. Pirtacium* 30. *q.* 3. Privilegium autem de non solvendis decimis non extenditur ad novalia, quæ post concessionem privilegii fiunt, *cap.* 2. *de decim. in* 6. *Covarr. lib.* 1. *resolut. cap.* 17. *n.* 13. *Pyrrhing. de decimis n.*103. sed debentur Ecclesiæ in cujus Parrochia surgunt, *cap. Quoniam, & cap. Cum contingat & d. tit. d. cap.* 2. *§. ult. eodem in* 6. ad favorem etiam Vicarii perpetui privativè ad Priorem seu primarium Rectorem, ut cavetur seu declaratur Edicto Regio nuper edito de die 29. Januarii 1686.

TITULUS III.

De Oblationibus. (*a*)

SUMMARIUM.

I. Oblationes turpes & inofficiosæ non admittendæ. Superstitio vitanda. Oblationes debentur Vicario Ecclesiæ Parrochialis.

II. In oblatis Ecclesiæ servanda est intentio voventis.

III. Oblationes quæ fiunt in Capellis debentur Parrocho.

IV. Regulares faciunt partem Ecclesiæ Parrochiali de interstitiis, non de cæteris oblatis.

V. Concilium Tridentinum non revocavit privilegia immunitatis Ordini Regularium aut Monasteriis, ex conventione, aut quadragenaria præscriptione, à quarta funebri.

VI. Capellæ erectæ de novo non erectæ in titulum Beneficii, sunt sub pia dispositione fundatorum.

VII. An liceat Sacerdoti bis in die celebrare, vel in loco non consecrato.

I. DECIMIS & oblationibus fidelium Ecclesia locupletata est, nam olim præter decimas decimatio à piis hominibus offerebatur, seu pars quæstûs diurni, ut refert Epiphanius, non ex præcepto, sed ex Consilio, nisi alia esset consuetudo, vel Rector Ecclesiæ indigeret: oblationes turpis quæstûs Apostoli respuebant, *Clemens Romanus lib.* 4. *c.* 1. Nam Deus apud Prophetam Micheam damnat idola quæ de mercede meretricum conflata erant. Oblationes parentum liberis inofficiosas Divus Augustinus non admittebat, nec Carolus Magnus probavit, *c.* 83. quoniam animi Religionis superstitione capti omnia facilè largiuntur, cùm falsa miracula referuntur aut suppositæ Sanctorum Reliquiæ exhibentur pro quæstu: quod crimen capitale erat inter Paganos, & pœna relegationis puniebatur, *ex Constitutione D. Marci, l. si quis ff. de pœnis.*

II. Oblationum nomine venit quidquid offertur in Missa, in Festis Sanctorum, aut pro funeralibus, vel pro sponsalibus, aut puerperâ, vel ex voto, *c. inter vos, de verb. signif.* Quæ omnia pertinent ad Vicarium pro servitio, exceptis iis quæ ad ornatum Ecclesiæ oblata sunt: in quibus intentio voventis servanda est, si fieri possit, sin minùs in alium Ecclesiæ usum res potest applicari ab Episcopo, vel ab ipso Rectore, si res sit exigui valoris, *Clement. quia contingit, de Religiosis domib. Concil. Trid. sess.* 22. *c.* 6.

III. Si in Ecclesia Parrochiali vel finibus illius erecta sit Capella in titulum Beneficii, oblationes quæ fiunt in ea, in casibus supradictis, pertinent ad Parrochum (*b*) jure Parrochiali, nisi inter Parrochum & Rectorem illius Capellæ aut fundatorem aliud Conventum fuerit, aut alia sit consuetudo legitimè præscripta, *c. ex transmissa, de præsc. Capella Tholosana, q.* 422. scilicet spatio quadraginta annorum cum titulo, vel temporis immemorialis sine titulo. Subinde quæritur in casu particulari, si ex conventione aut consuetudine oblata certi Festi annui reservata sint Rectori Capellaniæ, & oblata Dierum Dominicalium Parrocho debeantur, illo Festo incidente in diem Dominicam, ad quem

pertineant oblata? respondet Baldus, *in l. qui habet, ff. de tutelis*, ea esse dividenda inter Parrochum & Rectorem Capellæ, uterque nititur jure suo.

IV. Tamen quæ dantur Sacerdoti Missam celebranti pro opera & labore, non debent ei extorqueri, nisi Rector Capellaniæ ejus operam certa mercede conduxerit: hæc inter sæculares observantur Regulares; (c) verò de oblatis in suis Monasteriis & Capellis quas regunt, non faciunt partem Parrocho ex consuetudine generali, *Gl. in c. 1. de statu Monachorum*, *Capellâ Tholosana loco citato*, nisi de interstitiis funerum quorum pro diversa consuetudine, alibi quarta pars, alibi tertia debetur Ecclesiæ Parrochiali, nisi Monasterium sit exemptum privilegio, vel consuetudine, *c. de quarta, & c. auditis, de præscrip.*

V. Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 13.* instaurando jura Parrochis debita, revocavit privilegia quæ Monasteriis & Hospitalibus antè concessa fuerant, tamen non revocavit privilegia concessa ex conventione partium, aut possessione quadragenariâ præscripta ante Concilium, vel post, *Farinacius loco Concilii citato*: nec revocavit privilegia Ordini concessa pro Monasteriis eo tempore erectis, aut post: nam privilegia hujusmodi nituntur jure communi, quo liberum est singulis sepulturam sibi eligere ubilibet, ideoque non sunt restringenda in præjudicium Regularium, qui juvant Parrochos in Sacramentorum administratione, & orant pro populo in planctu & jejunio.

VI. Capellæ noviter erectæ piâ devotione & sumptibus singulorum, aut Collegii vel universitatis, si in titulum Beneficii erectæ non fuerint ab Episcopo, tametsi ab eo consecratæ sint, non subsunt Parrocho, sed remanent sub pia dispositione fundatorum, & per Presbyteros locatitios & amobiles ab illis conductos ministrantur, ut judicatum fuit Arresto Parlamenti hujus Provinciæ, 1. *Aprilis anni 1659.* inter Vicarium loci de Cipieres, & Consules, quo Senatus dedit potestatem Consulibus instituendi singulis annis Fabricenses Capellæ Sancti Claudii, quibus custodiam dedit bonorum mobilium & ornamentorum contentorum in inventario conficiendo in suo ingressu, & novis Fabricensibus remittendorum in suo egressu, quibus etiam commisit curam recipiendi eleemosynas, pecuniam Missarum votivarum, eligendi Sacerdotem conductitium idoneum & capacem ab Episcopo Diœcesano approbatum, ad Missas celebrandum, ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, & sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, jussitque Fabricenses finito Officio rationes administrationis suæ reddere coram Consulibus, vocato Vicario, cui tamen negavit vocem deliberativam: sed ei dedit facultatem Missam celebrandi in Festo Sancti Claudii, & oblationes pecuniæ illius Missæ recipiendi, cæteris verò diebus permisit illi Missam celebrare; & id tantùm capere quod sibi pro labore datum fuerit: & oblata penes Fabricenses residere voluit pro fabrica Ecclesiæ.

VII. Sacerdoti semel in die celebrare licet, exceptâ die Nativitatis Christi, in quâ ter celebrat, in memoriam Legis Naturæ, Legis Scriptæ, & Legis Evangelicæ, *c. consuluisti de celebrat. Missæ*, excepto etiam casu necessitatis quo Sacerdos bis celebrare potest cum licentia Episcopi, *c. sufficit, de consecratione, d. 1* Cùm celebrat debet esse jejunus, liber à peccato mortali, & Ecclesiæ censuris excommunicationis & suspensionis, alioquin mortaliter peccat, tamen efficaciter celebrat: sibi nocet, & aliis prodest, *c. finali, de cohabit. Cleric. & mul.* & in locis non consecratis celebrare non permittitur sine licentia Episcopi Diœcesani, *c. finali, de privilegiis in 6.*

SOLIER.

(a) Oblationes sunt quæcumque de propriis & licitis rebus Ecclesiæ offeruntur, *cap. causa, de verb. signific.* & quatuor casibus tenentur Laïci Parrocho facere oblationes, *Primò*, Quando viget consuetudo, quia laudabiles consuetudines servari debent, *cap. ad Apostolicam, de Simon. cap. quamvis, de decimis. Secundò*, Quando Parrochus indiget, quia non tenetur suis stipendiis militare, & qui altari servit de altari vivere debet, *cap. cum ex Officio, de præscript. Tertiò*, In Missis solemnioribus dicente Domino per Moysem, non apparebis in conspectu meo vacuus, *Quartò*, Quando ex testamento oblationes præcipiuntur, quia ultima voluntas defuncti modis omnibus est servanda, *cap. ult. 13. q. 2.* retinentes eas quasi egentium necatores nec credentes judicium Dei habendi sunt, *cap. qui oblationes. d. q. 2.*

(b) Oblationes quæ celebranti in aliena Ecclesia fiunt cedunt Rectori Ecclesiæ & non celebranti, quia videntur factæ intuitu Ecclesiæ præsertim à Parrochianis, qui oblationes faciunt propter onera Sacramentorum, *cap. omnis Christianus junctâ Gloss. de consecrat. dist. cap. requisiti, de testam.* Idem de oblationibus, quæ fiunt in Capellis seu altaribus fundatis intra fines Parrochiæ, *cap. ex transmissa, de præscrip, Panorm. in rubric. de Parroch. n. 4.* Laïci autem in eorum oratoriis oblationes recipere non possunt, nec valet consuetudo in contrarium quamvis secus voluerit *Decius consil. 148.* quia decimæ & oblationes æquipa-

rantur, *cap. quamvis*, *de decimis*, & sunt juris spiritualis & sacræ, ut inquit textus in *cap. inquirendum in fine*, *de pecul. Cleric.* cujus Laïci sunt incapaces, *cap. fin.* 10. *q.* 1. ubi expressè improbatur consuetudo, quâ Laïci prætendere possint Ecclesiarum oblationes. *Franc. Leo in Thesauro for. Eccl. p.* 2. *cap.* 13.

(*c*) Regulares possunt tripliciter oblationes recipere, vel ut pauperes ex dispensatione Parrochorum; vel ut ministri altaris: aut ex debito si Parrochiæ sint eorum, *D. Thom.* 2. 2. *q.* 86. *art.* 2.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. OBLATIONES *turpis quæstûs Apostoli respuebant.* Jure Canonico non licèt oblationes accipere à quibusdam personis, quas enumerat *Gloss. in cap.* 2. *in verb. dona. dist.* 90. Videlicet, *Primò*, ab usurariis, *cap.* 3. *de usuris*, quia acquisita per usuram sunt aliena & oblata offerenti restitui debent, ut illa vero Domino restituat, *Gloss. ult. ibid. Secundò*, à raptoribus, *cap.* 2. *de Raptor. Tertiò*, ab opprimentibus pauperes, *dicto cap.* 2. *dist.* 90. *Quartò*, à sacrilegis, *cap. de viro*, 12. *q.* 2. *Quintò*, à viris qui servos suos ad Ecclesiam confugientes per vim extrahunt, *cap. miror*, 17. *q.* 4. *Sextò*, à Dissidentibus, *dicto cap.* 2. *dist.* 90. *Septimò*, à Pœnitentibus qui ad tempus oblationes facere prohibentur, *cap. eos*, *dist.* 4. & hæc statuta sunt in pœnam criminis notorii & manifesti, licèt oblationes fiant ex rebus aliàs justè quæsitis: sed hæc pœna extendi non debet ad alios casus similes, *Gloss. in d. cap.* 2. *in verbo*, *dona*, & restringi debet ad illas tantùm oblationes quæ fiunt in Ecclesia vel ad altare, non autem est intelligendum de omni donatione facta Ecclesiæ inter vivos, vel per ultimam voluntatem, vel alio modo, *Gloss. in d. cap. eos*, *in verb. etiam oblationes*, *dist.* 4. *de Consecr.*

N. 3. *Oblationes quæ fiunt in ea.* Oblationes factæ alicui capellæ in Ecclesia Parrochiali, vel alia, non Capellæ, sed Ecclesiæ vel Parrocho debentur, nisi intuitu ipsius Capellæ non Ecclesiæ Parrochialis donatas esse appareat; in dubio autem præsumuntur fieri intuitu Ecclesiæ Parrochialis, vel alterius in qua est Capella, *Barbos. de Officio Parrochi cap.* 24. *n.* 22. etiamsi extra Ecclesiam sita sit Capella vel Oratorium, modò intra fines Parrochiæ, quia tales oblationes fiunt Ecclesiis earumque Rectoribus ratione curæ animarum & administrationis Sacramentorum, *Abbas in cap. Pastoralis n.* 2. *de his quæ fiunt à Prælatis.* Nisi quid datum sit Sacerdoti celebranti, tanquam stipendium laboris & ministerii, vel Parrochus celebret in aliena Parrochia, verbi gratiâ, pro sponso Parrochiano suo, tunc enim oblationes cedunt celebranti, consuetudo tamen legitimè præscripta, ut oblationes non acquirantur Parrocho, sed alteri, est valida, *cap. cum inter de verb. signif.* atque hinc oblationes quæ fiunt Neomystis dum celebrant primam Missam, non acquiruntur Ecclesiæ Parrochiali, sed ipsismet Sacerdotibus, quia sic habet consuetudo ubique locorum, *Fagnan. in dict. cap. Pastoralis de his quæ fiunt à Prælatis n.* 36. *& seqq. Pyrrhing. de Decimis n.* 179.

TITULUS IV.

De Privilegio Ecclesiæ in acquirendo.

SUMMARIUM.

I. Religioso professo succedunt hæredes scripti aut legitimi excluso Monasterio.

II. Religiosus ante professionem testari non potest in gratiam Monasterii.

III. Religiosi Mendicantes acquirere non possunt titulo hæreditario, sed titulo legati. Mendicantes prædia legata vel oblata tenentur vendere.

IV. Monachi in communi titulo hæreditario vel legati capere possunt. Monachi in particulari pecuniam aut pensionem sibi legatam capere possunt cum licentia Abbatis. Monacho succedit Abbas aut Monasterium. Idem dicitur de Abbate. Religiosus ad Episcopatum promotus habet testamenti factionem activam, non passivam.

V. Equites Sancti Joannis Hierosolymitani Religionem habent hæredem, partem sibi legatam pro legitima alienare non possunt.

VI. Canonici Regulares Sancti Augustini habent jus testandi & succedendi. Professus soluto voto per sententiam ob nullitatem recuperat pristina jura. Dispensatio à voto ob causam supervenientem tribuit jus ad futura, non ad præterita. In Societate JESU primum votum facit voventem Religiosum, & successionis incapacem, si exeat sine licentia.

VII. Clerici sæculares de bonis sibi quæsitis ex reditu Beneficii possunt testari in Gallia.

VIII. Ecclesia succedit ex testamento imperfecto, modò constet de voluntate testantis. Testamentum imperfectum valet in gratiam Ecclesiæ, non personæ extraneæ. Ecclesia non succedit ex testamento holographo sine testibus ut liberi succedunt, tamen legata capit in eo relicta.

IX. Legata Ecclesiæ relicta in testamento filii consentiente patre valent.

X. Rupto teſtamento ex cauſa præteritionis vel exhæredationis, legata pia retinentur. Rupto teſtamento per poſterius, legata pia ſimul revocantur, ſi revocata non fuerint.

XI. Ex teſtamento nullo ſi teſtator non poſſit teſtari, non debentur legata pia. Captatoria diſpoſitio in gratiam Eccleſiæ nulla eſt.

XII. De legatis piis non detrahitur falcidia. Legitima minuit legata pia.

XIII. Pii legati uſuræ debentur à die moræ.

XIV. Si legata pecunia non ſufficiat ad opus Eccleſiæ deſtinatum, hæres non tenetur in plus.

XV. Si legatum convertatur ad aliud opus ut procedatur.

XVI. In codicillis & donationibus causâ mortis ob piam cauſam ſuppletur defectus formæ. In donationibus inter vivos ob piam cauſam ſuppletur defectus acceptationis & inſinuationis.

XVII. Eccleſia locupletata variis modis.

I. SICUT per arrogationem bona arrogati acquirebantur arrogatori, ſic bona Religioſi per profeſſionem, liberis non extantibus, acquirebantur Monaſterio, *Authentica ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſiis*, & liberis extantibus profeſſus de ſuis bonis diſponere poterat inter liberos, ſalvâ parte debitâ Monaſterio: & ſi non diſponeret Monaſterium ei ſuccedebat, ſalvâ legitimâ liberorum, *Authent. ſi qua mulier, C. eod. tit.* Hodie verò Religioſus ante profeſſionem teſtari poteſt, (*a*) poſt eam non poteſt: illi ſuccedunt hæredes ſcripti in teſtamento antè condito, aut legitimi venientes ab inteſtato, excluſo Monaſtero, ex generali conſuetudine Regni, *Maſuer. in tit. de ſucceſſion. Benedictus in c. Raynutius, verb. & uxorem: Rebuff. in Proëm. Conſtitutionum Galliæ, Gl. 5. n. 21.* excepto Monachorum peculio, in quo Monaſterium ſuccedit excluſis cognatis.

II. Ex Conſtitutionibus Gallicis, *Bleſenſi art. 30. & Aurelianenſi art. 19.* non licet Religionem profeſſuro ante profeſſionem teſtari in gratiam Monaſterii, directè vel indirectè, per interpoſitam perſonam, nec ei legare vel donare, niſi quid modicum pro alimentis, ſi Monaſterium ſit inops, ut variis Arreſtis citatis probat Loëtius, *lit. C.*

III. Religioſi Mendicantes titulo hæreditario acquirere non poſſunt, nec in particulari nec in communi, ne implicentur oneribus hæreditariis, ob votum paupertatis, quod emittunt in communi & in particulari: tamen titulo legati vel donationis acquirere poſſunt in communi. Prædia relicta poſſidere non poſſunt, ſed vendere, & pretio uti, niſi pro commoditate Conventûs, ſi illa ſint contingua; ſunt enim qui licèt prædia poſſidere non poſſint, pretium tamen valoris & æſtimationis recipere poſſunt, ut dicitur *in l. ſed ſi res, ff. de legatis* 1. *Bartholus in l. civitatibus, ff. de legatis* 1.

IV. Monachi verò & Religioſi non Mendicantes vovent paupertatem in particulari, non in communi, Monaſterium titulo hæreditario donationis vel legati capere poteſt prædia poſſidere ſalvis juribus Regi debitis, & dominis ſubalternis: ipſi verò in particulari titulo hæreditario capere non poſſunt, nec prædia poſſidere ex donatione vel legato; pecuniam tamen aut penſionem annuam ſibi relictam eis habere licet pro Libris, & rebus ſibi neceſſariis, cum Superioris licentia, nam etiam deportato penſio relinqui poteſt, *l. ſi quando, C. de Ordine cognitionum, Baldus & Mol. ad Authent. ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccl.* eiſque defunctis ſuccedit Abbas in peculio aut Monaſterium, niſi cum licentia Abbatis aut Prioris Clauſtralis de eo diſpoſuerint, ipſi Abbates, de Religioſis loquor, à voto paupertatis non diſpenſantur, nec ſuccedere poſſunt cognatis, nec de peculio diſponere, Monaſterium habent hæredem. Verùm Religioſi ad Epiſcopatum promoti diſponere poſſunt apud nos de bonis ſibi acquiſitis ex reditu Beneficiorum menſæ ſuæ inter vivos vel cauſa mortis: tamen non ſuccedunt (*b*) cognatis morientibus inteſtatis, ut judicatum fuit in Magno Conſilio, & notavimus ſuprà *lib. 3. tit. 45.* nam gratia illis conceſſa contra voti profeſſionem, ut de bonis poſſint diſponere, vel cognatis ſuis bona relinquere, & de illis bene mereri, non extenditur ad alium caſum, ut cognatis poſſint ſuccedere.

V. Religioſi Equites Ordinis Sancti Joannis Hieroſolymitani de bonis ſuis diſponunt inter vivos, & morientes Religionem habent hæredem, ut de cæteris Regulæ laxioris ſupra diximus. Verùm ad ſucceſſionem hæreditariam ſuorum cognatorum non admittuntur, *Papon. lib. 1. tit. 11. Loët. lit. C. n. 8.* niſi alia ſit conſuetudo (*c*) loci; in Sabaudia ſuccedunt quoad uſum fructum, *Faber C. de Epiſ. & Cler. def. 27.* Apud nos ſuccedunt in legitimâ, faciunt numerum & admittuntur ad partem, quam tamen alienare

vel oppignorare non licet, niſi ob redemptionem ſi capti fuerint ut judicatum fuit ſolemniter pronuntiante Illuſtriſſimo Domino Guillelmo du Vair Præſide primario *Arreſto* 18. *Aprilis anno* 1611.

VI. Sunt quidam Regulares nomine tenus, ut Canonici Regulares Sancti Auguſtini habentes factionem teſtamenti activam & paſſivam, *Loët. lit. R. n.* 42. qui fuerunt à Regula quoad hoc relaxati: ſunt etiam inter Regulares qui relaxantur à Regula in particulari ob nullitatem profeſſionis ex variis cauſis, defectu ætatis aut probationis, ex metu gravi, defectu poteſtatis in Superiore, querimoniâ intra quinquennium propoſitâ, per ſententiam Epiſcopi Diœceſani adhibito Superiore Monaſterii ubi profeſſio fuit emiſſa, vel per diſpenſationem ob cauſam legitimam ſupervenientem poſt profeſſionem emiſſam à Papa vel à Commiſſariis ab eo deputatis: in primo caſu ſoluto voto Religionis profeſſus revertitur in ſæculum, recuperat priſtina jura: in ſecundo caſu diſpenſatio prodeſt ſolùm ad futura, non ad præterita: tamen ex æquitate cognati quibus bona delata ſunt penſionem pro alimentis diſpenſati ſi egeat non poſſunt negare: vide ſuprà *lib.* 3. *tit.* 17. Non dubitatur quin primum votum quod emittitur in Societate JESU poſt Novitiatum faciat voventem Religioſum ex Statutis illius Ordinis & Bullis Pontificiis. Ex quo ſequitur exeuntes ab illa Societate poſt profeſſionem, ſine juſta cauſa à Superiore approbata, apoſtatas cenſeri in ſæculo, & ſucceſſionis incapaces ex variis Arreſtis, *Fevret lib.* 4. *c.* 6. *n.* 14.

VII. Quod attinet ad Clericos ſæculares, Jure communi Rectores Eccleſiarum de iis quæ acquiſierunt poſt adeptum Beneficium ex teſtamento cognatorum, teſtari poſſunt, de iis quæ acquiſierunt ex teſtamento extraneorum teſtari non poſſunt, Eccleſiam habent hæredem, cujus intuitu ea ſibi cenſentur relicta: cæteri verò Clerici de relictis ſibi à parentibus vel aliis teſtari poſſunt, & de iis quæ propriâ operâ & induſtriâ acquiſierunt omnes teſtari poſſunt; non de iis quæ ex fructibus & reditibus ſuorum Beneficiorum ſibi quæſita ſunt, in quibus Eccleſia ſuccedit, *c. relatum, de teſtam. Novella* 131. *c.* 13. At in Gallia Clerici qui ſunt in Dignitate, vel non, de relictis à parentibus vel extraneis, & de quæſitis ex reditu Beneficii vel ſuâ operâ indiſtinctè teſtari poſſunt, ſunt enim fructuum domini, & morientes inteſtati cognatos habent hæredes, *Joannes Faber in Authent. hoc jus porrectum, C. de ſacroſ. Eccl. Benedictus in c. Raynutius, verb. & uxorem, n.* 264. Tamen quæ ab iis in utilitatem Eccleſiæ converſa ſunt, à ſuis hæredibus repeti non poſſunt, nam cauſa pietatis impedit repetitionem, *l. licentiam, C. de Epiſc. & Clericis.*

VIII. Et quamvis teſtamentum ſit imperfectum defectu formæ & ſolemnitatis, tamen Eccleſia ſi fuerit inſtituta ſuccedit, modò conſtet de voluntate teſtatoris, ex ipſo teſtamento, ab eo ſubſcripto, & ſubſcriptione duorum teſtium, (*d*) ſive à Notario illud ſumptum fuerit in ſua præfectura, vel extra, ſive à Parrocho & duobus teſtibus, ſecundum formam Juris Canonici, *c. omnes*, & *c. relatum de teſtam.* modò illud non contineat legatum in gratiam ipſius Parrochi, (*e*) vel ſuorum parentum, teſtator & teſtes ſubſcripſerint cum Parrocho, & poſt mortem teſtatoris illud publicetur, & in Acta publica redigatur, ut cavetur Conſtitutionibus Galliæ, Aurelianenſi & Bleſenſi, *art.* 63. Ex quibus ſi teſtator ſcribere neſciat, vel non poſſit, ſufficit quòd teſtamentum contineat eum fuiſſe interpellatum de ſubſcribendo, & reſpondiſſe ſe ſcribere neſcire, vel non poſſe: ſed hujuſmodi teſtamenta quæ valent in gratiam liberorum & Eccleſiæ, vel Hoſpitalis, nam cauſa pia æquiparatur cauſæ liberorum, non valent in gratiam perſonæ extraneæ in illis ſcriptæ pro inſtitutione vel legato, *l. hâc conſultiſsimâ*, §. *ex imperfecto, C. de teſtamentis.* Verùm cauſa liberorum favorabilior eſt causâ piâ, nam liberi cenſentur condomini cum patre, *l. in ſuis, ff. de liberis & poſthum.* ſuccedunt ei ex teſtamento holographo quod pater ſcripſit, & ſignavit manu propria, nullis teſtibus adhibitis, quoniam cauſa inteſtati fovet cauſam teſtati, ſive ex æquis vel inæqualibus partibus liberi fuerint inſtituti, pater enim arbiter eſt ſuorum bonorum. Verùm relicta uxori vel aliis perſonis non valent niſi teſtes adhibiti fuerint, *c.* 1. *Novella* 107. Eccleſia verò vel Hoſpitalis ex teſtamento hujuſmodi ſuccedere non poteſt titulo hæreditario niſi teſtes adhibiti fuerint, *Molineus ad l. Deo nobis, C. de ſacroſ. Eccl.* Sic judicatum fuit pro Martelly Pertuſii contra Rectorem Hoſpitalis, in publico Auditorio, *Arreſto menſis Decembris, anno* 1622. Non enim conſtat de perſeverantia voluntatis teſtantis, qui pro aliquo motu inconſulto movetur, niſi ſubſcripſerit, & eam eſſe ſuam voluntatem Notario vel teſtibus declaraverit: tamen inter liberos teſtamenta hujuſmodi valent, hæreditatis ſibi de-

bitæ : & ſi in illis teſtator legata ſcripſerit ob piam cauſam pro ſalute animæ ad exonerandam conſcientiam, legata pia valent in vim Confeſſionis, ne ſit tàm impius hæres qui piam voluntatem teſtatoris ſpernat, *Faber C. de teſtam. def.* 27. de teſtamento facto inter liberos ſcripto manu teſtatoris, non tamen ab eo ſubſcripto, ſine teſtibus, quod nullum declaratum fuit, ſalvis legatis, ob piam cauſam expreſſam, pro ſalute animæ. Sic in hac Patria, graſſante peſte, teſtamentum Maſſiliæ conditum coram Præfecto Cuſtodiæ, & ſeptem teſtibus, quorum nullus ſubſcripſerat ob metum contagii, nullum declaratum fuit, ſalvis legatis piis in eo relictis, *Arreſto menſis Novembris, anno* 1632. Idem judicatum in cauſa ſimili Maſſiliæ, *alio Arreſto menſis Aprilis, anno* 1633. In quibus caſibus inſtitutio hæredum fuit annullata ob defectum formæ & probationis requiſitæ & conſequenter legata perſonis conjunctis relicta ; nam in iis ex Conſtitutionibus Gallicis non admittitur probatio per teſtes : tamen legata pia retenta ſunt, quòd in iis caſibus unuſquiſque in mortis periculo cogitet animæ ſuæ conſulere, juxta alia Arreſta relata in Collectione Conſtitutionum Regiarum, *pag.* 528. *in margine.*

IX. Jure Communi filius familias teſtari non poteſt, ne quidem patre conſentiente, niſi Clericus ſit, cui de peculio aliunde quàm à patre poſt Clericatum quæſito teſtari licet : tamen ſi teſtatus ſit patre conſentiente, legata ab eo relicta ob piam cauſam valent, non in vim legati, ſed in vim donationis causâ mortis, *l. tàm is, ff. de donationibus causâ mortis, Faber C. de ſacroſ. Eccl. def.* 40.

X. Eodem jure rupto teſtamento ex cauſa præteritionis vel exhæredationis, legata & fideicommiſſa firma manent, *Auth. ex cauſa, C. de liberis præteritis vel exhæredatis*: tamen ſi teſtator ignorans filium quem putabat obiiſſe præterierit & ex mole legatorum præſumatur quòd ſi ſciviſſet filium extare, vel ſibi naſciturum, non legaſſet, non ſolùm inſtitutio infirmatur, ſed etiam legata, exceptis piis legatis *Decius conſ.* 490. At in caſibus ſupradictis, ſi teſtator poſterius teſtamentum fecerit, & legata in priori relicta non reſervaverit, legata pia in priori contenta ſimul revocantur, *Faber. C. de ſacroſ. Eccleſ. def. 6.*

XI. Verùm ſi teſtamentum declaretur nullum ob defectum voluntatis teſtantis, ſi furioſus, vel mentis impos, vel capite minutus, non habeat jus teſtandi legata pia non debentur, nec ſi diſpoſitio captatoria probetur, nam captatoriæ ſcripturæ neque in inſtitutione nec in legatis valent, *l. captatoriæ, ff. de leg.* 1. quia etiam in diſpoſitionibus ob piam cauſam liber ſtylus deſideratur, *l.* 1. *C. de ſacroſ. Eccl.*

XII. Inſuper ſpeciali jure de legatis piis non detrahitur falcidia, *Auth. ſimiliter, C. ad legem falc.* 1. nec Trebellianica *(f)* de relictis ob piam cauſam, ad exemplum falcidiæ, ut Statuto hujus Provinciæ declaratur, nam relicta Deo diminutionem non patiuntur : tamen legitima minuit etiam legata pia & priùs ſolvitur, ut debita jure Naturæ, quàm legata pia, *Gl. in dicta Auth. ſimiliter.*

XIII. Illud etiam ſpeciale eſt in legatis piis, quòd uſuræ debentur ex mora, §. *in duplum Inſtit. de act.* Sic judicatum fuit de pecunia legata Patribus Recollectis hujus Civitatis, *Arreſto.* 17. *Sept. anno* 1644. pecuniæ legatæ ad alios uſus non debentur uſuræ niſi à die interpellationis judicialis *l.* 1. *&* 4. *C. de uſuris & fructibus rei legatæ.*

XIV, Si teſtator legaverit ſumptus neceſſarios pro ædificanda Eccleſia aut Capella, videtur legaſſe pecuniam pro tali opere neceſſariam, niſi tenuiores ſint facultates hæreditatis, eo enim caſu legatum taxatur Judicis arbitrio, ne hæres nimis oneretur, *l. quidem, ff. de legatis* 2. At ſi legaverit certam pecuniam pro tali opere, & majori quantitate opus ſit hæres non tenetur in plus, *l. legatum, ff. de adminiſtr. rerum ad civit. pertinent.* Sic judicatum fuit pro hæredibus Dominæ de Sauſe, contra Rectorem Eccleſiæ Sancti Spiritûs hujus Civitatis, cui dicta Domina legaverat quingentos nummos pro amplificanda Eccleſia, cum ea pecunia non ſufficeret Rector plus petebat, *Arreſto menſis Octobris anno* 1620.

XV. Legata hujuſmodi ad opus certum relicta non debent in alios uſus converti, ſine licentia Prælati, ut notavimus ſuprà *Tit.* 3. Interdum id fit extrajudicialiter per modum diſpenſationis & authoritas Epiſcopi Diœceſani ſufficit, ex dicto Concilio, interdùm id fit judicialiter cum cognitione cauſæ, & Judex Laïcus adeundus eſt, qui auditis hæredibus teſtatoris, Primoribus Civitatis, Rectore Eccleſiæ, Procuratore Officialitatis, deſpicit in quam cauſam pecunia legata debeat converti, *ut in l. legatum, & l. cùm prædia : ff. de uſufructu legato.*

XVI. Sic

XVI. Sic in codicillis & donationibus causâ mortis defectus formæ & solemnitatis requisitæ suppletur favore causæ piæ, modò constet de voluntate disponentis ex instrumento Notarii, à defuncto si litteras sciret & duobus testibus subscripto, *Julius Clarus 3. Sententiarum*, §. *instrumentum q. 6.* & donatio inter vivos valet tametsi Rectore Ecclesiæ absente, & non acceptante, vivo donatore ea facta sit, fit enim Deo ubique præsenti & acceptanti, vel si in ea forma Statuti servata non fuerit, & insinuata non sit, etiamsi donator in ea constituerit Procuratorem ad insinuationem requirendam, *Faber C. de sacros. Eccl. def. 7.* Tamen defectus insinuationis non suppletur in necem creditorum anteriorum certantium de damno vitando, *l. illud, C. de sacros. Ecclesiis.*

XVII. Oblationibus Fidelium & largitione Imperatorum, Regum & principum, Ecclesia locupletata est, ut dictum fuit suprà *lib. 1. tit. 1.* Papa Sylvester à Constantino Magno obtinuit Regnum Italiæ, Prælati Dignitates sæculares, Principatus, Comitatus, Baronias, & alia feuda, cum Regalibus & latifundiis à Regibus sortiti sunt, crescente pietate Fidelium crevit Christi patrimonium, pro decore Ecclesiæ, dignitate Prælatorum, & alimonia pauperum.

SOLIER.

(*a*) In Gallia professus testari non potest etiam ex dispensatione Papæ, *Chop. lib. 1. de Doman. tit. 13. n. 7. Charund. in respons. lib. 7. cap. 196. & in Pandect. lib. 3. cap. 2. Mornac. ad l. 3. §. & si hæres, de minor.* licèt secus judicatum referat *Oliveus lib. 1. cap. 15.* quia Papa in Gallia temporalia non attingit, possunt tamen Monachi inter vivos donare consanguineis, teste *Molin. in consuet. Nivern. §. 151. n. 3. in fine*, & sic vivunt ut liberi, moriuntur ut servi. vid. *Brodel. ad Lovet. lit. C. cap. 8. & lit. R. cap. 42. n. 5.*

(*b*) Contradicit *canon statutum* 18. *q. 1.* cujus hæc sunt verba: statutum est & rationabiliter secundùm Sanctos Patres à Synodo confirmatum ut Monachus, quem Canonica electio à jugo regulæ Monasticæ Professionis absolvit, & Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vindicandi potestatem habeat. Sententia tamen Authoris nostri servatur in Gallia, de quo consule *Joan. Dufresne in Causarum Diario, lib. 3. cap. 22. & Brodel. d. cap. 8.*

(*c*) Imò indistinctè: vicit enim consuetudo generalis regni, quâ omnes religiosi ab omni successione directa & collaterali excluduntur rejecto ubique quocumque privilegio, teste *Molineo in Consuet. Burgund. tit. 7. des successions, Brodel. ubi supra*, ergo & consuetudine quæ privilegio æquiparatur & è contra, *cap. novit, de judic. not. in cap. accedentes, de præscript.*

(*d*) Adeò ut primum Testamentum factum coram septem testibus, tollatur per secundum factum ad pias causas coram duobus, *Alex. in l. hâc consultissimâ; §. si quis autem col. ult. Cod. de Testam. per. l. 2. ff. de inoffic. testam.* & alii quos citat & sequitur *Tiraquel. in tract. de privileg. piæ causæ, privileg. 2.* neque enim hoc casu duo testes requiruntur ad solemnitatem testamenti, sed ad probationem, ut dicit *Bald. in l. 1. in reper. Cod. de Sacro Sanct. Eccles.* & probatur in *cap. relatum de testam.* quia in causa hujusmodi solùm jus naturale consideratur, & ideò fœminæ in testamento ad pias causas testes habentur idoneæ, *Bald. in d. l. 1. ad finem, Decius & Ferlin. in cap. quoniam, de testib.*

(*e*) Tamen prælatus Ecclesiæ potest in testamento alieno ipsi Ecclesiæ adscribere aut etiam sibi in favorem Ecclesiæ, & valet legatum, *Hostien. & Joan. Andreas in cap. inter, per illum textum, de rejudic.* licèt usus rei legatæ Prælati sit, *Tiraq. in d. tract. privil. 93.*

(*f*) Contrarium tenent *Gloss. Archid. in add. & Joann. Andr. in cap. si pater, per illum textum, de testam. in 6. Innoc. in cap. si tibi circa finem eod. tit. apud Greg. & alii citati per Tiraq. in dict. tractat. piæ causæ, privileg. 27.* Sed sententia Authoris communior est & consuetudine servatur, *Idem ibid.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. EXCEPTO *Monachorum peculio.* Sicut Monachus excluditur à cognatorum successione, pariter excluduntur cognati à successione peculii Monachi, quia eadem debet esse succedendi ratio, & reciproca hæreditatis delatio juxta vulgarem regulam, si vis mihi succedere, fac ut tibi succedere possim. *L. penult. §. & ideo sancimus, Cod. de adopt. Gloss. in lege hac parte ff. unde cognati,* nihil tamen vetat quin Monachus peculium inter vivos donare, vendere, permutare, aut aliàs distrahere possit, citra tamen dilapidationem dum superior non contradicit, & quamvis donare sit perdere, id tamen non est indistinctè verum, ut videre est in donatione remuneratoria, aut ea quam efflagitat extrema parentum egestas, tunc enim est potiùs solutio, quàm donatio.

N. 3. *Religiosi mendicantes titulo hæreditario acquirere non possunt.* Religiones aliæ Clericales, aliæ Monachales, aliæ Mendicantes, aliæ Militares. Clericales sunt quæ per se primò, ex proprio Instituto ordinantur ad ministeria Clericorum in Divino cultu, vel etiam salute animarum procuranda: Monachales Religiones sunt quæ per se primò, ad ministeria Clericorum non ordinantur, sed vitam purè contemplativam, & solitariam profitentur, ut constat ex *causa 16. q. 1.* Mendicantes Religiones sunt, quæ ex vi instituti sui paupertatem etiam in communi sectantur, nulla possidentes bona immobilia, seclusò privilegio Apostolico; & tales Ordines mendicantes jure communi, & anti-

quo approbati, sunt quatuor videlicet Prædicatorum, Minorum, Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum, ut constat *ex cap. Unico* §. *Sane de Religiosis domibus in 6.* Quibus posterioribus temporibus alii accesserunt, etiamsi bona stabilia in communi possideant, ut Religio Societatis Jesu: Religiones Militares dicuntur, quæ tribus substantialibus editis votis per se primò, & ex vi proprii instituti ordinantur ad militandum pro defensione Christianæ Religionis & Ecclesiæ, cujusmodi sunt Ordines Sancti Joannis Jerosolymitani, Teutonici, & similes: Advertendum hìc quòd illæ etiam Religiones sunt diversæ, quæ diversas regulas, & constitutiones particulares habent, secundùm quas vivunt, & quasi communiter à Doctoribus non nisi quatuor Regulæ approbatæ numerentur. Prima est Sancti Basilii, sub qua militant penè omnes Monachi Græci, & Ecclesiæ Orientales. Secunda Sancti Augustini, sub qua vivunt omnes Canonici Regulares & Eremitæ Sancti Augustini, Præmonstratenses, Dominicani, Ordo servorum beatæ Mariæ, & alii quidam. Tertia Sancti Benedicti, sub qua vivunt Monachi Nigri. Item Cistercienses, Cluniacenses, Camalducenses, Celestini, & alii quidam. Quarta Sancti Francisci, sub qua vivunt Minores de Observantia, Conventuales, Capucini, Tertii-Ordinis de Pœnitentia, habent tamen singuli hi Ordines præter eandem regulam, quam sequuntur, proprias ac speciales constitutiones quibus inter se discrepant, in habitu, victu, jejuniis, aliisque piis exercitiis. Hæc in terminis, *Pyrrhing. de Reg. à n.* 21. Præter prædictas quatuor habent propriam & ab aliis distinctam regulam ac constitutiones Cartusiani, Minimi Sancti Francisci de Paula, & Societas Jesu, *Barbosa lib. 1. jur. Eccl. cap.* 4. *n.* 24. Hi omnes apud nos sicut intestabiles activè & passive, nisi ad Episcopatum sint promoti.

N. 6. *Querimoniâ intra quinquennium propositâ.* Dubium tamen est an hoc tempus sit continuum, ita ut currat à die Professionis non obstante ignorantiâ nullitatis, Professionis vel impedimento reclamandi intra quinquennium; an verò sit utile, ita ut non currat ignoranti, vel impedito, primum affirmat *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disp.* 37. *n.* 19. Et probatur ex quo Concilium Tridentinum, *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regul.* Dicit quinquennium numerandum esse à die possessionis tantùm, præterea etsi tempus præfixum in odium negligentis non currat ignoranti, vel impedito *Leg.* 1. *Cod. Annal. except.* Currit tamen quando non est in odium negligentis agere, sed in favorem alterius est præscriptum, *Gloss. in cap. Statutum de Præbend.* in 6. In proposito casu tempus quinquennii præfixum fuit non in odium negligentis, invalidè professi, sed in favorem Religionis, ut consulatur ejus tranquillitati & paci, ne scilicet litibus oppugnantium editæ professiones perturbentur, sunt verba *Pyrrhing. de Regul. n.* 132. Sed contrarium verius ut notant *Navarrus lib.* 3. *cons.* 23. *n.* 3. & *Pyrrhing. ibid.* Constet nedum de invaliditate possessionis, sed etiam de ignorantia nullitatis, vel impedimento reclamandi, quia Concilium nititur super præsumptione ratificatæ professionis, quæ cessat in ignorante, vel impedito: an autem Religio intra quinquennium reclamare possit contra invalidè Professum, affirmativè respondent *Fagnan. cap.* 1. *n.* 45. *& seqq. de Regularib.* & *Pyrrhing. ibid.* Quia dispositum de uno correlativorum censetur dispositum in altero.

N. 8. *Et subscriptione duorum testium.* In relictis ad pias causas duo sufficiunt testes, *cap. Relatum de testam.* & ipsæ mulieres, tam in testamento ad pias causas, quàm inter liberos testes habentur idoneæ, cum jure naturali non reperiantur prohibitæ, sed solùm jure civili, quandoquidem in testamento inter liberos possunt esse testes, *Gloss. in authen. quod sive, & ibi Baldus, & alii cod. de testam.* Ita ut imperfectum testamentum imperfectione voluntatis valeat, ut vult *Bartholus ff. de fideicom.* Sed contrarium verius, quia testamentum inter liberos imperfectum imperfectione voluntatis est nullum, *Gloss. in lege si is qui. Et ibi Barthol. de testam.* Ergò multò magis testamentum factum ad pias causas cui minùs favetur, quàm liberis, ut notatur *in cap. Quicumque* 17. *q.* 6.

TITULUS V.

De Oneribus Ecclesiasticis.

SUMMARIUM.

I. Parrochiarum divisio à Papa Dionysio. Celebrare & Sacramenta administrare non licet in aliena Parrochia sine licentia Parrochi. Pœnitentiarii & tempore Jubilari quilibet Sacerdos potest administrare Sacramentum Pœnitentiæ.

II. Quilibet in sua Parrochia est sepeliendus, nisi elegerit alibi. Peregrinantes, sepeliuntur ubi moriuntur.

III. Tertia pars Præbendarum in distributiones conversa. Distributiones quæ negantur absentibus fabricæ Ecclesiæ applicantur. Rationes annatarum & distributionum absentium coram Episcopo expenduntur.

IV. An Rectores Ecclesiæ teneantur hodie eleemosynam erogare pauperibus loci.

V. Quæ sint onera Beneficii ordinaria & extraordinaria. Christus solvit tributum.

VI. An successor Beneficii solvere debeat onera Beneficii sui prædecessoris.

VII. An pro annata Capitulum solvere debeat onera Beneficii & pensiones debitas. Annata Capituli immunis à pensione resignantis.

VIII. Possessor Beneficii non potest pro propriis debitis onerare Beneficium. Resig-

natio facta in fraudem creditorum non admittenda.

IX. Executiones pro debitis civilibus ut fiant in Clericos.

I. QUEMADMODUM bona Ecclesiæ alia sunt spiritualia & alia temporalia, sic onera Ecclesiastica, jura Parrochiarum erant communia, & à Papa Dionysio (*a*) divisa fuerunt per diversas Parrochias, *c. Decernimus, c.* 13. *q.* 1. Spiritualia consistunt in divino Officio & Sacramentorum administratione divisim per singulas Parrochias: nemo igitur celebrare potest in aliena Parrochia sine licentia Parrochi, neque baptizare, tamen validè celebrat & baptizat, *c. Quod quidam, c.* 1. *q.* 1. licèt celebrando aut baptizando contra interdictum Ecclesiæ peccet: & si quis matrimonia Parrochianorum alienorum sine licentia proprii Parrochi solemnizet, illa nulla sunt, ex Concilio Tridentino, si alienos Parrochianos ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiat sine licentia proprii Parrochi, nulla est absolutio defectu potestatis, *c. Omnis, de pœnitentiis & remiss.* Nam sicut Jurisdictio Fori externi divisa est per diversas Diœceses, sic Jurisdictio Fori Pœnitentiarii divisa est per diversas Parrochias, sunt tamen Pœnitentiarii habentes privilegium à Papa audiendi alienos Parrochianos, & absolvendi etiam in casibus reservatis: & tempore Jubilæi idem privilegium Sacerdotibus omnibus approbatis ab Ordinariis conceditur.

II. Pari jure quilibet sepeliendus est in sua Parrochia, *c.* 1. *de sepult. in* 6. Uxor sepeliri debet in sepultura mariti, nisi alibi sepulturam sibi elegerit: (*b*) si plures maritos habuerit, ubi postremus fuit sepultus, *ex c. Allegato:* tamen viatores sepeliuntur ubi moriuntur, *c. Ecclesiis* 13. *q.* 1. Liberum est unicuique sibi sepulturam eligere; & si allegetur mutatio voluntatis, alleganti incumbit onus probandi. Sic judicatum fuit inter Augustinos & Cordigeros Brinoniæ, *Arresto mensis Februarii anno* 1628. *& alio Arresto mensis Novembris anno* 1647. Alioquin qui sepeliunt alienum Parrochianum, cadaver exhumare coguntur, & Parrocho aut Rectori loci quem defunctus sibi elegit illud restituere cum omni quæstu, *c. Ex parte, & c. Cùm liberum, de sepult.* De tertia aut quarta interstitiorum funebrium Ecclesiæ Parrochiali debita, & oblationibus, dictum est suprà *tit.* 3.

III. In Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, ut Præbendati & Semipræbendati assidui sint in Officiis, Concilium Tridentinum *Sess.* 22. *c.* 3. voluit certam partem præbendarum, Dignitatum, & Canonicorum in distributiones quotidianas (*c*) converti, & præsentibus & interessentibus Officiis nocturnis & diurnis proportionaliter distribui, quibus absentes privantur nisi legitima causa eos excuset, ut diximus suprà *lib.* 3. *tit.* 46. & quæ negantur absentibus aut remanent in mensa communi, aut fabricæ Ecclesiæ reservantur cum annatis, *Arresto mensis Maii anni* 1626. Administratores Capituli Ecclesiæ Cathedralis Forcalquerii jussi fuerunt reddere rationes œconomo pecuniæ quam receperant à triginta annis, de pœnis seu punctuationibus absentium, & de annatis pro ingressu in reparationes & usus Ecclesiæ applicandis, rationes autem coram Episcopo diœcesano reddi debent, ex eodem Arresto.

IV. Ex Canonibus antiquis tertia pars fructuum Beneficii solebat errogari pro alimonia pauperum: hodie jus illud inolevit, querimoniæ Consulum pro eleemosyna contra Priorem non admittuntur, (*d*) ut judicatum fuit pro Priore Ecclesiæ Parrochialis de Claviers, contra Consules, *Arresto mensis Aprilis anno* 1633. nisi Prior conventione aut consuetudine ad id teneatur: Clerici se excusant ob decimas Regias, & alia onera quibus Ecclesiæ gravantur, *quod non capit Christus capit fiscus.*

V. Rectores Ecclesiarum tenentur ad plura & diversa onera, quorum alia sunt ordinaria singulis annis recurrentia; alia casualia superindicta: ordinaria sunt, decimatio Regi debita pro patrocinio Ecclesiæ, pensiones Episcopo debitæ loco portionis decimarum, jus Cathedraticum (*e*) in signum superioritatis, jus procurationis pro visitatione debitum, taleæ seu tributa debita pro prædiis Ecclesiæ acquisitis apud nos, ab anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, nam prædia antiqui dominii Ecclesiæ immunia sunt, census & alia jura debita Regi & dominis subalternis pro prædiis feudalibus & emphyteuticariis, pensiones resignationis reservatæ in cessione Beneficii. Casualia & superindicta, sunt quæ ex certis causis emergentibus indicuntur decreto Cleri Gallicani pro Regni subsidio, & exiguntur per singulas diœceses: Ecclesia enim in istis casibus sponte se submittit potestati sæculari, sicut Christus (*f*) solvit tributum pro se & pro Petro,

scandali vitandi causâ, non ex debito justitiæ, *Matth. c.* 17. charitativum subsidium Episcopo debitum in casu necessitatis, collectiones quæ fiunt ex decreto universalitatis sæcularis, pro viis publicis, pro pontibus construendis, pro fonte aut puteo publico, pro custodia Civitatis, *l. ad institutionem, C. de sacros. Eccl. l. professio, C. de muneribus patrimonial. lib.* 10. *c. pervenit, de immun. Eccles.* & reparationes Ecclesiæ, ut diximus suprà *cap.* 1. & aliis sumptibus publicis pro peste, *ex Arrestis citatis à Fevret. lib.* 4. *c.* 4. Tamen Clerici sunt immunes ab hospitio militum, *Choppinus lib.* 3. *sacræ Polit. c.* 2. *num.* 3.

VI. Si possessor Beneficii non solvat onera indicta & superindicta tempore possessionis suæ, & solvere potuerit ex fructibus Beneficii, hæres illius solvere tenetur, & successor Beneficii non tenetur nisi discusso hærede : si verò morte præventus solvere non potuerit, successor Beneficii solvere debet.

VII. Capitulum ratione annatæ quam exigit, vacante Beneficio per resignationem, vel per obitum, solvere tenetur onera ordinaria integra illius anni, casualia verò possessor Beneficii solvere tenetur ; nam ordinaria sunt onera fructuum quos Capitulum percipit : extraordinaria verò sunt onera Beneficii à possessore solvenda, ut de usufructuario & proprietario dicitur *in l. hactenùs, ff. de usufr.* Et si ante vacationem cessatum fuerit in solutione, hæredes & subsidiariè successor Beneficii solvere tenentur : annata autem Capitulo debita prior est pensione debitâ pensionario, nam annata ex Statuto Ecclesiæ vel consuetudine debetur : pensio verò ex reservatione resignantis & licentiâ datâ, consequenter causâ posterior.

VIII. Debita verò quæ contrahit possessor Beneficii in rem propriam, non onerant Beneficium, nec transeunt in sucessorem Beneficii. Hîc consequenter quæri potest an possessor Beneficii possit illud dimittere in fraudem creditorum, respondetur quòd malitiis hominum non est indulgendum : si fructus Beneficii Judicis decreto oppignorati sint ob moras aut subterfugia debitoris, creditoribus reclamantibus, Ordinarius non debet resignationem admittere ; & si admittat, tenetur ad id quod interest creditorum de erepta sibi materia solvendi, ut dicitur de Ordinario, qui debitorem obligatum ad publica ratiocinia ordinavit, *Gloss. in c. unico, de obligatis ad publica ratiocinia*, & notatum est supra *lib.* 3. *tit.* 29. Et si resignatio fiat coram Legato aut Papa, creditores possunt libello oblato querelam suam Datario exponere, & resignationi se opponere, ad impediendam admissionem, aut ipsi resignatario oppignorationem fructuum, & querelam suam intimare, ad hoc ut ipse vel fraudis particeps executiones pro solutione pecuniæ debitæ in fructibus Beneficii patiatur discusso resignante.

IX. Executiones creditorum quæ fiunt in fructus Beneficii in debitorem ipsum vel ipsius successorem, fiunt cum temperamento, relicto ne egeat, ne mendicare cogatur, & distrahatur ab officio : & Clerici existentes in Sacris pro debitis civilibus incarcerari non possunt (*g*) & Libri & eorum mobilia destinata pro divino Officio pignori capi non possunt, ex Constitutione Blesensi, *art.* 57.

SOLIER.

(*a*) Dionysius Papa anno 270. distinxit ac designavit Parrochias urbis & singulis Presbyteris singulas assignavit & suo exemplo idem aliis Episcopis faciendum insinuavit, ut legitur in ejus Epistola ad Severum Episcopum Corduben. Registrata in 1. tomo Conciliorum, & relata in *can.* 1. 13. *q.* 1. Hi verò regionales Presbyteri & Diaconi præter ministerium, cui specialiter fuerant addicti nullum aliud obiisse leguntur, neque Romano Pontifici fuerunt à Consiliis, & quamvis admittantur in Conciliis generalibus tamen non considebant, sed à tergo Episcoporum considentium stabant, ut constat ex 2. Romano Concilio sub Sylvestro celebrato anno 324. & circa hoc tempus cœperunt isti Romani Diaconi & Presbyteri Cardinales appellari ad differentiam aliorum ad urbem confluentium, *Lotter. de re benefic. lib.* 1, *q.* 8. *n.* 18. *& Seqq.*

(*b*) Mulier etiam nupta potest sibi eligere sepulturam, *cap. de uxore, de sepult.* & pater filiis impuberibus eligere potest. *d. cap. de uxore*, §. *utrum autem, & cap. licet pater, eod. tit. in* 6. aliàs in sepulchro Majorum, aut in Parriochiali sunt sepeliendi, non enim sunt transgrediendi termini antiqui quos posuerunt Patres nostri, *prover. c.* 22. terminos autem antiquos transit, cùm quis Parrochianum alterius ad sepulturam admittit, *cap.* 1. *in fine juncta Gloss. de sepult. Thesaur. fori Eccles. p.* 4. *cap.* 2. *n.* 94. & truncum cum omni quæstu restituit, *cap. cum liberum, de sepult.*

(*c*) De distributionibus quotidianis diximus suprà *lib.* 3. *tit.* 26. *lit. e.*

(*d*) Imò quotidiè ad instantiam Consulum vel ipsius Parrochi vel Syndici pauperum Parrochiæ taxatur eleemosyna contra Priorem ab Ordinario, non quidem ad tertiam aut certam aliam fructuum

partem, sed ad summam aliquam modò majorem modò minotem attento proventu, egentium numero, & penuria ac caritate annonæ, solo Parrocho à taxatione hujusmodi libero manente, ex quo Parrochianis adest & quotidianâ stipe pauperes sublevat.

(*e*) Francicis moribus non pensitatur honorarium illud Episcopale, quod Cathedræ, id est, honori Pontificali debetur nisi Ecclesiæ indotatæ Præfectis, vel ex continuæ possessionis usu, *Choppin. de sac. polit. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 2.

(*f*) Si censum Dei filius solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum? *S. Ambros. in comment. ad Lucam relatus in cap. magnum* 11. *q.* 1.

(*g*) Sed an possint excommunicari ob non solutionem? & non posse, sæpius judicatum referunt *Choppin. de sacra politia. lib.* 2. *tit.* 3. *n.* 3. *Larroche in decretis lib.* 6. *tit.* 50. *art.* 2. *Brodel. ad Lovet. lit. C. cap.* 31. nisi contractu obligationis censuris Ecclesiasticis sese expressè submiserint, *Chenu cent.* 2. *q.* 12. vel cum solvendo sint, bona sua occultent in fraudem creditorem & ea revelare trina monitione compulsi detrectent, quia tunc excommunicationi subduntur, non quidem præcisè ob non solutum debitum, sed propter contumaciam non parendo Judici, juxta *cap. si quis, cap. quod super & cap. cum in Ecclesiis, de major. & obed. cap. si quis*, 24. *q.* 3. excusantur tamen si nulla bona habeant cautione præstitâ saltem juratoriâ de solvendo si ad pinguiorem fortunam devenerint, *cap. Odoardus de Solut.* sed ut locus sit beneficio *d. capituli* duo concurrere debent: *primum*, ut tanta sit paupertas quòd neque in totum, neque in partem debitum possit solvi, ut textus habet, *alterum*, ut non agatur in vim judicati, quia dictum Capitulum contemplatur debitum extra causam delicti, vel quasi, *Lotter. de re Benefic. Libr.* 1. *q.* 38. *a n.* 243.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. A Papa *Dionysio divisa fuerunt per diversus Parrochias.* hinc infertur quòd Ecclesiastica Beneficia sint instituta, & ordinata à jure positivo, & non à jure Divino, ut probatur in *cap.* 1. *juncta Glossa* 13. *q.* 1. ubi Dionysius Papa fuit inventor & divisor Ecclesiarum Parrochialium, & tenent *Panor. in cap. constitutus. n.* 13. *de Relig. Dom. Joan. de Selva de Benef. part.* 1. *q.* 4. *n.* 22. *&* 23. Excipe Papatum, Cardinalatum, & Episcopatum, qui de jure Divino instituti noscuntur, *Hoïeda de incompatibil. in præfat. n.* 5.

Eod. N. 1. *Sine licentia proprii Parrochi*) proprius Parrochus in Ordine ad matrimonium non intelligitur originis, sed domicilii, ut ex eo constat, quod de vagis Concilium statuit *sess.* 24. *cap.* 7. cùm tamen ille certam habeat Parrochiam originis, *Sanchez. de matrim. lib.* 3. *disp.* 23. *n.* 7. quamvis per modicum temporis quis ibi habitaverit, etiam causâ alicujus negotii expediendi, ut eo expedito ad proprium domicilium redeat, sicut sunt Scholastici in Academia, & Mercenarii, sollicitatores, & qui causâ pestis alio confugiunt, *Pontius de matrim. lib.* 5. *cap.* 13. *§.* 1. *n.* 4. Idem namque censetur esse Parrochus ad conjungendos matrimonio, atque ad confessiones excipiendas, juxta *textum omnis utriusque sexûs, de pœnit. & remiss.* sed ille proprius habetur ad Sacramentum Confessionis ubi quis habitat, etiam ad modicum tempus, *Idem ibid.* quis autem sit proprius Parrochus in Ordine ad funeralia, vel ad decimas, & Primitias, & de proprio vagorum Parrocho, vide *ibid. dicto lib.* 5. *cap.* 13, *&* 14.

N. 3. *Administratores capituli &c. jussi fuerunt reddere rationes à triginta annis*) vix illud hodiè obtinere crederem saltem apud nos quandoquidem Consules, & Matricularii à decem annis dumtaxat ad id adstringantur, ut judicatum refert *Oliveus lib.* 1. *c.* 20. Unde Philippi in notis ad edictum Ludovici XII. de anno 1512. *tit.* 6. non omittendum, inquit, quando administratorem omnem rei alienæ suæ administrationis rationem reddere cautum est, idem etiam statui in administrationibus reipublicæ, & hoc jure solitum esse præcipi consulibus, aliisque Reipublicæ administratoribus functionis suæ decennariæ, præsertim reddere rationem Arrestis non paucis præ aliis 17. Julii 1539. & 8. Octobris 1554. & quòd si hi à quibus id postulatur rationem se reddidisse proponant, peractam dispunctionem; & computationem saltem edere jubentur, ut videatur si quid errore per gratiam aut dolo fuerit omissum gestumve.

TITULUS VI.

De Privilegio Ecclesiæ in bonis suis temporalibus conservandis.

SUMMARIUM.

I. Res Ecclesiæ alienari non possunt.

II. Res Ecclesiæ oppignorari & tradi non possunt, nisi necessitas urgeat.

III. Res mensæ Episcopalis alienari non potest sine Papæ licentia.

IV. Processus Commissarii in alienatione rei Ecclesiasticæ.

V. Forma alienationis rei Capituli.

VI. Commissarii deputati in alienatione rei Ecclesiasticæ ex locis vicinis convocantur. Ut Rector Ecclesiæ in alienatione procedere debeat. In alienatione terrulæ aut vineolæ authoritas Episcopi sufficit. Vicarius Episcopi sine mandato speciali non potest procedere in alienatione rei Ecclesiasticæ. Alienatio ob Ecclesiæ utilitatem difficiliùs admittitur.

VII. Ut fiat permutatio rei Ecclesiasticæ. Ut

fiat æstimatio prædii rustici & Urbani.

VIII. Ut fiat investitura feudalis vel emphyteuticaria rei Ecclesiasticæ.

IX. Solemnitas prioris investituræ non iteratur in nova.

X. Locatio rei Ecclesiasticæ fit in triennium. Locatio rei capituli vel Universitatis fit publicè. Ut fraus præsumatur in locatione. Successor in Beneficio potest expellere colonos. Rex in Regaliâ non expellit colonos.

I. SICUT marito prædia dotalia non licet alienare, vetante Lege Julia de fundo dotali; sic Rectori Ecclesiæ prædia Ecclesiæ Sponsæ suæ alienare prohibitum(a) est Constitutionibus Ecclesiasticis & Civilibus, *l. jubemus, C. de sacros. Eccl. & toto tit. Decr. de reb. Eccl. non alien. vel suppon.* Quibus Constitutionibus non solùm venditio prohibita est, sed etiam oppignoratio, si res tradatur, nam per traditionem possessio transfertur, *l. alienationis, ff. de verb. signif.* tamen alienatio permittitur quæ fit servatâ formâ Juris, ex legitima causa.

II. In oppignoratione factâ ob necessitatem Ecclesiæ pro reparationibus Ecclesiæ, vel solvendo ære alieno contracto nomine Beneficii, consensus Rectoris Ecclesiæ sufficit: nam cùm possit locare, potest tradere pignori, & fructus oppignorare, talis traditio revocabiliter fit luitione pignoris: at in venditione, permutatione, emphyteusi, & locatione perpetuâ, authoritas superioris desideratur, & causæ cognitio, necessitatis, aut evidentis utilitatis.

III. Si de re mensæ Episcopalis agatur, Episcopus non potest vendere, vel in feudum aut emphyteusim dare, inconsulto Romano Pontifice, *c. 2. & 6. lib. 1. de Feudis.* Sis Senatus annullavit infeodationem Castri de Montauronis factam ab Episcopo Foro-Julienſi sine assensu Apostolico, *Arresto mensis Maii anno 1639.* quæ postea facta fuit servatâ formâ Juris.

IV. Itaque primò, licentia Sedis Apostolicæ postulanda est, causâ alienationis in supplicatione expressâ, ut deputet Commissarios in partibus, qui de causa inquirant, & alienationem permittant: Commissarii ad locum debent accedere, & de causa inquirere: si venditio fiat pro solvendo ære alieno, videndum est an aliunde ex bonis mobilibus aut fructibus prædiorum pecunia huic fini possit comparari, ut in venditione prædii minorum, *l. magis puto, ff. de prædiis minor. sine decreto non alienandis*, vel ex aliis prædiis minùs frugiferis Ecclesiæ: an pecunia debita contracta sit nomine Beneficii utiliter, aut possessor solvere potuerit, ex fructibus perceptis superextantibus: rei valor æstimatur arbitrio peritorum quanti vendi possit, tùm fiunt proclamationes & subhastationes coram Commissariis, voce præconis, & res addicitur ab illis plus offerenti, & in ejus favorem à Commissariis ipsis vel à rectore Ecclesiæ, venditionis contractus celebratur, vocatis Patronis, Procuratore Regio, & œconomo Capituli, ut si videtur causam alienationis impugnent, non ut habeant vocem deliberativam, arbitrium enim est penes Commissarios.

V. Idem servatur ordo in rebus mensæ capitularis; sed in illis tractatus Capituli debet præcedere, in quo causa alienationis priùs examinatur, & deliberatio Capituli in supplicatione Papæ exponitur, ut deputet Commissarios qui de rei veritate inquirant.

VI. Si Rector Ecclesiæ alienare velit, causam alienationis Papæ debet exponere, in eundem finem, ut deputet Commissarios qui de ea inquirant: ne verò sumptibus majoribus Ecclesia gravetur, ex locis vicinis non ultra bidui spatium Commissarii sunt convocandi: in iis authoritas Sedis Apostolicæ desideratur, aut Legati, si eam habeat facultatem in mandatis, ob prohibitionem Conciliorum: tamen si de rebus exigui valoris agatur, quæ plus afferunt incommodi quàm commodi, ad vitandum sumptus majores, si necessitas solvendi æris alieni urgeat, aut evidens utilitas exigat, interpositâ Episcopi authoritate, habitâ cognitione causæ, æstimatione factâ, alienatio valet, *c. terrulas 12. q. 2. Authent. perpetua, Nov. 55.* At Vicarius Episcopi non potest in iis procedere sine speciali mandato: nam quæ sunt juris extraordinarii non veniunt in mandato generali Vicarii: difficiliùs admittitur alienatio, ob majorem Ecclesiæ utilitatem, ne inveniatur occasio alienandi, ut de prædiis minorum dicitur *in l. magis puto, §. si pupillus, ff. de præd. minorum:* admittitur tamen si necessitas urgeat, de domo ruinosa agatur, aut prædio periculo inundationis exposito, quod non sine magnis sumptibus averti potest, *Auth. si quas ruinas, C. de sacros. Eccles.*

VII. Permutatione res Ecclesiæ alienari potest, ob evidentem Ecclesiæ utilitatem,

(*b*) in qua tractatus Capituli debet præcedere, ſi de re Capituli agatur, de neceſſitate vel utilitate inquiritur, fit æſtimatio rerum arbitrio peritorum, à Commiſſariis Apoſtolicis vel ab Epiſcopo deputatis, ſi res exigui valoris, ut dictum eſt ſuprà, & contractus permutationis celebretur, ut dictum eſt de venditione, in æſtimatione priùs deducuntur onera rei, ſi de prædio urbano agatur, quadrans æſtimationis deducitur, ob majus periculum ruinæ, & ſumptus majores in reparando: & ſi de prædio ruſtico actum ſit, ſextans deducitur, quòd illud periculoſum minùs ſit, niſi ſit inundationi fluminis expoſitum: ſextans tamen deducitur ob tempeſtates, ſiccitates, & annorum ſterilitates: valore fructuum & redituum annorum viginti rei valor æſtimatur, *Joannes Faber in Auth. perpetua, C. de ſacroſ. Eccl.*

VIII. In inveſtitura rei feudalis vel emphyteuticæ, vel locatione perpetuâ, eadem forma & cauſa requiruntur: nam per feudum & emphyteuſim dominium utile alienatur, retento dominio directo, & per locationem perpetuam poſſeſſio rei in alium transfertur: ſi fiat infeudatio à Laïco, non quæritur de læſione, nam feuda ſunt beneficia, dantur ob ſervitia à vaſſallo præſtita, vel præſtanda: ſi verò fiat à Rectore Eccleſiæ, aut Laïco minore viginti quinque annis, de cauſa & læſione inquiritur, æſtimatur rei valor, habitâ ratione reditûs annui, ſubductis oneribus & periculis, æſtimantur etiam ſervitia ſtipulata in inveſtiturâ, & jura caſualia contingentia ex alienatione rei, & pœna commiſſi, laudimium, relevia, emendæ, & confiſcationes, quorum ſpes licèt ſit incerta, tamen auget rei valorem; nam Rectores Eccleſiæ donare non poſſunt, nec minores, nec Univerſitatum Adminiſtratores: & ſi malè adminiſtrent, per reſtitutionem in integrum Eccleſiæ, Univerſitati & minoribus ſuccurritur, *l. Reſpublica, C. ex quibus cauſis majores.*

IX. Verùm ſi res feudalis vel emphyteuticaria ad Eccleſiam reverſa ſit, quod contingit ex variis cauſis, ex delicto vaſſalli, commiſſo, deſertione, aut prælatione, Rector Eccleſiæ poteſt alium inveſtire ſine nova cognitione cauſæ, æſtimatione, & ſuperioris licentia, ſub eiſdem conditionibus, ſervitiis & cenſu prioris inveſtituræ, *c. Ad aures, de feudis*, niſi res ea fuerit Eccleſiæ diu incorporata, aut melior facta temporis progreſſu, *Julius Clarus, in verb. emphyteuſis, q. 13. n. 4. Panorm. in c. ut ſuper, de rebus Eccleſiæ non alienandis.*

X. In locatione rei Eccleſiaſticæ non inquiritur de cauſa, nec in precariis quæ fiunt in quinquennium, nec in precariâ quæ fit ad vitam Rectoris: nam Rectores Eccleſiæ quandiu poſſident ſunt fructuum domini: tamen ſi de re Capituli, Collegii vel Univerſitatis agatur, aut de re vacantis Eccleſiæ, locatio fieri non poteſt, niſi publicè ſub haſtâ proclamationibus repetitis: Jure novo locatio rei Eccleſiaſticæ non poteſt excurrere triennium, *Extravag. ambitioſæ, de rebus Eccl. non alien.* Et ſi fiat in longius tempus, irritatur in totum, *Riccius in praxi alienat. dec.* 117. niſi alia ſit conſuetudo, *idem Riccius dec.* 113. & fraus præſumitur ſi fiat conſanguineo minori pretio, *l. Quibuſcumque, C. de ſacroſ. Eccl.* vel ſi fiat per anticipationem mercede ſolutâ ante poſtremum ſemeſtre prioris locationis, *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 11.* ne fiat præjudicium ſucceſſori. Verùm apud nos ſucceſſor poteſt expellere colonum ſui prædeceſſoris, ex conſtitutione Henrici III. anni 1568. *juxta deciſionem Rotæ 232. in novis:* tamen ſi tempus locationis cœptum ſit, anno cœpto locatio continuatur, nec Rectori licet colonum expellere, nec colono aut inquilino invito Rectore recedere, *Riccius dec.* 112. Eodem jure Epiſcopus Vicarium & alios Officiarios à ſuo prædeceſſore inſtitutos poteſt deſtituere: (*c*) tamen in Regalia Officiarii à defuncto inſtituti non deſtituuntur: *Vide ſuprà lib. 1. tit. 11. & 13.*

SOLIER.

(*a*) Ubi autem fit alienatio in caſibus non permiſſis vel ſine juris ſolemnitate non valet alienatio ipſo jure, *Cap. nulli & Cap. ſi quis Preſbyterorum, de reb. Eccl. non alienand.* & ſi fiat in caſibus permiſſis valet alienatio, ſed debet pretium converti in utilitatem Eccleſiæ & illud probari, *Innoc. in Cap. 1. de depoſ.*

(*b*) Inter Rectores Eccleſiarum de Bonis Eccleſiaſticis eſt permutatio permiſſa per *text. in cap. hoc jus porrectum. §. ſibi invicem 10. q. 2. cap. 1. de rebus Eccleſ. non alienand. c. Ad quæſtiones, de rerum permut. Auth. item ſibi invicem, & ibi Gloſſ. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* nec aliqua alia requiritur cauſa quam utriuſque Eccleſiæ & Rectorum commoditas, *d. cap. Ad quæſtiones, & Gloſſ. in d. §.* Accedente tamen decreto Epiſcopi, *d. cap. 1.* Permutationes verò cum ſæcularibus niſi cum evidenti utilitate vel neceſſitate fieri non poſſunt, *cap. 1. §. Præſertim, de reb. Eccleſ. non alien. in 6. & extravag. ambitioſæ, eod. tit. Joan. franc. Leo in Theſ. fori Eccleſ. p. 1. cap. 15. n. 70. & ſeqq.*

(*c*) Contrarium tenet *Fevret. de abuſu, lib. 4.*

cap. 3. *n.* 19. post Joannem Galli *quæstione* 173. quamvis enim, inquit ex Gomesio, Officiales Ordinarii ad nutum fiant; ab Episcopo tamen facti, nec à succedente in Episcopatu moveri ab officio possunt: nisi mores vel delictum interveniat: nam etsi ad beneplacitum fiant, perpetui sunt, sicut aliàs Officiales Præsidis perpetui erant, *l. Præsidis, ff. Si certum petat.* Excipitur tamen Vicarius Episcopi, cujus potestas expirat morte constituentis; ratio differentiæ est, quia Vicarius est simplex procurator & mandatarius: alii Officiales sunt necessarii non mandatarii vel procuratores.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 2. ALIENATIO *permittitur quæ fit servata forma juris ex legitima causa.* Sunt tamen res aliquæ Ecclesiasticæ quæ possunt liberè, & sine juris solemnitate alienari; *Primò* quidem res mobiles Ecclesiæ, quæ servando servari non possunt, aut usu absumuntur, vel breve inveterascunt, ut fructus, pecudes, vestes, pecunia quotidiana usui deserviens, quæ servata nullum fructum parit, *Hostiensis in summa de reb. Eccles. non alien.* quia Leges & Canones prohibentes res Ecclesiæ alienari, loqui videntur de rebus immobilibus tantùm, non autem de mobilibus, ut colligitur *ex cap. Nulli, in principio de reb. Eccles. non alien. Leg. Lex quæ tutores, cod. de administr. tutor. & leg. inter omnes, cod. de præd. minor.* nisi mobilia essent pretiosa, *dicta L. Lex quæ cap. Quod sicut, §. Finali de elect. cap.* 1. *de pignor. extravagant. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien. Secundò*, res immobiles quæ Ecclesiæ minùs sunt utiles, pro aliis utilioribus, Prælatus, cum Consilio & consensu Capituli liberam habet alienandi vel permutandi facultatem, *cap. Ut super §. Possessiones d. tit.* ubi tamen *Glossa in verb. Assensu*, ait, consensum Capituli in his non requiri ex necessitate, sed ex honestate solùm, quia Prælatus potest conditionem Ecclesiæ facere meliorem, non autem deteriorem, *cap.* 2. *de donat.* Porrò plures sunt casus in quibus res Ecclesiæ alienari nullomodo possunt, nec quidem adhibitis solemnitatibus quas enumerat *Gloss. in Authen. hoc jus porrectum, in verb. Perpetuo, cod. de sacros. Eccles.* quæ Authen. est canonizata, *in cap. Ex enim, §. Hoc jus*, 10. *q.* 2.

N. 7. *Sextans deducitur ob tempestates.* Pensio ob sterilitatem remitti non debet emphyteutæ seu conductori perpetuo, is enim principaliter non propter usum rei, sive ratione perceptorum fructuum, sicut colonus conductitius, sed in recognitionem dominii tantùm, ideòque ob sterilitatem ab ejus solutione non liberatur, neque in totum, neque pro parte; sterilitas enim non aufert substantiam fundi, quamvis secus in locatione temporali de qua refert Gregorius IX. *cap.* 3. *de locat. & conduct.* quod ob magnam sterilitatem quæ magno incommodo conductores afficit & sine culpa ipsorum, vel casu fortuito evenit, ipsis colonis pensio ab Ecclesiæ Prælatis remittenda est pro rata nisi præcedentis vel subsequentis anni ubertate damnum compensetur.

N. 10. *Si fiat in longius tempus irritatur in totum.* Imo locatio ultra triennium, etsi non valeat quoad excessum, seu annos jure non permissos, valet tamen quoad tempus jure permissum, *Covarr. post alios quos citat, lib.* 2. *resolut. cap.* 16. *n.* 5. quia in his quæ separari possunt, utile per inutile non vitiatur, *regul.* 37. *n.* 6. at in proposito tempus quoad excessum commodè separari potest à tempore jure permisso, sicut donatio facta absque insinuatione ultra 500. aureos, invalida solùm est quoad excessum, valida autem quoad summam jure permissam, *L. Sancimus & L. penult. cod. de donat. Pyrrhing. de locat. & conduct. n.* 22.

Eodem N. 10. *Successor potest expellere colonum sui prædecessoris.* Contrarium de jure verius, ubi enim Prælatus aut Rector Ecclesiæ locavit ad breve tempus, videlicet non ultra triennium, successor tali locationi stare tenetur, *Abbas in cap. ult. n.* 5. *ne Prælati vices suas*, quia talis locator est legitimus administrator Ecclesiæ, & rerum ad Ecclesiam pertinentium, ergo si res Ecclesiæ locavit ad tempus jure permissum, contractus locationis est validus, ideòque successor illi stare tenetur, sicut tutor qui alteri tutori in administratione tutelæ successit, tenetur stare, vel etiam ipse pupillus cujus tutela administrata est, *L. si tutela, ff. de administr. tut.* Limita in casu Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 11. *de reform.* ubi decernitur ut omnes locationes bonorum Ecclesiæ, quæ ad plures annos præsente pecunia, sive anticipatis solutionibus factæ fuerint in præjudicium successorum, pro non validis habeantur, non obstante quocumque indulto, aut privilegio, nec hujusmodi locationes in Romana curia, vel extra illam confirmentur, *Pyrrhing. de loc. & conduct. n.* 30.

TITULUS VII.

De Privilegio Ecclesiæ in Præscriptione.

SUMMARIUM.

I. Præscriptio triginta annorum actionum personalium & mixtarum. Præscriptio centenaria pro Ecclesia. Præscriptio quadragenaria pro Ecclesia.

II. Reliqua censûs præscribuntur contra Ecclesiam quadraginta annis. Laudimium præscribitur contra Ecclesiam quadraginta annis. In præscriptione titulus & bona fides requiruntur. Præscriptio centenaria habetur pro titulo.

III. Qui sibi non possidet non præscribit. Laïci res spirituales præscribere non possunt. Tertius possessor emens rem servilem ut liberam præscribit, secùs in loco servili.

IV. Actio

IV. Actio rei nuntiatæ non incorporatæ quadraginta annis præscribitur contra Ecclesiam. Res Ecclesiæ incorporata præscribitur centum annis.

V. Jura superioritatis non præscribuntur.

VI. Limites Parrochiarum non præscribuntur.

VII. Jura Parrochiæ præscribuntur. Jurisdictio præscribitur.

VIII. & IX. Usucapio currit contra Ecclesiam jure communi: idem de retractu, de actionibus temporalibus, instantiâ peremptâ, & terminis judiciariis. Vasa sacra Ecclesiarum possunt usucapi sacrilegio purgato.

I. THEODOSIUS voluit actiones in rem personales & mixtas tolli triginta annorum jugi silentio, *l. Sicut, C. de præscript. 30. annorum:* Justinianus ut inter Jus divinum & humanum discretio sit, præscriptionem illam triginta annorum, Ecclesiæ, Hospitalibus & aliis locis piis in centum annos prorogavit, ob vicissitudinem & negligentiam Rectorum, sive de hæreditate, legato, donatione, vel re venditâ agatur mobili, vel immobili, *l. ut inter, C. de sacros. Eccl.* Mox idem Justinianus Constitutionem suam correxit, & præscriptionem illam centenariam fecit quadragenariam in actionibus realibus, personalibus, & mixtis, Ecclesiæ & aliis locis piis competentibus, quibus præscriptio quadragenaria opponi potest, *Nov. 131. c. 6. ex quâ sumpta est Authentica, quas actiones, C. de sacros. Eccl.* In quâ Irnerius tres exceptiones subjunxit, usucapionem trienii rerum mobilium, præscriptionem quadriennii restitutionis in integrum & præscriptionem centum annorum Romanæ Ecclesiæ competentem: quam Constitutionem Concilium Affricanum laudat *in c. Placuit, c. 16. q. 3.* Hoc jure Ecclesia & alia loca pia utuntur contra Laïcos rei Ecclesiæ detentores: quos tamen si agant, Ecclesia & alia loca pia præscriptione triginta annorum possunt repellere, *Felinus in c. de quarta, de præscript.*

II. Eodem jure in censibus annuis & juribus momentaneis, scilicet laudimiis & releviis exigendis, loca pia uti possunt, sive per Rectores & œconomos exactio fiat, sive per colonos & firmarios eorum: in quibus casibus actio competens Laïcis præscriptione triginta annorum finitur, & contra Ecclesiam quadraginta: eodemque jure Ecclesia contra Ecclesiam aliave loca pia utitur agendo & excipiendo, sive de decimis, oblationibus aliove jure Parrochiali agatur, *c. De quarta, c. Ad aures, de præscript.* modò præscriptio nitatur titulo, & bona fide præscribentis, *c. Si diligenti, de præscr.* titulus desideratur qui non sit contrarius possessioni: alioquin nec causat bonam fidem possessori, nec ad præscribendum efficax est, ut feudum, emphyteusis, locatio perpetua, commenda: at si titulus sit efficax ad transferendum dominium rei, prodest possessori bonæ fidei ad præscribendum, ut venditio, permutatio, donatio, tametsi exceptione justâ elidi possit defectu juris: & si titulus desit possessori, præscriptio quadragenaria non suffragatur ei contra loca pia, præscriptione centenaria opus est, quæ pro titulo habetur, *l. Hoc jure, §. Ductus aquæ, ff. De aqua quot. & æst.* nisi ut dictum est possessio sit contraria præscriptioni, aut rei qualitas impediat præscriptionem.

III. Hinc sequitur quòd vassallus, emphyteota, colonus perpetuus, commendatarius, sequester, nullo tempore præscribunt contra Ecclesiam alioſve dominos, quia non sibi possident, & ipsi sibi causam possessionis mutare non possunt: & Laïci res sacras aut spirituales præscribere non possunt, quas sine flagitio possidere non possunt, nisi consuetudine contrariâ, quadraginta annorum cum titulo, vel temporis immemorialis, sine titulo, vel Episcopi decreto res eæ factæ sint profanæ: at si tertius possessor bonâ fide rem servilem emerit ut liberam à censu & servitio, & per quadraginta annos eam sic possederit, præscriptione oppositâ Rectorem Ecclesiæ post tam longi temporis decursum repellere potest: sic judicatum fuit contra Archiepiscopum Arelatanum petentem recognitionem feudi emphyteutici, & censum annuum, in gratiam tertii possessoris qui emerat ut liberum, *Arresto 13. Dec. anno 1624. Idem judicatum fuit in causa simili pro tertio possessore contra œconomum Monasterii Sancti Bartholomæi istius Civitatis, Arresto mensis Nov. anno 1649.* Tamen si de fundo agatur sito in loco servili, mendax assertio venditoris affirmantis emptori fundum esse liberum, non prodest ei ad possessionem dominii directi intervertendam, & præscribendum adversus eum: nam cùm sciat totum territorium esse servile, & dominum esse fundatum in toto, intelligere debet fundum sibi venditum esse servilem, nisi venditor sibi exhibuerit titulum aliquem exemptionis coloratum quo constitutus fuerit in bonâ fide.

IV. Alia ratio habenda eſt censûs ſimplicis, ſimplicem dico, relictum teſtamento, vel pretio conſtitutum ſuper certo fundo, vel ſuper omnibus bonis conſtituentis, in quo actio perſonalis competens legatario vel emptori contra debitorem præſcribitur triginta annis, & actio hypothecaria à tertio rei poſſeſſore, decem annis inter præſentes, & viginti inter abſentes, & indiſtinctè ſi res delàta & nuntiata non fuerit incorporata Eccleſiæ, actio perſonalis à debitore, vel ejus hæredibus, & hypothecaria à tertio poſſeſſore non præſcribitur contra Eccleſiam, aliave loca pia, niſi quadraginta annis, à die notitiæ: nam Juſtinianus *in Authent. quas actiones*, præſcriptionem decennalem, quâ actio hypothecaria præſcribitur à tertio rei poſſeſſore ad quadraginta annos in gratiam Eccleſiæ prorogavit: verùm ſi res ſit incorporata Eccleſiæ per acceptationem Rectoris & ſolutionem, jus non præſcribitur per ceſſationem ſolutionis ab ipſo debitore vel ab ejus hærede ſpatio quadraginta annorum, *ex Conſtitutionibus Codicis, ne rei dominicæ vel Templorum vindicatio ullâ temporis præſcriptione ſubmoveatur*: præſcribitur tamen ſpatio centum annorum (*a*) præſumptione pacti liberatorii reſultante ex diuturnitate ſilentii Rectorum, *Panorm. in c. Cum nobis, de præſcr.* nam in hac præſcriptione notitia præſumitur. Sic judicatum fuit de cenſu annuo legato pro Anniverſario, contra œconomum Monialium Sanctæ Claræ Monaſterii Tholoſani, in Parlamento hujus Provinciæ, poſt curſum centum annorum, in gratiam Præſidis de Maniban. Idem judicatum fuit de cenſu annuo reſervato Monaſterio Sancti Victoris Maſſilienſis pro Rectore Eccleſiæ Parrochialis de Reilana, *Arreſto decimæ ſextæ Martii anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto: & alio Arreſto vigeſimæ ſextæ Junii ejuſdem anni, pro Rectore loci de Bongencier, contra eundem œconomum.* Idem de cæteris rebus corporalibus & incorporalibus Eccleſiæ dici poteſt, in quibus præſcriptio quadragenaria non admittitur contra Eccleſiam, ob viciſſitudinem & negligentiam Rectorum, & interdictam alienandi licentiam. At centenaria locum habet, quia habetur pro titulo, *c. De quarta, de præſcr.* ſive de re Eccleſiæ Romanæ vel Eccleſiæ inferioris agatur, ob eandem rationem, niſi res ea ab hæreticis vel ſchiſmaticis fuerit poſſeſſa, quibus nulla præſcriptio ſuffragatur, *c. Cum nobis, de præſcr.* aut poſſeſſio ſit contraria præſcriptioni, vel rei qualitas impediat poſſeſſorem præſcribere.

V. Tamen jura ſuperioritatis & obedientiæ Prælatis debita in totum nullo tempore præſcribuntur, ut jus procurationis Epiſcopo (*b*) debitum pro viſitatione, & jus cathedraticum, *c. Cùm non liceat, de præſcr.* Sic enim œconomus Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Martini Maſſilienſis, poſt centum annos à ſolutione intermiſſa Epiſcopo ſolvere juſſus eſt; jus cathedraticum conſuetudine contrariâ minui vel augeri poteſt, *Gloſſ. in c. Quicumque 16. q. 7.* Idem de jure decimali ſuprà diximus, idem de jure procurationis & alio ejuſmodi ſervatur: in quibus quota variatur conſuetudine quadragenaria: jus tamen ipſum non tollitur.

VI. Fines & limites Provinciarum & Diœceſorum inter Prælatos, & Parrochiarum inter Parrochos ſunt impræſcriptibiles, ut pax & concordia ſervetur inter eos, *c. Licet 16. q. 3.* nam limites ſunt, ut ait Plutarchus, ἐπίσκοποι τῆς φύλακες φιλίας καὶ εἰρήνης, Cuſtodes pacis & concordiæ. De quibus ſi ambigatur, proceſſus viſitationum Epiſcoporum, Libri Baptiſmorum, Matrimoniorum, Sepulturarum, Cenſuum & Decimarum, fidem faciunt, & teſtes, *l. In finalibus, ff. Finium regundorum*: & ſi termini limitati non fuerint, ſervanda eſt conſuetudo, vel ſuperioris officio ſunt limitandi, *Gloſſ. in d. c. Licet*, ne jura Parrochorum diſtincta & ſeparata, ut diximus ſuprà confundantur.

VII. Conſuetudine præſcriptâ, ut ſuprà dictum eſt, quarta funeraria à Regularibus præſcribitur contra Parrochos: idem dicitur de oblationibus quæ fiunt in Miſsâ, & de licentia adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ: nam quæcumque privilegio conceduntur, etiam conſuetudine, & tacito conſenſu acquiruntur, & conſuetudine Juriſdictio Eccleſiaſtica Fori externi inter Prælatos acquiritur: & Capitulum contra ſuum Epiſcopum eam præſcribit privativè vel cumulativè, ſcripſimus de Juriſdictione Eccleſiaſtica *lib.* 1. in ſupradictis caſibus præſcriptio quadragenaria cum titulo, aut centenaria, deficiente titulo requiritur: nam res hujuſmodi quamvis incorporales ſint, immobiles cenſentur, *Clement. Exivi, de verb. ſignif.* & tardiùs mutantur ob ſui conſiſtentiam, & Juris prohibitionem, ut in rebus corporalibus immobilibus, in quibus præſcriptio (*c*) quadragenaria cum titulo & bonâ fide requiritur, aut centenaria ſine titulo.

VIII. At in rebus mobilibus Eccleſia Jure Communi utitur, ſcilicet per uſucapionem, & continuationem poſſeſſionis triennii, cum titulo dominii tranſlativo, & bona fi-

de, mutatur earum dominium, *c. Placuit 16. q. 3. & d. Authent. quas actiones*, ob instabilitatem earum rerum, nisi furti (*d*) vitium aut sacrilegium usucapionem impediat, ut si Rector Ecclesiæ vasa sacra à fure emerit bona fide usucapere non potest, non ob defectum tituli, nec bonæ fidei, quia ignorat, sed ob furti vitium rei inhærens, donec per restitutionem factam domino illud purgatum fuerit: idem dicitur de rebus vi possessis, Lex enim impedit effectum alienationis earum rerum ut malis occasio delinquendi subtrahatur, §. *Furtivæ, inst. usucap.* aut nisi rei qualitas obstet usucapioni, ut res sacræ non possunt usucapi, §. *Sed aliquando, instit. eod.* quia res ejusmodi sacræ, sanctæ, & religiosæ, non sunt in hominum commercio, nec vendi possunt, nec usucapi. Tamen res sacræ sunt in duplici differentiâ: aliæ sunt sacræ simpliciter, ut Sacramenta Ecclesiæ, & Beneficia Ecclesiastica ratione officii: nam bona temporalia sunt accessoria Beneficii, & res ejusmodi alienari non possunt sine labe simoniæ nec usucapi; Lex enim se accommodat actibus humanis, non admittit usucapionem rerum quæ dispositionibus contrahentium alienari non possunt: aliæ res sunt sacræ secundum quid, & principaliter temporales, ut Calices, vasa sacra, in suâ substantiâ temporalia, & destinatione sacra: quarum alienatio permittitur, habitâ solùm ratione corporeitatis & materiæ, non destinationis, & in iis usucapio procedit: idem dicitur de capsis aureis vel argenteis, & simulachris Sanctorum, de vestibus & linteis destinatis ad sacrum Officium, nisi sacrilegium usucapionem impediat.

IX. Similiter in actionibus temporalibus quæ brevi tempore concluduntur cessat Ecclesiæ privilegium; putà si Rector vel œconomus Ecclesiæ equum vitiosum emerit pro usibus Ecclesiæ, actione redhibitoriâ post annum, aut quanti minoris, post semestre uti non potest, ob periculum vitæ mancipiorum & animalium, in quibus actiones hujusmodi locum habent, *Felinus in c. de quarta, de præscr.* Actio retractûs feudalis competens Ecclesiæ Rectori annalis est, sicut actio retractûs emphyteutici bimestris; in iis cessat Ecclesiæ privilegium, & culpa Rectoris nocet Ecclesiæ, ut in peremptione instantiæ, eremodicio, & aliis terminis judiciariis, ne privilegium Ecclesiæ cæteris sit nimis nocivum, *Felinus loco citato, Baldus de præscr. parte 5.*

SOLIER.

(*a*) Fallit in annuis legatis Capellano ad celebrandum pro testantis anima in perpetuum relictis; ista enim etiam post centum annos à cessatione solutionis jus in futurum exigendi celebranti competit, quia impræscriptibile est, ut eleganter suo more deducit & judicatum refert *Oliveus lib. 1. cap. 6. juxta l. Sancimus. §. Si verò, Cod. de Episcop. & Cleric.* ne perpetua defuncti memoria, ob quam annuum reliquit Testator non conservato annuo & ipsa extinguatur, *text. in d. §. Si verò*, nec locus est præsumptioni pacti vel tituli liberatorii, quia ibi cadere non possunt in præjudicium fundationis. Arreragia verò ab annis novem supra viginti augmento servitii vel Altaris ornamentis applicanda jure petuntur, *Idem Oliveus ibid.* Quòd si census numquam fuerit solutus, nec acceptatum legatum præscriptioni centenariæ imò & quadragenariæ locus est, & sic accipienda sunt præjudicia ab Authore adducta, & sublato censu tolluntur arreragia tanquam accessoria.

(*b*) Ubi enim alius ab Episcopo, Archidiaconus fortè, vel Abbas speciali potiùs quodam, quàm communi jure visitandi potestatem habeat, puta præscriptione, consuetudine, vel institutione, vel privilegio non esset dempta hujus procurationis præscribendæ facultas, *Anton. Cucchus Instit. lib. 4. tit. 9. n. 69.* nam faciliùs tolli solent quæ ex speciali, quàm quæ jure communi competunt, *l. ejus militis, §. militia missus, de milit. testam.*

(*c*) Circa præscriptionem contra Ecclesiam hoc notandum præcipuè quod Sede vacante nec inchoari, nec currere, nec etiam finiri potest præscriptio, cùm careat Ecclesia legitimo defensore, *cap. 1. & cap. de quarta, de præscrip.* quod quibuscumque Ecclesiis, Beneficiis, & Capellaniis etiam profanis æquè convenit, nec currere incipit præscriptio à die alienationis, sed tantùm à die obitûs Alienantis, *can. Sacerdotes 16. q. 3.* licèt aliud velit *Ferrerius ad Guid. Pap. q. 150.*

(*d*) Hodie in Gallia vitium furti non impedit præscriptionem, *Boër. q. 42. n. 28.* contra §. *Furtivæ, instit. de usucap.* ita ut res ab ipso latrone & quocumque alio malæ fidei possessore præscribi possit, *Guid. Pap. q. 416. n. 10. & ibi Ferrer. Lommell. in maxim. lib. 3. maxim. 246.* Quia in hoc regno attenditur, sola domini negligentia, non autem mala fides possessoris, *Ferrer. ibid. contra cap. vigilanti, cap. Si diligenti in fine & cap. ultim. de præscript. & cap. possessor. de regulis juris in 6.*

NOVÆ ADDITIONES.

N. 3. Quia *non sibi possident.* Pari ratione unus ex hæredibus, vel sociis non potest præscribere hæreditatem, vel rem communem, quam nondum inter se diviserunt contra reliquos hæredes, vel socios, etiam si longissimo tempore eam possederit, quia non suo tantùm, sed omnium cohæredum, vel sociorum nomine censetur rem communem possidere, *L. Si communem, ff. Quem-*

admodum servit. admit. ad hæc unus ex duobus, vel pluribus patronis, qui solus præsentaverit non censetur spoliare Compatronos non præsentantes, *Lambert. n. de jure pat. part.* 1. *lib.* 2. *q.* 3. *art.* 16.

N. 4. *Idem de cæteris rebus corporalibus & incorporalibus*, ea tamen quæ sunt meræ facultatis sunt impræscriptibilia, *l.* 2. *ff. de via publ.* ubi dicitur, viam publicam populus non utendo amittere non potest, etiamsi centum annis non ivit, Glossa dixit.

N. 7. *Fines & limites Provinciarum & Parrochiarum sunt impræscriptibiles*, dummodo constet tales fines fuisse legitimâ authoritate præfixos, & constitutos, *cap. super eo, de Parrochiis, cap. quicumque, cum duobus seqq.* 16. 4. 3. ne Provinciarum termini confundantur, fines verò prædiorum Ecclesiasticorum quadraginta annis præscribi possunt, non autem Ecclesiarum, *cap. & ibi volumus, Glossa in verb. fines. dicta causa* 16. *quæst.* 4.

Eod. N. 7. *Consuetudine jurisdictio Ecclesiastica fori externi inter prælatos acquiritur*, exercens tamen jurisdictionem in certis articulis etiam cum intentione acquirendi universalem possessionem jurisdictionis in omnibus articulis conjunctis, non præscribit, nisi in his articulis, in quibus jurisdictionem exercuit, si alius videlicet Ordinarius sit in possessione aliorum articulorum: quia tantùm præscriptum quantùm possessum, *cap. auditis de præscript.* ubi Abbati fuit adjudicatum jus Episcopale in illis articulis in quibus præscripsit, non autem in aliis, *Gloss. ibid. in verb. interruptio, & Pyrrhing. n.* 31.

TITULUS VIII.

De Revocandis Alienationibus Rei Ecclesiasticæ.

SUMMARIUM.

I. Alienatio rei Ecclesiasticæ justa non revocatur. Alienatio rei Ecclesiasticæ ob defectum causæ vel formæ, vel ob læsionem revocatur. Rector Ecclesiæ qui alienavit potest restitutionem petere.

II. Nullitas alienationis ex defectu causæ præscribitur, centenaria tollitur. Idem de Universitate.

III. Defectus formæ alienationis quadraginta annis præscribitur.

IV. Ob læsionem Ecclesia restituitur intra quadraginta annos, si læsio sit in re mobili intra decennium.

V. Tempus restitutionis ob defectum causæ trahitur retro ad diem contractûs, secùs si ob læsionem.

VI. Ecclesia restituitur ob læsionem in quarta vel sexta parte pretii, ut minores. Æstimatio valoris rei fit de tunc. Bis tantùm licet recurrere ab æstimatione.

I. SI alienatio rei Ecclesiasticæ ob justam causam solemniter facta sit, restitutio in integrum denegatur Rectori, ne qui cum Rectoribus Ecclesiæ contrahunt, fide publicâ decipiantur, ut de minoribus dicitur *in l.* 1. *ff. de min. in integr. restit.* Si verò causa desit, & solemnitas servata non sit, Ecclesia restituitur (*a*) intra tempus Juris, deductis legitimis impedimentis: & idem ipse Rector qui alienavit potest restitutionem petere nomine Ecclesiæ, sicut maritus alienationem fundi dotalis à se factam potest revocare nomine uxoris, *Gl. in* §. 1. *inst. quibus alienare licet vel non*: moribus nostris sine Litteris Regiis Cancellariæ restitutio in integrum & rescisio contractûs denegatur in Foro sæculari, remedium enim est extraordinarium, & sine Regis licentiâ non admittitur, (*b*) at in Foro Ecclesiæ libellus Judici oblatus sufficit.

II. Si alienatio sit nulla defectu causæ, intra centum (*c*) annos Ecclesia restituitur, *juxta l. ut inter, C. de Sacros. Eccles. & Novell. ut Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione*: quæ non solùm pro Ecclesiâ Romanâ scripta creditur, sed etiam pro cæteris Ecclesiis Occidentis, hoc Jure utimur, ut constat ex Arrestis citatis in titulo præcedenti, *& alio Arresto mensis Novembris anno* 1694. Pro priore Ecclesiæ Parrochialis de la Motte rescisionem petente contractuum emphiteusis suorum prædecessorum, cujus petitio pro contractibus non excedentibus annos centum admissa est, & pro cæteris rejecta: nam sine causa contractus alienationis rei Ecclesiasticæ nullus est, & vindicatio rei Ecclesiasticæ nullâ temporis præscriptione submovetur, *l.* 1. *C. eod. tit.* exceptâ præscriptione centenariâ, quæ pro titulo habetur, ut suprà dictum est, non solùm in rebus Ecclesiæ, & alterius loci pii, sed etiam in rebus Universitatis sæcularis, ob prohibitionem alienationis, vicissitudinem & negligentiam Rectorum, *Cleperus c.* 22. *q.* 2. *Loisellus des Seigneuries c.* 4.

III. Si verò alienatio sit nulla defectu formæ & solemnitatis, de qua suprà dictum

fuit, & conſtet de cauſa alienationis neceſſitatis, aut evidentis utilitatis, reſtitutio denegatur locis piis & Univerſitatibus poſt quadraginta annos: nam poſt illud tempus ſolemnitas omnis præſumitur præceſſiſſe: maximè ſi ea fuerit enuntiata in inſtrumento alienationis: *Ancharanus conſ.* 15. *lib.* 1. *Molin. ad Alexandrum conſ.* 219. nam in antiquis verba enuntiativa probant, & pro inſtrumento præſumitur, *l. optimam, C. de contrahenda ſtipul.*

IV. At ſi alienatio reſcindi petatur ob ſolam læſionem, alii exiſtimant Eccleſiam non eſſe admittendam poſt quadriennium, *juxta Authent. quas actiones, ſuprà citatam*: ubi præſcriptio quadriennii, quo tempus reſtitutionis à Conſtantino fuit limitatum, *in l. fin. C. de tem. reſt. in int.* retinetur. Verùm illa verba ab Irnerio addita ſunt, ut conſtat *ex corpore Novellæ: unde Authentica deſumpta eſt* 31. *c.* 6. quod tempus ſatis breve viſum eſt, & Galliæ Conſtitutionibus in decennium prorogatur: cumque præſcriptio decennalis per Authenticam quadragenaria facta ſit, favore Eccleſiæ, concedendum eſt, ſaltem apud nos, quod reſtitutio in integrum Eccleſiæ, & alterius loci pii, & Univerſitatis, cùm gaudeat eodem privilegio ob læſionem intra quadraginta annos eſt admittenda, *Molin. ad Alexandrum conſ.* 329. cùm intra illud tempus ab æſtimatione rerum, Eccleſiæ & aliis locis piis liceat recurrere; verùm ſi de pecunia, aliâve re mobili actum ſit, in qua uſucapio triennii ſufficit, ut diximus ſuprà, & reſtitutio in integrum petatur ob læſionem, vel ex eo quod vi metûſve causâ geſtum eſt, cauſæ piæ & Univerſitati ſæculari quadriennium, & apud nos decennium ſufficere debet, ſublatis impedimentis Juris & facti: alia enim ſunt impedimenta publica, belli & peſtis, *c. ex tranſmiſſa, de præſcr.* Alia privata, Eccleſiæ vacantis, *d. c. de quarta*; poſſeſſio ipſius alienatoris, *c. Sacerdotes* 16. *q.* 3. & abſentia Rectoris, *l. abſentia, ff. de regulis juris.*

V. Si alienatio prædii Eccleſiaſtici ſit nulla defectu cauſæ vel formæ requiſitæ, tempus reſtitutionis & latæ ſententiæ trahitur retrò, emptor tenetur de fructibus perceptis & percipiendis à die poſſeſſionis adeptæ, non tamen excedentibus annos triginta novem: nam qui contra Legum præcepta contrahit, poſſeſſor malæ fidei cenſetur: ſi verò contractus reſcindatur ob læſionem, fructus adjudicantur Eccleſiæ à die petitionis, *Molin. in d. c. ad noſtram.*

VI. Inter majores venditio non reſcinditur niſi ob læſionem enormiſſimam excedentem dimidium juſti pretii, *l.* 2. *C. de reſcind. vend.* At cùm Reſpublica gaudeat privilegio minorum, *l. Reſpublica, C. ex quibus cauſis majores*, & minores reſtituantur ob læſionem quartæ partis juſti pretii, vel ſextæ, ut alii voluerunt, *Ferrerius ad Guidium Papam q.* 32. Eccleſia quæ æquiparatur Reipublicæ eodem privilegio debet uti: ut juſtus valor ſit æſtimandus notavimus ſuprà *tit.* 5. Æſtimatio fit de tunc, ſeu qualis & quanta fuit res tempore alienationis, *l. rutilia, ff. de contrah. empt.* arbitrio peritorum, à quo bis tantùm licet recurrere, poſt duas relationes conformes recurſus denegatur, ut judicatum fuit *Arreſto menſis Octobris anno* 1621. Hîc finem facio, Deo Patri Luminum gratiam referens, cui ſit honor & gloria in æternum.

SOLIER.

(*a*) Uno caſu alienatio fundi Eccleſiaſtici etiam ſine cauſa & ſolemnitate tenet, videlicet quando alienans tantùm de ſuo erogavit Eccleſiæ quantùm alienavit, *cap. ſi quis quolibet* 12. *q.* 2.

(*b*) Ratio eſt quia licèt talis alienatio ſit ipſo jure nulla, *cap. nulli & cap. ſi quis presbyterorum, de reb. Eccleſ. non alien.* quo caſu jure civili reſtitutio non deſideratur, *l. in cauſæ cognitione, ff. de minor.* quia tamen viæ nullitatis non habent locum in Gallia, *Rebuff. in tract. de reſtit. Gloſſ.* 2. *n.* 10. *Charund. in pandect. in verb. Reſtitutions.* opus eſt reſtitutione & Litteris Regiis.

(*c*) Imò reſtitutio peti debet intra annos 40. aliàs obeſt præſcriptio etiam contra Romanam Eccleſiam attento jure civili, *Novell.* 111. *cap. unic. & Novell.* 131. *cap. pro temporalibus & auth. quas actiones, Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* quæ leges *ut inter, eod. tit. & Novellam* 9. *cap. unic.* centum annos requirentes abrogant, quo palam fit Irnerium *in d. Auth. quas actiones*, deſumpta ex *d. cap. pro temporalibus* hæc verba *ex d. abrogata Novell.* 9. malè adjunxiſſe ſolâ Romanâ Eccleſiâ gaudente centum annorum ſpatio vel privilegio. Sed jure canonico præſcriptio minor centenaria contra Romanam Eccleſiam non procedit, *cap. ad audientiam, cap. cum nobis, & cap. Si diligenti in fine, de præſcrip.* adverſus verò cæteras Eccleſias ſufficit quadragenaria, *can. ult.* 16. *q.* 5. *cap. quarta, & cap. illud autem d. tit.* de jure tamen requiritur bona fides & titulus coloratus *l. nullo juſto, Cod. de rei vindic. cap. ſi diligenti & ibi Gloſſ. in verb. juſtum titulum, de præſcrip.* ſed de conſuetudine Regni videtur ſola poſſeſſio ſufficere ceſſantibus juris & facti impedimentis per ea quæ traduntur à *Lomello maxim.* 246. *Bacquet.* Des Droits de Juſtice, *cap.* 21. *n.* 185. & à nobis ſuperiori tit. *lit. d.* ſed contrarium verius ob prohibitionem alienationis.

NOVÆ ADDITIONES.

N. 1. ET *idem ipſe Rector qui alienavit poteſt reſtitutionem petere.* Ipſemet Prælatus qui rem Eccleſiæ malè alienavit, poteſt & debet illam repetere, aliàs anathemate feriatur; *cap. ſi quis, de rebus Eccleſ. non alien.* Nam licèt regulariter nemo poſſit proprio facto contravenire, & allegans propriam turpitudinem non ſit audiendus, *cap. cum ſuper, & ibi Gloſſ. in verb. poſſe, de conceſſ. Præbend. cap. Inter, ibi, pro ſe, imo potiùs contra ſe turpitudinem allegabant, de donat. L. 2. ff. de condict. ob turpem cauſam*, ſecus tamen eſt ubi vertitur periculum animæ, *cap. Conſanguinei de ſent. & re judic.* vel agitur de favore, aut jure Eccleſiæ, *cap. 3. Cauſa 35. q. 9.* & qui alienationi ſubſcripſit, ejuſdem criminis & pœnæ ſe conſortem reddidit, *Gloſſ. in verb. Subſcripſerit, in d. cap. Si quis*, & in defectum ſeu recuſationem alienantis & ſuperioris poteſt quilibet ex Clericis ejuſdem Eccleſiæ res alienatas cum fructibus repoſcere, *d. cap. Si quis, in fine, & ibi Gloſſ. in verb. Perſonis.* Imo etiam extranei, quia jus publicum conſiſtit in ſacris ſive Eccleſia, *cap. penult. diſt. 1.* Ubi autem agitur de jure publico, quilibet admittitur ad agendum, *cap. In primis 2. q. 1. Gloſſ. in dict. cap. penult. in verb. jus publicum.*

N. 2. *Si alienatio ſit nulla defectu cauſæ.* Sex cauſæ enumerantur, ex quibus res Eccleſiæ licitè alienari poſſunt, alia enim cauſa eſt neceſſitatis, ut ſi debita urgeant, *cap. hoc jus. 10. q. 2.* Alia eſt pietatis pro redimendis Captivis, ut *cap. Sacrorum, cap. Aurum, & cap. Gloria 12. q. 1. cap. 1. de Pignor.* Alia utilitatis, nam una res alienari poteſt ut habeatur alia melior, *cap. ſine exceptione, d. q. 2. cap. ut ſuper, §. Finali de rebus Eccleſ. non alienan.* Alia eſt æquitatis ut cum res Eccleſiæ conceduntur ei qui illas ad culturam reduxit, *cap. Ad aures eod. tit.* vel cùm manumittitur ſervus Eccleſiæ de ipſa bene meritus, *cap. Si quis de ſervis 12. q. 2.* Alia eſt incommoditatis, ſeu minoris utilitatis, veluti cùm alienantur terrulæ, vel vincolæ incultæ aut longè poſitæ, *cap. Terrulas, eadem cauſa & quæſt.* Alia demum eſt damni vitandi, ut in rebus quæ ſervando ſervari non poſſunt, *Leg. lex quæ tutores, cod. de adminiſtratione tutelæ, leg. Finali, cod. Quando decreto opus non eſt, Fagnan. in cap. Nulla de reb. Eccleſ. non alien.*

N. 4. *Reſtitutio ob læſionem, intra quadraginta annos eſt admittenda.* Imo poſt decennium admittendam non crederem: *Primo* enim quia ut ſupponitur alienatio facta fuit in caſu licito, & ſervatis ſervandis, aliàs eſſet ipſo jure nulla, & Eccleſiæ competeret rei vindicatio ad illam recuperandam, nec opus eſſet reſtitutione in integrum, ſaltem de jure, ut colligitur *ex cap. Ad noſtram de rebus Eccleſ. alien. Secundo*, Reſtitutio in integrum non habet locum ultra quadriennium, *cap. 1. de reſtitut. Tertiò*, Conſtitutionibus Regis Ludovici XII. de anno 1510. articul. 46. & 48. & Franciſci I. de anno 1525. cap. 8. art. 29. & 30. actiones reſciſoriæ intra decennium indiſtinctè proponi debent, & poſt illud tempus intereunt, nec obſtat *Authentica quas actiones Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* cùm per jura poſteriora fuerit abrogata.

N. 5. *Vel formæ requiſitæ.* Forma vel ſolemnitas requiſita eſt talis, debet præcedere tractatus, item debet intervenire authoritas ſuperioris, conſenſus Capituli, & ſubſcriptio Clericorum, non tamen requiritur decretum judicis, ſed ſufficit cauſæ cognitio; aliàs alienatio non teneret, *Abbas & Fagnan. in cap. illa, de reb. Eccleſ. non alien.* In alienandis rebus Monaſteriorum requiritur conſenſus Diœceſani, ut notatur *in cap. 1. eod. tit.* in rebus Eccleſiæ Parrochialis, non ſufficit conſenſus Epiſcopi, niſi & Rector conſentiat, ut notatur *in d. cap. 1. Hodie, per extravagantem ambitioſæ, de reb. Eccl. non alien.* Omnis alienandi modus, etiam in caſu licito, & ſervatis juris ſolemnitatibus regulariter prohibetur, Papa inconſulto.

TRACTATUS
DE
JURISDICTIONE
ECCLESIASTICA,
DE
CASIBUS PRIVILEGIATIS
ET COMMUNIBUS,
ET
DE APPELLATIONIBUS AB ABUSU.

Authore MELCHIORE PASTORE *Juris utriusque Professore in Alma Academia Regiâ Aquensi.*

LIBER PRIMUS
DE
JURISDICTIONE ECCLESIASTICA.

PRÆFATIO.

IN Ecclesia Dei unus est Pastor, & unum Ovile, *Joann. c.* 10. unum Corpus, una Fides, & unum Baptisma, *ad Ephesios c.* 4. Verumtamen ob Nationum morumque diversitatem, Constitutiones & Consuetudines Politiæ Ecclesiæ, pro diversitate locorum & temporum, variæ sunt & diversæ: Leges enim, ut ait Plato, debent accommodari Reipublicæ, non Respublica Legibus. In exercitio Jurisdictionis contentiosæ Ecclesiæ Gallia partim utitur Jure scripto, Constitutionibus Pontificiis, & Ordinationibus Regiis: expedit enim quòd per potestatem sæcularem Ecclesiastica disciplina muniatur, *c. Principes sæculi*, 23. *q.* 5. & Regia & Sacerdotali authoritate defendatur, *ut ait Leo Papa in c. res*, *ibid.* Partim utitur Jure non scripto, moribus utentium introducto, & Judiciis contradictis firmato: nam diuturna consuetudo licita & honesta pro lege habenda est, *l. cùm de consuetudine*, *ff. de legib.* Quocirca in hoc Opusculo breviter observavi ex usu forensi quale sit apud nos exercitium Jurisdictionis contentiosæ Ecclesiæ, qui sint casus privilegiati, qui communes, & casus in quibus committitur abusus; & Senatus appellatur ut protector & vindex utriusque Jurisdictionis.

TITULUS PRIMUS.

Jurisdictio Ecclesiastica à Christo data.

SUMMARIUM.

I. Christus Caput Ecclesiæ. Potestas Juris dicendi data Ecclesiæ. Clavis Ordinis & Jurisdictionis.
II. Reipublicæ regimen in Consiliis, Magistratibus, & Judiciis.
III. Pasce oves meas.
IV. Qui habet potestatem directivam, habet & correctivam.
V. Denuntiatio Evangelica figura Judicii.
VI. Personæ & res sacræ non debent judicari à Laïcis. Pagani cognitionem rerum sacrarum Pontificibus suis deferebant.

I. ECCLESIA Corpus est Christi, & Christus Ecclesiæ Caput, *ex Apostolo ad Ephes. c.* 1. officium Capitis est cæteris partibus Corporis legem dare. Sic Christus potestatem Juris dicendi dedit Vicario suo Beato Petro, & successoribus illius in eo Munere, profuturam non modò in Foro interno quoad omnes, sed etiam in Foro externo quoad Clericos, & administrationem rerum spiritualium, sicut ei promiserat ante Passionem suam, *Math. c.* 16. dicens: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo Claves Regni Cœlorum, quodcumque ligaveris in terra erit ligatum in Cœlis, & quidquid solveris in terra erit solutum in Cœlis.* Quibus verbis non

solùm potestas Ordinis datur, sed etiam potestas Jurisdictionis; nec solùm potestas Jurisdictionis Fori interni, sed etiam Fori externi, quæ versatur in Judiciis, cùm utraque sit necessaria ad regimen Ecclesiæ.

II. Nam ex doctrina Philosophi, *Politic. c. 5.* regimen Reipublicæ tres partes habere debet: altera versatur in publicis consiliis, altera in Magistratibus, & altera in Judiciis. Ergo cùm Ecclesia sit Respublica Fidelium à Christo instituta, cujus ipse Caput est, & Fideles sunt membra, tres illas partes à Christo authore sortita est; Prælatos, potestatem convocandi Concilia, & Jurisdictionem in distributione Juris.

III. Et post Resurrectionem suam Christus dixit Petro: *Pasce oves meas, Joann. c. 21.* Quibus verbis mandatur illi ut gregem sibi commissum pascat, non solùm verbo Evangelicæ Doctrinæ, sed etiam oves errantes corrigat Baculo Jurisdictionali, ut Poëta Nonnius illum locum explicuit.

Βόσκε μοι εὔφρονος ἄρνας, ἀσιγήτῳ σὺν ῥόμβῳ.
Pasce prudens agnos meos, baculo non tacente.

IV. Necesse enim est eum qui habet potestatem directivam habere etiam coactivam: non omnes moventur virtutis amore, alii moventur formidine pœnæ: ergo ex locis citatis cùm Episcopi habeant potestatem directivam ad Beatitudinem æternam, necesse fuit eos etiam habere Baculum Pastoralem cum Jurisdictione & Imperio ad terrorem malorum.

V. Præterea *Math. c. 18.* Christus præscripsit Discipulis formam denuntiationis Evangelicæ, quæ est figura quædam Judicii: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te non audierit adhibe tecum unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum: quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ*, seu Judicibus Ecclesiasticis: *& si Ecclesiam non audierit, sit tibi Ethnicus & Publicanus.* Postremis verbis forma judicialis præscribitur; oblatio libelli, quo fit denuntiatio, citatio, postulatio, & cognitio Judicis: nam auditio præsupponit postulationem & contestationem factam, & contestatio citationem: & pœna excommunicationis, quâ reus ab Ecclesia eliminatur & proscribitur ut Ethnicus & Publicanus, non irrogatur nisi per Sententiam, aut Judicis Decretum, cum cognitione causæ.

VI. *Denique*, personæ & res sacræ aut spirituales aliquo Jure reguntur, & ab aliquibus Judicibus judicantur. At non possunt judicari à Laïcis: nam (ut ait Apostolus *ad Cor. cap. 2.*) homo mundanus non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei. Ergo debent judicari à personis Ecclesiasticis: spiritualis enim, quales sunt Ecclesiastici, de spiritualibus rectè judicat, ut ait Apostolus *loco cit.* Quod etiam inter Paganos sapientiores agnoverunt: nam (teste Lampridio) Alexander Imperator tantùm Pontificibus & Auguribus deferebat, ut quasdam res sacras à se finitas ab illis iterari & aliter distingui pateretur. Hinc res sacræ dicuntur divini juris, à commercio hominum exemptæ, & Clerici in sortem Domini electi à judicio Laïcorum similiter exempti, non Jure humano, sed divino.

TITULUS II.

Quòd Ecclesia primis temporibus Paganis regnantibus habuerit Iurisdictionem de jure, non de facto.

SUMMARIUM.

I. Episcopi Paganis regnantibus habebant Iurisdictionem de jure, non de facto.
II. Episcopi ut Arbitri, vel ut delegati à Præfectis, Fidelium jurgia componebant.
III. Episcopi non habebant Tribunal judiciale, territorium nec fiscum.
IV. Sententiæ Episcoporum authoritate Præfecti sæcularis executioni mandabantur, à quibus ad Præfectum licebat appellare.

I. ETSI Ecclesia imperium & Jurisdictionem à Deo habeat, ut suprà ostendimus; tamen in suis cunabulis & progressu temporis sub Imperatorum Paganorum tyrannide diuturnam eclypsim passa est, usque ad tempora Constantini: nam illis temporibus

Episcopi habebant quidem Jurisdictionem de jure, seu habitu; sed non habebant actu, seu de facto: reus vocatus ad Judicem Ecclesiasticum non cogebatur sistere in Judicio. Episcopi non habebant Forum nec Tribunal, nec poterant Sententiam ferre in invitum: tamen Fideles ex compromisso & pacto convento suos Episcopos adibant, ut Arbitros, ut jurgia sua componerent: & si convenissent in Judicio coram Judice Laïco, & de re spirituali ageretur, Judex bonus Episcopum delegabat, qui de ea cognosceret, ut constat ex Epistola 20. D. Gregorii Nazianzeni, *lib.* 7. ubi ait se fuisse delegatum à Præfecto ut de causa matrimoniali cognosceret.

II. Quoniam verò nec tutè nec libenter Fideles comparebant coram Judicibus Paganis, plerique illorum non modò Clerici, sed etiam Laïci, ad arbitrium Episcoporum recurrebant, juxta consilium Apostoli *ad Cor.* 1. *c.* 6. Fidelibus exprobrantis quòd coram Judicibus Infidelibus litigarent, eosque adhortantis ut potiùs damnum vel injuriam paterentur, ne subirent Judicium Infidelium, vel ex fratribus arbitrum suarum contentionum eligerent. Ea erat frequens occupatio Prælatorum in audiendis & dirimendis litibus Fidelium, ut de se & de Divo Ambrosio testatur Beatus Augustinus, *in Psalmum c.* 119. & *Confessionum lib.* 6. *c.* 8.

III. At sive Episcopi essent Arbitri à partibus electi, vel à Præfecto dati, nec habebant Tribunal, instar Judicum pedaneorum. Unde D. Bernardus ad Eugenium ait, *Stetisse lego Apostolos ante Judices judicandos, sedisse verò non lego*; nec habebant territorium, seu gladii potestatem ad terrendum, nec fiscum ut possent reum damnare ad pœnam, aut mulctam pecuniariam: arbitri enim habent simplicem notionem, non Jurisdictionem, non suo, sed alieno beneficio: & Infideles non patiebantur Episcopos uti in Judiciis potestate ordinaria, sed compromissa aut delegata, ne quid de dignitate & honore suorum Magistratuum detraheretur: eorumque potestatem non Jurisdictionem, sed Audientiam appellabant, ut Titulus Codicis inscribitur *de Episcopali Audientia.*

IV. Eodem jure Sententiæ Episcoporum executioni mandabantur, non sua authoritate, sed Principis sæcularis, aut Præfecti illius à quo Judices dati fuerant. Idem observabatur in Sententiis illorum ex compromisso latis: at si ex mandato Principis aut Præfecti Episcopus Sententiam tulisset, à delegato ad delegantem licebat appellare: si verò ex compromisso partium Jus dixisset, ab ejus Sententia non licebat provocare, obstante pacto & juramento in compromisso adjecto, ex Constitutione Arcadii & Honorii, *in l. Episcopale, C. de Episc. Aud. & Nov. Justin.* 123. *c.* 21.

TITULUS III.

Sub Imperatoribus Christianis exercitium Ecclesiasticæ Jurisdictionis instauratum.

SUMMARIUM.

I. Episcopi judicabant inter Fideles de rebus profanis, ut Arbitri electi, vel à Præfecto dati.

II. In Concilio Nicæno sub Constantino Magno Jurisdictio Ecclesiastica instaurata. Sacerdotes in Sacris Litteris vocantur Dii. Conciliis Ecclesiasticis, & Bullâ Cœnæ, excommunicantur Judices Laïci qui de causis Ecclesiasticis cognoscunt.

III. Constitutionibus Imperatorum firmatur Ecclesiastica Iurisdictio.

IV. Novella Valentiniani non infirmavit Ecclesiasticam Iurisdictionem.

V. Ecclesia Iurisdictionem suam non amisit non usu.

VI. & VII. Cur in Titulis Codicis inscribatur de Episcopali Audientia, non Iurisdictione.

VIII. Iurisdictio Ecclesiastica nititur divina authoritate.

I. SUB Imperatoribus Christianis, de rebus profanis inter Fideles Episcopi judicabant, ut arbitri à partibus electi, vel ut Judices delegati, ex Constitutione Arcadii & Honorii, & Novella Justiniani, suprà citatis, quæ de causis rerum temporalium accipi debent. At de causis Religionis, de obligationibus Clericorum, de rebus sacris & spiritualibus, suo, non alieno beneficio, Jus dicere cœperunt, ut probatur ex Conciliis, & Imperatorum Constitutionibus.

II. Nam in Concilio Nicæno Jurisdictio Ecclesiastica fuit instaurata, ubi præfuit

Constantinus Magnus, & auditâ querelâ quorumdam Episcoporum dixit: *Vos à nemine judicari potestis, quia ad Dei solius judicium reservamini*, ut refert Gratianus, *in c. Continua, q.* 1. Ubi per judicium Dei intelligitur judicium Sacerdotis. Sacerdotes enim in sacris Litteris vocantur Dii, *Exodi c.* 22. *Diis non detrahes*, ait Deus, *& Principi populi tui non maledices.* Ex quo Concilio desumptus est Canon Sylvestri, *qui refertur in c. Nullus, c. & q. citatis:* nullus Clericus, vel Diaconus, aut Presbyter, propter quamlibet causam intret in Curiam, nec ante Civilem Judicem suam præsumat dicere causam. Idem cautum fuit in aliis Conciliis Calcedonensi, Agathensi, Carthaginensi, & Milevitano, ut constat ex Canonibus illorum à Gratiano relatis, loco citato. Idem cautum fuit Constitutionibus Pontificiis, & novissimè Bullâ Cœnæ, Judices sæculares, cujuscumque sint dignitatis, excommunicantur, qui personas Ecclesiasticas, aut Ecclesiæ, vel rerum spiritualium, aut spiritualibus annexarum, cognitionem ad sua Tribunalia, Concilia & Parlamenta evocant, seseque de illis Judices interponunt præter Juris dispositionem, *juxta c. Nullus, de foro compet. desumptum ex Concilio Paris.*

III. Idem cautum fuit Constitutionibus Imperatorum, Constantini loco suprà citato, Theodosii *in c. Continua*, apud Gratianum loco citato, his verbis: *Continuâ lege Sancimus ut nullus Episcopus, vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ad judicia sive ordinariorum sive extraordinariorum judicum protrahatur: habent illi suos Judices, nec quidquam illis est commune cum legibus.* Idem statutum fuit Constitutionibus Imperatorum Occidentis; Frederici *in Auth. statuimus, C. de Episc. & Cler.* & Caroli Magni *lib.* 5. *Capitularium num.* 225. & Constitutione Gallica Caroli IX. *anni* 1571. *art.* 6. quâ vetatur ne vis aut impedimentum ullum præbeatur Judicibus Ecclesiasticis in exercitio suæ Jurisdictionis, & cognitione causarum ad eos spectante.

IV. Nec obstat Novella Valentiniani XII. quæ contrà opponi solet, & iis verbis concipitur: *Quoniam constat Episcopos forum legibus non habere, nec de aliis causis quàm de Religione posse cognoscere, ut Theodosianum Corpus ostendit, aliter eos judices esse non patimur, nisi voluntas jurgantium sub vinculo compromissi præcedat: quòd si alteruter nolit, sive Laïcus sive Clericus sit, agent publicis judiciis, & jure communi.* Nam, *primò*, Constitutiones Valentiniani, & aliorum Imperatorum, quæ non fuerunt relatæ in Codicem Justinianeum, non habent vim Juris: Justinianus enim in suo Codice eas Constitutiones inseri voluit, Constantini, Theodosii, Valentiniani, Valentis, & aliorum Imperatorum, quas utiles Imperio suo fore putavit, cæteris rejectis. *Secundò*, in illa Constitutione Valentiniani declaratur, causas Religionis jure proprio ad cognitionem Episcoporum pertinere: & ne illa videatur adversari Constitutionibus Constantini & Theodosii, suprà relatis, qui Valentinianum in Imperio præcesserunt, Religionis vocabulo latè in ea veniunt, non solùm causæ Religionis & Ecclesiæ, sed etiam causæ personarum Ecclesiasticarum, rerumque spiritualium & mixtarum, ad cultum Religionis & ministerium Ecclesiæ pertinentium.

V. Minùs obstaret dicere, quòd ante Constantinum Ecclesia usu & consuetudine contrariâ jurisdictionem amiserat: nam tempore hostilitatis non currit præscriptio; & Episcopi judicantes, ut arbitri, vel delegati, jurisdictionem ordinariam retinebant: nihil enim vetat Judicem ordinarium, si delegatus fuerit, vel compromisso electus, uti potestate sua ordinaria ad conservandam suam jurisdictionem, ex doctrina D. Thomæ, 2^{a}. $2^{æ}$. *q.* 59. quam refert Felinus *in c. Cùm ex officii, de præscriptionibus.* Et cùm jurisdictio Ecclesiastica sit divini juris, usu & consuetudine contrariâ Laïcorum præscribi non potuit: nam contra jus divinum, & contra Deum, qui est author temporum, tempora non præscribunt, ut loquitur Chrysologus.

VI. Nec debet nos movere inscripto tituli Justinianei Codicis de Episcopali audientia, nam rubricæ & tituli non faciunt jus, & ideò sic inscribitur, quòd in Constitutionibus multis ejusdem tituli agatur de causis profanis, de quibus Episcopi inter fideles, ut arbitri, vel ut Judices delegati cognoscebant: at cùm agitur de personis Ecclesiasticis, rebusve sacris, spiritualibus, vel mixtis, nullus unquam Principum Christianorum negavit eos jurisdictionem habere, ut constat ex Constitutionibus suprà citatis.

VII. Objici etiam solet, jurisdictionem non esse sine mixtura imperii, & territorio: sed (ut ostendemus infrà) licèt Ecclesia non habeat gladium temporalem, mansuetudini suæ repugnantem, habet tamen gladium spiritualem excommunicationis, suspensionis, & depositionis contra discolos & contumaces.

VIII. Ex quibus constat Jurisdictionem Ecclesiasticam non humana, sed divina authoritate niti, ut ait Innocentius Pontifex *in c. Novit, de judiciis*, & Imperatores suis Constitutionibus suprà citatis non attribuisse eam potestatem Ecclesiæ, sed declarasse quæsitam, à Deo concessam, eandemque instaurare & protegere voluisse.

TITULUS IV.

Ecclesia habet Imperium & Jurisdictionem, sine territorio & fisco.

SUMMARIUM.

I. Ecclesia habet imperium, potest condere canones circa mysteria fidei, personas & res Ecclesiasticas, & censuras decernere.

II. Iudex Ecclesiasticus non habet gladium temporalem actu, nec habitu.

III. Iudex Ecclesiasticus non potest damnare reum ad pœnam sanguinis, deportationis aut exilii. Iudex Ecclesiasticus habet gladium spiritualem excommunicandi, suspendendi & deponendi, incarcerandi, transferendi, mulctandi, &c.

IV. Iudex Ecclesiasticus potest quæstionem decernere manu Laïcorum exequendam.

V. Iudex Ecclesiasticus habet mixtum imperium. Incarceratio rei extra prætorium fieri non potest authoritate Iudicis Ecclesiastici sine imploratione brachii sæcularis.

VI. Judex Ecclesiasticus non potest mulctas applicare in proprios usus, nec in usum Ecclesiæ suæ, nisi sit inops.

VII. Iudex Ecclesiasticus potest missionem in possessionem decernere. Mandata de sequestrando aut transferendo per laïcos fiunt, & à judice laïco dantur juxta decretum judicis Ecclesiastici. Sistere & arrestare non pertinet ad judicem Ecclesiasticum in territorio Regis.

VIII. Iudex Ecclesiasticus habet Forum & Procuratorem Officialitatis, & potestatem juris dicendi in civilibus & criminalibus.

IX. Judex Ecclesiasticus in præparatoriis & decisoriis judiciis debet observare Constitutiones Principum sæcularium, & consuetudines patrias. Canones Legibus famulantur, & Leges non dedignantur Canones imitari.

X. Imperatores in suis Constitutionibus de Fide nihil definiunt, sed definitiones Ecclesiæ credendas proponunt & observari faciunt.

XI. Leges debent accommodari Reipublicæ. Principes sæculares Leges faciunt pro regimine Ecclesiæ, & politia externa. Potestas Ecclesiastica & sæcularis independentes stant, seseque invicem adjuvant.

XII. Constitutiones Ecclesiæ rerum temporalium non ligant nisi fuerint usu receptæ.

I. EX supradictis sequitur Ecclesiam habere merum imperium, & jure proprio posse condere Canones, non solùm de iis quæ pertinent ad mysteria Fidei, & Sacramenta quoad omnes, sed etiam de iis quæ pertinent ad Officium Divinum, administrationem rerum Ecclesiæ spiritualium, & temporalium, & reformationem morum quoad Clericos. Eodem jure Judex Ecclesiasticus habet potestatem gladii spiritualis, excommunicandi, suspendendi, deponendi, & loca sacra interdicto supponendi.

II. At Judex Ecclesiasticus non habet potestatem gladii temporalis, nec actu, nec habitu, ut Christus docuit, *Luc. c.* 22. ostendens potestatem Ecclesiasticam in eo longè esse diversam à potestate sæculari, dicens Apostolis: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Ideoque *Joan. c.* 18. ordinans & instruens Beatum Petrum in regimen Ecclesiæ, & Politiam Evangelicam, jussit illum gladium ponere, nec distringere, licèt de Religione agatur, & Deo vindicando: sunt verba Theophylacti in illum locum: ὁ δὲ Χρῆστος μεθαρυδμίζων Πέτρον εἰς εὐαγγελίκην πολιτίαν διδάσκει αὐτὸν μὴ Χρῆσαι μαχαίρᾳ, κἂν τὸν Θέον δοκεῖ τις ἐκδίκειν. Hinc ipse D. Petrus *Ep.* 1. *cap. ult.* monet Ecclesiæ Prælatos ut pascant gregem Domini, providentes, non coactè, sed spontaneè, secundùm Deum, neque ut dominantes in Clero, sed formâ facti gregis: nam munus boni Pastoris est oves infirmas sublevare & errantes reducere.

III. Hinc sequitur Judicem Ecclesiasticum non posse reum damnare ad pœnam sanguinis, aut deportationis, aut triremium, aut exilii, *c.* 2. *de Clerico excommun. vel dep. minist. c. Cùm non ab homine, de judiciis*, quoniam potestas gladii illi fuit interdicta, & Ecclesia non habet territorium, seu gladii potestatem: territorium enim dicitur à terren-

do, sicut districtus dicitur à gladio distringendo. At Judex Ecclesiasticus habet gladium spiritualem, ut diximus; potest excommunicare, & reum convictum suspendere, vel deponere, si crimen sit grave, aut mulctare pœna pecuniaria ad reparandam injuriam illatam Ecclesiæ, & parti læsæ, vel ei certas preces, aut jejunium, ad litis expensas damnare, in carcere detinere ad tempus vel ad vitam in pane amaritudinis & aqua, si crimen sit grave, *c. Novimus, de verb. signif.* aut in aliam Ecclesiam vel Monasterium transferre, *c.* 1. *de calumniator.* his pœnis Ecclesia uti solet, ut mutatione loci mutetur mentis affectus, *c. Valet, d.* 81.

IV. At dubitatur an Judex Ecclesiasticus possit in reum negantem quæstionem & torturam decernere. Respondetur posse si crimen sit atrox, & adsint judicia, modò utatur manu Laïcorum. Probatur *ex c.* 1. *de deposito, & Doctorum sententia: Riccius in Praxi decis.* 585. *Choppinus de sacra Politia, lib.* 2. *c.* 3. *num.* 10. *Loëtius in lit. B. num.* 1. *in notis.*

V. Habet etiam Judex Ecclesiasticus mixtum imperium in criminalibus & civilibus, jus sequestrandi, incarcerandi, & detinendi reum. Verùm incarceratio fieri non potest sine licentia Judicis Laïci, nec sequestratio, & per Laïcos fieri debet, ob rationem suprà allatam, quia Ecclesia non habet territorium: & plerumque in illis casibus manu militari opus est, nisi in ipso Prætorio Episcopali fiat incarceratio, quo casu ad potestatem sæcularem non recurritur, extra Prætorium Judex Ecclesiasticus non habet territorium.

VI. Verùm Ecclesia non habet fiscum, sicut jam dictum fuit eam non habere territorium. Quamobrem Judex Ecclesiasticus potest quidem damnare reum in aliquam pœnam pecuniariam in gratiam partis læsæ, & in aliquam causam piam applicandam, eleemosynam, aut Confraternitatem piam. At non potest mulctam applicare in usum proprium, aut Ecclesiæ suæ, sicut Judex Laïcus applicat fisco, nisi Ecclesia sit inops: *Felinus in c. Cœtum, de off. Jud. ord.* alioquin locus est appellationi tanquam ab abusu, ut judicatum fuit in hac Patria Arresto primæ Decembris, anno 1614. *juxta vetus decretum Parisiensis Curiæ anni* 1542. *relatum à Chenu.*

VII. Missio in possessionem Beneficii, alteriusve rei Ecclesiasticæ, est mixti imperii, & per Clericos fieri potest. At si opponatur in Gallia cognitio oppositionis, & judicii possessorii, reservatur Judici Laïco, ut dicemus infrà: pignoratio & sequestratio sunt etiam mixti imperii, & ex decreto & mandato Judicis Ecclesiasti fieri possunt, *Molin. in c. Olim, de rescr.* At si de re transferenda agatur, decreta & mandata Judicis Ecclesiastici sine licentia Judicis Laïci, & manu Laïcorum, executioni mandari non possunt, quibus Judex Ecclesiasticus tale mandatum dare non potest, sed Judex Laïcus, *ut observat Bauni in Praxi sua, ex Arresto Senatus Divionensis, anni* 1617. Quoniam (ut dictum suprà) in hujusmodi executionibus manualibus plerumque rixæ excitantur, & manu armata opus est ad compescendos tumultus, quam Ecclesia non potest adhibere: alioquin si sine licentia Prætoris aut Proprætoris executiones hujusmodi manuales fiant, aut per Clericos, locus est appellationi tanquàm ab abusu, ut variis Placitis Senatûs judicatum fuit, Placito quartæ Februarii anni 1621. super pignoratione facta ex decreto Episcopi Forojulienſis sine licentia Judicis Laïci, & alio Placito mensis Januarii 1628. quo pignoratio facta ex mandato Episcopi Vencienſis fuit infirmata: & alio Placito mensis Januarii anni 1637. super appellatione interposita tanquàm ab abusu à decreto Episcopi Regienſis, quo jusserat domum alicujus Clerici manu militari aperiri: juxta Placita Senatûs Parisiensis relata à Rebuffo *in Concordatis, de Regia ad Prælaturas nominat. vers. etiam per cessionem*, §. 1. ubi dicit quòd sistere & arrestare non pertinent ad Judicem Ecclesiasticum in territorio Regis: & ita observatur in Foro, *juxta l. Episcopale, C. de Episc. Aud. & c. Petivimus, c.* 1. *q.* 1. At mandata Judicis Ecclesiastici, citationis, denuntiationis, de faciendo, aut non faciendo, sub pœnis in eis contentis, per apparitores etiam Laïcos intimari possunt, nudum ministerium exhibentes.

VIII. Denique Judex Ecclesiasticus Forum habet, & Procuratorem Officialitatis, jus citandi, interloquendi, inquirendi, potestatem Juris dicendi in causis civilibus & criminalibus, non modò in præsentes, sed etiam in contumaces, ut dicemus infrà.

IX. Verùm in præparatoriis & decisoriis Judicii Judex Ecclesiasticus observare debet Constitutiones Principum sæcularium, & consuetudines patrias quæ sunt in usu, *c.* 1. *Nov.* 79. Nam Respublica Christiana est unum corpus, cujus idem est objectum, idemque finis justitia & beatitudo æterna, ad quam per utramque potestatem Ecclesiasticam &

sæcularem homines ordinantur & diriguntur : eademque ratio & forma judicandi debet in utroque foro observari, ad vitandam scisuram, sic in foro Ecclesiastico Leges sæculares observantur : & in foro sæculari, ubi agitur de rebus temporalibus Ecclesiæ, aut possessione rerum spiritualium vel mixtarum, Constitutiones Ecclesiasticæ jubentur observari. Sic Leges non dedignantur sacros Canones imitari, ut ait Justinianus *in l. Sacris Canonibus, C. de Episc. & Cler. & c.* 1. *Nov.* 83. & vicissim Canones civilibus Legibus famulantur, *c. de pers. cum similibus, c.* 11. *q.* 1.

X. Aut enim Leges Principum sæcularium sunt de Mysteriis Fidei, aut de Ecclesiastica disciplina, & administratione rerum temporalium Ecclesiæ : in iis quæ pertinent ad Fidem Principes sæculares nihil addunt aut detrahunt Constitutionibus Ecclesiasticis ; sed illa solùm quæ in Conciliis œcumenicis definita sunt suis subditis promulgant, & observanda proponunt. Sic in Codice Justinianeo, *in tit. de summa Trinitate, & Fide Catholica*, variæ sunt Constitutiones, Constantini, Theodosii, Valentiniani, & Martiani, ipsiusque Justiniani ; in quibus de mysterio sanctæ Trinitatis, & Incarnationis Christi, nihil aliud proponitur quàm quòd in Concilio Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Calcedonensi, definitum fuerat contra Hæresiarchas, Arrium, Macedonium, Nestorium, & Eutichem : & *in l. Cognoscere, C. eod. tit.* Justinianus scribens Epiphanio Patriarchæ Constantinopolitano, submittit arbitrio Pontificis Romani, quem declarat Caput omnium Ecclesiarum, omnia quæ proponit de Mysteriis Fidei, ad confutandam hæresim.

XI. Aut Leges Civiles sunt de Ecclesiastica disciplina, & administratione rerum temporalium Ecclesiæ ; & similiter in iis præcepta Constitutionum Ecclesiasticarum observanda proponuntur ; & si quid addatur, id fit ut illis suppleatur ; si quid detrahatur, id fit ex tolerantia Summorum Pontificum : nam quilibet Princeps in suo Regno discernit ea quæ sunt utiliora ad regimen Ecclesiæ, & magis accommodata populi consensui : Leges enim, ut ait Plato, debent accommodari Reipublicæ ; & ut scripsit Leo Pontifex Imperatori Leoni, Regibus potestas data est, non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium, eorumque interest ut in suis Regnis pacatam habeant Matrem Ecclesiam, ut ait D. August. in Joannem : tamen utraque potestas æquè principaliter stat, altera non pendet ab alia, ut Clemens V. declaravit ad instantiam Philippi Francorum Regis, *in Extravag. meruit, de privil.* abrogando Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit, *unam sanctam*, inter Extravagantes, *tit. de majorit. & obed.* Altera habet gladium spiritualem, altera temporalem, seseque ambæ invicem juvant ad conservandum statum & unitatem Reipublicæ Christianæ.

XII. Et Constitutiones Ecclesiæ, quibus circa administrationem rerum temporalium Ecclesiæ aliquid novi inducitur, non aliter ligant quàm si fuerint promulgatæ, & usu receptæ : Leges enim instituuntur cùm promulgantur, & firmantur, cùm moribus utentium approbantur, *c. In istis, d.* 4. Sic multa continentur in novis Constitutionibus Ecclesiæ & Decretalibus, quæ non observantur in Gallia, ob privilegia & libertates, & consuetudines contrarias Ecclesiæ Gallicanæ, quibus Juri Communi derogatur, ex consensu expresso aut tacito Sedis Apostolicæ.

TITULUS V

De imploratione brachii sæcularis.

SUMMARIUM.

I. *Judex Laïcus requisitus à Judice sæculari tenetur licentiam dare sine cognitione causæ. Jurisdictio Ecclesiastica & sæcularis fraternizant.*

II. *Brachium sæculare imploratur si de crimine atroci puniendo agatur, viso processu. Per potestatem sæcularem Ecclesiastica disciplina munitur.*

III. *Authoritas Senatûs imploratur si resignantibus adeundi Sedem Apostolicam copia non sit.*

IV. *Princeps admonet potestatem Ecclesiasticam. Constantinus Donatum remisit ad Papam Miltiadem.*

I. SUPRA diximus, incarcerationem, pignorationem, sequestrationem, aliasque executiones manuales, ex decreto Jud. Eccl. sine licentia & ope Judicis sæcularis non posse fieri ob defectum territorii. Hic verò observandum est, quòd talis licentia petitur, vel à parte, vel à Procuratore Officialitatis, dato libello: & Judex sæcularis cui constat de decreto Judicis Ecclesiastici, tenetur eam licentiam dare sine cognitione causæ, ex Constitutione Henrici III. anni 1580. *art.* 24. sive decretum sit Episcopi, sive ejus Vicarii, aut Officialis, alteriusve Ordinarii inferioris: nam Jurisdictio Ecclesiastica & sæcularis fraternizant, ut loquitur Constitutio Ludovici XII. anni 1510. *art.* 4. seseque invicem adjuvant. Et pariter si Judex sæcularis probationem exigat in lite coram se pendente, & Litteris & Censuris Ecclesiasticis opus sit ad cogendos testes, Judex Ecclesiasticus tenetur officium suum impertiri.

II. Interdùm Officium potestatis sæcularis imploratur, si de crimine atroci puniendo agatur, & Ecclesia non habeat pœnas condignas delicto, vel resistentiam inveniat, *c.* 1. *de off. Ord. c. Cùm non ab homine, de judic.* ut per potestatem sæcularem Ecclesiastica disciplina muniatur, *c. Principes sæculi* 23. *q.* 5. At tunc reus & processus transmitti debent ad Judicem sæcularem, ut videat an is rectè per sententiam Judicis Ecclesiastici convictus fuerit, *c. Si quis, Nov.* 123. *Riccius in Praxi, dec.* 325. & Judex sæcularis priùs repetit reum quàm procedat ad sententiam, *juxta c. At si Clerici, de judiciis.*

III. Interdùm etiam authoritas Senatûs imploratur, ut Ordinarius Officii sui admoneatur, aut extra ordinem partibus succurratur; si Papæ vel Legati adeundi copia non *sit:* sic tempore hostilitatis, aut pestis, cùm Procuratoribus resignantium non licet adire Legatum, decreto Senatûs Ordinarii monentur, ut resignationes admittant & conferant, ut observavi in Tractatu de Benef. *lib.* 2. *tit.* 1. quo casu Senatus non tribuit potestatem Episcopis, sed delegatam à Sede Apostolica declarat, ex verisimili mente Papæ, expediendarum rerum gratiâ: tamen eo casu non licet Episcopis absolvere à casibus reservatis, nec dispensare nec derogare regulis Cancellariæ, ut licet Legato: & si Legatus negaverit Beneficium impetranti, Ordinarius ex decreto Senatûs hortatur ei dare Litteras provisionis, quæ tempore retroacto valent à die Datæ sumptæ, vel negatæ à Legato, ne Galli frustrentur jure sibi quæsito per concursum, ut notavimus in dicto Tractatu.

IV. Insuper interdum Princeps sæcularis excitat Jurisdictionem Ecclesiasticam. Non piget hic referre memorabile exemplum Historiæ Ecclesiasticæ, ex Optato Milevitano, *lib.* 1. *hist. Afr.* in honorem Ecclesiæ Arelatanæ, quo Jurisdictio Ecclesiastica mirum in modum illustratur. Gravis controversia orta fuit temporibus Constantini Magni in Ecclesia Africana inter Donatum Hæresiarcham, & suos fautores, ex una parte, & Cæcilianum ex altera, de Baptismo non iterando. Fautores Donati Constantinum adierunt, ut ex Episcopis Gallis Judices daret, qui Romæ adessent in Consistorio Miltiadis Papæ, ubi ea controversia debebat definiri: quibus Constantinus livore plenus his verbis respondit: *Petitis à me in sæculo judicium, cùm egomet judicium Christi expectem.* Tamen eorum importunis precibus victus, tres Episcopos ex partibus Galliæ eis nominavit, Marinum Arelatensem, Maternum ex Agrippina Civitate, & Rhetinum ex Augustoduno, qui Romam ierunt, & cum aliis Episcopis Italis in Consistorio assederunt. Donatus sententia Miltiadis damnatus est, & ab ea credidit appellandum: iterumque Constantinum adiit, qui illius temeritatem his verbis repressit: *O rabidam furoris audaciam! sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt*; & appellantem remisit ad futurum Concilium. Mortuo Miltiade Concilium Arelatis congregatum fuit sub Papa Sylvestro ejus successore, ut observat Balduinus in suis notis ad Optatum, ex D. Augustino: in quo Concilio sententia Miltiadis fuit confirmata: quo loco Balduinus notat Miltiadem in illa causa judicasse ut Judicem ordinarium, non ut delegatum, & Episcopos suprà nominatos assedisse ut assessores. Unde colligimus Imperatores Catholicos, & Magnum illum Constantinum, qui primus, ut ait Leo Imperator in suis Novellis, Christi nomine Imperii coronam splendidiorem fecit, Jurisdictionem Ecclesiasticam reverenter agnovisse, & protexisse.

TITULUS VI.

An Episcopus possit ubique in sua Diœcesi Jus dicere.

SUMMARIUM.

I. Episcopus potest ubique intra suam Diœcesim exercere Clavem Ordinis. Constitutio Bonifacii VIII. quâ datur licentia Episcopis Jurisdictionem exercendi ubique intra Diœcesim, non servatur in Gallia. Actus voluntariæ Jurisdictionis ubique possunt expediri. Judex non potest sententiam ferre nisi in loco solito more majorum.
II. Episcopi officium visitantis Diœcesim.

I. QUÒD Episcopus possit ubique intra suam Diœcesim exercere Clavem Ordinis, celebrare in Pontificalibus, Clericos ordinare, Ecclesias & Altaria consecrare, certi juris est: nec dubitatur quin non modò intra Diœcesim, sed etiam extra, possit Beneficia conferre; nam actus voluntariæ Jurisdictionis ubique possunt expediri, *l. Emancipari, ff. de adopt.* At difficultas est, an possit extra Diœcesim quo voluerit loco pro Tribunali sedere, de causis quæ suæ Jurisdictionis sunt cognoscere, & jus dicere. Quam difficultatem tollit Bonifacius VIII. *in c. Cùm Episcopus, de off. Ord. in 6.* definiendo Episcopum in quolibet loco suæ Diœcesis non exempto posse per se vel per alium pro Tribunali sedere, causas ad Ecclesiasticum forum expectantes audire, personas Ecclesiasticas cùm earum excessus exegerit capere,& carceri deputare. Verùm illa Constitutio & plures aliæ ejusdem Bonifacii,apud nos non admittuntur: nam de incarceratione suprà diximus, illam fieri non posse ex decreto Judicis Ecclesiastici, sine licentia & ope Judicis sæcularis: & sicut Judex sæcularis non potest partes audire, & Sententiam pronunciare alibi quàm ubi more majorum id facere consuevit, *l. Jus, ff. de just. & jure: & l. Cùm sententiam, C. de sent. & interl.* seu in foro, idem de Judice Ecclesiastico est sentiendum. Et cùm Episcopo non liceat authoritate propriâ Sedem Episcopalem in aliam Ecclesiam suæ Diœcesis transferre,ut statutum fuit in Concilio Carthaginensi,unde sumptus est Canon, *placuit 7. q. 1.* sic non licet ei authoritate propriâ Tribunal Justitiæ in alium locum suæ Diœcesis transferre, nec sententias ferre. Et sic judicatum fuit super appellatione interposita, tanquàm ab abusu à sententia Domini Episcopi Sisteronensis,quam partibus citatis & auditis in suo Castro de Lus pronuntiaverat, Placito Senatûs, quo pronuntiatum fuit abusivè fuisse processum extra Prætorium:tamen si necessitas id exigat tempore belli aut pestis,licet Episcopo in alio loco suæ Diœcesis Jurisdictionem contentiosam exercere, vel etiam in alterius Diœcesi, impetratâ Diœcesani licentiâ, si à sua Diœcesi fuerit expulsus, *Clem. 2. de Foro compet.* necessitas plerumque facit licitum quod alioquin esset illicitum.

II. Et visitando Diœcesim Episcopus ejusve Vicarius potest ubique querimonias audire, & sententiam ferre de iis quæ in visitatione possunt expediri: nam ex Concilio Tridentino, *Sess. 24. c. 3. & Constitutione Blesensi, art. 32.* Episcopi per se suosve Vicarios visitare tenentur Diœcesim de biennio in biennium, ut Orthodoxâ doctrinâ plebem instruant, expulsis hæresibus, bonos mores tueantur, pravos corrigant, populum suis exhortationibus & admonitionibus ad Religionem & concordiam accendant, ruinas Ecclesiarum reparari jubeant, ornamenta Ecclesiæ fieri curent, Divinum Officium celebrari, ministrantes non idoneos expelli, cæteraque, prout locus, tempus, & occasio tulerit, aut necessitas Ecclesiæ postulaverit; vocatis Civitatum & Ecclesiæ Rectoribus, & Procuratore Regio, ejusve Substituto, si Ecclesia vel Monasterium sit fundationis Regiæ, *Loëtius lit. R. n. 50.*

Itaque in visitatione, Episcopi, vel eorum Vicarii, possunt audire partes de plano, sine strepitu, & figura judicii, ut celeriter visitatio fiat, ne Parrochi & Rectores Ecclesiarum nimiis sumptibus graventur; Clericis & Sacerdotibus non idoneis celebrationem Divini Officii & Sacramentorum administrationem interdicere; diffamatos ob criminis atrocitatem ab Officio suspendere ad vitandum scandalum, nisi constet de calumnia, & aliquem delegare qui de crimine inquirat, & referat: at ipsi eorumve Vicarii non possunt in visitatione procedere ad auditionem testium, sententiam, mulctæ dictionem, suspensionem à Beneficio, depositionem, aliamve pœnam irrogare, pro vindicta delicti; possunt

tamen decernere pœnas ordinarias quæ morum emendationem respiciunt, *Farinacius ex resolutione Cardinalium, decis.* 178. Nec possunt in visitatione de ratiociniis rei Ecclesiasticæ ab administratoribus rationem exigere: hæc enim in Prætorio consultò sunt discutienda. Et in Ecclesia Cathedrali aut Collegiata Episcopi post visitationem Ecclesiæ debent visitare Capitulum convocatis Canonicis & Semipræbendatis, audire querimonias singulorum, pravos mores corrigere, & providere cum consilio Capituli, in iis quæ pertinent ad celebrationem Divini Officii, Sacramentorum administrationem, & reparationem Ecclesiæ. At dubitatum fuit an post visitationem Capituli Episcopus possit Canonicos & Beneficiatos in particulari visitare in suis ædibus; & credo id fieri non posse, nisi alia sit consuetudo, aut per modum inquisitionis id fiat, ad instantiam partis civilis, aut Procuratoris Officialitatis, si de excessu agatur, juxta locum Gen. *c.* 21. *Descendam, & videbo utrùm clamorem qui venit ad me opere compleverint*: nam in Capitulo processum Episcopus prosequi non potest, contra particularem, *ex Decreto Congregationis Cardinalium, apud Farinacium n.* 117. In inquisitione si Episcopus aut ejus Vicarius sit suspectus, recusari potest, at in visitatione recusari non potest.

Ne verò per subterfugia & frivolas appellationes detur occasio malis diutiùs grassandi in Ecclesia, & defectu reparationum necessariarum vel sumptuum, cultus divinus minuatur, aut retardetur, vel ædificia ruinosa dilabantur, sententia visitationis in iis quæ pertinent ad correctionem morum, reparationem Ecclesiæ, & ministerium divini cultûs, est executoria, non obstante appellatione, aut oppositione, & pro sumptibus & expensis judicatis, Episcopus aut ejus Vicarius potest ex officio in manibus firmarii pignorationem redituum Beneficii decernere, juxta modum probabilem eorundem sumptuum.

TITULUS VII.

An Episcopus sit fundatus Jurisdictione in tota Diœcesi.

SUMMARIUM.

I. Omnia loca pia subsunt Episcopo Diœcesano præsumptione Juris. Episcopus visitare potest Monasteria Monachorum & Monialium non exempta. Episcopus in visitatione Monasterii exempti admonet Superiores Officii, & supplet eorum negligentiam.

II. Parrochiæ & Capellæ unitæ Monasteriis subsunt Episcopo. Monachi servientes in Parrochiis unitis subsunt Episcopo in iis quæ delicta sunt quoad omnes.

III. Monasteria in quibus residen Abbates Ordinum, & alii Superiores exercent Jurisdictionem Episcopalem in Parrochos & Parrochianos sunt exempta.

IV. Religiosi Dominicani Sancti Maximini exercent, ministrant jura Parrochialia, & prætendunt se exemptos.

V. Episcopus in Monasteriis exemptis habet Clavem Ordinis. Archiepiscopus in tota Provincia in locis exemptis potest celebrare in Pontificalibus, & dare Indulgentias, & visitare. Jus procurationis debitum pro visitatione. Qui plus exigunt pro procuratione pœnam suspensionis incurrunt, & duplum restituere tenentur.

VI. A præstatione procurationis præscribi non potest à toto. Successor pro reliquis procurationis sui prædecessoris conveniri non potest. Ecclesia de novo erecta tenetur procurationem solvere juxta consuetudinem vicinarum Ecclesiarum.

VII. Procuratio debita ex lege Diœcesana. Regulares exempti à lege Diœcesana.

I. QUILIBET Episcopus Jurisdictionem ordinariam habet in tota Diœcesi, exceptis locis exemptis, *c.* 1. *de off. Ord. in 6.* Et si dubitetur de exemptione, præsumendum est pro Episcopo, cui subsunt omnia loca pia suæ Diœcesis, *c. Omnes Basil.* 17. *q.* 7. præsumptione Juris: sicut omnia prædia subsunt domino, si sit fundatus in toto territorio: hoc jure Episcopus habet jus visitandi totam suam Diœcesim, etiam Monasteria Monachorum & Monialium, *c. Cùm dilectus, de Relig. domib. c. Monasteria* 18. *q.* 1. *Conc. Trid. Sess.* 21. *c.* 8. *Constit. Blesi. art.* 30. *juxta l. Sanctissimarum, C. de Episc. & Cler.* Ex quibus Constitutionibus & Conciliis in Monasteriis Commendatis, in quibus non viget regularis observantia, Episcopus jubere potest ut quæ renovatione vel ins-

tauratione indigent, renoventur & restaurentur, & debita præstentur obsequia, & in Monasteriis in quibus viget regularis observantia, ipse ut delegatus à Sede Apostolica ex dicto Concilio debet admonere Superiores ut juxta ipsorum Instituta debitam vivendi rationem observent, & observari faciant: quòd si Superiores moniti non visitaverint & correxerint intra sex menses, ipse Episcopus visitare potest & corrigere, non obstantibus quibuscumque privilegiis, statutis, vel consuetudinibus contrariis.

II. Parrochiæ & Capellæ unitæ Monasteriis similiter subsunt Episcopo diœcesano, *c. 1. de Capellis Monac. Concil. Trid. Sess. 7. c. 7. & Sess. 25. c. 11.* tametsi Generalis in illis habeat sedem ordinariam, *ex resolutione Cardinalium, Farinacius decis. 132.* in quibus Rectores sæculares ab Episcopo diœcesano instituuntur ad præsentationem Monachorum aut Monialium, & destituuntur ex causa legitima: & si Monachi serviant in illis Capellis, subsunt etiam Episcopo, & ab eo corrigi possunt, in iis delictis quæ sunt delicta quoad omnes, seu tàm sæculares quàm regulares, quæ veniunt ex prohibitione Juris Communis, & in iis quæ pertinent ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem, non in iis delictis quæ veniunt ex prohibitione Regulæ, quorum correctio debet reservari Superiori ejusdem Regulæ, ut Senatus censuit super appellatione interposita tanquàm ab abusu à Monachis Monasterii Montis Majoris Arelatensis, Ordinis Sancti Benedicti, deservientibus in Ecclesia Parrochiali Pertusii, unita eidem Monasterio, appellantibus ab inquisitione & decreto Archiepiscopi Aquensis, Ordinarii ejusdem Loci, Arresto mensis Maii anni *1629.* juxta aliud Arrestum Senatûs Parisiensis anni *1629.* relatum in Praxi Bauni, *lib. 1. tit. des Parroisses, & notata Barbosæ, de jure Episcopi, alleg. 7.*

III. Verùm in dicto Concilio *Sess. 25. c. 11.* excipiuntur Monasteria in quibus residunt Abbates generales Ordinis; aliaque Monasteria in quibus Abbates aliique Superiores exercent Jurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parrochos & Parrochianos, in quibus Monasteriis & Parrochiis Episcopi nullam Jurisdictionem habent in Regulares & Sæculares ibi ministrantes Jura Parrochialia, nec jus visitandi.

IV. Sic in simili controversia quæ pendet indecisa in Parlamento Parisiensi, inter Dominum Archiepiscopum Aquensem, & Religiosos Dominicanos Monasterii Sancti Maximini habentes jura Parrochialia unita Monasterio, per Religiosos ejusdem Monasterii ministrari solita, ut testatur Rebuffus, in Concordatis, *de Regia ad Prælaturas nomin. verb. mendicantibus:* & prætendentes se exemptos à jure visitationis, & Jurisdictione Episcopali, etiam in iis quæ pertinent ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem, ex variis privilegiis sibi concessis à Sede Apostolica: Urbanus VIII. consultus ab Illustrissimo Domino de Bretel Archiepiscopo Aquensi, ex voto sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, rescripsit, dictos Religiosos in iis quæ pertinent ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem, subesse Jurisdictioni & visitationi præfati Archiepiscopi, ex generali consuetudine Ecclesiæ, non obstantibus eorum privilegiis. Et mox idem Pontifex aditus ab iisdem Religiosis allegantibus se habere Jurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parrochos & Parrochianos ejusdem Parrochiæ, & ex capitulo suprà allegato Concilii Tridentini se esse exemptos à Jurisdictione Episcopali, ad eorum supplicationem rescripsit, dictum Dominum Archiepiscopum habere jus visitandi, & Jurisdictionem in dicto Monasterio, in iis quæ pertinent ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem, & in ea possessione esse debere, donec dicti Religiosi ostenderint se habere Jurisdictionem in dicto Monasterio & Parrochia, in Parrochos & Parrochianos Episcopalem & temporalem.

V. Et quamvis in Monasteriis exemptis in quibus Superiores habent Jurisdictionem Episcopalem & temporalem, Episcopus non habeat Clavem Jurisdictionis, tamen habet Clavem Ordinis; potest ibi celebrare in Pontificalibus, Clericos ordinare, Ecclesias & Altaria in eisdem locis consecrare, Sacramentum Confirmationis ministrare, & populo benedicere, *Clem. 2. de privil.* Nam privilegium exemptionis operatur solùm ad fines expressos, & in dubio de sola Jurisdictione intelligitur. Ex qua Clementina desumpta ex Concilio Viennensi, *& c. Nostro, de pœnit. & remiss.* Archiepiscopus in tota Provincia, in locis exemptis, quæ dicuntur esse nullius Diœcesis, potest celebrare in Pontificalibus, Crucem gerere, populo benedicere, & Indulgentias dare, sine licentia Episcopi diœcesani, aut

aut Superioris Monasterii: non tamen potest ibi dare Ordines, aut Sacramentum Confirmationis administrare, sine licentia illius: potest enim Archiepiscopus in sua Provincia Suffraganeorum Diœceses visitare, *c.* 1. *de censib. in 6.* non tamen sine causa probata in Concilio Provinciali, ne turbetur eorum Jurisdictio, *Concil. Trident. Sess.* 24. *c.* 3.

VI. Archiepiscopi & Episcopi habent jus visitandi suam Diœcesim quam visitationem si per annum complere non possunt saltem biennio per se vel per visitatores complere debent, illisque jus procurationis pro visitatione hujusmodi debetur illudque jus ab omnibus quos visitare possunt persolvi debet juxta decretum Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de reformat. cap.* 3. nisi in locis visitationi subjectis consuetudo vigeat. Ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, quæ consuetudo observanda erit, sed cessante consuetudine jus procurationis illis debetur nisi victualia eis præstentur, *c. Procurationes, & c. Venerabili de censibus extra*, idem etiam decidit Fevret in suo tractatu de abusu, *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 7.

VII. Sed quamvis jus procurationis hujusmodi Archiepiscopis & Episcopis propriam Diœcesim personaliter visitantibus debeatur, plus tamen exigere non possunt quàm quod per consuetudinem statutum reperitur, & si plus exigant præter dupli restitutionem infra mensem faciendam, ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur, si restitutionem dupli differant. Ita Concilium Tridentinum loco suprà laudato, *& c. Exigit de censibus in 6.* quod desumptum est ex Concilio Lugdunensi cui Gregorius X. præfuit.

VIII. A præstatione procurationis Rectores Ecclesiarum non liberantur præscriptione, aut consuetudine contraria, ne Prælati retrahantur ab officio, quota tamen præscribi potest & consuetudo servanda est ut in decimis, & successor pro reliquis prædecessoris sui conveniri non potest, *Loüet lit. A. n.* 15. hoc enim onus, pro reliquis afficit possessorem non Beneficium: & Ecclesia de novo erecta solvere debet juxta consuetudinem Ecclesiarum Vicinarum, *c. Super de censibus.*

IX. Hoc jus debetur Episcopo ex lege Diœcesana ut jus Cathedraticum & charitativum subsidium, & à religiosis etiam debebatur olim, verum ob indebitas & actiones Regulares à lege Diœcesana exempta fuerunt, *c. Inter cætera* 10. *q.* 3. ut de Sisterciensibus, Præmonstratensibus, Cluniacensibus, & Anthonianis observat Choppinus, *de politia Ecclesiastica, lib.* 2. *cap.* 3.

TITULUS VIII.

An Episcopus in exercitio Jurisdictionis suæ adhibere debeat consilium Capituli.

SUMMARIUM.

I. Olim Episcopus sine consilio Capituli jus dicere, vel ordinare non poterat, nec res communes Ecclesiæ alienare sine consensu illius. Consensus & consilium differunt Capitulum est velut Senatus, Episcopus est caput.

II. In quibus casibus Episcopi adhibere non tenebantur consilium Capituli.

III. Jure novo in judiciis & ordinatione Episcopi non adhibent consilium Capituli.

IV. Certæ Ecclesiæ ex privilegio habent potestatem adjunctorum. Ecclesia Metropolitana Aquensis habet potestatem adjunctorum.

I. OLIM Episcopi ordinare non poterant, aut Beneficia conferre, vel Jurisdictionem exercere sine consilio, aliàs sententia erat nulla, *c. Episcopus nullius* 15. *q.* 7. *& c.* 1. *de excess. Prælator.* ordinatio tamen & institutio valebant. Et si de re communi cum Capitulo alienanda ageretur, alienatio ab Episcopo fieri non poterat sine consensu Canonicorum, *c.* 1. *& seq. & c. cùm nos, de iis quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.* Nam Capitulum est velut Senatus, & Corpus politicum, cujus caput est Episcopus, & Canonici sunt membra. Est autem differentia inter consensum & consilium: nam in actibus in quibus consensus requiritur Canonici habent vocem deliberativam, Episcopus tenetur adhærere votis majoris partis, vox illius non est numerosior voce unius Canonici, licèt sit ponderosior. At in aliis actibus in quibus consilium requiritur, Canonici habent solùm vocem consultivam, non deliberativam, *c. cùm olim, de arbitriis*; Episcopus liber est, non tenetur sequi illorum consilium.

II. Tamen in certis casibus Episcopi Jurisdictionem exercere poterant sine consilio Canonicorum; nimirùm si de levi excessu corrigendo ageretur, aut de excessu graviori esset inquirendum, ad vitandam subornationem testium, vel ne reus fugeret, *Panorm. in c. Novit, de iis quæ fiunt à Prælatis sine consensu capituli, & in c. Qualiter, de accusatione*, vel si consuetudo esset contraria: nam Episcopi poterant jus illud præscribere, ne in inquirendis, puniendis, & corrigendis subditorum excessibus, consilium Capituli tenerentur convocare: quam consuetudinem Bonifacius VIII. non improbat *in Can. Non est de consuetudine, in 6.* & Panormitanus in locis suprà citatis consuetudinem illam temporibus suis in multis Ecclesiis invaluisse testatur ob ignorantiam Canonicorum.

III. Hodiè apud nos ex generali consuetudine, in collatione Beneficiorum, & Jurisdictionis exercitio, Episcopi non tenentur adhibere consilium Canonicorum; habent enim suos Vicarios & Officiales, & Assessores, quos pro libito in consilium vocant; & Assessores habent in iis vocem consultivam, non deliberativam, ut olim Canonici: Episcopus non tenetur eorum votis accedere; liberum tamen eis est sententiæ Episcopi non subscribere, si viderint eam esse injustam.

Verùm Concilium Tridentinum, *Sess.* 25. *c.* 6. dedit potestatem adjunctorum Ecclesiis quæ privilegium exemptionum à Sede Apostolica obtinuerant, quibus eodem Concilio *Sess.* 6. *c.* 4. derogatum fuit, ad instaurandam authoritatem Episcoporum, si tales exemptiones sine cognitione causæ concessæ fuerint: videlicet ut Capitulum initio cujusque anni eligat duos de Capitulo, de quorum consilio & assensu Episcopus, aut ejus Vicarius, tam in formando processu, quàm in cæteris omnibus actibus, usque ad finem causæ inclusivè, coram tamen Notario, seu actuario ipsius Episcopi, & in ipsius domo aut tribunali consueto procedere debeat; unum autem sit utriusque votum, possitque alter eorum Episcopi voto accedere: & si ambo sint discordes, ab Episcopo in aliquo actu, seu interlocutoria vel definitiva sententia, tunc intra sex dierum spatium tertium eligant; & si in electione sint discordes, tunc ad viciniorem Episcopum electio devolvatur & juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus ille in quo erat discordia terminetur, aliàs processus sit nullus. Sic in illis Ecclesiis Episcopus procedit cum adjunctis habentibus vocem deliberativam, tùm in causis civilibus, tùm in crimi-

nalibus. Tamen ex dicto Concilio in criminibus provenientibus ex incontinentia, aliisque gravioribus depositionem aut degradationem requirentibus, in quibus dubitatur de fuga, Episcopus sine adjunctis procedere potest ad informationem, & decretum incarcerationis.

IV. Et apud nos in Ecclesia Metropolitana Sancti Salvatoris, ante Concilium Tridentinum, inter Dominum Olivarium de Penardo Archiepiscopum, & Capitulum, transactum fuit, ne in inquirendo de crimine, & judicando processu, Dominus Archiepiscopus procederet contra ullum ex Canonicis, vel Dignitatibus dicti Capituli, sine Capitulo. Et lite suborta nostris temporibus inter Dominum Archiepiscopum de Bretel, & dictum Capitulum, super explicatione dictæ transactionis, ob dubia quæ oriebantur ex possessione, & consuetudine contraria; nova transactione, præsente Domino Comite Alesio Gubernatore hujus Provinciæ, sub beneplacito Summi Pontificis conventum fuit, quòd in inquirendo de delicto contra aliquem ex Canonicis vel Dignitatibus dicti Capituli Archiepiscopus adhibere debeat ex Dignitatibus aut Canonicis ejusdem Capituli unum quem voluerit, & in judicando duos quos Capitulum elegerit, qui ambo habeant tantùm vocem unius, juxta formam Concilii Tridentini loco citato: unde si quæ difficultas oriatur, solutio petenda est.

TITULUS IX.

Per quas personas Episcopus Jurisdictionem suam possit exercere.

SUMMARIUM.

I. De Coadjutore, Vicario & Officiali. Vicarii & Officiales visitare non possunt loca exempta. Episcopi visitando loca exempta nullum salarium exigunt. In partibus remotis Officiales instituendi sunt. Officiales possunt inquirere de excessibus Clericorum, sed inquisitiones tenentur ad Episcopum referre. Officiales siti in aliena Provincia cognoscunt de causis omnibus tum civilibus, tum criminalibus.

II. Sede vacante Jurisdictio Episcopalis contentiosa transit in Capitulum, & ejus Vicarium.

I. NON solùm per se, sed etiam per alios, Episcopus Jurisdictionem suam potest exercere per Coadjutorem. Verùm Coadjutor datus ob infirmitatem corporis non potest se immiscere in iis quæ sunt muneris & Officii, sine consensu titularii. Per Vicarium, & per Officiales in partibus remotis Diœcesis constitutos. At nec Vicarii nec Officiales visitare possunt loca exempta: id enim solis Episcopis conceditur, ut per seipsos id agant. *Concil. Trident. Sess. 7. c. 4.* Idem voluit Constitutio Henrici IV. *mensis Decembris anni 1606. art. 4.* quâ cavetur, ne Episcopi visitando Ecclesias Parrochiales Monasteriis unitas & exemptas ullum salarium exigant. Et Officiales in partibus remotis Diœcesis constituti possunt quidem inquirere de excessibus Clericorum; sed acta processûs & cognitionem causæ referre debent ad Tribunal Episcopi, *Rota decis. 66. in novis.* In Gallia Episcopi & Archiepiscopi in locis suæ Diœcesis sitis in districtu alterius Parlamenti Officiales instituere jubentur, qui de causis tum civilibus tum criminalibus cognoscant, ut cautum fuit placito Senatûs hujus Provinciæ contra Archiepiscopum Ebredunensem. Idem observatur in civitate Taraconensi Diœcesis Avenionensis, & aliis locis hujus Provinciæ Diœcesis Carpentoratensis. Quibus tamen Beneficia vacantia conferre non licet sine speciali mandato, nam Episcopi ubicumque sint, conferre possunt Beneficia & alios actus exercere Jurisdictionis voluntariæ.

II. Sede vacante Jurisdictio Episcopalis contentiosa transit in Capitulum, donec ea per successorem fuerit repleta. Et Capitulum Vicarium ad hoc munus exercendum creare jubetur, ex Concilio Tridentino. Sed de iis plura scripsimus in Tractatu de Beneficiis, *lib. I. tit. 10. 11. & 12.*

TITULUS X.

De Prælatis inferioribus & Capitulo Jurisdictionem habentibus.

SUMMARIUM.

I. Abbates & Abbatissæ, & Superiores Monasteriorum Jurisdictionem habent sine strepitu, & figura judicii. Regulares puniuntur manu regularium. Abbatissæ non possunt excommunicare nec suspendere à divinis.

II. A correctione regularium juxta modum Regulâ præscriptum non appellatur. In delictis venientibus ex prohibitione Regulæ Superior regularis appellatur, in cæteris appellatur Episcopus, nisi Regularis sit exemptus.

III. Capitula habent levem Jurisdictionem sine strepitu & figura judicii ad corrigendum leves excessus Clericorum, qui committuntur in Choro.

IV. Episcopus non potest prævenire Capitulum, aut Dignitatem inferiorem in correctione.

V. A correctione Capituli vel Dignitatis inferioris Episcopus appellatur.

VI. Capitulum privilegio vel consuetudine majorem Jurisdictionem potest acquirere conjunctim vel divisim.

VII. Si Episcopus interfuerit in Capitulo ut Episcopus, vel Canonicus à sententia Capituli Metropolitanus appellatur.

VIII. Capitulum eximitur à Jurisdictione Episcopi Diœcesani privilegio consuetudine.

IX. Unus Prælatus Jurisdictionem aliave jura potest præscribere contra alium. Subditi non possunt se subtrahere à Jurisdictione & obedientia Superioris. Præscriptio currit subductis legitimis impedimentis & tempore quo vixit Prælatus qui alienationi vel exemptioni consensit.

X. Ad probandum actus Jurisdictionis probatio vocalis non sufficit. In præscriptione probatis extremis media præsumuntur.

XI. Præscriptio centenaria tituli instare est.

XII. Prælatus Jurisdictionem suam ab alio præscriptam possessione contraria quadragenaria recuperare potest.

I. ABBATES & Superiores Monasteriorum Jurisdictionem habent in Regulares: eorum excessus corrigunt, juxta modum Regulâ præscriptum, sine strepitu & figura judicii, & ad executionem pœnæ utuntur manu Regularium, *c. Non liceat, d.* 86. Abbatissæ pariter Jurisdictionem habent in Moniales; at non possunt excommunicare, nec suspendere à Divinis sicut Abbates, *c. Dilecta, de majorit. & obed.*

II. Si Superior Monasterii non excedat modum Regulâ præscriptum, ab ejus sententia vel decreto non licet appellare, *c. Reprehensibilis, de appellat.* nam appellaretur à Regula. Si verò modum excedat, appellare licet. Appellatur autem ad Provincialem, si agatur de delicto veniente ex prohibitione Regulæ, cujus est cognoscere de Regula, & de delictis quæ sunt extra Regulam, vel appellatur ad Episcopum, si delictum sit extra Regulam, *c. Abbates*, 18. *q.* 2. nisi Monasterium sit exemptum à Jurisdictione Episcopali: appellare etiam licet ad Senatum tanquam ab abusu, si Superior in correctione abusus sit Jurisdictione, pœnam sanguinis, deportationis, aut exilii irrogando, *Choppinus de sacra Politia, lib.* 2. *c.* 8. *ex Placito Senatus ibi relato*: tamen nulli dubium est quin Superior Monasterii possit Regularem in carcere detinere, vel in aliud Monasterium transferre, his enim pœnis Regulares uti solent.

III. Capitula Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum ex generali consuetudine habent etiam potestatem corrigendi excessus Canonicorum, cæterorumque Beneficiatorum & ministrantium, qui committuntur in Ecclesia, ut judicatum fuit in causa œconomi Ecclesiæ Majoris Massilienſis *Arresto* 4. *Decemb. anni* 1573. juxta *c. Irrefragabili, de off. Ordinarii*, si levis sit excessus, & corrigi possit pœna levi, pœnâ suspensionis ad tempus ab Officio, vel Beneficio, vel ab ingressu Ecclesiæ vel Chori, vel privationis distributionum ad certum tempus, *Abbas in c. Quanto, de off. Ordinarii*, modò tamen id fiat sine strepitu & figura judicii: nam Capitulantes non habent potestatem inquirendi, nec incarcerandi, *Papon Placitorum, lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 3. nec habent potestatem excommunicandi, *c. Cùm contingat, de foro compet.* & si excessus sit gravis, & majorem

cognitionem requirat, & pœnam graviorem, causæ cognitio Episcopo vel ejus Vicario est referenda.

IV. Interdum talis potestas corrigendi residet penes Præpositum, aut Decanum, vel Archidiaconum, statuto vel consuetudine particulari, juxta jus vetus, nam hodie ex consuetudine generali pertinet ad Capitulum. Et in istis casibus Episcopus non potest prævenire Capitulum, aut Dignitatem inferiorem jus illud habentem; sed monere debet Capitulum, aut Dignitatem inferiorem, ut intra certum tempus corrigat, quo elapso ipse eorum negligentiam supplere potest, *d. c. de irrefragabili*, & *c. 2. de excess. Prælat.* nisi excessus in præsentia Episcopi fuerit commissus, quo casu Episcopus authoritate sua uti potest.

V. A correctione Capituli, vel Dignitatis inferioris, appellatur ad Episcopum. Verùm per appellationem correctio non retardatur, *d. c. Irrefragabili*, nisi error facti in tali judicio intervenerit, vel in correctione sit excessus: nam in istis casibus Episcopus appellatione pendente executionem pœnæ potest suspendere, *ex dicto c. Irrefragabili.*

VI. Nec dubitatur quin Capitulum jure speciali, privilegio vel consuetudine particulari majorem Jurisdictionem possit acquirere cum imperio ad inquirendum & judicandum cognitione causæ in Canonicos, aliosque Ecclesiæ Ministros, cum potestate excommunicandi, suspendendi, & deponendi, qualem habent Episcopi; hæc enim privilegio concedi possunt Capitulis, & quæ privilegio conceduntur, usu etiam & consuetudine acquiruntur, in vim taciti privilegii. Interdùm Capitulum habent hujusmodi Jurisdictionem conjunctim cum Episcopo, & tunc Episcopus habet unam tantùm vocem, ut diximus suprà, eoque absente Capitulum procedere potest ad judicium; & à sententia Capituli non appellatur ad Episcopum, sive eo præsente, sive absente ea lata sit; nam jus absentis residet in præsentibus, sed appellatur ad Metropolitanum. Interdum Capitulum habet Jurisdictionem hujusmodi separatim ab Episcopo; & eo casu à sententia Capituli appellatur ad Episcopum.

VII. Nisi Episcopus interfuerit in Capitulo ut Canonicus. Solent enim in multis Ecclesiis Episcopi interesse in Capitulo ut Canonici; in quibus si Capitulum fuerit negligens in eligendo aut conferendo, jus devolvitur ad Episcopum uti Episcopum, *c. Postulasti, de conces. Præb.* Verùm in actibus Jurisdictionis contentiosæ si Episcopus interfuerit in Capitulo ut Canonicus aut Episcopus, à sententia Capituli jus non devolvitur ad ipsum per appellationem, sed ad Metropolitanum, & à Metropolitano ad Papam. Judex enim post latam sententiam Judex esse desinit pro illa vice, *L. Judex postea quam, ff. de re judic.*

VIII. Aut nisi Capitulum sit exemptum à Jurisdictione Episcopi Diœcesani, & alteri Prælato subditum; eo enim casu à sententiis Capituli ille Prælatus appellatur, cui Jurisdictio in Capitulum data est. Capitulum autem eximitur à Jurisdictione Episcopi Diœcesani privilegio vel consuetudine. Ut privilegium valeat requiritur quòd à Sede Apostolica sit concessum cum cognitione causæ; videlicet ob graves inimicitias, lites & dissidia quæ inter Episcopum & Capitulum moveri solent; & quòd Capitulum sit alteri Prælato subditum cum Jurisdictione, ne videatur corpus acephalum. Nam privilegia hujusmodi exemptionum concessa sine cognitione causæ Concilio Tridentino revocata sunt, *c. 4. Sess. 6.* Et si de exemptione inter Capitulum & Episcopum ita conventum sit, ne Episcopus de causis Capituli & Capitulantium possit cognoscere, & talis conventio à Papa non fuerit confirmata, non obligat successores Episcopatûs, *c. Veniens, de transact.*

IX. Consuetudine contraria Capitulum similiter eximi potest à Jurisdictione Episcopi Diœcesani. Nam (ut dictum est suprà) quæcumque privilegio acquiri possunt, præscriptione etiam & consuetudine acquiri possunt. Et eo casu à sententiis Capituli ille Prælatus appellatur cui Capitulum se subjecit. Ut consuetudo valeat, requiritur quòd ille Prælatus extraneus quem Capitulantes adiverunt Jurisdictionem in eos contra Episcopum Diœcesanum præscripserit. Nam Capitulum ex se non potest se subtrahere à Jurisdictione & obedientia sui Prælati, & consuetudo contraria ei non suffragatur, *c. Cùm non liceat, & c. Cùm ex Officii, de præscript.* At unus Prælatus potest præscribere Jurisdictionem, & alia jura Episcopalia contra alium, *c. Auditis, de præscript.* Si præscriptio nitatur aliquo titulo, putà privilegio concesso in forma communi, sine cognitione causæ, aut transactione, vel concordiâ initâ inter partes, præscriptio quadragenaria sufficit, modò constet de possessione antiquâ & recenti non interpollatâ diversis actibus

Jurisdictionis,

Jurisdictionis, & tales actus fuerint sortiti effectum sine contradictione alterius contra quem præscriptio allegatur, *c. Cum Ecclesia Sutrina, & c. Cùm olim, de causa possess. & propriet.* subductis legitimis impedimentis pestis, hostilitatis, absentiæ Prælati, vacationis Ecclesiæ, & tempore, quo vixit Prælatus qui tali exemptioni & alienationi consensit, non numerato, *c. Sacerdotes 16. q. 3. & c. Auditis, c. Ex transmissa, de præscript.*

X. Ad probandum actus Jurisdictionales probatio vocalis non sufficit, litteralis desideratur, *c. Quoniam contra, de probat.* & ei qui allegat possessionem fundatam super illis actibus onus probationis incumbit: & similiter ille qui allegat interruptionem possessionis illius debet probare intentum, nam probatis extremis media præsumuntur.

XI. At si titulus desit, apud nos possessio centenaria pacifica non interrupta requiritur ad præscribendam rem, vel jus Ecclesiæ, sive à Laïcis, sive ab Ecclesiasticis præscriptio allegetur, *c. Ad audientiam, de præscript.* quod licèt de Ecclesia Romana solùm loquatur, ad cæteras Ecclesias extenditur. Nam in rebus Ecclesiæ alienandis vel acquirendis titulus requiritur, alioquin nulla temporis præscriptione vindicatio rei Ecclesiasticæ submovetur, *L. 1. C. Ut Templorum vindicatio nulla temporis præscriptione submoveatur*, sola autem præscriptio centenaria temporis immemorialis tituli instar est, *L. Hoc jure, §. Ductus aquæ, ff. de aq. quot. & æst.* & talis possessio litteris & instrumentis probari debet, ut dictum est suprà.

XII. Tamen si Episcopus Jurisdictionem suam vindicet ab alio Prælato præscriptam, ejus privilegio concessam: facilior erit præscriptio in ejus favorem (nam res facilè redit in suum pristinum statum, & Jus Commune suffragatur) in illo casu unicus actus ei sufficit, & præscriptio decennalis ad submovendam querelam privilegiati, juxta Jus Civile, *L. 1. ff. de nund.* aut quadraginta annorum, *juxta c. Accedentibus de privil.* Si ex causa privilegium concessum fuerit à Sede Apostolica, præscriptio quadragenaria requiritur ad illud tollendum. Si verò sine causa, præscriptio decennalis sufficit, ab actu possessionis suæ numeranda, juxta Jus Civile, subductis legitimis impedimentis.

TITULUS XI.

Quomodo & quibus ex causis Judex Ecclesiasticus recusari debeat.

SUMMARIUM.

I. Judex sit suspectus ob cognationem vel affinitatem.

II. & III. Ob cognationem spiritualem, subjectionem, nimiam familiaritatem.

IV. An Judex sit suspectus in causa sui emphyteutæ, coloni vel debitoris. Canonicus sit suspectus in causa concanonici.

V. Testis, Procurator, vel Advocatus in eadem causa Judex esse non potest. Ob interesse Judex fit suspectus. Episcopus habens litem contra Capitulum non fit suspectus in causis privatis Canonicorum.

VI. Ob litem & flagrantes inimicitias Judex recusari potest.

VII. Judex ob latam sententiam non fit suspectus appellanti in aliis causis. Judex non fit suspectus ob cognationem vel affinitatem Procuratoris partis adversæ.

VIII. Prælati qui convocantur ad Synodum, si sint suspecti recusari possunt. Ut causæ evocantur in aliud Parlamentum ob suspicionem Judicum.

IX. Causa recusationis à Procuratore habente mandatum speciale proponi debet.

X. Si Episcopus sit suspectus, Vicarius etiam suspectus est. Judex recusatus debet convenire cum recusante de Judice qui de causa suspicionis inquirat, vel abstinere pro modestia & recusantem ad superiorem transmittere. Dum causa recusationis examinatur, Judex recusatus abstinere debet.

XI. Casus in quibus non obstante recusatione propositâ Judex recusatus potest procedere.

XII. Si Judex non sit, vel esse non possit, quod excommunicatus, vel suspensus, vel de mandato illius non constet, non potest procedere. Vicarius Episcopi non potest substituere sine mandato speciali. Causæ spirituales Laïcis delegari non possunt. Mandato finito expirat potestas Judicis delegati. Morte Papæ potestas Legati à latere non expirat. Si plures fuerint delegati, uno defuncto potestas cæterorum solvitur nisi delegati fuerint, cum clausula quod si non omnes. *Legatus certæ Provinciæ finito tempore legationis suæ debet*

remanere, & suo fungi Officio, donec succeſſor Provinciam ingreſſus ſit. Delegatio facta alicui nomine Dignitatis, morte illius non expirat.

I. EX variis cauſis Judex Eccleſiaſticus ſit ſuſpectus, & recuſari poteſt, ſi ſit conſanguineus aut affinis, *c. Poſtremo, de appellat.* ſi ſit uſque ad decimum gradum, cenſetur ſuſpectus: ſi agnatus, uſque ad ſextum gradum: nam uſque ad illum gradum jus ſucceſſionis extenditur. Ex aliorum ſententia agnati deſcendentes per lineam maſculinam, ſi de jure agnationis appareat ex cognomine & Stemmate Familiæ, in quovis gradu ſint, cenſentur ſuſpecti, *Panormitanus loco citato.* Affines fiunt ſuſpecti in primo & ſecundo gradu, imò etiam in ulteriore gradu tertio & quarto, ex conſtitutione Bleſenſi *art.* 117. Affines verò affinium non ſunt ſuſpecti. Nam affinis affinis mei non eſt affinis meus, *L. Affinis, ff. de reg. jur.* Gradus hîc computantur ſecundùm Jus Civile, ut in ſucceſſione, non ſecundùm Jus Canonicum, ut in matrimoniis.

II. Fiunt etiam ſuſpecti qui cognationem ſpiritualem contraxerunt per Baptiſmum, aut Sacramentum Confirmationis: & qui legalem cognationem contraxerunt per adoptionem; inter levantem & levatum in Sacramento Baptiſmi; & inter præſentantem & præſentatum in Sacramento Confirmationis, ſpiritualis cognatio eſt, & cauſa ſuſpicionis: nec non inter levantes aut præſentantes, & patrem ac matrem levati aut præſentati; & inter levatum aut præſentatum, & patrem ac matrem levantis aut præſentantis, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. At inter ipſos levantes aut præſentantes nulla cognatio eſt, nec ſuſpicionis cauſa legitima: niſi talis compaternitas magnam familiaritatem pariat. Sed neque Judex recuſari poteſt, quòd filium partis levaverit aut præſentaverit, tametſi recuſetur ſi ab ea levatus, aut præſentatus fuerit. Hoc enim caſu ipſe obligatur, & in priore caſu alium ſibi obligat: ſic ſæpe judicatum fuit.

III. Fit etiam Judex ſuſpectus ex cauſa familiaritatis & obligationis, ſi adverſarius ex cujus capite recuſatur ſit in ſervitio illius, aut commenſalis, *c. cùm contingat, de foro compet. c. Inſinuante, de off. Judicis deleg.* aut ſi Judex familiaritatis gratiâ diverterit, & hoſpitatus fuerit in domo illius: ſecùs ſi neceſſitate coactus ſit ibi divertere, aut publicum eſſet hoſpitium, *Faber c. Ne quis in ſua cauſa judicet, vel jus ſibi dicat, def.* 3.

IV. Judex non fit ſuſpectus in cauſa ſui emphyteutæ, aut coloni, vel debitoris, niſi de jure emphyteutico, aut fructibus prædii locati, aut de ipſo debito agatur, aut de majori ſumma, quâ ſolutâ debitor deſinat eſſe non ſolvendo, *Faber c. Ne quis in ſua cauſa judicet, def.* 9. Et ſimiliter emphyteuta Judex eſſe poteſt in cauſa Domini, colonus vel inquilinus in cauſa locatoris, debitor in cauſa creditoris: niſi majori quantitate ſit obæratus, *Faber ibidem in notis.* Vaſſallus verò fit ſuſpectus in cauſa patroni, ob debitum obſequium: at patronus non eſt ſuſpectus in cauſa vaſſalli, niſi de jure vaſſalagii agatur. Canonicus eſt ſuſpectus in cauſa Concanonici ob magnam familiaritatem, *c. Cùm ref. de Off. Iudicis delegati.* Idem de ſocio: Judex non eſt ſuſpectus in cauſa ſui Advocati aut Procuratoris, *Faber loc. cit. def.* 1.

V. Prætereà Judex fit ſuſpectus, ſi teſtis fuerit in eadem cauſa, aut Procurator, vel Advocatus, aut Aſſeſſor, aut ſi Conſilium dederit, *c. Poſtremo, de appellat.* aut ſimilem litem habeat, *c. Cauſam quæ, de jud.* aut ſi cauſa ad eum pertineat aliquo modo, directè, vel indirectè, vel lite pendente pertinere incipiat, ne quis in propria cauſa judicet, vel jus ſibi dicat. Quamobrem ſi contra Capitulum Eccleſiæ Cathedralis agatur, Epiſcopus poteſt recuſari, quia honor & commodum Eccleſiæ ſuæ ipſum reſpicit, *Panorm. in c. Cùm veniſſent, de judiciis.* At ſi lis ſit inter ipſum Epiſcopum & Capitulum, idem Epiſcopus non poteſt recuſari in cauſis privatis Canonicorum. Alia enim eſt ratio Univerſitatis, alia ſingulorum.

VI. Recuſatur etiam Judex ob litem & flagrantes inimicitias inter ipſum & recuſantem, vel inter Judicem & fratrem recuſantis, aut patrem, vel è converſo inter recuſantem & fratrem, aut patrem Judicis, *Faber loco citato def.* 4. periculoſum enim eſt incidere in manus Judicis irati, *Cicero Tuſcul. quæſt. c.* 4. Et quamvis lis ſit finita, & ſecuta reconciliatio, rancor durare creditur, & Judex ad certum tempus, quod arbitrarium eſt, abſtinere debet, ne iratus nocere cupiat, aut læſus ſe ulciſci velit, *c. Accuſatoribus, q.* 5. *cap.* 3. *Speculator lib.* 1. *tit. de Judice delegato:* tamen inimicitiæ aut lites affectatæ non proſunt ad recuſationis effectum.

VII. Jure Canonico ſi Judex ſententiam tulerit, & ab ea appellatum ſit, appellans

appellatione pendente super aliis causis de novo emergentibus potest eum recusare, *cap. Ad hæc, de appellationibus.* Sed Jure Civili appellans alias causas apud eumdem Judicem agere compellitur, *Lege unica, ff. Apud eum à quo fuit appellatum, aliam causam agere compellendum*, quo jure utimur. Ex capite Procuratoris aut sollicitatoris partis adversæ, sive sit consanguineus aut affinis, aut familiaris Judicis, recusatio peti non potest, *Papon tit. des accusations, n.* 10.

VIII. Prælati, cæterique qui convocantur ad Synodum, si sint suspecti recusari possunt; & si non supersit numerus requisitus, causa transmittitur ad Papam, & ab aliis Judicibus delegatis judicatur, *Abbas in cap.* 1. *de judiciis.* Idem servatur in Senatu, ex Constitutione Gallica anni 1564. *art.* 13. & ex Constitutione Blesensi, si quatuor in Senatu sint suspecti ex causa consanguinitatis vel affinitatis in quarto gradu, ad postulationem partis Litteris Principis causa evocatur in aliam Curiam Parlamenti Provinciæ vicinioris.

IX. Causa recusationis in libello exprimi debet à recusante, vel ejus procuratore speciale mandatum habente, ante litem contestatam: nam per contestationem litis huic exceptioni renuntiari videtur, *l. fin. ff. de except.* nisi causa recusationis ante litis contestationem recusantem lateat, eo enim casu etiam post litem contestatam opponi potest, *c. Insinuante, de off. jud. deleg.* juramento præstito à recusante, quòd post litem contestatam causam recusationis sciverit, non antè. Et si Judex sciat causam recusationis ut scire præsumitur, si recusatio petatur ex causa consanguinitatis vel affinitatis, ex Constitutionibus Gallicis abstinere jubetur, etiamsi non fuerit recusatus, alioquin judicium est nullum, nisi ambæ partes sint in eodem gradu consanguinitatis vel affinitatis; nam par affectio suspicionem tollit, *l. Non solùm*, §. 1. *ff. de ritu nuptiarum.*

X. Causa recusationis in foro sæculari à Judice admittitur si sit justa, vel rejicitur si frivola judicetur. Si testibus aut litteris probari debeat Judex recusatus partes remittit ad eum Judicem qui in ejus vicem Jurisdictioni præest, ut testes audiat: & si probetur, Judex recusatus abstinet: si non probetur post dilationem datam ad probandum, Judex recusatus pergit in processu. At in foro Ecclesiæ, quoniam si Prælatus sit suspectus, ejus quoque Vicarius abstinere debet, ut mox dicemus; Ordinarius aut Judex delegatus qui recusatur, partes monere debet ut simul conveniant; aut si recusans adversarium non habeat, Judex recusatus cum eo debet convenire de arbitris, qui de causa suspicionis inquirant: & si ambo convenire nequeant, uterque unum eligat; & si arbitri inter se discrepent, tertium advocant: & si causa suspicionis legitima non probetur infra terminum competentem, Judex recusatus Jurisdictione sua uti potest: si verò probetur, idem Judex de partium consensu alteri personæ idoneæ negotium committit, si sit ordinarius, vel ad Superiorem transmittit, vel ad delegantem, si delegatus fuerit, *c. Cum speciali, de appel.* Interim verò dùm causa recusationis examinatur, Judex recusatus abstinere debet, ejusque Vicarius, *Abbas in c. Ex insinuatione, de off. Judicis delegati.* Vide *c. secundo, cum Glos. de appellat.*

XI. Certi sunt casus in quibus Judex recusatus non obstante recusatione propositâ potest procedere, salvo jure recusantis; si recusatio proponatur Episcopo aut ejus Vicario procedenti in visitatione, ne res Ecclesiæ pereat, aut cultus Divinus retardetur. *Farinacius ex decisione Cardinalium, part.* 4. *n.* 272. aut si Judex ordinarius vel delegatus recusetur, postquàm exiit & venit in ea loca ubi inquirendum est, executio sententiæ vel decreti debet fieri, ne probatio pereat, vel alter inani sumptu vexetur, *Faber de jud. def.* 13.

XII. Sunt aliæ exceptiones declinatoriæ, vel dilatoriæ judicii, quæ petuntur ex variis causis: *Primò*, ex defectu potestatis, ex capite Judicis; si Judex non sit, *c. Nullus, c.* 9. *q.* 2. vel esse non possit, aut si sit incompetens; quòd causa proposita sit alterius fori, ex institutione Jurisdictionis, vel privilegio causæ; aut quòd ea causa ad superiorem Judicem fuerit devoluta per appellationem, vel evocata ob suspicionem Judicis recusati, vel continentiam alterius causæ pendentis coram Superiore; aut quòd Judex sit suspensus, excommunicatus, vel interdictus, si notoria sit excommunicatio, vel suspensio, §. *Statuimus, in concordatis, de non vit. excomm.* vel si Judex sit delegatus, quòd non constet de mandato & delegatione: delegatus enim mandatum exhibere debet, alioquin ei non creditur, tametsi dicat mandatum se habuisse vivæ vocis oraculo, *Anfrerius q.* 463. vel quòd mandatum sit obreptitium, vel subreptitium tacitâ rei veritate, vel falsis precibus obtentum, *l.* 2. *C. si contra jus vel utilitatem publicam, vel per mendacium aliquid fuerit*

postulatum, vel si Judex sit subdelegatus ab alio quàm à Legato Principis, cui soli subdelegare conceditur, *l. un. C. qui pro jurisdictione sua Judices dare darive possint*, *c. Cùm causam, de appellat.* Vicarius Episcopi aut Capituli Sede vacante non potest substituere, nisi ei data fuerit substituendi licentia, *Rota decis.* 278. *in novis:* vel si Litteræ delegationis emanaverint à Sede Apostolica, aut Legato, & Senatui exhibitæ non fuerint: nam sine licentia Senatùs in Regno Galliæ mandata quæ veniunt ab extra executioni mandari non possunt, *Choppin. de sacra Politia, lib.* 2. *c.* 4. vel si Judex delegatus non sit qualitatis requisitæ: nam causæ spirituales Laïcis delegari non possunt, *c. Contingit, de arbitris*, nec Clericis nisi in dignitate constitutis, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, & causæ criminales Clericorum non nisi Episcopis vel eorum Vicariis delegantur: idem dicitur de causis matrimonialibus, ut dicemus infrà; vel si Judex delegatus degat in partibus remotis ultra bidui spatium, ut dicemus infrà: aut si procedat citra commissa, *l. Diligenter, ff. mand.* vel si mandatum delegationis expiraverit, quod variis casibus contingit, morte delegantis: tamen morte Papæ potestas Legati à Latere non expirat; nam Legatus à Latere Jurisdictionem ordinariam habere videtur à Sede Apostolica, quæ nunquam moritur, *cap.* 2. *de off. Legati in 6.* vel morte delegati: & si plures fuerint delegati, altero illorum mortuo cæterorum potestas solvitur, nisi delegati fuerint cum clausula (quòd si non omnes) quâ singulis in solidum potestas conceditur, *c. Causam, de off. Legati:* vel expirat potestas Judicis delegati revocatione tempestivè facta, re integra, §. *fin. Inst. de mand.* aut lapsu temporis delegationis: tamen in delegationibus ordinariis quæ fiunt pro regimine alicujus Provinciæ, Legatus finito tempore debet remanere, & suo fungi officio, donec novus successor Provinciam ingressus sit, ne Provincia maneat destituta, *l. Meminisse, ff. de off. Procons. & Nov. 95. in principio:* aut finito negotio delegationis, tùm in principali, tùm in accessoriis: vel renuntiatione delegati, re integra; vel si partes ad delegantem transmittat, vel morte illius, §. *Item, Inst. de mand.* At delegatio facta alicui nomine dignitatis numquam expirat, quia dignitas nunquam moritur, *c. Quoniam, de off. Jud. deleg.*

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS
DE
JURISDICTIONE ECCLESIASTICA.

TITULUS PRIMUS.

Quæ causæ sint Ecclesiastici Fori, vel non.

SUMMARIUM.

I. Actiones personales Clericorum sunt Ecclesiastici fori.

II. Clerici simplicis tonsuræ non gerentes habitum Clericalem, nec beneficiati, aut Ecclesiæ servientes non habent privilegium fori. Clerici conjugati non habent privilegium fori.

III. Clericis excommunicatis in temporalibus actio non denegatur secùs in spiritualibus.

IV. Clerico privilegio fori renuntiare non licet, in Gallia licet, si de causa civili temporali agatur. Ante litem contestatam exceptio declinatoria fori proponi debet alioquin sumptus frustratorios debet refundere. Clericus accusatus, vel conventus civiliter de excessu coram Iudice Laïci remittì debet ad judicium Ecclesiasticum.

V. Clericus conventus pro publicis functionibus non dimittitur declinare volens.

VI. Idem dicitur, si conveniatur actione tutelæ, vel curæ, vel sequestrationis, vel pro socio, vel actione empti pro re evicta.

VII. Si Clericus cum Laïco sit in solidum obligatus, coram Iudice Laïco potest conveniri.

VIII. Si Clericus cum Laïco deliquerit, & crimen sit commune, privilegio fori utitur. Si Clericus percusserit Laïcum pro alimentis & medicamentis, potest conveniri coram Iudice Laïco.

IX. Clerici citantur ad ferendum testimonium coram Iudice Laïco sub pœna saisinæ bonorum.

X. Si Clericus conveniatur re evicta.

XI. Si Clericus fidejusserit pro Laïco, suo privilegio uti potest.

XII. In reconventione & mutua petitione Clericus non potest declinare, nec in actione hæreditaria mota contra defunctum, nec re evicta.

XIII. Agnitio chirographi contra Clericum coram Judice Laïco parit hypothecam, & sufficit pro provisione.

XIV. Si de instrumento publico cancellando agatur Clericus, coram Judice Laïco conveniri potest.

XV. Si de Ecclesia ædificanda agatur, cognitio est Judicis Laïci, & si de reparanda agatur cognitio est mixti fori. Si de vestibus vel ornamentis Ecclesiæ agatur, cognitio est Judicis Ecclesiastici.

XVI. Si de congrua portione Vicarii ad Iudicem Ecclesiasticum causa remittitur, interim tamen provisio Vicario decernitur, idem dicitur si de salario concionatoris agatur.

XVII. Si de taleis aut tributis publicis agatur, rebus vel personis impositis, Clerici privilegio fori uti non possunt.

I. CAUSÆ sunt Ecclesiastici fori, ratione personæ, vel ratione rei. Ratione personæ omnes actiones personales, quibus Clerici tenentur ex contractu, vel quasi, ex delicto, vel quasi delicto, sunt Ecclesiastici fori, *c. Nullus, & c. Si quis* 11. *q.* 1. Nomine Clericorum omnes Clerici, sive sint in sacris, sive habeant simplicem tonsuram, continentur: etiam Clerici conjugati.

II. Verùm hodiè Clerici simplicis tonsuræ, quique habent solùm Ordines minores,

non habent privilegium fori, nisi habitum Clericalem gerant, & scholastici sint, aut Beneficiati, aut Ecclesiæ muneribus ascripti, ex Constitutione Molinensi *art.* 40. & declaratione ejusdem Constitutionis *art.* 8. *juxta Concilium Tridentinum, Sess.* 27. *c.* 6. Et per matrimonium, Beneficium & privilegium Clericale amittitur, ut dicemus infrà.

III. Dubitatur an Clerici excommunicati retineant privilegium fori: & respondetur, eos retinere, *Faber ad Authent. statuimus, Cod. de Episc. & Cler.* Nam licèt excommunicatis in judicio denegentur actiones, eis non negantur exceptiones, quibus se defendant in judicio, *c. Cùm inter, & c. significaverunt, de except.* Et in Gallia excommunicatis non denegantur actiones in temporalibus, exceptio excommunicationis eis obstat in spiritualibus, non autem in temporalibus, *Anfrerius q.* 132.

IV. Ex Jure Canonico Clerici exceptioni declinatoriæ fori renuntiare non possunt, & non obstante tali renuntiatione semper admittuntur ad declinandum, *c. Si diligenti, de foro compet.* Nam talis exceptio est in gratiam Ordinis Ecclesiastici, & pactis privatorum juri publico non derogatur, *l. Jus publicum, ff. de pactis.* Verum ex Jure Civili & moribus nostris, si de causa civili temporali & particulari agatur, Clericus tali exceptioni renuntiare potest, *ex l. Si quis, C. de Episc. & Cler.* Si verò de re spirituali agatur aut mixta, aut de re temporali Ecclesiæ, renuntiare non potest. Renuntiatio fit expressè. Ante litis contestationem exceptio declinatoria opponi debet litteris Ordinum exhibitis, *Molin. ad Joan. Gallus, quæst.* 353. Si post opponatur Clericus refundere debet sumptus frustratorios, *Maynard lib.* 1. *cap.* 24. *Brodeau in notis Loüet littera D. num.* 29. Idem dicitur, si post litem contestatam Laïcus in causa fori sæcularis velit declinare à foro Ecclesiæ. At si causa sit criminalis, vel agatur civiliter de corrigendo excessu, Clericus accusatus vel conventus civiliter coram Judice sæculari tenetur opponere declinatoriam fori, non potest huic exceptioni renuntiare, & si renuntiet à Judice Ecclesiastico requiri potest per Procuratorem Officialitatis, & à Judice sæculari debet remitti, *c. Si diligenti, de foro compet. & c. Sanctæ Mariæ, de constit.* exceptis certis casibus in quibus hæc exceptio non admittitur.

V. Nam quoniam in civilibus Clericus huic exceptioni & privilegio fori renuntiare potest, varii sunt casus in quibus renuntiare videtur, & non dimittitur declinare volens. Veluti, si conveniatur pro publicis functionibus, ratione vectigalium publicorum, aut tributorum, vel pecuniæ publicæ, quam exegit & administravit, coram Judice Laïco respondere tenetur: nam suscipiendo hæc munera, privilegio fori renuntiasse censetur, *lege unica, C. in quibus causis militantes præscriptione fori uti non possunt, Joannes Gallus q.* 257.

VI. Si Clericus conveniatur actione tutelæ, vel curæ, similiter respondere debet coram Judice sæculari, ex cujus decreto administravit, vel administrare debuit, *l.* 1. *C. ubi de ratiociniis tam publicis quàm privatis, Bened. in c. Raynutius, verb. & uxorem, num.* 420.

Si Clericus ex mandato Judicis Laïci custodiam rei alicujus litigiosæ susceperit, idem est dicendum quod suprà, *Benedictus loco cit. n.* 419. *Papon lib.* 1. *Placitorum tit.* 4. *n.*121.

Si Clericus conveniatur actione pro socio ex societate rei temporalis initæ cum Laïcis, vel mandati susceptí, aut de negotiis gestis rei temporalis, aut judicio familiæ erciscundæ, vel communi dividundo rei temporalis, coram Judice sæculari administrationis suæ rationem reddere debet, *Bened. post Masuer. loco cit. n.* 420. *Papon Arrestorum lib.* 1. *tit.* 4. *n.* 9. juxta Constitutionem Francisci I. *mensis Augusti anni* 1539.

VII. Si Clericus simul cum Laïco sit obligatus in solidum ratione communionis potest conveniri coram Judice Laïco, *Covarruvias practicarum quæstionum c.* 34. *n.* 1.

VIII. At si de delicto communi agatur Clericus remitti debet ad Judicem Ecclesiasticum, si crimen sit commune: tamen, si Clericus percusserit Laïcum, pro alimentis & medicamentis, coram Judice Laïco conveniri potest & cogi, *ex ordinatione Caroli IX. des Sentences par provision, art.* 8.

IX. Clerici citantur coram Judice sæculari ad ferendum testimonium sub pœna saisinæ bonorum temporalium tum in causa civili, tum criminali. *Ferrerius ad Guid. Pap. quæst.* 65.

X. Si Clericus conveniatur ab emptore actione empti, ob evictionem rei venditæ, coram Judice sæculari, cujus sententiâ res ea fuit evicta, non potest uti præscriptione fori, *l. Si venditor, ff. de jud. Ben. loc. cit. num.* 417.

XI. Tamen si Clericus fidejusserit pro Laïco, & conveniatur coram Judice sæculari, suo privilegio uti potest: sibi enim imputet creditor, quòd eum elegerit, nisi Clericus renuntiaverit privilegio, ut dictum est suprà. Et pari jure si Laïcus fidejusserit pro Clerico, coram Judice Ecclesiastico potest declinare: at si renuntiaverit declinatoriæ, aut litem contestatus sit, exceptione non oppositâ, sententia Judicis Ecclesiastici valebit in vim compromissi.

XII. Si Clericus conveniat Laïcum coram Judice Laïco, & mutuâ petitione coram eodem Judice reconveniatur ab eo, non potest declinare: nam reconventio species exceptionis est, ut compensatio fiat, *c. 1. de mutuis pet. Bened. loco cit. Faber C. de jurisd. omn. Jud. def.* 12. sic Judex actionis principalis fit Judex competens actionis incidentis, *l. 1. C. de ordine cognitionum.*

Si Clericus conveniatur actione hæreditariâ, ut liti adsit motæ contra defunctum, coram eodem Judice respondere debet. Hæres sequitur forum defuncti, *l. Hæres absens, ff de Judiciis.* Ubi cœptum est judicium ibi debet finiri, *l. Ubi cœptum, ff. de jud.* si lis mota non fuerit contra defunctum, vel ea perempta sit, & de actione personali & particulari agatur hæreditariâ, idem est dicendum; aut si agatur de actione universali hæreditariâ, petitione hæreditatis, aut familiæ erciscundæ; quarum omnium cognitio est Judicis Laïci. Nam qui succedit in jus alterius, eodem jure uti debet. Secùs si actio incipiat à Clerico ex aliquo contractu, aut pacto: eo enim casu coram Judice Ecclesiastico debet conveniri, nisi de re temporali immobili agatur, ut dicemus in *tit. sequenti.*

XIII. Si de confessione chirographariâ agatur contra Clericum coram Judice sæculari, idem Judex procedere potest ad agnitionem chirographi, & Clericus fateri debet, aut negare: & si actioni principali opponat declinatoriam fori, Judex eum debet remittere ad Judicem Ecclesiasticum. Verùm si confessus fuerit, Judex per modum provisionis edicere potest ut pecuniam chirographariam solvat actori, cautione interpositâ, vel deponat, *Bened. loco cit. n. 426. Anfrerius in Stylo Curiæ, c. 5. apud Molin.* Agnitio chirographi facta coram Judice Laïco parit hypothecam: At quæ fit coram Judice Ecclesiastico, non parit hypothecam ob defectum territorii, *Maynard 2. p. c. 68. Loüet lit. H. num.* 15.

XIV. Si de instrumento publico recepto à Notario Regio cancellando agatur contra Clericum, cessat exceptio declinatoria fori, *Benedictus loco cit. n.* 418.

XV. Si de Ecclesia ædificandâ agatur, cognitio est Judicis Laïci. Ita judicatum inter Consules civitatis Arelatensis petentes novas Parrochias ædificari in territorio contra Capitulum & Archiepiscopum opponentes declinatoriam, Arresto primæ Martii *1626.* quâ non obstante declinatoriâ oppositâ, Senatus deputavit Commissarium ad accedendum & inquirendum de necessitate. Et si de Ecclesiâ reparandâ agatur, cognitio est mixti fori. Nam etiam Episcopus visitando Diœcesim, aut in suo Tribunali potest reparationes necessarias Ecclesiæ decernere: Judex Laïcus, si adeatur, similiter de iis potest cognoscere, *Bened. loc. cit. num.* 430. *Joannes Gallus q.* 187. *&* 225. sive de reparanda, vel amplificanda Ecclesia agatur, Arresto *26.* Mai *1645.* pro amplificanda Ecclesia in territorio Massiliæ. Et præventioni locus est, ne is, qui eâ de re cognoscere cœpit, possit ab altero impediri. At si de vestibus vel ornamentis Ecclesiæ agatur, cognitio est solius Judicis Ecclesiastici, ut Senatus censuit Arresto 10. Octobris anni 1582. quo Prior Ecclesiæ loci de Chanterfi jussus fuit, tertiam partem pecuniæ necessariæ pro instauratione Ecclesiæ dilapsæ contribuere; & cognitio vestium & ornamentorum ejusdem Ecclesiæ ad Judicem Ecclesiasticum remissa est.

XVI. Si de portione congruâ Vicarii Parrochiæ agatur, cognitio est Judicis Ecclesiastici, ad quem Senatus causas hujusmodi remittere solet: interim tamen providet Vicario de certa portione, juxta modum fructuum, non computatis incertis oblationibus, ne Ecclesiæ ministerium deseratur, *Faber. de Jurisdict. omn. Iud. def.* 18. Sic judicatum fuit in causa Præpositi Senensis Arresto 13. Februarii anni *1625.* juxta Arrestum Senatûs Parisiensis 3. Decembris *1626.* relatum in praxi Gallica beneficiali in additionibus. Si de Concionatore dando alicui Parrochiæ agatur, cognitio similiter est Judicis Ecclesiastici, ut judicatum fuit inter Priorem & Consules loci d'Anoët *9.* Febr. anno *1617.*

XVII. Si de taleis aut tributis publicis agatur contra Clericum, cessat exceptio declinatoria, sive rebus, sive personis impositio facta sit tempore belli, aut pro publicis necessitatibus, aut excubiis civitatis, *de Immunit. Eccles.* Cùm Clerici sint Reipublicæ

membra, *L. de his Clericis, C. de Episc. & Clericis, cap. Inter alia de immun. Eccles.* Et cùm de his muneribus deliberatur Ecclesiæ Rectores vocandi sunt, *Panorm., in cap. Non minùs, de immunitate Ecclesiarum.*

TITULUS II.

Si Clericus conveniatur actione reali.

SUMMARIUM.

I. Vindicatione rei immobilis aut actione reintegrandæ possessionis Clericus convenitur coram Judice sæculari. Idem, si actione confessoria vel negatoria servitutis, aut rescissoria alienationis vel retractu agatur. Judex Ecclesiasticus cognoscit de arreragiis censûs, & mercede locationis contra Clericos.

II. Actio hypothecaria, si de ea principaliter agatur, est fori sæcularis.

III. Judicium possessorium rei spiritualis aut mixtæ est fori sæcularis, excepto Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

IV. Judicium petitorium rei spiritualis aut mixtæ est fori Ecclesiastici. Pendente judicio possessorio coram Judice Laïco, quiescit petitorium. De Beneficio vacante in regalia Judex Ecclesiasticus cognoscere non potest, nec in possessorio, nec in petitorio.

V. Judex Ecclesiasticus sequestrationem rei potest decernere.

VI. Judex Ecclesiasticus cognoscit de matrimonio de jure & de facto, & de sponsalibus.

VII. Pollicitationis de futuro matrimonio non habetur ratio, nisi litteris constet. Iudex Ecclesiasticus non cognoscit de raptu. Raptor raptam cogitur in uxorem ducere, si suæ conditionis sit, vel dotare. Pendente quæstione raptûs coram Iudice Laïco, Iudex Ecclesiasticus de promissione matrimonii cognoscere non potest.

VIII. Iudex Laïcus incidenter cognoscit de validitate, aut nullitate matrimonii.

IX. De decimis Iudex Ecclesiasticus cognoscit, an sint debitæ, & Iudex Laïcus, an sint solutæ.

X. Licentia habendi certam sedem in Ecclesia privatis est precaria.

XI. Cognitio de quarta Parrochiali est mixti fori.

XII. Privilegio aut præscriptione quarta Parrochialis amittitur.

XIII. Ius ordinandi Processiones pertinet ad Episcopum. Controversiæ de præcedentiis inter Regulares & Sæculares, fabricenses & fratres disciplinatos pertinent ad Episcopum, secùs in Gallia.

XIV. Si de ratiociniis fabricæ Ecclesiæ agatur ad Episcopum spectat cognitio.

XV. Si de electione Rectorum inter Fratres Disciplinatos agatur, cognitio est Iudicis Laïci.

XVI. Rectores Hospitalium coram Iudicibus Sæcularibus & Consulibus rationem reddunt.

XVII. Iudex Ecclesiæ in decreto citationis contra Laïcum causam debet exprimere.

I. SI de re temporali immobili agatur contra Clericum, apud nos cognitio est Judicis Laïci, sive actio sit universalis, ut est petitio hæreditatis, familiæ erciscundæ, communi dividundo; sive particularis, ut rei vindicatio Publiciana, actio reintegrandæ possessionis, *c. Veniens, de foro competenti.* Nam ut ait D. Augustinus, & refertur *in c. Quo jure, dist.* 81. *Tolle jura Imperatorum, ecquis dicere audeat, hæc mea villa est, aut domus mea est?* Idem dicitur si de servitute agatur, aut feudo, *c. Ex transmissa, de foro compet.* aut si agatur de censu fundiario, seu imposititio, contra possessorem fundi: aut si agatur de retractu, vel rescissione alienationis rei immobilis temporalis: de quibus controversiis, Constitutionibus Gallicis, Episcopi cognoscere districtè prohibentur, Constitutione Caroli V. anni 1571. Verùm si de arreragiis censûs agatur, & de ipso censu aut hipothecâ controversia non sit, cognitio est Judicis Ecclesiastici, *Joannes Gallus, quæst.* 34. Idem dicitur si de mercede locationis quæstio sit, vel de re mobili.

II. At si actione hypothecariâ principaliter agatur contra Clericum possessorem rei pignoratæ, cognitio est Judicis Laïci, *Choppinus de sacra Politia, lib. 2. c. 1. num.* 15. Nam actio hypothecaria est in rem scripta, tametsi ex contractu oriatur, & famula sit actionis personalis. Et si agatur contra Clericum principaliter actione personali ex contractu

tractu coram Judice Ecclesiastico, & incidenter quæratur de actione hypothecariâ, Judex Ecclesiasticus fit incidenter Judex competens actionis hypothecariæ, ex Arrestis Curiæ à Molineo relatis, *num.* 130. At si actio hypothecaria sit separata à personali, nimirùm si res oppignerata possideatur ab alio quàm debitore, Judex Ecclesiasticus condemnabit debitorem, salvo jure creditori, discusso priùs debitore, conveniendi tertium possessorem rei oppigneratæ coram Judice Laïco.

III. Si de re spirituali aut mixtâ agatur inter Clericos, duo instituuntur judicia, judicium possessorium, & petitorium. Judicium possessorium est duplex. Simplex possessorium, quo vindiciæ, aut possessio fiduciaria, seu recredentia rei litigiosæ, pendente lite addicitur ei qui titulum habet magis coloratum, ne cultus divinus retardetur. Et plenum possessorium, quo possessio rei definitivè addicitur jus habenti. Utrumque judicium possessorium cognitionis est Judicis Laïci, ut resolutum fuit Bullâ Martini V. Pontificis anni 1429. *Guid. Papæ, decis.* 1. & Constitutione Ludovici XI. ut notavimus, *lib.* 2. *de Beneficiis, tit.* 16. Nam Ecclesia non habet gladium, quo tueatur possessorem, & plerumque manu militari opus est, ad compescendas rixas, quæ moventur super controversiis possessionis. Hoc jure Judices Regii, à quibus immediatè appellatur ad Senatum, cognoscunt de possessione quarumcumque rerum spiritualium, & mixtarum, Beneficiorum Ecclesiasticorum, juris Patronatûs, juris eligendi & conferendi, juris Parrochialis, administrationis Sacramentorum, excepto Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, *Papon lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 1. Oza enim Dei judicio mortuus est, quòd in Arcam Dei manum extendere voluerit, *Reg.* 2. *c.* 6.

IV. At Judicium petitorium rerum spiritualium & mixtarum, in quo non de possessione, sed de jure & titulo disceptatur, est Judicis Ecclesiastici. Tamen ne potestas sæcularis & Ecclesiastica se invicem impediant, & partes eodem tempore pro eadem re ad diversa Tribunalia distrahantur, pendente possessorio coram Judice Laïco quiescit petitorium: alioquin, si Judex Ecclesiasticus de petitorio vellet cognoscere, est abusus. Et in Gallia de Beneficio vacante in Regalia Judex Ecclesiasticus cognoscere non potest, nec in possessorio, nec in petitorio, ut notavimus in Tractatu de Beneficiis, *lib.* 2. *tit.* 16.

V. Tamen si de re spirituali aut mixtâ controversia sit, eaque nondùm deducta sit ad forum sæculare, Judex Ecclesiasticus sequestrationem ejusdem rei decernere potest, si necessitas id exigat, *Molin. in c. Cùm olim, de rescript.*

VI. Si de matrimonio sit quæstio, aut principaliter movetur, aut incidenter. Si principaliter moveatur, de jure & de facto, seu an sit, & ritè matrimonium contractum sit, Judex Ecclesiasticus cognoscit de jure & de facto, inter Catholicos privativè, cùm sit Sacramentum, *Concil. Trident. Sess.* 24. *c.* 12. quo anathematizantur qui contrarium sentiunt.

Nec solùm Judex Ecclesiasticus cognoscit de fœdere matrimonii, sed etiam de sponsalibus, & promissione factâ de matrimonio contrahendo, ut præambulâ matrimonii, *Bacquet des Justices, chap.* 21. *num.* 33. Et sic Senatus hujus Provinciæ censuit in causa ad eum devoluta per appellationem tanquàm ab abusu, à sententia Domini de Laurentiis Archiepiscopi Arelatani, quâ Sabbatier jussus fuerat ducere in uxorem quandam Dominam, quam dato chirographo de matrimonio contrahendo cognoverat. Idem judicatum fuit alio Arresto ejusdem Senatûs inter Saus & Ponsarde super simili pollicitatione de matrimonio contrahendo, Arresto mensis Novembris anno 1626. quo causa fuit remissa ad præfatum Archiepiscopum. Verùm, quoniam coram eo Saus probavit illam mulierem post factam pollicitationem fornicatam fuisse cum aliis, sententiâ illius ab instantiâ, & lite fuit relaxatus.

VII. Harum promissionum & pollicitationum nulla habetur ratio, nisi litteris constet ex Edicto anni 1655. juxta Constitutionem Molinensem, *art.* 55. nec si copula carnalis allegetur interveniisse: quo casu Judex Ecclesiasticus de promissione cognoscit, & super raptu, aut copula partes remittit ad Judicem Laïcum, qui de delicto inquirit, & jubet raptorem raptam ducere in uxorem, si suæ conditionis sit, sub pœna mortis juxta Constitutiones Regias: & Constitutionem Justiniani *de raptu virginum*, vel si conditio sit dispar, eam dotare. Et abusus est, si de raptu coram Judice Laïco querimoniâ propositâ, Judex Ecclesiasticus, de promissione cognoscat. Tenentur autem Judices Ecclesiastici in causis hujusmodi Constitutiones Regni observare. Et si Judicio Judicis sæcula-

ris reus à crimine raptûs fuerit absolutus, & à promissione sponsalitia, & citetur coram Judice Ecclesiastico pro eadem promissione, est abusus. Ut judicatum fuit pro Bertet contra Gastinello Arresto 9. Januarii 1662.

At Judex Ecclesiasticus neque de dote, aut donatione propter nuptias, nec de arrhis sponsalitiis potest cognoscere, *Choppinus de sacra Politia, lib. 2. cap. 1. num. 4. Molin. in c. Ad prudentiam, de donat. inter virum & uxorem.* Hæc enim sunt temporalia, de quibus inter Laïcos Judex Ecclesiasticus apud nos cognoscere non potest, ut cognoscit in terris obedientiæ, velut de accessoriis matrimonii, *Can. de prudentia, de donationibus inter virum & uxorem.*

VIII. Si verò de matrimonio incidenter agatur, nimirùm si de dote, aut donatione propter nuptias, aut de successione liberorum illius matrimonii, lis moveatur coram Judice Laïco, & opponatur, nullum esse matrimonium, vel illud esse invalidum, Judex Laïcus incidenter potest cognoscere de validitate aut invaliditate matrimonii, an sit, vel an ritè & validè contractum sit, *Panormit. in c. Duo simul, de off. Judicis Ordin. Molin. ad L. 6. C. de Sacros. Eccles.* nam Judex quæstionis principalis fit competens quæstionis incidentis, ne eadem causa per diversa Tribunalia distrahatur, *L. 1. C. de Ordine judiciorum.*

IX. Si agatur de decimis, similiter distinguitur; aut quæstio est de jure, an debeantur, cui debeantur, vel in qua quotâ sint debitæ, & ad Judicem Ecclesiasticum spectat cognitio: vel est quæstio facti, an sint solutæ, & ad Judicem Laïcum cognitio pertinet, *Faber C. de Jurisdict. omn. Judicum, defens. 49. juxta Constitutionem Philippi IV. anni* 1302.

X. Magistratibus, Officiariis publicis, Dominis feudatariis, & patronis, jus est habendi sedem aut banchum in Ecclesia, quo jure judicio possessorio possunt experiri coram Judice Laïco, ne vis eis fiat quominùs habere liceat: cæteris verò privatis nulla eo nomine competit actio, tametsi nitantur possessione temporis immemorialis: nam talis licentia censetur precaria revocabilis ad nutum Superioris, ut decisum fuit in causa quadam Arelatana Arresto mensis Maii anni 1628.

XI. Si de quarta vel tertia intorstitiorum cereorum, & oblatorum funeralium, à Monasteriis & Ecclesiis inferioribus debitâ Ecclesiæ Parrochiali, ambigatur inter Rectorem Ecclesiæ Parrochialis, & Oeconomum Ecclesiæ inferioris vel Monasterii, cognitio est mixti fori: Judex Ecclesiasticus potest hujusmodi controversias dirimere: & Judex Laïcus, si causa ad eum deferatur, potest de ea cognoscere, ratione possessionis. Sic enim Senatus cognitionem suscepit de hujusmodi controversiis inter Oeconomum Ecclesiæ Cathedralis Massilienſis, & Rectorem Hospitalis Sancti Spiritûs anno 1629. & inter Oeconomum Franciscanorum Observantiæ Pignaci, & Rectorem Ecclesiæ Parrochialis, anno 1621. Quibus Arrestis juxta Jus Commune Canonicum, *in c. Cùm super, & aliis, de sepult.* tertia vel quarta pars, prout fert consuetudo loci, addicitur Ecclesiæ Parrochiali, ad resarciendam injuriam vel damnum, quod illa pati videtur ex electione & tumulatione suorum Parrochianorum in aliis locis ab Ecclesia Parrochiali, in qua baptizati fuerunt, & Sacramenta percipere consueverunt. Verùm duplici exceptione à petitione submovetur, vel ex privilegio concesso à Sede Apostolica Ecclesiæ inferiori, vel Monasterio, vel præscriptione quadragenaria. Privilegio exemptionis Ordini concesso omnia Monasteria ejusdem Ordinis eximuntur. Si verò certis Monasteriis privilegium sit concessum, cæteris Monasteriis ejusdem Ordinis non prodest, *Concil. Trident. Sess. 25. cap. 13.*

XII. Præscriptione verò Ecclesia inferior, aut Monasterium liberatur, *c. de quarta, de præscript.* Si præscriptio nitatur titulo vero aut putativo, præscriptio quadragenaria sufficit: si verò titulus desit, præscriptio temporis immemorialis desideratur, *Panorm. in d. c. de quarta.* Liberantur etiam Ecclesiæ inferiores cessione aut remissione Ecclesiæ Parrochialis, *Panormit. loc. cit.* vel de toto, vel de parte. Hinc est quòd in eadem civitate ex pluribus Monasteriis & Ecclesiis inferioribus, ab aliis quarta integra, ab aliis tertia debetur: & in Gallia ex generali consuetudine de intorstitiis, seu cereis majoribus, non de pecunia, aliisque rebus oblatis in Missa, aut testamento relictis, à Regularibus portio debetur, *Capella Tolosana, quæst.* 482. Idem etiam alibi observatur, *Panormit. in c. 1. de statu Monachorum.*

XIII. Solent etiam excitari controversiæ inter Clericos sæculares, & regulares, de

præcedentiis in processionibus & comitiis ; de quibus Episcopus debet cognoscere & tales controversias celeriter derimere appellatione remota *Concil. Trident. Sess. 25. cap. 13.* Idem statutum intelligitur de fabricensibus & fratribus disciplinatis, *Navarrus de foro competenti consil. 3. & refertur Arrestum consilii privati 10. Junii anni* 1554. In libro Gallico praxis Beneficialis in additionibus, datum inter Cardinalem Vandemosium Archiepiscopum Rothomagensem, & Curiam Parlamenti super controversia mota de Ordinandis Processionibus generalibus, quæ celebrari solent de mandato Regis ; quo Jus ordinandi Processionem tribuitur Archiepiscopo, & ejus Vicariis, eisque mandatur, ut locum & præeminentiam servent Officiariis Curiæ, ut Parisiis servari solet : Verum inter sæculares Judex Laïcus hujusmodi contentiones dirimit, de præcedentiis.

XIV. Si de ratiociniis fabricæ Ecclesiæ agatur contra fabricenses ad Episcopos & eorum Officiales spectat cognitio, quibus nullum salarium eo nomine debetur, *ex Edicto Henrici IV. 16. Martii anni 1609. & Ludovici XIII. Decembris anni 1619.*

XV. Tamen si de electione Rectoris Fratrum Disciplinatorum agatur, aut confirmanda alienatione prædiorum Confraternitatis, Curia Parlamenti sibi cognitionem vindicat. Sic enim decretum Officialis Episcopi Tolonensis confirmativum electionis Rectoris fratrum disciplinatorum loci du Castellet, appellatione interpositâ velut ab abusu ; infirmatum fuit Arresto mensis Maii anno 1623. & decretum Officialis Archiepiscopatus Arelatensis, quo similiter confirmaverat venditionem prædii Confraternitatis sancti Antonii à Rectoribus factam, fuit annullatum, & venditio rescissa Arresto *mensis Maii anni* 1632. Nam electiones & contractus Laïcorum sunt cognitionis Judicis Laïci : at ratiocinia pecuniæ Ecclesiasticæ, de quibus suprà, sunt cognitionis Judicis Ecclesiastici.

XVI. Rectores Hospitalium de reditibus illorum, & legatis piis coram Episcopis eorumve, Officialibus, vocatis civitatum Rectoribus, rationem reddere tenebantur, *ex L. Nulli, C. de Episc. & Cler. & Constitutione Gallica Caroli IX. anni* 1561. *art. 6.* Hodie ad Judices sæculares spectat cognitio, *ex Constitutione Henrici III. anni* 1585. quibus nullum salarium eo nomine debetur, ex Lege & Constitutione suprà citatis, ut judicatum fuit placito Senatûs *anni* 1624. Excipiuntur Hospitalia, quorum cura ex fundatione pertinet ad Episcopos, quibus cognitio earum rerum reservatur, *Constitutione Meluni anni* 1580. *art.* 10.

XVII. Quapropter ad vitandum conflictum Jurisdictionum inter Judices Ecclesiasticos & Laïcos, Constitutionibus Gallicis cavetur, quòd Judex Ecclesiasticus decernendo citationem contra Laïcum, summatim exprimat causam citationis, ut ille consulat, an coram eo respondere debeat, vel non ; alioquin ex dictis Constitutionibus ille adire debet suum Judicem Laïcum, qui Clerico ; si causa sit Jurisdictionis suæ, inhibet ne eam distrahat, & injungit partibus, quòd coram se procedant, sub pœna nullitatis ; vel appellare potest à tali decreto ad Senatum tanquàm ab abusu. Et similiter Judex Laïcus decernendo citationem contra Clericum, causam exprimere debet ad eumdem finem ; alioquin à decretis hujusmodi appellare licet tanquàm ab abusu, ex Constitutionibus Ludovici XII. mensis Junii 1510. & Francisci I. anni 1536. *art.* 40.

TITULUS III.

Si contra Clericum ex delicto agatur.

SUMMARIUM.

I. *Iudex Laïcus de excessibus Clericorum non potest inquirere, nec judicare : & si inquisierit testes sunt recensendi à judice Ecclesiastico. Si Iudex Ecclesiasticus inquisierit contra Clericum de crimine privilegiato, testes recensentur à Iudice Laïco.*

II. *Attentata Clerici lite pendente coram Iudice Laïco, ab eodem Iudice reparantur. Attentata in primis sunt reparanda.*

III. *Iudex Laïcus potest inquirere contra Clericum in testem productum super objectis, idem dicendum de Iudice Ecclesiastico contra Laïcum.*

IV. *Clericus ob falsum testimonium, aut calumniam à Iudice Laïco puniri potest.*

V. *Clericus exercens officium sæculare, & in eo delinquens, à Iudice Laïco punitur.*

VI. *De crimine privilegiato Iudex Laïcus*

cognoscit contra Clericos. Crimen læsæ Majestatis, & falsæ monetæ, infractionis salvæ gardiæ Regiæ, crimen falsi commissi in litteris Sedis Apostolicæ, aut Regis, vel instrumento publico, sunt privilegiata.

VII. *Ob crimen hæresis Clericus amittit privilegium fori.*

VIII. *Si Clericus exerceat Officium vile in domo magnatis, amittit privilegium.*

IX. *Vis publica est crimen privilegiatum.*

X. *Si Clericus accusatus criminis communis, sibi mortem consciverit, demittitur Judici Ecclesiastico.*

XI. *Homicidium simplex commissum sine armis est commune, nisi crimen sit qualificatum ut parricidium. Assasinum est privilegiatum.*

XII. *Crimen raptûs, incestûs sine vi, est commune. Idem dicitur de crimine commisso in monialem. Secus si vis adhibita fuerit, & tutela Monasterii violata, aut reus deprehensus in habitu Laïcali. Talis quis præsumitur, qualis reperitur in habitu.*

XIII. *Crimen sodomiæ privilegiatum.*

XIV. *Crimen commune, ex circumstantiis fit privilegiatum.*

XV. *Ob delicti atrocitatem Judex Ecclesiasticus reum convictum tradit brachio sæculari*

XVI. *In Gallia, non expectatâ Judicis Ecclesiastici declaratione, Judex Laïcus procedit contra Clericum præ crimine privilegiato. Clericus deprehensus in flagranti delicto, à Judice Laïco potest incarcerari & interrogari: & si crimen sit commune remittitur ad Judicem Ecclesiasticum.*

XVII. *Pro delictis privilegiatis à Judicibus Regiis & Ecclesiasticis conjunctim fit processus & separatim judicatur.*

XVIII. *Casus, in quibus delictum privilegiatum separabile est à communi. Incendium commissum in prædiis urbanis, vel rusticis indistinctè est privilegiatum.*

XIX. *Crimina mixti fori. Magia crimen privilegiatum.*

XX. *Clericus ad mortem damnatus priùs degradatur.*

XXI. *Judex Ecclesiasticus non potest confiscare. Cum bona clerici confiscantur, bona immobilia cedunt Domino territorii, mobilia Ecclesiæ.*

XXII. *In pœnis irrogandis status rei tempore delicti commissi attenditur.*

XXIII. *Hæresis contra Laïcos in Gallia non punitur, & contra Clericos, pœna depositionis irrogatur.*

XXIV. *Si reus litteras abolitionis obtinuerit Judex Regius de illis cognoscit.*

XXV. *Præscriptione viginti annorum crimina extinguntur, reus tamen manet irregularis.*

I. CAUSÆ criminales Clericorum sunt Ecclesiastici fori. Laïcis enim Deus dixit: *Nolite tangere Christos meos, Paralipomenon 1. cap. 16. vide suprà cap. 11.* Hinc sequitur, quòd Judex Laïcus nec judicare potest de excessibus Clericorum, sed nec inquirere, defectu potestatis, *Faber Cod. de Jurisdict. omn. Judicum, defin. 42.* juxta *cap. Decernimus, de judiciis, & cap. Si diligenti, de foro competenti*, & si inquisierit, & crimen sit commune, reum cum toto processu ad Judicem Ecclesiasticum debet remittere, à quo testes sunt recensendi, & reus repetendus, *cap. At si Clerici, de judiciis.* Idem servatur, si Judex Ecclesiasticus inquisierit, & crimen sit privilegiatum. Et in Bulla Cœnæ excommunicantur Judices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua Parlamenta trahunt præter Juris Canonici dispositionem. Quibus verbis postremis excipiuntur casus in quibus de delictis & excessibus Clericorum Judices sæculares cognoscere possunt.

II. Nam si lite pendente coram Judice Laïco inter Clericum & Laïcum, super actione personali aut reali, Clericus aliquid attentaverit in præjudicium litis pendentis: Judex Laïcus pro Jurisdictione sua: potest attentatum reparare pœnali judicio. Attentata enim lædunt Jurisdictionem, & inprimis sunt reparanda, sive causa principalis sit cognitionis ejusdem Judicis sæcularis, sive ad Judicem Ecclesiasticum remitti debeat, nisi Judici Laïco visum sit, causam attentatorum simul cum causa principali conjungere, & ad Judicem Ecclesiasticum simul remittere, *Benedictus in c. Raynutius, verb. & uxorem, n. 433.*

III. Si Clericus in testem sit productus coram Judice Laïco, & repellatur objectu criminis, ab eo inquiri potest ad probationem objecti: at si crimen sit commune, causa remitti debet ad Judicem Ecclesiasticum, *Benedictus loco cit. n. 433.* Idem est dicendum, si Laïcus in testem sit productus coram Judice Ecclesiastico, & utroque casu tes-

tium depositiones probationis vim non habent ad finem condemnationis, nisi illi fuerint repetiti, *c. Ad si Clerici, de jud.*

IV. Si Clericus falsum testimonium dixerit in judicio coram Judice Laïco, aut calumniosè litem intenderit, ab eo puniri potest pœnâ pecuniariâ remotâ præscriptione fori, *L. Nullum, C. de testibus, Bened. loc. cit. n.* 434. & de pœna calumniæ idem sentit *Faber C. de Jurisd. omn. Jud. definit. 6.* At si crimen sit dignum pœna graviori, suspensionis vel depositionis Clericus ad Judicem Ecclesiasticum est remittendus, *juxta L. Qui falso, ff. de testibus, Faber loc. cit. def.* 35. qui pœnam mitigat, habitâ ratione pœnæ pecuniariæ à Judice Laïco irrogatæ ob contemptum Jurisdictionis suæ. Idem est dicendum de Clerico, qui coram Judice Laïco falsum instrumentum in lite produxit, *Papon lib. 1. tit. 4. num. 43. & seq.*

V. Si Clericus exerceat aliquod Officium sæculare, & in eo delinquat, à Judice Regio venit puniendus remotâ præscriptione fori, ex Bulla quadam Sedis Apostolicæ publicata in Parlamento Parisino, *ut refert Papon lib. 1. tit. 6. num.* 10.

VI. Sunt alia crimina privilegiata, de quibus ex privilegio vel consuetudine immemoriali Judices Laïci cognoscunt; quæ consuetudo probatur tolerantia Sedis Apostolicæ, ut notat Navarrus, *tom. 2. consil. 27. num. 1.* Crimen læsæ Majestatis in primo & secundo capite, seu si in personam Principis, ejusve liberos & uxorem, aut in rempublicam, vel in Legatos Principis reus attentaverit, per se, vel per alios facto, vel consilio, *Benedictus loco cit. num.* 435.

Crimen falsæ monetæ, *Benedictus ibid. Constitutio Francisci I. art.* 30. *& Henrici II. art.* 20. sive in fabrica, sive in corrosione, vel expositione, illud commissum sit, in quibus casibus authoritas Principis violatur, sine quâ moneta nec cudi, nec minui, nec exponi potest, *L. Quicumque, & L. Qui falsam, ff. Ad Legem Corneliam de falsis*: nummus enim dicitur quasi νόμος, seu lex ὅτι πάντα μέτρει, quòd sit mensura valoris rerum omnium, quæ cadunt in commercium, *Aristoteles 5. Ethic. c. 5.*

Crimen infractionis salvæ gardiæ à Principe concessæ, *Bened. loc. cit.* sic omnia crimina commissa à Clericis contra Regis Officiarios censentur privilegiata, reservata cognitioni illorum: nam & Judices Officiantes, & litium executores eorum mandata exequentes sunt sub tutela Regis immediatè, vel mediatè, si à Dominis feudatariis sint instituti. Sic sententia Judicis Sancti Remigii hujus Provinciæ qui Clericum mulctaverat ob verbum injuriosè prolatum, in sui contumeliam in Auditorio Justitiæ Arresto Senatûs fuit confirmata contra eundem Clericum appellantem velut ab abusu, mense Martio anno 1623. *juxta L. Nullum, C. de testib. Faber C. de Jurisdict. omn. jud. definit. 16.*

Crimen falsi in instrumento aut litteris Regio sigillo, munitis est privilegiatum *Joan. Gallus quæst.* 112. alioquin commune, verum si in judicio productum fuerit est privilegiatum, *Charondas en ses Pandectes, liv. 1. chap. 13.*

Crimen falsi commissi in litteris Apostolicæ Sedis est privilegiatum, *c. Ad falsariorum, de crimine falsi.*

VII. Crimen hæresis, est privilegiatum. Clericus enim eo ipso amittit privilegium Clericale, si pertinax sit, *c. Ad abolendam, de hæreticis.*

VIII. Si Clericus exerceat Officium vile, in domo Magnatis, & monitus non desistat, amittit privilegium fori, *Anfrerius de potestate sæculari in Ecclesiasticos, Reg. 1.*

IX. Suprà dictis jungitur vis publica, si Clericus cum armis alium aggressus fuerit Clericum, aut Laïcum, *Benedictus loco citato*; sed etiam si sine armis turbam concitaverit ad seditionem, reus sit vis publicæ: nam vis publica & privata eo differunt, quòd publica offendit publicam securitatem cum armis, vel sine armis, & privata offendit privatam securitatem. *Cujacius in Paratitlis Codicis, ad Legem Juliam de vi:* & qui publicam securitatem violat, Principem ipsum, qui custos est publicæ securitatis, offendere videtur, teneturque de tali crimine coram Officiariis illius respondere, sive Laïcus sive Clericus ille sit.

X. Si Clericus accusatus criminis privilegiati coram Judice Laïco, conscientiâ sceleris commissi sibi mortem consciverit, cognitio est Judicis Laïci, cujus Judicium reus effugere voluit: Si vero crimen esset commune, ad Judicem Ecclesiasticum spectat cognitio contra hæredes, ut judicatum fuit. Arresto Senatûs Tolosani *relato à Fevret, lib. 7. cap. 2. num.* 21. Et si sine crimine, aut conscientia sceleris commissi, sed tædio vitæ, aut furore, aut impatientia doloris Clericus ad mortem festinaverit, armis aut sine ar-

mis, laqueo aut Beneficio, aut casu præcipiti; cadaver hæredibus dimittitur, ut sepeliatur: nam talis mors signum amentiæ est, *ut ait Seneca lib. 3. controversiarum c. 9.* Vir sapiens non debet è vita fugere, sed exire, *idem Seneca Epistolâ 24.* explosâ Stoïcorum Jactantiâ de morte contemnenda. Nam mori ob carentiam bonorum, aut amorem argumentum est hominis pusillanimis & servilis, ut ait Aristoteles ad Nicomachum his verbis τὸ ἀποθνήσκειν φεύγοντα πένιαν ἢ ἔρωτα ἢ τι λυπηρὸν οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλίᾳ.

XI. Assassinum est quod per insidias committitur, & est privilegiatum, sive cum armis, sive sine armis, veneficio vel incendio, *Boërius quæst. 199. Fevret lib. 7. cap. 2. n. 21.* & utroque casu Beneficia, quæ reus possidet ipso jure vacant, ut diximus *in tractatu de Beneficiis*, & de incendio judicatum fuit in gratiam devolutarii nuncupati Olier, contra resignatarium incendiarii, qui accusatione pendente resignaverat, ad eludendum devolutarium, *Arresto 26. Maii 1634.*

Homicidium simplex commissum sine armis est commune cognitionis Judicis Ecclesiastici, *Faber Cod. de Iurisdictione omnium judicum definitione 26.* nisi crimen qualificatum sit, ut est patricidium, matricidium, fratricidium, in quibus casibus crimen est privilegiatum, & Beneficia rei ipso jure vacant ob gravitatem criminis, ut ex Arrestis citatis ostendimus *in tractatu de Beneficiis lib. 3. tit. 9.* homicidium commissum cum armis est privilegiatum, *Maynard lib. 1. quæst. 23.*

XII. Crimen raptûs in virginem aut viduam est fori Ecclesiastici, *Mornac. ad L. Raptores, cod. de Episcopis & Clericis.* Idem dicendum puto de incestu. At si vis adhibita fuerit, hæc crimina sunt privilegiata, ut constat ex supradictis. Et si Clericus in habitu Laïcali deprehensus sit in ipso delicto fori, privilegio uti non potest. Nam talis quis præsumitur, qualis reperitur in habitu, *c. in audientia, de sententia excommunicationis.* Vis censetur adhibita si Clericus Monasterii clausuram violaverit schalis admotis, ut contra regularem in comitiis Senatûs Massiliæ habitis quondam judicatum fuit, aut fractis foribus, vel falsis clavibus, apertis. Nam tutela horum locorum pertinet etiam ad Principes sæculares, *Constitut. Blesenſi, art. 31.* & hæc crimina noctu commissa magis offendunt securitatem publicam, μακαρών γὰρ νύκτες ἐστιν *Hesiodus*, noctes sunt sub tutela deorum, κλεπτῶν γὰρ νύξ, τῆς δὲ ἀληθείας τὸ φῶς, nox furibus amica, lux veritati, *ait Euripides.* Adde quòd depositio habitu Clericali, aut Regulari excessus hujusmodi committi solent: si verò sine vi crimen commissum sit in monialem, intra septa Monasterii vel extra, crimen commune est, quod licèt sacrilegio sit admixtum ob loci & personæ sanctitatem, non censetur privilegiatum.

XIII. Crimen sodomiæ est privilegiatum, quod cum sit contra leges naturæ Constantinus in reos hujus criminis leges armari jussit. Pius V. voluit eos ipso jure privari Beneficiis, & degradatos tradi brachio sæculari. *Riccius decis. 352.* si crimen sit consummatum, ut observat idem author. Sic placito Senatûs hujus Provinciæ mensis Martii anni 1601. quidam Clericus, locis d'Olioles convictus hujus criminis, Arresto damnatus fuit, *notat Fevret lib. 7. cap. 2. num. 13.* Idem de obrutescentibus dici debet, *de incendiario, vide supra num. 11. & infra num. 20.*

XIV. Cætera crimina censentur communia, pertinent ad cognitionem Judicis Ecclesiastici, nisi ut dictum fuit, vis adhibita sit, quo casu excessus vis adhibitæ, qui à potestate sæculari est reprimendus, ad eam trahit cognitionem criminis communis, ob causæ continentiam, *Faber C. de Jurisdictione omnium Judicum definitione 26.* aut nisi Clericus in ipso delicto in habitu Laïcali deprehensus sit, eo enim casu crimen commune fit mixtum, & præventioni locus est inter Judicem Ecclesiasticum, & Laïcum: nam per præventionem jus illud acquiritur Judici Laïco, si in statu Laïcali Clericum deprehenderit, quia talis quis præsumitur, qualis reperitur in habitu, ut supra diximus, non solùm ad informandum, sed etiam ad puniendum: nisi à Judice Ecclesiastico requiratur, ut Clericum ad se transmittat, quod si crimen sit commune non debet negari, ut unicuique sua Jurisdictio conservetur illæsa.

XV. Tamen si delictum commune adeo sit atrox, scandalosum, quod pœna mortis debeat expiari, Judex Ecclesiasticus Clericum convictum cum processu transmittere debet ad Judicem Laïcum, ut ex legibus civilibus puniatur, ut in Curia Archiepiscopali Aquensi, ante aliquot annos factum fuit, de quodam errone misello natione gallo pro Presbytero se gerente habitu & tonsura, qui in Ecclesiis oppidorum vicinorum operam suam locaverat, ministraverat, & celebraverat, & litteris prætensæ Ordinationis suæ

exhibitis Vicario Generali, ut licentiam obtineret, falsi vitio comperto captus & convictus, in carceres Curiæ sæcularis traductus Arresto Senatûs mortis supplicio fuit addictus, sic crimen commune fit privilegiatum in istis casibus, testes à Judice Laïco sunt recensendi, & reus repetendus ante condemnationem, *Olive c.* 24. nisi Judex Laïcus in informationibus, & auditione rei adstiterit cum Judice Ecclesiastico.

XVI. At Jure Canonico Judex Laïcus procedere non potest contra Clericum pro crimine privilegiato, nisi ille priùs fuerit convictus coram Judice Ecclesiastico, degradatus & exutus privilegio Clericali, *c. Ad abolendam, de Hæret. Panorm. in c. At si Clerici, de judic.* vel ob incorrigibilitatem à Judice Ecclesiastico brachio sæculari traditus sit, *Gloss. in d. c. Ad abolendam.* Verùm in Galliâ non expectatâ Judicis Ecclesiastici declaratione & remissione, si crimen sit privilegiatum Judex Laïcus procedit contra Clericos, ex consuetudine antiqua, & tolerantia Ecclesiæ, ne per frivolas appellationes Clericorum crimina maneant impunita, & Justitia sæcularis ludificetur, *ut ait Benedict. loc. cit. num.* 442. Et si Clericus sit deprehensus in flagranti delicto à Judice Laïco, ab eo potest incarcerari & interrogari. Verùm si crimen sit commune, remittendus est ad Judicem Ecclesiæ etiam invitus.

XVII. Et ut Jurisdictio utraque conservetur, Constitutione Francisci I. anni 1540. *art.* 11. vetitum fuit Judicibus Ecclesiasticis cognoscere de delictis privilegiatis contra Clericos, nisi vocato priùs Procuratore Regio, eique actis causæ editis; & apertiùs Constitutione Henrici III. *anni* 1590. *art.* 22. cavetur, quòd pro delictis privilegiatis à Judicibus Ecclesiasticis & Regiis contra Clericos conjunctim fiat processus, & Judex Regius, vel Commissarius teneatur ad hunc finem adire Tribunal Ecclesiasticæ Jurisdictionis.

At tametsi inquisitio & interrogatio rei conjunctim fiant à Judice Ecclesiastico & Laïco, si constet de delicto privilegiato, & illa crimina sint separabilia, uterque Judex judicat separatim, Laïcus de privilegiato, & Judex Ecclesiasticus de communi, *Papon lib.* 1. *Placitorum, tit.* 5. *num.* 54. *Choppinus de sacra Politia lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 22. priùs autem agitur de delicto privilegiato apud Judicem Laïcum, quàm de communi apud Ecclesiasticum, ex Constitutione Molinensi *art.* 39. & Judex Ecclesiasticus non potest relaxare reum à carceribus, nisi priùs solverit pœnam pecuniariam quam solvere jussus est à Judice Laïco pro crimine privilegiato, alioquin ipse tenetur pro reo ex eadem Constitutione. Si verò crimen privilegiatum non sit separabile à communi, ut de homicidio armis prohibitis commisso à Clerico diximus, privilegium casûs attrahit ad Judicem Laïcum cognitionem criminis communis.

XVIII. Casus autem in quibus delictum privilegiatum separabile est à communi varii occurrere possunt, ut de Clerico calumniatore, & eo qui falsum testimonium dixit, aut falsum instrumentum produxit coram Judice Laïco, suprà diximus; injuria enim facta in judicio Judicis Laïci separabilis est à delicto communi; & de Clerico arma gerente, incendiario; Judex Laïcus cognoscere potest de gestione armorum, qui casus est privilegiatus, & Ecclesiasticus de incendio, qui casus est communis, *Bened. loco cit. n.* 438. Tamen si in prædiis Urbanis, aut rusticis incendium sit à Clerico commissum indistinctè, cognitio est Judicis Laïci, ut variis Arrestis probat, *Fevret lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 22. quia violatur jus imperii, quod Princeps sæcularis habet in suis terris, *l. Deprecatio, ff. ad legem Rhodiam.* Et si incendio assassinum fuerit attentatum, crimen est privilegiatum, ut supra diximus.

XIX. Sunt alia crimina mixti fori, in quibus est prævention locus inter Judicem Ecclesiasticum & Laïcum, ut qui priùs occupaverit litem finire debeat, cujusmodi sunt sacrilegium, usura, adulterium, concubinatus, & sortilegium, *Iul. Clarus in practica criminali, q.* 37. *Faber in Codice def. unica, de crim. sacril.* Verùm apud nos in patria libertatis, nec Judex Ecclesiasticus de iis criminibus contra Laïcos cognoscere potest, nec Judex Laïcus contra Clericos de sacrilegio, usura, adulterio vel concubinatu, potest jus dicere, maleficia verò, quæ à magis, & sortilegis fiunt, privilegiata censentur, & morte puniuntur ex lege divina, *Exodi cap.* 22. *maleficium ne patiaris vivere.* De quibus contra Clericos Judex sæcularis cognoscit, ut vidimus in hac patria contra Presbyterum Massiliensem magum. His enim artibus vita insontium labefactatur, & publica securitas violatur, *l. Multis Cod. de maleficiis & mathematicis*, de sortilegis suprà diximus.

XX. Judex Ecclesiasticus varias pœnas contra Clericos convictos irrogare potest, ut

diximus suprà *cap.* 4. & quæstionem decernere : Judex Laïcus potest in eos decernere pœnam pecuniariam, aut relegationem extra Regnum vel Provinciam, *Papon loco citato, n.* 34. *&* 47. aut pœnam triremium, aut mortis ; potest etiam in eos quæstionem decernere, si de crimine privilegiato constet ex dictis testium, vel certis indiciis, *Papon loco cit. num.* 35. At si Clericum existentem in sacris ad mortem damnaverit, priùs eum ad Judicem Ecclesiasticum remittere debet, ut actualiter eum deponat ; & exauthoret, antequàm procedatur ad pœnæ executionem, cui si ante sententiam acta causæ fuerint exhibita, sola sententia est exhibenda : & degradatio fit ab Episcopo, vel ejus Vicario adhibitis sex assessoribus in Dignitate constitutis, juxta formam Concilii Tridentini, *Sess.* 13. *de reformat. cap.* 4. quo Jus vetus, *c.* 2. *de pœnis in 6. & c. Si quis tumidus* 13. *q.* 7. correctum fuit.

XXI. Cùm bona Clerici ex delicto privilegiato confiscantur per sententiam Judicis Laïci (nam Judex Ecclesiasticus non potest confiscare, ut suprà diximus) bona immobilia cedunt Domino territorii, mobilia vero Ecclesiæ, *Choppin. de sacra Politia lib.* 3. *c.* 1. *num.* 24. post Benedictum, ex consuetudine Galliæ, contra *Glos. in cap. quia diversitatem de conces. præb.*

XXII. Quid si Clericus post delictum commissum migret in statum Laïcorum, respondetur eum esse remittendum ad Judicem Ecclesiasticum, *Riccius in Praxi, post alios quos citat decis.* 590. nam in pœnis irrogandis status rei est attendendus, temporis delicti commissi, non status temporis condemnationis, *l.* 1. *ff. de pœnis :* Pari jure si Laïcus post delictum commissum ordinetur, aut fiat Regularis, ad Judicem Laïcum est remittendus, *Bartholus in dicta l.* 1. maliciis hominum non est indulgendum.

Si Clericus primæ tonsuræ dimisso habitu deliquerit, moxque pendente accusatione habitum Clericalem reassumpserit, & Ecclesiæ servire cœperit, ad Judicem Ecclesiæ remittendus est, *Farinacius decis.* 165. *ex decreto Cardinalium juxta c. Si judex de sententia excommunicationis in 6.* modò constet litteris de Clericatura ante delictum obtenta, *d. c. Si judex.*

XXIII. Olim in Gallia Episcopi & Inquisitores hæreticæ pravitatis inquirebant & cognoscebant de Hæresi, etiam contra Laïcos, ex Constitutionibus Francisci I. & Henrici II. quo tempore severè actum fuit in hac Patria ex Edicto Francisci I. contra Valdenses, ut observavit Dominus Præses Thuanus, *Hist. Gallicæ lib.* 5. Verum ex Constitutione Henrici II. Judex Ecclesiasticus reum hujus criminis si Laïcus esset, & pertinax in errore, ad Judicem Laïcum remittere tenebatur, ut pœnâ mortis, aut relegationis plecteretur. At ex novis Constitutionibus in Laïcos ampliùs non inquiritur de Hæresi, crimen illud apud nos solum Deum habet ultorem ; satiùs est Hæreticos suasionibus allici quàm metu, ut ait Tertullianus, vel ratione doceri, vel oratione converti, vel patientia tolerari, ut ait doctissimus Marcilius Ficinus, *lib. de Religione.* Quamobrem Rex Christianissimus Henricus IV. post sedatos tumultus, quos diversitas Religionis in Regno excitaverat, libertatem Religionis Hæreticis permisit, eos cum Catholicis conciliavit, fecit illis jura communia in successionibus, Muneribus publicis, & matrimoniis, imitatus Theodoricum, qui subditos suos ad credendum cogere noluit, teste Cassiodoro. In Clericos verò ab Episcopis eorumve Officialibus inquiritur de Hæresi, ad hoc solùm ut si convincantur, & pertinaces sint, ab Ecclesia eliminentur, Ordine & Beneficio moveantur, seu depositi denuntientur : nam ipso jure pœnam depositionis incurrunt, *can. ad abolendam, de Hæreticis.*

XXIV. Interdùm reus in casibus supra dictis obtinet à Principe sæculari Litteras abolitionis, quibus silentium imponitur Judici Laïco, & neque Judici Laïco de criminibus in Litteris contentis cognoscere licet, nec Judici Ecclesiastico, *Benedictus in c. Raynutius n.* 445. Tamen Judex Laïcus ad quem Litteræ hujusmodi diriguntur, cognoscit de validitate earum Litterarum ; si validæ sint, impetrantem dimittit ; si verò sint obreptitiæ vel subreptitiæ, cognoscit de crimine privilegiato, & reum mulctat pœnâ condignâ ; & si crimen commune sit admixtum, cognitionem illius Judici Ecclesiastico dimittit.

XXV. Præscriptione viginti annorum crimina extinguntur ex *l. Quis quærela à falsi C. ad legem Corneliam de falsis*, eandemque legem habere locum in foro Ecclesiæ creditur, *Fevret lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 11. reus tamen irregularis manet, si censuram irregularitatis incurrerit, donec fuerit absolutus, ad respectum ordinum, & beneficiorum : nam præscriptione

criptione non liberatur à pœna canonis jam incursa, ut constat ex iis quæ notavimus ad regulam *de triennali pacifico possessore*, quin imò pœna crescit si neglecta absolutione, & contempta potestate clavium maneat in reatu.

TITULUS IV.

De Judiciis Ecclesiasticis, & præparatoriis eorum.

SUMMARIUM.

I. Idem ordo observatur in præparatoriis causæ in foro Ecclesiæ. Citatio ubi fieri debeat.
II. Si reus vel actor non comparuerit.
III. Ut purgetur rei contumacia.
IV. De edendo & contestatione litis. De interlocutione Judicis ad fines probationis, articulis edendis, testium productione & auditione.
V. De inquisitionibus recipiendis, vel non.

NON erit alienum à nostro instituto de Judiciis Ecclesiasticis, & præparatoriis eorum, in hoc titulo breviter agere, in gratiam tyronum, quorum utilitati consulere desideramus, antequàm de delegationibus Apostolicis & appellationibus agamus.

I. Idem ordo in foro Ecclesiastico, in præparatoriis causæ & Judiciis observandus est, qui in foro sæculari debet observari. Primò, ex Judicis mandato ad petitionem actoris reus in Jus vocatur: mandatum ei denuntiatur per apparitorem: si non reperiatur, denuntiatio fit in ejus domicilio in persona alicujus ex suis domesticis; si nemo reperiatur, exemplum mandati & denuntiationis per apparitorem affigitur in ostio domicilii, vel in valvis Ecclesiæ, in qua denuntiatus ministrat, aut Beneficium possidet, *Clement. causam de elect. Masuer. tit. des ajournemens, num.* 14. Cùm verò reus non habet domicilium, nec Beneficium aut Officium in Ecclesia, citari debet ubi degit, aut versari consuevit, *l.* 2. *C. ubi de criminibus agi oportet.*

Si sit extra Provinciam, & difficilis sit accessus, citatio solet fieri ex Judicis mandato, edictis affixis in limitibus illius Provinciæ: sic enim præsumitur ad ejus notitiam pervenisse, *Alexander in additionibus ad Bartholum, in l. Divi,* §. *Præsides, ff. de requir. reis. Faber Cod. de in jus voc. def.* 2.

II. Si citatus non veniat, alio Judicis edicto arguitur ejus contumacia, & iterùm citari mandatur; & si non sistat, post lapsum termini, super actis ex parte actoris productis, Judicis sententiâ contumax declaratur, suis exceptionibus submovetur, declinatoriis, dilatoriis, & peremptoriis: & si actoris intentio probata sit, contumax eodem judicio condemnatur: si verò non sit probata, actor admittitur ad probandum per testes vel instrumenta: reus iterùm vocatur ex Judicis mandato, ut ad producta ex parte actoris respondeat, & super probatis & productis sententia fertur. In certis casibus unum edictum sufficit, & una citatio contra contumacem, si de causa favorabili agatur, putà de alimentis, aut mercede famulo debitâ, aut de re levi, putà de nummo uno.

Si verò die dictâ actor non sistat in jure, reus ab instantia relaxatur, salvâ tamen lite: nam liberum est actori, dato alio libello reum iterùm in Jus vocare, & aliam instantiam formare, ex integro litigare, *l. & post edictum* 5. §. 2. *ff. de jud.* nisi actio, quæ intenditur, lapsu temporis à lege definiti sit præscripta, sine qua inutilis instantia est.

III. Reus verò, qui ob absentiam & contumaciam damnatus est, duplex habet remedium: nam ad Superiorem potest appellare, vel eundem Judicem adire, qui sententiam tulit, & refusis expensis contumaciæ suas exceptiones proponere, quibus actoris intentio elidatur, & sententia lata μετρεμπτῶς unâ solùm parte auditâ retractetur.

In causa appellationis duo similiter edicta dilatoria requiruntur contra appellantem contumacem, ut appellatio judicetur, & una dilatio sufficit, ut appellatus ab instantia relaxetur.

IV. At si actor & reus sistant in judicio, libellus & acta actoris summatim eduntur reo, ut is deliberet cederene vel contendere debeat, & contestatio litis fiat. Si causa sit liquida, partes verbaliter contestari jubentur: actor suam proponit actionem, causas & rationes quibus ejus nititur intentio, & reus suas exceptiones, in criminalibus per se & in civilibus per procuratorem. Si verò causa sit ambigua & obscura, ob quæstiones facti

vel Juris, contestatio fit in scriptis ex Judicis edicto, & actis causæ utrimque ab invicem editis & productis apud actuarium, sententia fertur. Si pars alterutra comperendinetur, post tria edicta dilatoria super actis ex parte alterius productis lis judicatur; si res sit liquida & probata, Judicis sententiâ lis finitur; si verò non sit probata, fit interlocutio à Judice, quâ partes facta allegata in suis contestationibus ad rem pertinentia, in articulos redigere jubentur, & articulos sibi ad invicem edere, ut concedant, aut negent, & super negatis inquiratur.

V. Articulis editis, & à Judice admissis, inquiritur ab eo, vel à Commissario delegato: primò testes coram eo producuntur in loco & tempore designato, parte vocatâ, qui jurant se, verum dicturos, reo præsente, vel etiam absente, modò ei denuntiatum fuerit, ut veniret: mox partibus remotis, testes à Judice, adhibito Assessore, qui similiter jurat, de non revelando, separatim inquiruntur, priùs de nomine & qualitate ipsorum, tùm de factis in articulis & positionibus contentis.

Interdùm testes audiuntur in turma per decurias, cùm agitur de probanda consuetudine alicujus loci, vel publica fama; quo casu singuli quidem jurant, sed dividuntur per turmas & decurias; conveniunt simul in unaquaque decuria, & antiquior cujuslibet decuriæ respondet pro singulis suæ decuriæ.

Testium productio debet fieri intra terminum & dilationes à Judice datas, alioquin post dilationes & peremptorium edictum non admittitur, nisi remedio restitutionis, ob aliquod justum impedimentum; & remedium restitutionis uni concessum ad producendum testes, alteri simul prodest, ut pro se possit testes producere, ut restitutio sit æqualis, ne beneficium Prætoris cuiquam sit captiosum, & inquisitio fit pro eo sumptibus restituti, in pœnam moræ. In foro sæculari non datur restitutio nisi Litteris Regiæ Cancellariæ: hoc jus Princeps sibi reservavit. At in foro Ecclesiastico libellus continens impedimentum & causam restitutionis in integrum adversus lapsum temporis, & venia à Judice Ecclesiastico concessa producendi testes sufficit.

Post auditionem testium inquisitiones à Judice ejusque Assessore & ab actuario signantur & sigillatæ apud acta referuntur ex Judicis decreto, quo adversarius eas intra triduum impugnare monetur, argumentis nullitatis oppositis, post illam dilationem non audiendus. Nullitas arguitur vel ex Judicis incompetentia, vel ex defectu mandati, si Commissarius processerit sine mandato, vel quòd testes alio tempore vel loco producti fuerint, aut parte non vocatâ producti sit, vel non juraverint, vel de factis in articulis non contentis inquisiti fuerint, vel in turma auditi sint, nisi inquisitio per turbas deberet fieri, ut fit in casibus suprà notatis. Nam si nulla sit inquisitio, à Judice competente rejicitur, & de novo est inquirendum: si verò valida sit admittitur, salvo alteri jure testes reprobandi, si sint suspecti.

TITULUS V.

De testibus suspectis.

SUMMARIUM.

I. Impuberes non sunt testes idonei. Infames infamiâ juris repelluntur, ut maleficí, homicidæ, perjuri, falsarii & alii rei criminum. Infames infamiâ facti repelluntur in civilibus, non in criminalibus. Si sint gulosi, vel pauperes, vel commensales. Si excommunicati, vel eorum interest. An mulieri credatur contra stupratorem, vel puero contra sodomitam, vel socio criminis. An vassalli & clientes contra dominos testes admittantur. An arbitri, advocati, mediatores cogi possint ad testimonium. An clerici & regulares admittantur, & cogi possint. An hæretici sint testes idonei, an Hæbrei. Inimici repelluntur. In causa propria, vel præjudiciali quorum interest non sunt testes idonei.

II. Testis Judicis officio repellitur, odio ipsius. Testes admittuntur & audiuntur non obstante oppositione.

III. Post publicata testificata non licet testes reprobare.

IV. Reprobata testibus, vel litteris probantur, at reprobata reprobatoriorum non nisi litteris probantur.

V. Examen testium ad futuram cautelam, ante litis contestationem quid operetur.

Attestationes extra judiciales non admittuntur. Famosi libelli rejiciuntur.

VI. Non pluralitati testium standum est, sed fidei.

VII. Multitudo testium non admittitur.

VIII. Testes uniformes in sermone suspecti.

IX. Testes recensendi Judicis officiò, si eorum dicta sint obscura. Si testes aistent longius, est accedendum. Testes falsi puniendi.

X. Priùs objecta testibus examinantur, quàm depositiones legantur.

I. NAM quandocumque ante sententiam testes reprobare licet, si sint suspecti: quod ex variis causis accidit; si sint impuberes, *l. 3. ff. de test.* vel infames infamiâ Juris, *d. l. 3.* ut malefici, homicidæ, perjuri, falsarii, & alii rei criminum, *c. Constituimus, c. 3. q. 5.* qui verò notantur infamiâ facti, testes esse possunt in civilibus, non in criminalibus; ut sunt gulosi, & alii vilis conditionis homines; si pauperes sint & mendicantes: nam si mendicantes non sint, non est quòd repellantur, quia interdùm in paupertate summa probitas est, ut ait Plinius *in Panegyric. ad Trajanum:* si sint familiares aut domestici, subditi imperio producentis, *l. Idonei, ff. de testib. c. Testes, c. 4. q. 3.* nisi de actis domesticis agatur, quæ per alios probari non possunt, *l. Consensu, C. de repud.* Contubernales & commensales in criminalibus repelluntur, non in civilibus, *Bart. in l. Testium, §. ideò, ff. de testib.* Excommunicati inter infames censentur, & à testimonio repelluntur: *Non sunt testes idonei, quibus clausa sunt Templa, Seneca lib. 1. Controvers.* Apud nos in temporalibus non admittitur exceptio excommunicationis, *Anfrerius q. 132.* nisi fuerint denuntiati: nemo testis in causa propria, *l. Omnibus, C. de testib.* sive directè, vel indirectè, proximè vel remotè interfit: tamen testimonia debitorum, qui passi sunt usuras contra fœneratores, admittuntur: idem de cæteris qui passi sunt injuriam, modò non tendant ad vindictam aut restitutionem, *Bald. in l. Dictantibus, C. de testam. Felinus in c. penult. de testib.* mulieri contra stupratorem, & puero contra sodomitam creditur ad torturam, si aliqua adsint indicia, *Ricc. in praxi, dec. 452. & 453.* socio criminis licèt confesso & convicto non creditur contra reum ad torturam, nisi aliqua adsint indicia, *l. fin. C. de quæst.* Cognati & affines repelluntur durante affinitate, si deponant pro suis, & cogi non possunt ad testificandum contra suos, tùm in criminalibus, tùm in civilibus, *l. leg. Julia, ff. de testib.* volentes tamen admittuntur ex eadem lege à contrario sensu, *c. Consanguinei, c. 3. q. 5.* vassalli & clientes cogi non possunt in causis criminalibus contra Dominos, nisi de crimine læsæ Majestatis agatur, *l. 1. C. de quæst.* volentes tamen admittuntur in civilibus & criminalibus, ut de affinibus dictum fuit; & illi pro suis Dominis testes esse possunt in civilibus, non in criminalibus, tamen eorum fides est suspecta, nisi aliis adminiculis adjuvetur, *Albericus in l. Idonei, ff. de testib.* Arbitri non possunt esse testes de causa compromissi, nisi partes conveniant, *ex Hermenopulo lib. 1. tit. 6.* Advocati & Procuratores pro suis partibus testes esse non possunt, neque contra, nisi ex earum consensu, *Anfrerius q. 204. Joann. Gall. q. 9.* Mediatores in casu simoniæ & confidentiæ admittuntur, *ex Bulla Pii IV.* relata apud Flaminium & Scholiastem Loëtii, *& c. 1. de testib. in 6.* & moribus nostris in cæteris causis tùm civilibus, tùm criminalibus, eorum testimonium admittitur, & ad id cogi possunt favore probationis, *Molin. ad l. 1. §. eadem, ff. de verb. oblig.* Clerici possunt esse testes, non tamen inviti, *l. Presbyteros, C. de Episc. & Cler.* in Gallia cogi possunt in civilibus, & criminalibus, *Gothofredus ibidem.* Idem dicitur de Monachis cum licentia Abbatis: Hebræi, & Hæretici inter se testes esse possunt, contra Orthodoxos non possunt, *l. Quoniam, C. de Sacros. Eccl.* In Gallia Hæreticorum testimonia admittuntur, ob communionem juris civitatis, ex Edicto Nannetensi. Hebræorum testimonia prosunt, si conjecturis vel aliorum fide dignorum testimoniis adjuventur, *Albericus loco cit.* Inimici repelluntur, *c. Accusatoris, c. 3. q. 5.* sive inimicitia ex injuriâ illatâ procedat, aut lite motâ, nisi reconciliatio sit secuta, *Innocent. in c. Cùm oportet, de accusat.* In causa universitatis, quæ tangit singulos, ut singulos; ut si agatur de pascuis, aut sylva cædua, usu ad singulorum utilitatem pertinentibus, non admittitur testimonium illorum, *l. Omnibus, C. de testib.* si verò res respiciat singulos ut universos, eorum testimonium admittitur, *Masuer. in praxi n. 23. Vide de Judice suspecto supra tit. 11.*

II. Cùm lex repellit testem odio ipsius, etiam reo non petente, Judicis officio repelli debet, *l. Quos prohibet, ff. de postul.* At si lex repellat eum ob aliquam causam particularem, non debet repelli, nisi reus opponat, *Felinus in c. 1. de re judicatâ, Salicetus in*

l. Qui testibus, ff. de probat. Testes autem admittuntur ad jurandum & testificandum, non obstante oppositione rei, salvo jure reprobandi, ne per calumniam rei, retardetur inquisitio, & probatio pereat, *Papon lib. 9. tit. 3. n. 7.*

III. Tamen post publicata testificata, non licet parti, quæ petiit publicationem novos testes producere, aut testificata reprobare, nec in prima instantia, nec in instantia appellationis, *Clement. 2. de testibus*, ad vitandam subornationem, nisi per restitutionem in integrum adversus tacitam renuntiationem, beneficio Prætoris: minoribus enim subvenitur, rusticis, & mulieribus, *Ferrer. ad Guid. Pap. q. 125.* & ne remedium restitutionis damnosum sit alteri, ei testes novos producere licet sumptibus restituti.

IV. Ad objecta & reprobata producenti licet respondere, ad salvanda testificata, intra tempus à Judice præstitutum, aut instrumentis, aut testibus: at ea reprobata aut replicata non nisi probatione litteratâ dilui possunt ab adversario, ne detur progressus in infinitum, nisi sit suspicio calumniæ, *Imbert. lib. 1. c. 46.*

V. Regulariter ante litem contestatam procedere non licet ad inquisitionem & auditionem testium, *c. 1. Ut lite non contestata non procedatur ad auditionem testium.* Verùm extra ordinem remedio Prætoris, Litteris Cancellariæ, & in foro Ecclesiæ, Judicis decreto id conceditur ad futuram cautelam: si timor sit perituræ probationis, ex senio, ægritudine, vel discessu testium. Et faciliùs id conceditur reo quàm actori, cùm priùs reus excipere non possit, quàm conveniatur. Tamen post litem contestatam cùm inquiritur, iidem testes sunt repetendi: alioquin eorum testimonia non probant, nisi mortui sint, vel absint longiùs, aut ex decreto Senatûs parte vocata in præstatione juramenti auditi fuerint, *Joannes Gallus q. 5. Molin. ibid.* cæteræ attestationes extrajudiciales non prosunt, ut emendicata suffragia, testibus non attestationibus standum est, *l. Sola, C. de testib.* & famosi libelli rejiciuntur & authores illorum excommunicantur, *c. Si qui, c. 5. q. 1.*

VI. Productis inquisitionibus sententia fertur. Et si ex utraque parte testes producti fuerint, & attestationes inter se pugnent, Judex animi sui motum confirmat argumentis & testimoniis, quæ rei aptiora esse compererit, *c. Si testes, c. 4. q. 2.* non tàm ad multitudinem, quàm ad sinceram fidem respiciet, *l. Ob carmen, ff. de testib.* non credendum, οὐ πλήθει ἀλλὰ τῇ πίστει, non pluralitati, sed fidei, *Harmenopulus 1. tit. 6.*

VII. Regulariter duo testes sufficiunt, modò sint uniformes, *l. Ubi numerus, ff. de testibus*, ne effrænatâ potestate ad vexandos homines multitudo protrahatur, *l. 1. ff. de testibus*, vox unius, vox nullius, nisi juvetur indiciis, quo casu sufficit ad torturam, *Faber, C. de testibus, def. 2.*

VIII. Testes dicuntur uniformes, si conveniant in negotio principali, licèt differant in circunstantiis. Unde D. Chrysostomus in Mathæum ex diversitate sermonis Evangelistarum plenissimum infert argumentum Evangelicæ veritatis, ne quis dicat eos in idem conspirasse: nam præsumptio subornationis est cùm testes eodem sermone loquuntur, *Alexander consil. 137. vol. 2.*

IX. Si dicta testium sint obscura, ante sententiam illi à Judice possunt recenseri, vel ex Officio, vel ad petitionem partis, Litteris Regiis impetratis, *Guid. Pap. quæst. 72.* Si testes distent longiùs, Judex debet accedere, aut Commissarium deputare, ne per longum iter nimiis sumptibus evocentur, *L. 3. Sub finem, ff. de testib.* Si constet eos adfuisse, & scire rei veritatem, & testificati recusent, aut vacillent, torquendi sunt, *L. Unius, §. Testes, ff. de quæst. Riccius decis. 442.* Testes falsi puniuntur ex Lege Cornelia de falsis; ex Constitutione Gallica Francisci I. anni 1531. pœna mors est, si in caput innocentis falsum dixerint, alioquin mitior Judicis arbitrio.

X. Ante lecturam inquisitionum priùs objecta examinantur, & judicantur; aut ea judicantur bona, aut nulla, vel in religione, seu probabilia: si bona sint & probata, testificata non leguntur; si non sint probata, de illis priùs inquiritur, quàm testificata legantur. Verùm si ex dictis aliorum testium constet de rei veritate, non est immorandum: si objecta sint nulla, testificata leguntur, & super illis sententia fertur: si objecta sint in religione, testificata similiter leguntur; & si conformia sint indiciis ex actis causæ & natura negotii resultantibus, Judicis animum movent, *L. Ob carmen, ff. de testibus.*

TITULUS VI.

Si instantia perempta sit.

SUMMARIUM.

I. Jure Canonico instantia cœpta perimitur triennio, sive civilis, sive criminalis.
II. Instantiâ peremptâ pereunt acta, quæ fiunt ad litis ordinationem, non quæ prosunt ad decisionem. Instantiâ peremptâ, manet actio. Præscriptio actionis non censetur interrupta, peremptâ instantiâ.
III. Peremptâ instantiâ appellationis, amplius appellare non licet.
IV. Casus in quibus instantia non perit.

I. JURE Civili instantia cœpta perimitur triennali silentio ab actu postremo litis numerando, contestatione, vel instrumentorum editione, vel Judicis decreto, ne lites protelentur, & fiant immortales, *L. Properandum, C. de Judiciis* : hæc præscriptio admittitur in instantia civili, tùm in foro sæculari, tùm in foro Ecclesiæ : nam *in c. Venerabilis, de judiciis*, dicta Lex *Properandum* non corrigitur, *ut notat Glossa* : ideò mandatur Judici delegato ut non obstante exceptione instantiæ peremptæ per decursum triennii proposita, ad judicium procedat, ob subterfugia & cavillationes alterius, quibus litem prorogaverat : eo casu non currit præscriptio, ut si adversarius habens instrumenta alterius sibi edita, jussus à Judice ea restituere, per triennium distulerit ; non potest se præscriptione tueri, ut observatur in praxi, ob rationem dicti capituli : admittitur etiam in instantia de crimine, si agatur civiliter, *Loët. litt. P. n.* 37. sed & si agatur criminaliter contra accusatorem, qui cunctando destitit ab accusatione, instantia perimitur, & ille non auditur amplius, *Scholia. Loët. eod. loco* : at crimen durat, & jus accusandi non præscribitur, neque contra Procuratorem Regium, aut alium privatum accusare volentem, nisi viginti annis : sic conciliare possumus *Loëtium* cum suo Scholiaste *loco cit.*

II. Instantiâ peremptâ pereunt acta, quæ fiunt ad litis ordinationem, perit interlocutio Judicis : confessiones, & testium depositiones manent, *Bart. in L. Cùm lites, ff. Judicatum solvi, Loët. in litt. P. n.* 38. Pignorationes factæ ex Judicis mandato simul pereunt, nisi res deposita fuerit penes sequestrum, *Loëtius loco citato* ; usuræ, quæ currere cœperant à petitione facta in judicio, currere cessant, nisi jure actionis debitæ sint, ut si nulla petitio facta fuisset, ut judicatum fuit Placito Senatûs mensis Februarii anni 1625. tamen actio principalis manet, & alio libello potest instaurari, si non sit præscripta : nam licèt præscriptio actionis interrupta fuerit per petitionem factam in judicio, perempta instantiâ præscriptio actionis, quæ ante petitionem currere cœperat, per totum illud triennium censetur cucurrisse, continuatur & numeratur, ut si non fuisset interrupta per petitionem & instantiam motam, *ex Constitutione Gallica Rosilionensi* : & si actio principalis sit annalis, post contestationem peremptâ instantiâ præscribitur decursu temporis à lege definiti, *Loët. litt. I. n.* 2.

III. Nec solùm prima instantia triennali silentio perimitur, sed etiam instantia appellationis : at peremptâ primâ instantiâ lis potest instaurari, ut dictum est suprà ; & peremptâ instantiâ appellationis lis non potest instaurari per novam appellationem, sententia transit in vim rei judicatæ. *Auth. ei qui, C. de tempor. appell.* ob præsumptionem justitiæ resultantem tùm ex sententia, tùm silentio appellantis, sive ad Senatum, sive ad Judicem subalternum fuerit appellatum, ut constat ex Arrestis allegatis à Domino Loëtio *in litt. P. n.* 14. *&* 15. & si à sententia provisionali appellatum sit, necdùm sententia illa manet, instantiâ appellationis peremptâ, sed etiam post decursum tricennii transit in sententiam definitivam, ut observatur in notis Loëtii, *n.* 15. *citato.*

IV. Tamen instantia non perit, nec præscribitur durante tempore compromissi, *c.* 1. *n.* 93. ubi nulla culpa est ; nec si alteruter litigantium, ejusve Procurator defunctus sit : nam alteri imputatur, quòd alterum vel ejus hæredes in judicio non interpellaverit, ut mandatum finitum Procuratori renovarent, vel alium Procuratorem constituerent, nisi lite instructa & actis productis apud Judicem mors contigerit, *Loët. litt. I. n.* 13. eo enim casu solius Judicis Officium desideratur ad litem finiendam ; nec si de lite pendente coram Senatu agatur, & acta producta fuerint coram Senatore deputato pro relatione pro-

cessûs, propter occupationes Ampliſſimi Ordinis, *d. L. Properandum*: nec si ob aliquod justum impedimentum litem persequi non licuerit, belli aut pestis; in quibus casibus restitutio in integrum non denegatur: nec si de re pupillorum aut minorum agatur; quibus similiter subvenitur per restitutionem in integrum, si tutores aut curatores eorum non sint solvendo, *d. L. Properandum, in fine.*

TITULUS VII.

Ut procedatur si de crimine agatur.

SUMMARIUM.

I. Denuntiatio duplex est, Evangelica, & judicialis. Denuntiatio Evangelica non est omnibus de præcepto. Denuntians in judicio se debet inscribere pro pœna calumniæ & expensis.

II. Accusatus accusatorem ex variis causis potest repellere. Regulares non admittuntur ad accusandum, nisi agatur de deponendo Abbate.

III. Laïci Clericos existentes in sacris accusare non possunt. Inimici non admittuntur ad accusandum. Consules nomine Universitatis accusare non possunt.

IV. Accusator suam, vel suorum injuriam persequens se inscribere non potest.

V. Ex pluribus accusare volentibus magis idoneus admittitur.

VI. Pars civilis instat pro eo quod sua interest, Procurator Regius pro publica vindicta, Procurator Officialitatis pro publica disciplina, sine pœna sanguinis.

VII. Instigatores se inscribunt: agunt nomine Procuratoris Officialitatis. Qui non admittuntur ad accusandum, non admittuntur ad instigandum. Judex ex Officio inquirit de crimine. Denuntiationem præcedit charitativa monitio. Accusationem præcedit querela. Inquisitionem præcedit diffamatio, & diffamationem præcedit inquisitio facta ex Officio.

VIII. Pro levi injuria civiliter agitur.

IX. Pro gravi injuria criminaliter agitur per inquisitionem.

X. Ut procedatur contra absentem.

XI. XII. & XIII. Ut procedatur contra præsentem confessum, vel negantem.

XIV. De quæstione & tortura.

XV. Sententia noctu ferri non potest. Judices sermone patrio utuntur.

I. TRIBUS modis agitur de crimine, denuntiando, excipiendo, & accusando, *cap. Super his, de accusat.* Denuntiatio duplex est, Evangelica, & Judicialis: Evangelica fit ex motivo charitatis pro correctione fraterna, *Math. c.* 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum*, si spes emendationis sit, & correctio fiat sine scandalo: hæc denuntiatio non est omnibus de præcepto, sed iis solùm, quibus ex Officio incumbit, *D. Thomas* 2. 2ᵃᵉ. *q.* 22. Denuntiatio judicialis fit in judicio, vel per modum accusationis, ut reus deponatur ab Officio vel Beneficio, & denuntians se inscribere debet pro pœna calumniæ, & expensis, *d. c. Super his.* Aut denuntiatio fit, ut promotio, vel electio, vel confirmatio, aut consecratio petita à denuntiato impediatur, zelo boni publici, ne irregulares & incapaces ad Beneficia Ecclesiastica admittantur, aut ad Officia sæcularia publica, & nuntians se inscribere non tenetur, *dicto c. Super his, & ibi Glossa.*

II. Excipiendo reus accusatus accusatorem potest repellere sine onere inscriptionis, objectu criminis gravioris aut paris: nam criminosus criminosum accusare non potest, *c.* 1. *& ibi Glossa, de accusat.* qui trabem gestat in oculo, festucam ex oculo alterius non potest eruere, *Lucæ c.* 6. Ex aliis etiam causis accusatorem potest repellere: si mulier ad accusandum prosiliat, si impubes, si pauper, vel infamis, aut suspectus de calumnia, *L.* 9. *&* 10. *ff. de accus. c. Neganda, c. Non est, c.* 3. *q.* 11. frater in fratrem vel sororem, *L. Si magnum, C. Qui accus. non poss.* aut gener in socerum, ut judicatum fuit in crimine falsi, salvâ accusatione Procuratoris Regii, Arresto 27. Decemb. anni 1636. Si servus aut familiaris contra dominum, aut libertus contra patronum, *L. Si quis, & seq. C. Qui accusare non possunt.* Idem dicendum de Vassalis si dominos suos accusare intendant, excepto crimine læsæ Majestatis, ut dicitur in dictis legibus: tamen Monachus po-

test accusare suum Abbatem expensis Monasterii, *c. Monachi, de accusat.* quod intellige si de Abbate deponendo aut removendo ab administratione agatur: nam interest Monasterii eum removeri, si criminosus sit, aut malè administret: cæteros verò Monachi accusare non possunt nisi cum licentia Abbatis, *c. Monachi, c. 16. quæst. 1.*

III. Laïci Clericos qui sunt in sacris, accusare non possunt, *c. Cùm P. de accusat.* inimici non admittuntur ex dicto capitulo. Verùm illi omnes, quos suprà diximus, ab accusatione repelli, admittuntur, si suam vel suorum causam agant, *L. Ii tamen omnes, ff. de accusat.* Consules nomine Universitatis non admittuntur ad accusandum, nisi de re Universitatis agatur, peculatu, aut concussione, aut publico latrocinio commisso ab Officiariis vel firmariis Universitatis, ut variis Arrestis judicatum fuit, juxta Constitutiones Cæsareas, ne fiscus vel Respublica patrocinium litigantibus in lite præstet. Sic Consules loci de Gardane non fuerunt admissi deferre volentes Vicarium suum reum diversorum criminum, Arresto mensis Junii anni 1620.

IV. Cùm accusator suam, vel suorum injuriam persequitur, non tenetur se inscribere. Idem dicitur de Consulibus, tutoribus, & curatoribus. Necessitas muneris eos excusat, cæteri non admittuntur, nisi se inscribant.

V. Si plures accusare velint, non admittuntur omnes, magis idoneus admittitur; si tamen alter jam occupaverit, & se inscripserit, non debet repelli, si sit idoneus. Si de patrefamilias occiso agatur, primò liberi admittuntur; his deficientibus admittitur uxor; si uxor non sit, aut accusare nolit, parentes defuncti admittuntur; his deficientibus cognati servatâ prærogativâ gradûs; si plures sint in eodem gradu, omnes pariter admittuntur, si velint, & aliis deficientibus locus fit sequentibus, *Papon lib. 24. Placitorum, tit. 2. num. 3. & 5. Faber C. de accus. & inscr. defin. 2.*

VI. Qui suam vel suorum injuriam persequuntur, dant libellum querimonialem, ut inquiratur contra reum, petunt injuriam reparari, mulctas pecuniarias pro eo quod interest, & litis expensas, sine onere inscriptionis, ut dictum est; & Procurator Regius, aut Jurisdictionalis instat pro publica vindicta, ut reus pœna corporali puniatur, aut pecuniaria fisco, vel Domino Jurisdictionali applicanda, prout qualitas delicti commissi exigit: Procurator Officialitatis abstinet à pœna sanguinis, petit pœnam depositionis, aut suspensionis, vel incarcerationis, aut jejunii, vel orationis, & mulctam pecuniariam applicandam in pios usus, ut suprà: extranei verò apud nos non dicuntur accusatores; neque enim instant in judicio dato libello querimoniali, sed dicuntur delatores, & instigatores, quia deferunt aut denuntiant Procuratori Regio, vel Jurisdictionali, vel Officialitatis, reum criminis commissi, ut ejus nomine querela detur, & accusatio instituatur, & se testes administraturos & instrumenta allaturos pro probatione criminis spondet & promittunt: quibus pars tertia mulctarum dari solet pro labore & cura, ut invitentur ad crimina detegenda. Verùm reo, si fuerit absolutus, nomen instigatoris declaratur, à quo repetit expensas, & id quod interest, *Papon lib. 24. tit. 1.* & pœnam calumniæ, si de calumnia constet: nam levis probatio delatorem excusat, & pœna talionis apud nos hodie non est in usu, *Papon lib. cit. tit. 2. num. 8.*

VII. Instigatores se inscribunt; & qui non admittuntur ad accusandum, ut suprà dictum est, vix admittuntur ad instigandum: nam accusatore, vel instigatore deficiente, Procurator Regius, aut Officialis, ut censor morum, vindex criminum, & custos publicæ securitatis, semper instat, ad accusandum paratus: & Procuratore Regio, aut Officialitati deficiente, Judex ex Officio inquirit de crimine, *c. Qualiter, de accusationibus.* Denuntiationem præcedit charitativa monitio, accusationem præcedit querela, & inquisitionem diffamatio, *Glossa loco citat.* alia est inquisitio quæ fit super diffamatione ex Officio, quâ tamen omissâ inquisitio facta de crimine valebit, *c. 2. de accus. in 6.*

VIII. Pro levi injuria non agitur criminaliter per inquisitionem, sed civiliter, dato libello, super quo ex Judicis decreto reus citatur, si fateatur injuriam, & revocet, asserendo, actorem virum esse probum, & bonæ æstimationis; aut absolvitur, aut leviter mulctatur, & inhibetur talem aut similem injuriam imposterum proferre; si neget, inquiritur de injuria vel excessu, & quæstio civilis ob inficiationem vertitur in criminalem.

IX. Si injuria, vel excessus sit gravis, super libello dato Judex decernit inquiri de contentis in querimoniali, & testes advocari, aut nolentes, per apparitorem adduci; tùm procedit ad inquisitionem testes interrogando separatim: primò ab eis juramentum exigit de vero dicendo; tùm eos interrogat de nomine & cognomine, si sint consanguinei,

vel affines ; & sigillatim de factis & circunstantiis expressis in libello querimoniali, hoc versiculo contentis.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Visis informationibus, & conclusionibus Procuratoris Regii, vel Jurisdictionalis, vel Officialitatis, vel etiam eis omissis ; si periculum sit in mora, Judex decernit, aut incarcerationem contra reum, si injuria sit gravis, cum annotatione bonorum illius sub manu Regia sine sequestratione : aut si injuria sit levis, decernit, quòd reus citetur ad diem certum, per se, non per Procuratorem responsurus ; aut dies assignatur actori ad proponendam querimoniam, & reus adesse jubetur ad respondendum.

X. Si reus citatus non veniat, jubetur apprehendi, & incarcerari ; si non possit apprehendi, in eum agitur ut in contumacem, & post quatuor edicta in valvis Fori affixa, quibus ejus contumacia arguitur, sententia fertur, quâ contumax declaratur, suis exceptionibus declinatoriis, dilatoriis, & peremptoriis submovetur, & decernitur testium repetitio antequàm, sententia definitiva feratur, sic testes denuò advocantur, & repetuntur : postea proceditur ad sententiam definitivam condemnationis contra contumacem, qui si post sententiæ promulgationem veniat, & innocentiam purgare velit : auditur intra quinquennium, refusis expensis contumaciæ, ex Constitutione Molinensi, *art.* 28. post quinquennium non auditur, nisi deponat apud actuarium mulctas pecuniarias suæ condemnationis.

XI. *Cùm reus sistit in judicio*, primò interrogatur de nomine & cognomine, & vacatione sua, tùm articulatim de omnibus contentis in libello querimoniali, & informationibus de factis & circunstantiis ; & die sequenti, aut post repetitur lectis suis responsis, ut ei liberum sit, addere vel detrahere ; si crimen sit atrox, & dubitetur de fuga, detinetur in carcere, si crimen sit leve, aut probatio non suppetat, relaxatur, aut simplici repromissione, aut fidejussore dato de sistendo in judicio, ad publicationem sententiæ, & judicato solvendo : fidejussor autem datus liberatur, si semel eum repræsentaverit, *Lege Boves*, §. *Hoc sermone*, *ff. de verb. signific. Faber Cod. de fidejussoribus*, *defin.* 24.

XII. Si reus neget, Judex interloquendo jubet, testes iterùm advocari, & reo repræsentari. Testes advocantur diligentiâ & expensis accusatoris, aut eo deficiente, Procuratoris Regii, vel Officialitatis ; separatim audiuntur, & lectâ depositione singuli monentur an aliquid addi velint aut detrahi ; mox reus vocatur, interrogatur, an testem norit, an ejus testimonio stare velit, cur nolit, & causas exprimat reprobationis suæ. Si neget se nosse, priùs de qualitate testium summatim inquiritur, & inquisitio ei legitur, & postquàm reus objecta dedit ad reprobandum testimonium, depositio ei legitur : si crimen sit atrox, & probatum, iterùm in carcerem ducitur ; si verò sit leve, aut probatum non sit, relaxatur sub cautione fidejussoria, aut simplici repromissione.

XIII. His peractis ad judicium proceditur. Si reus fuerit relaxatus, jubetur repræsentari ; priùs objecta data à reo ad reprobandos testes judicantur, an bona, an nulla, vel in religione, quàm depositiones legantur, ut diximus *tit. præcedenti* : si bona sint, de illis inquiritur à Judice, aut Commissario delegato, & reus statim testes laudare jubetur, ob metum subornationis : si constet de delicto, reus condemnabitur : sin minùs absolvitur & relaxatur, aut ampliùs inquirendum fore de delicto decernitur, & interim relaxatur, cautione data, aut simplici repromissione de sistendo in judicio cùm jussus fuerit ; & si ampliùs non constet de delicto post dilationes datas accusatori ad producendum testes, definitivè relaxatur.

XIV. Ante sententiam si reus confessus fuerit interrogatur super iis, quæ gravitatem delicti & pœnam minuunt : si negaverit, & adsint indicia, & de pœna capitali agatur, quæstio decernitur ut ex confessione illius tormentis veritas eruatur, *L.* 1. *& L. Et edictum*, *ff. de quæst.* alioquin à tormentis non est inchoandum : confessus in tormentis posteà repetitur ; si perseveret in confessione variare non potest, nisi probetur error ; si variet iterùm torqueri potest usque ad trinam vicem ; & si perseveret, in secunda & tertia vice dimitti debet, tametsi prima vice confessus sit, nisi testibus, & indiciis convincatur, *Papon lib.* 24. *tit.* 9. *n.* 1. *&* 2. nam plerique ita tormenta contemnunt, ut veritas exprimi eis nullo modo possit : alii tanta sunt impatientia, ut potiùs mentiri, quàm tormenta pati malint, ut ait Ulpianus *in L.* 1. §. *Quæstioni*, *ff. de quæst.* Ideò non semper quæstioni est habenda fides, ut ait textus, & quæstio decerni solet citra præjudicium probationis

probationis ex indiciis & dictis testium resultantis, vel ad majorem probationem ex ore rei, vel ad detegendum socios, & sceleris participes. In foro Ecclesiæ hæc severa indagatio minùs frequenter fit; fieri tamen potest, ut diximus suprà: nam si crimen sit privilegiatum, de eo Judex Ecclesiæ cognoscere non potest; & si sit commune, quod pœna mortis debeat expiari, reum tradit brachio sæculari, ut notabitur infrà.

XV. Nec in civilibus nec in criminalibus noctu sententia ferri potest, ut legibus duodecim Tabularum cavebatur. Sol occasus suprema tempestas esto, *Gellius lib. noctium Atticar. lib.* 14. Sic Constitutionibus Ecclesiasticis vetitum fuit ne judicium exerceatur in tenebris, *c. Consuluit, de off. Judicis*, causæ criminales post prandium non judicantur. Olim in Tribunalibus Ecclesiasticis & sæcularibus interlocutiones, & sententiæ Judicum Latinè proferebantur: At ex Constitutione Francisci I. Gallicè proferuntur: imperitia Judicis, qui pronuntiando his verbis usus fuerat, *debotavimus & debotamus*, Edicto causam dedit, si credatur Hotomano in suo Antitriboniano: judices sermone patrio uti debent, *L. Decreta, ff. de re judicata*, quo loco sententia ferri debeat dictum fuit suprà.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER TERTIUS
DE
JURISDICTIONE ECCLESIASTICA.

TITULUS PRIMUS.

De Appellationibus.

SUMMARIUM.

I. Tempus appellationis in foro Eccleſiæ, ut in foro ſæculari. Adverſus lapſum temporis appellans reſtituitur ſudicis Officio.
II. Renuntiatio, & præventio appellantis.
III. Appellatio deſerta.
IV. Expenſis appellantis in cauſa civili acta appellatoria deferuntur ad ſudicem ad quem.

I. IN foro ſæculari qui ſententia gravatur, intra quadraginta dies à publicatione illius debet appellare, ſi velit, quibus elapſis Judex procedere poteſt ad executionem ſententiæ, *ex Conſtitutione Franciſci I. anni* 1535. Idem obſervatur ordo in foro Eccleſiæ: poſt illud tempus in foro ſæculari gravatus non admittitur ad appellandum niſi reſtituatur in integrum adverſus lapſum temporis, obſtante dictâ Conſtitutione; reſtituitur tamen clauſulâ in litteris appoſitâ reſtitutionis in integrum, ſi ſententiæ non acquieverit intra triginta annos, *Rebuff. in Proëmium Conſtitutionum Gallic. Gloſſ.* 5. *num.* 93. & ſi acquieverit expreſsè, per errorem vel imperitiam, & juſta ſit reſtitutionis cauſa adverſus conſenſum præſtitum, intra decennium; quo elapſo, ex Conſtitutionibus Gallicis reſtitutio in integrum denegatur: at in foro Eccleſiæ appellans in prædictis caſibus non eget Litteris Cancellariæ reſtitutionis in integrum, ex cauſa Judicis officio reſtituitur, *c. Cauſa, de in integrum reſtitutione.*

II. Si verò alteruter litigantium appellaverit à ſententia, & nolit appellationem perſequi intra decem dies, ab eo tempore quo appellavit debet appellationi renuntiare in judicio, vel apud acta, & adverſario renuntiationem intimare, alioquin poſt illud tempus coram Senatu ſine Litteris Cancellariæ renuntiatio non admittitur, & in cæteris Tribunalibus fori ſæcularis, vel Eccleſiaſtici admittitur, niſi adverſarius appellantem prævenerit ante renuntiationem, nam poteſt prævenire poſt illud tempus, vel Litteris Cancellariæ, ſi res agatur apud Senatum, vel oblato libello, & Judicis decreto, quo citatur appellans ad Judicem appellationis pro diſcuſſione cauſæ, ad vitandas moras fruſtratorias, ſive agatur in Tribunali ſæculari, vel in Eccleſiaſtico.

III. Et ſi intra dies quadraginta cauſa delata non fuerit ad Judicem appellationis, Judex *à quo*, jubet appellantem Litteras appellatorias exhibere, cum relatione apparitoris de citatione appellati intra triduum, & comminatur ſententiæ executionem, ſi non exhibeat; quo tempore elapſo, appellante exhibente Litteras appellationis, & relationem citationis, Judex *à quo* partes & cauſam dimittit ad Judicem *ad quem*, eoque non exhibente Litteras executoriales, jubet concedi cum mandato, ut procedatur ad

executionem sententiæ : nam appellatio habetur pro deserta , & sententia transit in vim rei judicatæ , ex Constitutione Gallica suprà citata , in utroque foro , *c. Constitutus , de appellat.*

IV. Ex Concilio Tridentino *Sess.* 24. *c.* 20. expensis appellantis acta appellatoria debent transferri ad Judicem *ad quem* , sine mora & dilatione fraudulenta , alioquin post edicta dilatoria , Judicis appellati sententia confirmatur , ut observatur in praxi : at si de crimine agatur , reus non est cogendus , parare arma contra se , *L. Qui accusare , C. de edendo* , expensis actoris id fit salvo jure repetendi.

TITULUS II.

De Judice appellationis.

SUMMARIUM.

I. A decreto Officialis foranei & Prælati inferioris Episcopus appellatur , ab Episcopo Metropolitanus , à quo Patriarcha , aut Papa appellatur.

II. Omisso medio non licet appellare ad Papam.

III. Papa deputat Commissarios in partibus pro judicio causarum.

IV. Non delegantur nisi qui sunt in dignitate , aut Canonici Ecclesiæ Cathedralis. Regulares etiam delegari possunt. Cum Officialis Episcopi delegatur , non venit Officialis foraneus.

V. Tres judices delegari solent alternativè. Causa delegatur cum negotio principali , ut si male judicatum fuerit , Judex delegatus retineat.

VI. Post duas interlocutorias , aut tres sententias definitivas conformes amplius appellare non licet.

I. A Decretis aut sententiis Capituli , aut Prælati inferioris , Episcopus appellatur , nisi ab illius Jurisdictione Capitulum vel Prælatus inferior sit exemptus , ut diximus suprà *tit.* 8. A decreto Officialis foranei in partibus remotis Diœcesis constituti , vel Archidiaconi exercentis Jurisdictionem Episcopus similiter appellatur : nam talis Officialis , aut Archidiaconus diversum habet Tribunal , nisi Officialis sit in Ecclesia Concathedrali , eo enim casu Metropolitanus appellatur , & à sententia Vicarii Episcopus non appellatur , quòd idem sit Tribunal , *c. Non putamus , de consuetudine in 6.* & à sententia Episcopi , vel ejus Vicarii , aut Vicarii Capituli exercentis , Sede vacante Jurisdictionem Episcopalem , gradatim Archiepiscopus Metropolitanus appellatur , à sententia Metropolitani Patriarcha , ubi ea est consuetudo , à quo Papa , vel ejus legatus ultimo loco appellatur.

II. Olim omisso Medio seu Metropolitano , Papa , ut Ordinarius Ordinariorum , vel ejus Legatus , appellabatur , *c. Si quis , c. Ad Romanam Ecclesiam , c.* 2. *quæst.* 6. & frivolis appellationibus , & litibus immortalibus Status Ecclesiæ conturbabatur. Verùm Constitutione Leonis X. juxta Concordata inter eum , & Franciscum I. inita , *in tit. de frivolis appellat.* huic malo succursum fuit ; illâ enim cautum fuit , ne cuiquam ad Superiorem , vel etiam ad Papam ejusve Legatum , omisso Medio , liceat appellare ; & si secùs fiat , locus est appellationi ab abusu , ut judicatum fuit , *juxta c. Concordatorum , de causis , & notavimus lib.* 2. *de Beneficiis , tit.* 15. *num.* 4. & neque Primati neque Papæ causas pendentes coram Ordinariis licet evocare , nisi causæ continentia id exigat.

III. Tamen Papa aut Legatus non appellatur , ut de appellatione cognoscat ; id enim fieret contra Concordata , quibus conventum fuit de litibus in Regno finiendis inter Gallos , ne distrahantur extra , ad litigandum , & nimiis sumptibus vexentur , sed ut det Commissarios in Regno in partibus vicinis , non ultra bidui spatium , *juxta Constitutionem Innocentii III. in c. Nonnulli , de rescriptis.*

IV. Non quilibet passim delegari potest ; nam Laïci in causis spiritualibus , aut criminalibus Clericorum delegari non possunt , *c. Si diligenti , de foro competenti , c. Decernimus de Judiciis . Ferrerius ad Guid. Pap. quæst.* 171. nec Clerici , qui non sunt in Sacris , aut in aliqua Dignitate Ecclesiastica constituti , aut Canonici Ecclesiæ Cathedralis , *c. Statutum , de res. in 6. Clement.* 2. *de rescriptis* , & si Officialis Episcopi fuerit de-

legatus Officialis Capituli, Sede vacante, delegatus intelligitur, *Gloss. ibid.* tamen cum Officialis Episcopi delegatur, non venit Officialis foraneus, *ibid.* & causæ criminales Clericorum, aut matrimoniales inter Laïcos, non nisi Episcopis committuntur, *Concil. Trident. Sess.* 24. *c.* 20. Regulares etiam qui sunt in Dignitate delegari possunt, non modò in causis Regularium, sed etiam in causis Sæcularium, ut decisum fuit super appellatione interposita ab executione rescripti Apostolici, quo Abbas Monasterii Sancti Honorati Lirinensis Judex datus fuerat pro discussione causæ quorumdam Canonicorum Ecclesiæ Grassensis, *Arresto mensis Maii anni* 1622.

V. Litteris appellatoriis à Papa, vel Legato tres Judices alternativè delegari solent, ut si alii sint suspecti, vel procedere nolint, alterum adire liceat, & causa committitur cum negotio principali, si ab interlocutione appellatum fuerit, ut si malè judicatum fuerit, Judex delegatus retineat, vel evocet, & de principali cognoscat, ne recurratur ad delegantem; si verò Judex *à quo* benè interlocutus fuerit, causam principalem ad eum remittat, *c. Ut debitus, de appellat.*

VI. Quoniam verò protervi, & victiligatores à Judicibus delegatis sæpiùs recurrebant, & nullus erat in Ecclesia litium finis, Constitutione Leonina in Concordatis *loco citato de frivolis appellat.* cautum fuit, ne appellans à sententia interlocutoria, quæ jam confirmata fuit à Judice appellationis, seu ne post duas interlocutorias conformes ampliùs possit appellare: & si de sententia definitiva agatur, post tres sententias definitivas conformes ampliùs appellare non licet, juxta Constitutiones Cæsareas, *c. Ne liceat in una eademque causa tertio provocare:* hæc est meta appellationum: & neque licet appellare tanquàm ab abusu post tres sententias conformes fori Ecclesiastici, ut Senatus judicavit in causa Oeconomi Ecclesiæ Collegiatæ Acolitarum Massiliæ, *Arresto mensis Maii anni* 1616. Tametsi in altera ex illis sententiis sit defectus formæ; secus si sit defectus potestatis; & si agatur de publica disciplina, Procurator Regius semper auditur appellans.

TITULUS III.

De Legatis.

SUMMARIUM.

I. *Variis modis finitur potestas Judicis delegati. Delegatio facta nomine dignitatis transit ad successorem.*

II. *Legati à latere potestas. Legatus à latere manet in Provincia, usque ad adventum successoris.*

I. EX Legatis alii sunt simpliciter delegati ad certa negotia causas vel lites, quorum potestas finitur finito negotio, revocatione, morte Legantis, aut Legati, nisi nomine dignitatis fuerit delegatus, & potestas delegata restringatur ad ea quæ continentur in mandato, & quæ sunt moris & consuetudinis. Et si plures delegati fuerint, conjunctim debent procedere, nisi illa clausula apposita fuerit, quod si non omnes, quâ singulis datur potestas in solidum, *c. Cum plures, de Officio & potestate Judicis delegati, in 6.*

II. Alii sunt Legati à latere, ut Cardinales venientes è consistorio à latere Summi Pontificis, & alii Prælati missi cum eadem potestate, quorum potestas ordinaria censetur, ut potestas Præsidum Provinciarum & Proconsulum in Jure Civili, & non finitur morte Papæ, *c. Legatus, de Officio Legati, in 6.* tamen finitur lapsu temporis legationis suæ: verùm post illud tempus Legatus debet in Provincia remanere, & suo fungi Officio; donec successor in eam ingressus sit, ne Provincia maneat destituta, ut de præsidibus Provinciarum, & Proconsulibus dicitur *in L. Meminisse, ff. de Officio Proconsulis, & Novella* 95. *in principio.* Horum Legatorum summa est potestas in Jurisdictione contentiosa & voluntaria, collationibus Beneficiorum, dispensationibus, & absolutionibus, exceptis casibus reservatis Apostolicæ Sedi, tamen in Gallia limitatur in multis casibus, ut dicemus infra.

TITULUS IV.

De appellationis effectu.

SUMMARIUM.

I. *Per appellationem causa devolvitur, & effectus sententiæ suspenditur. Judex à quo fuit appellatum non fit suspectus appellanti in aliis causis.*

II. *In correctoriis per appellationem vis sententiæ non suspenditur, si gravamen sit reparabile, etiamsi tanquam ab abusu fuerit appellatum.*

III. *Appellatione pendente absolutio petitur ad cautelam.*

IV. V. & VI. *Si de reparationibus agatur vel summa minori centum libris, vel conficiendo inventario, aut administratione prodigo interdicendâ, vel salario famulorum.*

VII. *Non obstante appellatione processus criminalis continuatur.*

VIII. *Non obstante appellatione sententia recredentiæ est executoria.*

IX. *Post lapsum* 40. *dierum dantur litteræ executoriæ si appellans non intimaverit appellationem.*

X. *Attentata priùs reparanda quàm super appellatione appellans audiatur.*

XI. *Si unus ex pluribus appellaverit & obtinuerit, sententia illius prodest aliis.*

I. PER appellationem causa devolvitur ad Superiorem, & vis & effectus sententiæ suspenditur, *l. unica, ff. nihil novari appellatione interposita:* & si ab interlocutoria sit appellatum, ligantur manus Judicis inferioris respectu illius causæ, à qua fuit appellatum, *c. Ad hæc, & c. Proposuit, de appellat.* At de cæteris causis appellantis non connexis articulo appellationis Judex *à quo* cognoscere non prohibetur, *l. unica, ff. apud eum à quo fuit appellatum aliam causam agere compellendum.*

II. Certi tamen sunt casus in quibus Judex Ecclesiasticus procedere potest ad executionem sententiæ, non obstante appellatione. *Primus*, si à decreto aut sententia correctionis sit appellatum, & correctio non excedat modum Canone vel Statuto præscriptum, & gravamen sit reparabile, per appellationem correctio non debet retardari, ne malis detur occasio diutiùs grassandi, *c. Ad nostram, de appellat.* sive simpliciter, sive tanquàm ab abusu fuerit appellatum. *Constitut. Caroli IX.* 1571. *art.* 5. *& Blesi. art.* 59. Idem dicitur de regularibus *in cap. Reprehensibilis, & cap. Quia nos de appellationibus.* Et Judex Ecclesiasticus in correctoriis decernere potest executionem sententiæ, sine tamen præjudicio appellationis, si gravamen sit reparabile, ut excommunicatio, suspensio, & interdictum, secùs si gravamen non sit reparabile. Sic pendente appellatione, sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, ligat.

III. Verùm appellatione pendente, liberum est appellanti absolutionem petere ad cautelam, cum cautione de parendo decreto, vel sententiæ à qua fuit appellatum, si ea à Judice appellationis confirmata fuerit, *c. Ad præsentiam, de appellat. & c. Venerabilis, de sententia excomm.* Si Episcopus *à quo* fuit appellatum absolvere nolit, Superior *ad quem* fuit appellatum absolvit; & si ad Senatum provocatum fuerit, Senatus hortatur Episcopum viciniorem, qui absolvit.

IV. *Secundus*, si de reparationibus necessariis Ecclesiæ agatur, aut Divino Officio, executio sententiæ Episcopi, vel ejus Vicarii, pendente appellatione, non debet retardari, *ex Const. Blesi. art.* 62. *diximus suprà tit.* 6.

V. *Tertius*, si ex contractu vel chirographo agnito agatur in foro Ecclesiæ, & summa non excedat viginti quinque libras, sententia provisoria est executoria, cum cautione, non obstante oppositione, aut appellatione, *ex Constit. Blesi. art.* 62.

VI. *Quartus*, si de inventario conficiendo agatur, aut bonis sequestrandis, aut administratione bonorum prodigo interdicenda, aut curatore dando, aut de salaris famulorum triennium non excedentibus, aut de alimentis, vel de portione congrua Vicarii, *Rebuffus in concordatis, tit. de frivolis appellat.* vel de provisione adjudicata; executio sententiæ vel decreti cautione data non debet retardari, *ex Constitutione Ludovici XII. anni* 1499. *art.* 8. quam etiam in foro Ecclesiæ convenit observari. Verùm idem privilegium non conceditur pro litis expensis, quia illæ sunt pœnales.

VII. *Quintus*, in criminalibus si à decreto aut processu appellatum fuerit, processus non retardatur, ne probatio pereat, & delictum maneat impune, *l. Eos*, §. *super*, *C. de appellationibus*, idem cavetur Constitutione Gallica Caroli VII. *mensis Aprilis anni* 1453.

VIII. *Sextus*, in foro sæculari sententia recredentiæ in causa Beneficiali est executoria cum cautione, pendente appellatione, *ex Const. Ludovici XII. anni* 1499. *art.* 83. ut notavimus in Tractatu de Beneficiis, *lib.* 2. *tit.* 16.

IX. *Septimus*, post lapsum quadraginta dierum si appellans ex mandato Judicis, quem appellavit, non vocaverit adversarium in jus, Judex *à quo* procedit ad executionem sententiæ, ut diximus *in tit. præcedenti.*

X. Extra casus suprà enumeratos, appellatione pendente nihil est innovandum, & attentata priùs sunt reparanda, quàm appellans audiatur, *c. Sollicitudinem*, *de appellat. & c. Non solùm*, *eod.* & attentator arbitraria pœna mulctatur ob contemptum Jurisdictionis.

XI. Cumque unus ex pluribus eâdem sententiâ condemnatis appellavit & obtinuit, victoria illius cæteris prodest, si eodem jure nitantur, eademque sit causa defensionis, *l. Unica*, *C. si unus ex pluribus appellaverit*, *& c. una sententia de appellationibus.*

TITULUS V.

De Officio Judicis appellationis.

SUMMARIUM.

I. Judex Ecclesiasticus, ut sæcularis pronuntiando, malè appellatum rectè judicatum remittit partes ad Judicem à quo, & si pronuntiet, male judicatum, retinet.

II. Si à sententia definitiva appellatum sit, & plura sint capita, in aliis sententia confirmatur si bene judicatum fuerit, & in aliis rescinditur, si male judicatum sit.

III. Judicibus Ecclesiasticis illis formulis uti non licet, & pour cause, *ny* avons mis appellation au neant, *ny* en tenant l'appel pour bien relevé & exploité.

IV. A negatione justitiæ Judicis Ecclesiastici, non appellatur ut ab abusu, nisi causa sit mixti fori.

V. A stylo & ordine judiciario omisso in foro Ecclesiæ, non appellatur velut ab abusu.

I. SI ab interlocutione appellatum sit, & Judex appellationis pronuntiet, malè appellatum, & rectè judicatum, causam principalem remittere debet ad Judicem *à quo*, & appellantem condemnare ad expensas & sumptus litis, *c. Vt debitus*, *de appellat.* Si pronuntiet benè appellatum, & malè judicatum, in foro sæculari non potest causam principalem retinere, sed eam remittere tenetur ad idem Tribunal, ut tamen ab alio judicetur, quàm ab eo qui malè judicavit: alius enim in ejus vicem subrogari potest, ne Jurisdictio lædatur, quoniam Jurisdictiones sunt patrimoniales in Gallia. At in foro Ecclesiæ Judex, sive sit ordinarius, sive delegatus, si pronuntiet malè judicatum, potest causam principalem retinere, & de ea cognoscere, *d. cap. ut debitus.* Senatus verò, sive pronuntiet benè aut malè judicatum in interlocutione, potest pro jure suo causam principalem retinere, & de ea cognoscere, *Rebuff. in Concordata*, *in præmio*, *vers.* 27.

II. Si verò à sententia definitiva appellatum sit, Judex appellationis cognoscit de meritis causæ; si malè judicatum sit, sententiam rescindit, & novo judicio litem dirimit; si benè judicatum fuerit, sententiam confirmat, & appellantem condemat in expensis; & si sententiæ plura & diversa sint capita, in aliis sententiam reformat, & in aliis confirmat, prout jus exigit & æquitas, *Gloss. in d. c. ut debitus.*

III. Judicibus inferioribus illis formulis in sententia uti non licet, absolvendo vel condemnando, *& pour cause* n'y *avons mis l'appellation au neant*, ny *en tenant l'appellation pour bien & dûement relevée & exploitée.* Illi enim formulis forensibus sunt adstricti: tamen illarum omissio non lædit Jurisdictionem sæcularem, nec disciplinam Ecclesiasticam, & consequenter non præbet materiam appellationis ab abusu, ut videtur sentire *Fevret lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 6. nam remedium appellationis ab abusu extraordinarium est, quod non est tentandum, quando competit ordinarium, *l. In causæ*, *ff. de minoribus.*

IV. Et si Judex Ecclesiasticus, ter requisitus per tria octonaria, non procedat, aut jus dicat post instructionem causæ appellatur Judex appellationis Ecclesiasticus, non Senatus, ob rationem supra allatam, nisi causa sit mixti fori, quo casu si res integra sit Senatus adiri potest.

V. Ob eandem rationem, si Judex Ecclesiasticus in processu non servaverit ordinem Judiciarium constitutionibus Ecclesiasticis & legibus civilibus statutum declinare non licet forum Ecclesiæ, sed gravamen aut nullitas à superiore debet emendari.

TITULUS VI.

De executione rei judicatæ.

SUMMARIUM.

I. *Clerici qui sunt in sacris non possunt incarcerari pro causa civili, nisi fraudulenter suam qualitatem celaverint. Pro solutione debiti non laxatur excommunicatio. Res destinatæ pro ministerio Ecclesiæ pignori capi non possunt, nec distrahi. Fructus præbendæ pignori capi possunt modo clerico relinquatur ut vivat. Distributiones quotidianæ pignori capi possunt relictis necessariis ad victum, arreragia verò integra pignori capi possunt.*

II. *Præceptum de solvendo fit decreto Judicis Ecclesiastici & intimatur per suos apparitores sequestratio verò & licitatio ex authoritate Judicis Laïci.*

I. PRo causa civili Clerici, qui sunt in Sacris, non possunt incarcerari, sive ex contractu agatur, sive ex sententia, & re judicata post quadrimestre, sive de decimis agatur, *Constitutione Henrici III. anni* 1571. *& Const. Blesensi anni* 1579. *art.* 57. aliâve re favorabili, ne retrahantur à ministerio Ecclesiæ, & Divino Officio. Sed neque ob eam causam excommunicari suspendive possunt, modò caveant, se soluturos, cùm in pinguiorem fortunam venerint, *c. Odoardus, de solut.* Illorum bona mobilia, & immobilia pignori capi possunt, & distrahi, si non solvant, exceptis, rebus ad ministerium Ecclesiæ destinatis, libris, & vestibus eorum necessariis, *Constit. Caroli IX. anni* 1560. *art.* 28. Fructus præbendæ, aut Beneficii pignori capi possunt, modò eis relinquatur, ut vivant, & Ecclesiæ ministrare possint, *l. Commodis, ff. de re judicata, & l. Spem, C. de execut. rei indic.* Commoda diurna & distributiones currentes Clerici ad sui sustentationem necessariæ pro ministerio Ecclesiæ, similiter pignori capi possunt à creditoribus, si alia bona non sint, modò ei relinquatur, unde vivat, & Ecclesiæ ministret, *dicta lege commodis.* Sic judicatum de distributionibus, *Arresto* 19. *Aprilis anno* 1634. Arreragia verò integra pignori capi possunt, & si Clericus celavarit suam qualitatem, & personam creditori ignoranti obligaverit, incarcerari potest, ex mandato Judicis sæcularis, ut judicatum refert, *Chenu quæst.* 113. alioquin pro debitis, & pro causa civili, incarcerari non potest, *Peleus lib.* 2. *act.* 64.

II. Præceptum de solvendo Judex Ecclesiasticus potest decernere, & per suos apparitores intimare potest, ex Constitutionibus Gallicis. At sequestratio, & licitatio non nisi ex authoritate Judicis Laïci fieri possunt, in quo nihil detrahitur Ecclesiasticæ Jurisdictioni; nam Judex Laïcus nudum exhibet ministerium; & si opponatur, ad Judicem Ecclesiasticum recurritur.

TITULUS VII.

De appellatione ab abusu.

SUMMARIUM.

I. *Principis officium est tueri, publicam salutem.*

II. *Appellatio ab abusu durat, quamdiu durat abusus.*

III. *Appellatio ab abusu non tollitur consensu privatorum.*

IV. *A rescripto Papæ non appellatur, sed ab ejus executione, si sit abusus.*
V. *Per appellationem ab abusu executio sententiæ, vel decreti devolvitur, non tamen suspenditur si de correctione agatur. Per appellationem ab abusu Senatus fit Judex competens rerum spiritualium.*
VI. *Abusus etiam est ex parte Judicis Laïci, si cognoscat de causis Ecclesiastici fori.*
VII. *Senatus inhibere potest Judici Ecclesiastico cognitionem, causæ fori sæcularis, sub pœna nullitatis & saisinæ bonorum temporalium, at Judex Ecclesiasticus contra Judicem Regium utitur verbis præcativis, non præceptoriis.*

I. AUT appellans queritur de iniquitate sententiæ, & per appellationem à Superiore ei succurritur: unde appellatio dicitur querela iniquitatis sententiæ, *l. Præfecti, ff. de minor.* nam Superiores supplent, & corrigunt excessus & defectus inferiorum, ut suprà diximus; & hæc appellatio dicitur simplex, & remedium ordinarium: aut appellans queritur de abusu in sententia, decreto, vel rescripto commisso, & per appellationem tanquàm ab abusu ei succurritur à Principe, vel Senatu: nam abusus offendit salutem Publicam, & Principis munus est tueri Reipublicæ salutem, *l. 3. ff. de officio Præfecti vigilum:* hoc remedium extraordinarium est, quo causæ spirituales ad Senatum deferuntur, ut tollatur abusus ob publicam utilitatem.

II. Et licèt cæteræ appellationes tollantur silentio taciturnitate triginta annorum, tamen quandiu durat abusus, & Reipublicæ salus reclamat, appellare semper licet, etiam post centum annos, nullâ præscriptione obstante, *c. Cùm non liceat, de præscript.* At si abusus aliquo titulo colorato tegatur, post quadraginta annos de abusu queri non licet, ut cavetur in materia unionum, in quibus solemnitas formæ fuit omissa, *Concil. Trident. Sess. 7. c. 6.* & si consensu privatorum, quorum interest, abusus possit remitti, eorumdem silentio per tempus juris tacitè censetur remissus, ut si patronus, aut graduatus, aut indultarius, non fuerit conquestus de collatione, spreto se, factâ intra tempus juris, *diximus in Tractatu de Beneficiis.*

III. Si verò abusus principaliter sit contra jus publicum, consensu privatorum non potest tolli, *l. Jus publicum, ff. de reg. juris*, & auditur appellans ab abusu, tametsi sententiæ rescripto, vel decreto à quo appellat, jam paruerit, vel coram Judice Ecclesiastico contestatus fuerit, *Loëtius in lit. D. n. 29.*

IV. Si de rescripto Papæ agatur, à rescripto non appellatur; nam à rescripto Principis appellare non licet; sacrilegii instar est de Principis authoritate dubitare, *l. Sacrilegii, C. de diversis rescriptis*, sed appellatur ab executione rescripti. At à rescriptis Legati appellatur.

V. His appellationibus causa devolvitur ad Senatum, & executio sententiæ vel decreti appellationis suspenditur, nisi de correctione agatur, aut reparationibus Ecclesiæ necessariis, aut celebratione Divini Officii; & Senatus fit Judex competens causæ spiritualis, *Papon. lib. 19. Placitorum tit. 2. n. 2.* Verùm si non sit abusus, Senatus causam remittit ad Judicem Ecclesiasticum.

VI. At sicut abusus est ex parte Judicis Ecclesiastici, si cognoscat de causis fori sæcularis, sic abusus est ex parte Judicis sæcularis, si cognoscat de causis fori Ecclesiastici: & utroque casu Senatus, ut vindex, & protector utriusque Jurisdictionis, appellatur, *ex Constit. Caroli IX. anni* 1571. *art. 6. & aliis*; & utroque casu Procurator Regius est pars principalis.

VII. Senatus inhibere potest Judici Ecclesiastico cognitionem causæ fori sæcularis sub pœna nullitatis & saisinæ bonorum temporalium. At Judex Ecclesiasticus, contra Judicem Regium non potest; ut verbis præceptivis, sed rogatoriis, *Fevret lib. 7. c. 3. n. 9.*

TITULUS VIII.

De origine appellationum ab abusu.

SUMMARIUM.

I. II. III. & IV. Appellationes ab abusu sunt ad conservandam disciplinam Ecclesiasticam & Jurisdictionem Regiam. Decretalibus Jurisdictio sæcularis in multis capitibus

tibus fuit lacerata, Ordinationibus regiis & Senatûs placitis redintegrata.

V. Quæ per viam querimoniæ aut oppositionis coram Papa emendabantur, per appellationem ab abusu à Senatu emendantur, juxta epistolam Leonis Papæ. Hispani appellant appellationem ab abusu, recursum ad Principem.

I. AD duo capita appellationes ab abusu referuntur, ad Jurisdictionem vel politiam Ecclesiæ : quando Ecclesiastici cœperunt abuti sua Jurisdictione, & violare Jurisdictionem sæcularem, Reges Galliarum contrariis Constitutionibus Officiariis suis eam redintegrarunt, & Senatus querimonias appellantium à Jurisdictione intercepta à Judicibus Ecclesiasticis audire cœpit. Sanè in Conciliis & Constitutionibus antiquis in Decreto relatis Jurisdictio sæcularis intacta remansit ; at in Constitutionibus novis, quæ referuntur in Libris Decretalium, fuit lacerata in multis articulis : nam *in c. Si Clericus, de foro compet.* Alexander III. voluit cognitionem actionum realium Ecclesiæ, aut Clericorum ad Judicem Ecclesiasticum pertinere, *in c. Cùm sit, eod. tit.* Lucius III. statuit Judicem Ecclesiasticum posse de sacrilegio inquirere contra Laïcum. Idem ordinavit Alexander III. de crimine usurarum, *in c. Cùm tu, de usur.* Idem de crimine simoniæ, & adulterii cautum fuerat, ob injuriam illatam Ecclesiæ, & violatum fœdus matrimonii, *Gloss. in d. c. Si Clericus.*

II. Prætereà hæredes & executores testamentorum cogebantur à Judicibus Ecclesiasticis, implere voluntatem defunctorum, *c. Si hæredi, de testam.* & si negligerent, ipsi eam curam suscipiebant, aut si executores à defuncto nominati non essent, *Clement. quia contingit, de Religiosis Domibus, Concilium Trid. Sess. 22. cap. 8.*

III. Quin etiam de pactis & conventionibus initis inter Laïcos, si juramentum interveniisset, Judices Ecclesiastici cognoscebant, prætextu perjurii, & denuntiationis evangelicæ, *c. Novit, de judic.* & de omni controversia civili, si Judicem Laïcum non liceret adire, *c. Licet, & c. Ex tenore de foro competenti.* Insuper Episcopi cognoscebant contra Laïcos de controversiis & oppositionibus, quæ oriebantur in executione Litterarum monitoriarum ad fines revelationis, ne potestas Clavium contemneretur ; & ad prorogandam Jurisdictionem Ecclesiasticam Bonifacius VIII. voluit, Clericos conjugatos retinere privilegium Clericale, modò deferrent habitum & tonsuram, *c. Unico de Clericis Conjug. in 6.* Quæ omnia recepta fuerunt in terris Ecclesiæ, ob mixturam utriusque Jurisdictionis, & in Gallia aliquandiu obtinuerunt, ut observat *Loiseau in tit. des Jurisdictions Ecclesiastiques*, sub finem.

IV. Verùm Galliarum Reges Jurisdictionem suis Officiariis redintegrari curarunt suis Constitutionibus, Philippus III. Edicto declaravit, Clericos conjugatos privilegium Clericale non habere : Philippus VI. ademit Judicibus Ecclesiasticis cognitionem criminis adulterii. Edicto Regis Joannis cognitio & executio testamentorum Judicibus Ecclesiasticis adempta est : Constitutione Caroli VI. illis vetitum fuit, cognoscere de actionibus realibus, rei vindicatione, petitione hæreditatis, interdictis possessoriis, de causis retractuum, & de reditibus annuis : Constitutione Francisci I. anni 1539. cavetur ne Laïci citentur coram Judicibus Ecclesiasticis actione personali ex contractu, vel quasi, aut reali, nisi de Sacramento matrimonii, aut decimis agatur : & cognitio criminum privilegiatorum in Clericos Judicibus Laïcis reservata est, Constitutionibus eorundem Principum. Hinc ortæ sunt appellationes *ab abusu*, & Senatus Constitutionum Regiarum observantissimus de causis hujusmodi cognoscere cœpit, Apostolicâ Sede minimè refragante ut observavimus suprà *ex Bulla Cœnæ*, in qua casus excipiuntur, in quibus Parlamenta de causis Clericorum cognoscunt, secundùm Juris dispositionem, quos casus suprà notavimus.

V. Et si abusus sit in politia Ecclesiæ, ad Senatum similiter recurritur per appellationem ab abusu, sive ab Ordinario, sive à Legato appelletur, sive ab executione rescripti Pontificii : nam post Leoninam Constitutionem in Gallia causæ Clericorum extra Regnum ventilari non possunt. Olim de sententiis Ordinariorum, aut Legati per appellationem Papa cognoscebat, & de querimoniis opponentium executionibus suorum rescriptorum, ut constat ex eleganti responso Alexandri III. ad Archiepiscopum Ravennæ, *in c. Si quando, de rescriptis*, his verbis : *Mandatum nostrum adimple, aut cur adimplere non possis, rationabilem causam redde : nam patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Multa enim inadvertenter conceduntur per ob-

reptionem, vel subreptionem supplicantium, aut curialium, quæ non concederentur rei veritate inspectâ, & quibuscumque clausulis rescriptum sit vallatum, *de motu proprio*, aut *certa scientia*, nunquam jus opponendi valida ratione firmatum excipitur, ne unde jura nascuntur, hinc nascantur injuriæ. At hodie brevi viâ, si agatur de rescripto Apostolico, appellatur ab executione illius ad Senatum tanquam ab abusu, rerum necessitas id exigit, cùm coram Papa causa oppositionis tractari non possit, quæ in appellatione includitur, & abusus celeriter tolli debeat. Si abusus sit in rescripto Legati, decreto vel sententia Ordinarii, ad Senatum similiter appellatur tanquam ab abusu: nam Papa de causis nostris cognoscere non potest, nisi per delegatos in partibus, licentia datur litigandi usque ad tres sententias conformes; idcircò ad Senatum recurritur, ut citò lis dirimatur; Principis enim munus est, pacatam habere Matrem Ecclesiam, *ut ait D. Augustinus in Joannem*, juxta Placitum Leonis Papæ, *in c. Nos si incompetenter, c. 2. q. 7.* ex Epistola illius scripta Ludovico Francorum Regi, his verbis: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditos justæ legis tramitem non conservavimus, vestro admissorum nostrorum cuncta volumus emendari judicio:* legendum enim est *emendari*, non *emendare*, ut oratio sit congrua: in qua, ut explicat Glossa, Papa Regis se submittit arbitrio. Tamen si abusus sit in sententia vel decreto Ordinarii, & causa principalis sit fori Ecclesiastici, liberum est appellanti, vel Senatum adire per appellationem ab abusu, aut Metropolitanum per appellationem simplicem, qui sententiam reformando abusum tollit: at si causa principalis sit fori sæcularis, Metropolitanum adire non licet. Hispani non utuntur verbo appellationis ab abusu, sed *recursu ad Principem, Fevret. l. 9. c. 1.* lenitate vocabuli rei gravitatem temperant.

TITULUS IX.

De casibus in quibus est abusus.

SUMMARIUM.

I. II. & III. *Si Judex Ecclesiasticus cognoscat de causa fori sæcularis. Si Papa vel Legatus cognoscat de causis inter Gallos.*

IV. *Si legatus aut Papa legitimet bastardos ad jura temporalia.*

V. *Si procedat ad unionem Ecclesiarum.*

VI. *Si Legatus deroget privilegio graduatorum.*

VII. *Si imponat pensionem in Beneficio est extra casus de jure permissos.*

VIII. *Si permittat resignanti reservationem fructuum in Beneficio dimisso.*

IX. *Si permittat, aut confirmet alienationem bonorum immobilium Ecclesiæ.*

X. *Ex quibus causis alienatio rei Ecclesiasticæ rescindatur. An alienatio rei Ecclesiasticæ nullâ præscriptione firmetur.*

XI. *In locatione rei Ecclesiasticæ quæ sint observanda.*

XII. & XIII. *Si Papa deroget concordato in Regiis nominationibus. Rex potest nominare ad Prælaturam vacantem per obitum in Curia sui agentis. Ecclesia defensa ope Gallorum, & ob eam causam jus nominandi concessum Regibus Galliæ ad Ecclesias vacantes.*

XIV. *Indultis Regiis ad Beneficia Papa derogare non potest, nec indultis Cardinalium.*

XV. & XVI. *De crimine falsi, aut usurariorum inter Laïcos Papa cognoscere non potest, aut Judices dare, nec de hæresi.*

XVII. *Papa aut Legatus religiosis facultatem testandi dare non possunt.*

XVIII. *Non possunt dispensare religiosos à voto, nisi ex causa superveniente, quæ ab initio professionem impediviſſet. Professione voti annullatâ professus recuperat omnia jura.*

XIX. *Juri Patronatûs Laïcorum Papæ, & Legato derogare non licet. Statutis & consuetudinibus Ecclesiarum derogare non licet.*

XX. *Plura Beneficia simplicia sub eodem tecto uni dare non licet.*

XXI. *Executoribus testamentorum tempus Papa prorogare non potest, nec legata pia in alios usus convertere.*

XXII. *Regulæ de verisimili notitia, & de publicandis resignationibus derogare non licet.*

XXIII. *Cum intruso de fructibus Beneficii Legatus paciſci non potest.*

XXIV. & XXV. *Papa, & Legatus Beneficium vacans ex causa resignationis dare non possunt, nisi constet de mandato, nec clausulam anteferri in litteris apponere.*

XXVI. *Non possunt causas pendentes coram Judicibus Ordinariis ad se vel Iudices datos evocare.*

XXVII. *Non possunt sequestrationem rei litigiosæ decernere.*

XXVIII. *Non possunt Iudices dare in criminibus privilegiatis.*

XXIX. *Non possunt dare litteras restitutionis in integrum, aut rescisionis in causis, quæ fori Ecclesiastici non sunt. In litteris Regiis rescisionis contractûs, non apponitur clausula dispensationis, aut absolutionis à juramento.*

XXX. *In causis fori Ecclesiastici, si agatur de rescisione, aut restitutione in integrum, Iudex ex officio procedit sine mandato.*

XXXI. *Papa non potest cognoscere de actionibus realib' prædiorum inter Clericos, nec de actionibus personalibus contra Clericos.*

XXXII. *Papa & Legatus Laïcos pristinæ famæ restituere non possunt, nec Clericos nisi ad Ordines & Beneficia.*

XXXIII. *Papa habenti pensionem in aliquo Beneficio non potest cessionem & translationem in alium permittere.*

XXXIV. *Legatus existens extra Regnum non potest Beneficia conferre. Legatus in suo ingressu litteras suæ legationis exhibere tenetur Senatui, & jurare de servandis concordatis, privilegiis & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, statutis Accademiarum, & Conciliis.*

XXXV. *Abusus est in rescriptis Apostolicæ Sedis, quæ sunt contra bonos mores, pariunt scandalum, & statum Ecclesiæ decolorant. Appellationes ab abusu non lædunt authoritatem Apostolicæ Sedis.*

I. ABUSUS est in sententiis, decretis, vel rescriptis Ecclesiasticis, si Jurisdictio sæcularis lædatur in casibus de quibus Judex Laïcus inter Clericos cognoscere potest, quos observavimus suprà *tit.* 13. & 14. Abusus etiam est ex parte Judicis sæcularis, si Jurisdictio Ecclesiastica violetur, ut diximus suprà.

II. Et in politia Ecclesiæ, seu administratione rei Ecclesiasticæ, abusus notatur in variis casibus quos ex Constitutionibus Regiis, & usu Regni Senatûs Parisiensis in verificatione Litterarum Legationum Cardinalium, Farnesii, Sadoleti, & Sancti Georgii, Legatorum à latere temporibus Henrici II. in suis Arrestis expressit in articulis sequentibus, ut refert Dominus Thuanus Præses dùm viveret in eodem Senatu doctissimus, *Historiæ Gallicæ lib.* 3.

III. *Primus articulus est*, ne Legatus inter subditos Regni Gallici Judex esse possit, tametsi illi consentiant, nec inter Ecclesiasticos ejusdem Regni, quamvis illi sint exempti à Jurisdictione Ordinariorum, sed deleget in partibus, qui de querimoniis, aut appellationibus eorum cognoscat: idem statuitur de Papa in Concordatis, ut diximus suprà.

IV. *Secundus*, ne Legatus legitimet bastardos, nisi pro promotione ad Ordines sacros, & Beneficiis obtinendis in Ecclesiis in quibus legitimati admittuntur; nam in Ecclesiis in quibus statutum est de bastardis aut legitimatis non admittendis, rescriptum legitimationis non suffragatur, quoniam Statuta Ecclesiarum à Sede Apostolicâ semel approbata, aut usu, & observantiâ per longissimi temporis decursum præscripta, rescriptis Apostolicis contrariis violari non possunt, ut dicetur infra. At pro successionibus hæreditariis, aut obtinendis Muneribus civilibus, Litteræ Legati, aut Papæ legitimatis non prosunt: Litteris Regiis opus est, quoniam à Rege inter subditos privativè jura civilia pendent, & distribuuntur, *c. Per venerabilem, qui filii sint legitimi, Benedict. in c. Raynutius, verb. & uxorem, n.* 198.

V. *Tertius*, ne Legatus procedat ad unionem Beneficiorum, sed deputet Commissarios in partibus, qui de causa unionis priùs cognoscant, & si necessitas, aut evidens utilitas exigat, uniant, juxta Concilium Constantiense: sic enim unio fit authoritate Apostolica per Commissarios in partibus, ne partes unionem postulantes, aut opponentes distrahantur extra, ut cavetur Concordatis. Idem dicitur de rescriptis Papæ unionis.

VI. *Quartus*, ne Beneficia Ecclesiastica postulantibus in vim gradûs ex privilegio concesso Constitutione Leonis conferre possit, nisi studuerint per tempus eadem Constitutione præscriptum, nimirum decem annorum, si sit Doctor Theologus; septem annorum, si Doctor sit Juris Civilis, aut Canonici, aut Medicinæ; quinque annorum, si sit Magister Artium; sex annorum, si Baccalaureus Theologiæ; & quinque annorum, si Baccalaureus sit Juris Civilis, aut Canonici, aut Medicinæ, nisi sit Nobilis ex utroque parente, in quo triennium sufficit, §. *Præterea ejusdem Constitutionis, tit. de collat.* Ea enim Constitutio emanavit ex Concordato inito inter Leonem X. & Franciscum I.

Galliarum Regem, quod Papa, per se, & successores suos observatum iri, promisit. Multa alia in graduatis requiruntur, ut privilegio utantur, & cæteris præferantur in Beneficiis vacantibus in mensibus sibi affectis, tùm dictâ Constitutione, tùm Constitutionibus Regiis, quibus derogare non licet sine abusu, ut notavimus in tractatu *de Beneficiis, lib.* 1. *tit.* 8.

VII. *Quintus*, ne Legatus possit imponere aut creare pensionem in Beneficio, nisi in gratiam resignationis, aut permutationis, aut concordiæ, pro habente jus in Beneficio dimisso aut permutato, non pro alio jus non habente, tametsi partes consentiant; & pensio debet moderari in certa quantitate pecuniæ, ne excedat tertiam partem valoris fructuum Beneficii, alioquin locus est appellationi ab abusu, diximus *de Beneficiis, lib.* 3. *tit.* 12.

VIII. *Sextus*, cum præcedenti coïncidit, ne Legatus possit permittere resignanti reservationem fructuum in Beneficio dimisso, aut regressum, nisi in casibus de jure permissis, nimirùm pensionis non solutæ, vel infirmi resignantis, dixi *de Beneficiis lib.* 3. *tit.* 9.

IX. *Septimus*, ne Legatus permittat alienationem bonorum immobilium Ecclesiæ, aut approbet, sed Commissarios deputet in partibus, qui de causa alienationis inquirant, auditis iis, quorum interest: nam si de re Capituli agatur, tractatus præcedens Capituli requiritur. Idem servatur, si de re communi inter Episcopum, & Capitulum alienanda agatur, *c. Si qua de rebus, c.* 12. *q.* 2. *c. Cum Apostolica, de iis quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.* Si res pertineat ad mensam solius Episcopi, œconomus Capituli vocandus est, qui causam alienationis propositam impugnet: tamen si justa sit causa, eo etiam invito alienatio fieri potest. Idem dicitur de Patrono, & Procuratore Regio, si Ecclesia sit patronata, aut fundationis Regiæ; causa justa censetur, si necessitas exigat, pro ære alieno exolvendo, aut alendis pauperibus, aut redimendis captivis, *c. Sacrorum*, & *c. Aurum* 12. *q.* 2. Aut si alienatio fiat ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, si res Ecclesiæ sit damnosa, vel minùs utilis, *c. Terrulas*, 12. *q.* 2. *& fusè Riccius in praxi decis.* 129. non enim dicuntur, bona quæ plus habent incommodi, quàm commodi, *l. Propriè*, *ff. de verb. signif.* Apud nos clausula, *si in evidentem Ecclesiæ utilitatem*, difficiliùs admittitur, ne inveniatur occasio alienationis, ut de alienatione rerum minorum dicitur *in l. Magis puto*, §. *Si pupillus*, *ff. de prædiis min.*

X. Si alienatio sit nulla ex defectu formæ, & solemnitatis requisitæ, aut ex defectu causæ, appellatur ab executione rescripti Apostolici, aut à rescripto Legati, aut à decreto Ordinarii, ex cujus authoritate alienatio facta est, vel approbata, tanquam ab abusu, cum clausula rescisionis alienationis, & restitutionis in integrum adversus consensum alienatoris, & temporis decursum. Si defectus tantùm formæ, aut solemnitatis requisitæ arguatur, appellans non auditur post quadraginta annos, *Authent. quas actiones*, *C. de Sacros. Eccles.* nam post lapsum tanti temporis solemnitas præsumitur præcessisse, *Ancharan. cons.* 15. *lib.* 1. *Molin. ad Alexandrum consil.* 219. maximè si de solemnitate in instrumento aliqua mentio facta sit; nam pro instrumento præsumitur, *l. Optimam*, *Cod. de contrah. stip.* Si alienatio nulla dicatur ex causa solius læsionis, nonnulli existimant, querimoniam præscribi quadriennio, aut jure Gallico, decennio, quo restitutio in integrum limitatur: alii requirunt præscriptionem quadragenariam, *Molin. ad Alexandrum consil.* 219. *& consil.* 329. subductis legitimis impedimentis, belli, pestis, Ecclesiæ vacantis, & vitæ Rectoris qui tali alienationi consensit, *c. Si Sacerdotes* 16. *quæst.* 3. *Gloss. in c.* 1. *de in integrum restit.* Si verò alienatio sit nulla defectu causæ, nulla temporis præscriptione obstante, alienatio revocari potest, & res alienata à Rectore vindicari, *l.* 2. *C. ne rei Dominicæ, vel Templorum vindicatio temporis ulla præscriptione submoveatur.* Tamen cùm præscriptio temporis immemorialis sit instar tituli, *l. Hoc jure*, §. *ductus aquæ*, *ff. de aqua quot. & æst.* apud nos alienatio rei immobilis Ecclesiæ, præscriptione centenariâ firmata, revocari non potest, & non auditur appellans ab abusu, defectum formæ, vel causæ opponere volens, ut judicatum fuit in causa Rectoris Ecclesiæ Parrochialis loci *de la Motte* hujus Provinciæ, appellantis ab abusu ab executione rescriptorum Apostolicorum, cum clausula restitutionis in integrum, & rescisionis contractuum emphyteuticariorum, quos sui prædecessores celebraverant, *Arresto mensis Novembris anni* 1604. quo pro alienationibus non excedentibus centum annos admissus fuit, & præscriptioni centenariæ aliarum alienationum cedere jussus est, *juxta Novellam* 9. quæ inscribitur, *ut etiam Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione*, quâ præscriptio centenaria, quæ pro Ecclesiis

Orientalibus scripta fuerat, etiam ad Ecclesiam Romanam, & cæteras Ecclesias Occidentales prorogatur.

XI. Verùm nec in locationibus rerum Ecclesiasticarum, quæ de triennio in triennium fieri solent, *Extravag. ambitiosæ, de rebus Eccles. non alien.* nec in præcariis quæ fiunt ad vitam Rectoris; in renovatione emphyteusis, vel investitura infeudationis, quæ fit juxta modum prioris investituræ, nova solemnitas desideratur, *c. Ad aures, de rebus Eccles. non alienandis*: & si Rector Ecclesiæ modum Jure Canonico præscriptum non servaverit, sive in tempus longius locaverit, sive ante tempus finitum prioris locationis, per anticipationem posterioris semestris locaverit, quod vetatur Concilio Tridentino *Sess.* 25. *c.* 11. aut vili mercede locaverit cognato, unde arguitur suspicio fraudis, *Authent. quibuscumque, C. de Sacrosanctis Ecclesiis*, successor non tenetur stare colono, licet ipse ab eo per aliquot annos jam mercedem acceperit, *Rota decis.* 33. *in novis*: & apud nos indistinctè per cessum, aut decessum Rectoris locatio finitur, ex Constitutione Henrici III. *anni* 1568. successor potest colonum expellere, nullaque contra hæredes locatoris competit actio ad id quod interest, quoniam, id sibi evenire posse, prospicere potuit, *L. Si quis, ff. Locati*, in quibus Judex sæcularis adeundus est, cùm causa sit fori sæcularis, nec opus est appellare ab abusu, quod remedium non est tentandum, nisi deficiat ordinarium.

XII. *Octavus*, ne Legatus provisiones, titulum vel Commendam ad vitam dare possit Dignitatum Monasteriorum, sine Regis nominatione: nam in Concordatis, *tit. de Regia ad Prælaturas nominatione*, Capitulis, & Canonicis ademptum fuit jus eligendi Episcopum, vel Archiepiscopum, Sede vacante, & jus illud in Regem fuit translatum, qui nominare debet in Consistorio Papæ Doctorem in Theologia, vel in utroque Jure aut altero, vel Licentiatum in Universitate famosa, & sit annorum viginti septem ad minus, idque intra sex menses à die vacationis computandos; & si nominatus ætatis & qualitatis requisitæ non sit, intra tres alios menses nominare debet personam idoneam: tamen si Religiosus nominetur ex Mendicantibus Reformatis, qui ex suis institutis ad gradum non promoventur, defectus gradûs non obest, quo jure Rex utitur, sive Ecclesia vacet per cessum, sive per decessum. Excipitur casus obitûs Prælati apud Sedem Apostolicam, sive Romæ, sive ut explicat Rebuffus, intra duas diœtas ab urbe in locis vicinis obierit; quo casu Papa liberè providet sine Regis nominatione, vel si intra præscriptum tempus Rex non nominaverit personam qualitatis requisitæ. Unde cùm Ecclesia Metropolitana Aquensis vacaret per obitum Eminentiss. Card. Michaëlis Mazarini in Curia Romana ex mandato Regis Christianiss. res Galliæ agentis, & Rex nominasset Eminentissimum Dominum Hieronymum Grimaldum in Gallia per id tempus res Apostolicæ Sedis gerentem, dubitatum fuit in Sacro Consistorio Romano an nominatio Regis esset admittenda, ne reservationi appositæ in Concordato Ecclesiarum vacantium per obitum Prælatorum apud Sedem Apostolicam fieret præjudicium. At Alexander VII. juris & concordiæ observantissimus, initio sui Pontificatûs, remotâ omni controversiâ, præfatum Dominum Cardinalem Grimaldum à Rege nominatum, & ab omnibus Ordinibus Provinciæ desideratum, fœliciter inauguravit. Nam illa reservatio ex mente Concordati intelligenda est de Prælatis, qui Romæ commorantur ob res proprias, vel Apostolicæ Sedis, non de Legatis Regis, quorum absentia Regi non debet esse damnosa, *L. Absentia, ff. de regulis Juris*, & privilegium illud concessum Regibus Galliarum latè debet interpretari ob multiplicem rationem, quòd illud successerit electionibus in quibus Papa non poterat prævenire electores, ut declaratum fuerat in Concilio Basilienſi; quòd Ecclesiæ patrimonium auctum fuerit Regum liberalitate & munificentia; quòd ab illis Sedes Apostolica contra Arrianos, & Longobardos, aliosque hostes, defensa fuerit, & ob eam causam ante Concordatum jus nominandi Archiepiscopos & Episcopos in Regnis suis Carolo Magno à Pontifice Hadriano ex decreto Synodi sine reservatione ulla concessum fuerit, ut refertur *in c. Hadrianus, & in c. Synodo, d.* 63. & observavit Gaguinus, *lib.* 7. *cap.* 5. *& Benedictus in c. Raynutius, verb. & uxorem, num.* 356. *& Pius II. ante Pontificatum dictus Æneas Sylvius, meminit in Epistola scripta Galliarum Regi*, 383. *circa medium.*

XIII. Idem jus concessum fuit Regibus Galliarum nominandi intra idem tempus Abbates, & Priores Monasteriorum, qui sint ætatis ad minus annorum viginti trium, jure eligendi Monachis adempto ob frequentes contentiones; quo tamen privilegio non

fit præjudicium Capitulis Ecclesiarum, & Conventibus Monasteriorum & Prioratum, jus eligendi Prælatum, aut Priorem in casu vacationis à Sede Apostolica obtinentibus, quominùs suo jure utantur in electione, *juxta c. Quia propter, de electione, & sua instituta:* in cæteris verò Monasteriis nominationis Regiæ Papa aut ejus Legatus procedere non potest ad collationem Prioratûs aut Abbatiæ in titulum, vel in Commendam, sine Regis nominatione, alioquin locus est querimoniæ tanquam ab abusu, & infractione Concordati. Plura de hac materia vide apud Rebuffum in Concordatum, & quæ nos scripsimus *lib.* 1. *de Beneficiis, tit.* 8.

XIV. *Nonus*, ne indulctariis præjudicetur in rescriptis Apostolicis aut Legati; illud enim privilegium Regi concessum fuit ab antiquo ut indulctarium nominare possit ad Beneficium vacaturum, cui si indulctum fuerit insinuatum, Ordinarius conferre tenetur primum Beneficium vacans per obitum, non si vacet per resignationem; & si conferat alteri, indulctario tenetur assignare parem reditum super suis bonis, donec is de Beneficio congruo provisus fuerit, *juxta c. Dilectus, de Præb. Loët. litt. P. num. 6.* Illud etiam privilegium concessum fuit ab Eugenio & Paulo III. Curiæ Parisiensi, quo singulis ejusdem Curiæ, si Clerici sint, ad nominationem Regis, vel Clericis ab eis nominandis de Beneficio sæculari, aut Ordinis Cluniacensis semel in vita nominati, Ordinarius debet providere; in quibus casibus Ordinarius à Papa, vel Legato intra semestre non potest præveniri, alioquin est abusus, de istis indulctis scripsimus *lib.* 1. *de Benef. tit.* 18. Idem dicitur de indulcto Cardinalium, ne possint præveniri in Beneficiis suæ collationis, præsentationis vel institutionis intra semestre vacationis, quòd illud indulctum in magno Consilio Galliæ verificatum fuerit, *de quo vide Loëtium in litt. C. n.* 15.

XV. *Decimus*, ne Legato cognoscere liceat de crimine falsi, aut usurarum inter Laïcos, nec de separatione matrimonii quantùm ad dotem & bona temporalia, aut Judices dare qui de iis cognoscant; hæc enim sunt fori sæcularis, ut diximus suprà.

XVI. *Undecimus*, ne Legato cognoscere liceat, aut Judices dare de crimine hæresis contra Laïcos, si quæstio sit facti; illa enim est cognitionis Judicis Laïci, qui inquirat; & si constet de facto, Judici Ecclesiastico deferat qui pronuntiet hæresim esse, vel non; & si sit hæresis, Judici Laïco reum puniendum remittat: non enim Judici Ecclesiastico absolvere licebat, nisi in foro conscientiæ, si pœniteret; quid hodie apud nos observetur in hac materia, diximus suprà *tit.* 14. *n.* 19.

XVII. *Duodecimus*, ne Legatus Religiosis dare possit facultatem testandi contra statuta, leges & consuetudines Provinciarum; nam talis facultas Juris Civilis est, cui Papa derogare non potest, *c. Novit, de judiciis*: sunt tamen quidam Religiosi relaxati à Regula, quibus testari licet, ut qui ad Episcopatum promoti sunt, & Canonici Regulares Sancti Augustini, *Loët. litt. S. n.* 20. *& litt. R. n.* 42. & Benedictini cum licentia Abbatis, nec non Equites Sancti Joannis Hierosolimitani cum licentia magni Magistri Ordinis.

XVIII. *Decimus-tertius*, ne Legatus cum Religiosis professis dispensare possit à voto: habet enim Legatus potestatem interpretandi, & Judices dandi, qui de voto cognoscant, si illud sit nullum ex justa causa, defectu legitimi consensûs, justæ ætatis, probationis omissæ, Superioris potestatem acceptandi professionem non habentis, vis & metus gravis. At non habet potestatem dispensandi, quia non censetur potestas data Legato supra jus, in casibus non expressis. Papa verò habet etiam potestatem dispensandi, ob impedimentum superveniens, quod initio professionem voti impediviſſet, ex D. Thoma, quem refert Archidiaconus *in c. Qui bona* 17. *quæst.* 1. Nam si justa causa dispensationis non sit, nec qui dispensat, nec qui dispensatur quoad Deum tutus est. Cùm professio annullatur Judicis sententiâ, auditis cognatis, qui professus fuerat, recuperat omnia jura, quibus renuntiaverat; at si gratioso per dispensationem solvatur, dispensatio quidem prodest ad jura futura, accedente Regis licentiâ pro bonis sæcularibus, sed non trahitur retrò ad præterita, *L. Quod si minor*, §. *Scævola, ff. de minor. in integr. restituendis, L. finali, C. de repudianda hæreditate*, Olive, *liv.* 1. *n.* 5.

XIX. *Decimus-quartus*, ne Legato Juri Patronatûs Laïcorum derogare liceat, *dixi in lib. de Beneficiis* 1. *tit.* 19. nec Juri Ordinariorum, quos tamen Legatus, sicut Papa in conferendis Beneficiis prævenire potest, nisi Ordinarius sit privilegio munitus; ut sunt Cardinales, & alii alternativam habentes; nec licet derogare Statutis, & consuetudinibus laudabilibus Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum usu diuturno præs-

criptis ; nec Concordato seu Constitutioni Leonis, quæ pro bono regimine & utilitate Ecclesiæ Gallicanæ fuit condita.

XX. *Decimus-quintus*, ne Legatus uni dare possit diversa Beneficia sub eodem tecto, ne fiat confusio, & Divinum Officium minuatur. Verùm si illa Beneficia sint simplicia, modici reditûs, & singula non sufficiant ad sustentationem Rectoris, simul uni dari possunt, tùm à Legato, tùm ab Episcopo, *Rebuffus tit. de dispensatione ad plura Beneficia, num. 29.* Sic unus idemque Rector in eadem Ecclesia plures possidet Capellanias.

XXI. *Decimus-sextus*, ne Legatus executoribus testamentorum tempus prorogare possit, aut legata pia in alios usus convertere ; nam harum rerum cognitio Judicibus Ecclesiasticis adempta est Constitutionibus Regiis, ut diximus suprà *tit.* 24. Vide *Loët. litt. N. n.* 5.

XXII. *Decimus-septimus*, ne Legatus in Litteris Beneficialibus regulæ de verisimili notitia, & regulæ de publicandis resignationibus deroget, quæ ob bonos mores ad vitandam fraudem & confidentiam in Regno Galliæ receptæ sunt, ut notavimus *de Benef. lib. 3. tit.* 2. *&* 8. Idem dicitur de Litteris Papæ.

XXIII. *Decimus-octavus*, ne Legatus cum intruso de fructibus Beneficii pacisci possit, quos in utilitatem Ecclesiæ convertere oportet. Idem de Papa.

XXIV. *Decimus-nonus*, ne in Litteris Beneficialibus ex causa resignationis concessis clausulam apponat, quòd illis fides adhibeatur de resignatione, etiamsi non constet de mandato ad resignandum ; quod prohibetur Constitutione Henrici II. Idem dicitur de Litteris Papæ.

XXV. *Vigesimus*, ne clausulam anteferri apponat in Litteris Beneficialibus, in præjudicium juris alteri quæsiti. Idem de Papa.

XXVI. *Vigesimus-primus*, ne causas pendentes coram Ordinariis ad se, vel alios Judices evocet, quod Concordato vetitum fuit, *in tit. de causis*, ad servandam Jurisdictionem Ordinariorum. Idem de Papa.

XXVII. *Vigesimus-secundus*, ne sequestrationem rei litigiosæ decernat, ne Jurisdictio Ordinariorum lædatur. Idem de Papa.

XXVIII. *Vigesimus-tertius*, ne Judices det qui cognoscant de criminibus, quæ fori Ecclesiastici non sunt, de quibus suprà diximus *tit.* 14. Idem de Papa.

XXIX. *Vigesimus-quartus*, ne Legatus det Litteras restitutionis in integrum, aut rescisionis in causis quæ fori Ecclesiastici non sunt. Idem de Papa. Nam prætextu juramenti solebant Legati dare hujusmodi Litteras inter Laïcos, cum clausula absolutoria à juramento præstito in contractu de quo agebatur, ut observavimus suprà *tit.* 24. quod hoc decreto vetitum fuit : sic enim Jurisdictio sæcularis distrahebatur ; cumque restitutio in integrum pars sit mixti imperii, *l. Ea quæ, ff. ad municipalem.* Reges Galliarum jus illud sibi reservaverunt, ne Judicibus suis liceat restituere in integrum sine mandato Regis, quod Litteris Cancellariæ decernitur ex causa justa in illis expressa ; in quibus Litteris illa clausula olim apponebatur, modò impetrans absolveretur à suo Prælato à juramento præstito in contractu de quo agebatur : hodie verò illa clausula non apponitur ; nam eadem ex causa, ex qua contractus venit rescindendus, doli, vel metûs, vel erroris, aut beneficio ætatis, promissio jurata deficit, ne juramentum sit vinculum iniquitatis, *c. Non est obligatorium, de regulis juris in 6.*

XXX. At in causis Fori Ecclesiastici Judices Ordinarii, & eorum Vicarii habent imperium cum Jurisdictione, & restituere possunt in integrum jure proprio sine mandato, *c. Causa, de in integrum restit.* juxta illam formam Edicti Prætorii, *& si qua alia mihi justa causa videbitur, in integrum restituam, l.* 1. *ff. ex quibus causis majores restituantuantur*, non est opus recurrere ad Legatum.

XXXI. *Vigesimus-quintus*, ne Legatus inter Clericos per se, vel Commissarios à se datos de actionibus realibus possit cognoscere, nec de actionibus personalibus contra Laïcos, diximus suprà *tit.* 12. *& sequent.* Idem de Papa.

XXXII. *Vigesimus-sextus*, ne Laïcos pristinæ famæ possit restituere, nec Clericos, nisi ad Ordines & Beneficia. Vide suprà *tit.* 13. Idem de Papa.

XXXIII. *Vigesimus-septimus*, ne habenti pensionem in aliquo Beneficio permittat cessionem & translationem in alium. Idem de Papa.

XXXIV. *Vigesimuns-octavus*, ne Legatus existens extra Regnum Beneficia possit conferre, néve conferat Beneficia alterius Provinciæ non contentæ in Legatione sua,

aliave gerat citra commissa. Et ex placitis Senatûs Legatus in suo ingressu Litteras Legationis suæ Senatui debet exhibere, promittere & jurare de servandis concordatis, privilegiis & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Statutis Academiarum, & Conciliis œcumenicis; & finito officio, in suo discessu acta Legationis suæ relinquere debet penes personam fide dignam, ut ea, si sit opus, Senatui exhibeantur, Thuanus *loco citato*. Privilegia dicuntur gratiæ graduatorum, indultariorum, nominatorum; & jura Regalia, & alia, quæ Reges Galliarum ab Ecclesia demeruerunt, de quibus videndus de Selva *de Benef. 2. par. q.* 23. Benedictus *in c. Raynutius, verb. & uxorem, n.* 370. *& in verb. si absque liberis, n.* 44. & alii qui de hac materia scripserunt ex professo. Libertates verò dicuntur in quibus Ecclesia Gallicana jus antiquum servat.

XXXV. Alii casus abusûs in rescriptis Papæ, vel Legati possunt occurrere, si rescriptum sit contra bonos mores, & invehat occasionem peccandi, vel contra honestatem publicam, scandalum pariat, & statum Ecclesiæ decoloret: Verisimile enim est rescriptum in illis casibus falsa insinuatione fuisse obtentum per obreptionem, aut subreptionem; & quia opponens rescripto, impetrantem rescripti coram Papa, vel Legato citare non potest, obstante Concordato, ex necessitate Juris appellat Senatum, ut tollat abusum, nisi impetrans rescripto subreptitio renuntiare malit: quod genus appellationis authoritatem Apostolicæ Sedis nullomodo lædit; nam rescripta hujusmodi contra mentem illius conceduntur, & verisimiliter ex mente illius eo modo, quo possunt, tolluntur, ne unde jura nascuntur, hinc nascantur injuriæ. A rescriptis Legati appellatur, à Papæ rescriptis non appellatur; ille enim superiorem in terris non agnoscit; sed appellatur ab executione rescripti, & rescriptum vi, & effectu destitutum fit irritum & inane. Si verò Ordinarius in causis Ecclesiastici Fori, non tangentibus Jurisdictionem & jura sæcularia, aliquid tale decreverit contra bonos mores & Ecclesiasticam disciplinam, Metropolitanus appellatur.

TITULUS X.

Ut committatur abusus in Monitoriis dandis ad finem Revelationis.

SUMMARIUM.

I. Pro levi excessu non dantur Monitoria. Clericus ob contumaciam pœnâ suspensionis vel excommunicationis potest coërceri.

II. Ex stylo Romanæ Curiæ non dantur Monitoria si de summa quinquaginta nummorum minori agatur. In foro Ecclesiæ non dantur Monitoria pro crimine nisi ut agatur civiliter. Pro injuriis verbalibus non dantur Monitoria.

III. Ab Officiali foraneo non dantur Monitoria, nisi id habeat in mandatis. Non dantur Monitoria in causa fori sæcularis ante cœptam instantiam, nec sine licentia judicis sæcularis. Monitoriis non coguntur parere, qui testes esse non coguntur.

I. COMMITTITUR abusus in censuris Ecclesiasticis, si Judex Ecclesiæ Monitoria decernat ad cogendos testes ad finem revelationis pro levi excessu: Nam Constitutione Aurelianensi Caroli IX. id ei non permittitur, nisi pro gravi crimine, & scandalo publico, *anni* 1560. *art.* 18. & ex Constitutione ejusdem Caroli, *anni* 1571. *art.* 8. Ecclesiasticis non licet, uti censura excommunicationis, nisi in casibus à Conciliis & Constitutionibus Ecclesiæ permissis; in cujus Constitutionis verificatione Senatus ordinavit, Clericos non posse cogi ad solutionem pecuniæ debitæ sub pœna excommunicationis, ut notatur in collatione Constitutionum Regiarum, *lib.* 1. *tit.* 3. tamen Clericus à Judice Ecclesiastico jussus, aut prohibitus aliquid facere, ab eodem excommunicationis pœnâ, si non pareat, potest coërceri, ex placito Senatûs 23. Januarii anni 1573. *ibidem notato.*

II. Committitur etiam abusus, si pro causa civili rei parvi momenti Monitoria decernantur, ex eadem Constitutione, juxta Concilia Ecclesiæ, ex quibus non ex levi causa, sed sobriè, & cum magna circumspectione gladius est distringendus, *Concil. Trident. de reform. c.* 3. *Sess.* 25. Ex stylo Romanæ Curiæ non dantur Monitoria, si de minori summa quinquaginta aureorum agatur, *Riccius decis.* 276. at ubi paupertas major est, minor

minor summa sufficit. In foro Ecclesiæ non dantur Monitoria pro crimine, nisi ut agatur civiliter, *idem Riccius decis.* 278. In Foro sæculari dantur etiam in instantia criminali, ubi solus Procurator Regius intervenit. Pro injuriis verbalibus non dantur ex consuetudine Regni, *Boërius in cons. Byturigum, de Jurisd.* §. 17.

III. Hæc Monitoria dantur à Papa, vel Legato; ab ejus Vicario, & à Vicario Capituli, Sede vacante; ab Officiali foraneo non dantur, nisi id habeat in mandatis, *Riccius decis.* 270. Abusus est, si decernantur contra testes in causa Fori sæcularis ante cœptam instantiam, aut sine licentia Judicis sæcularis illius causæ, non temeratur illius Jurisdictio; aut si personæ in illis divulgentur; aut in casu oppositionis, vel appellationis pars, aut testes citentur coram Judice Ecclesiastico, & causa sit Fori sæcularis; aut si illis Monitoriis testes compellantur testificari, qui de jure non coguntur esse testes, ut mandantes, consulentes, cognati, affines, liberti & vassali, de quibus suprà, ne Leges Civiles violentur; aut si ad excommunicationem procedatur triplici Monitione non præmissa, *c. In audientia, & c. Contingit, de sentent. excomm.* Monitiones hujusmodi fieri solent diebus Festis inter Missarum solemnia: plura de hac materia diximus, *lib. 3. de Beneficiis tit.* 36. In istis casibus, si causa principalis sit fori Ecclesiastici, opponitur coram Ordinario, vel appellatur ad Metropolitanum; si verò sit Fori sæcularis, appellatur ad Senatum, ne causæ continentia dividatur.

TITULUS XI.

A constitutionibus Ecclesiæ non appellatur.

SUMMARIUM.

I. Papa sine consilio res arduas Ecclesiæ expedire non potest.

II. Constitutiones Apostolicæ Sedis rei politiæ Ecclesiasticæ externæ non obligant, nisi fuerint promulgatæ & usu receptæ. Canones mysteriorum Fidei post promulgationem factam in Romana Curia ubique obligant. Fidei diversitas sustineri non potest.

III. Ecclesia est corpus visibile, cujus caput est Papa. Christus pro D. Petro & suis successoribus donum Fidei obtinuit infallibile. Potestas ordinaria data fuit D. Petro transmissibilis ad successores.

IV. & V. De fide est Romanum Pontificem esse successorem divi Petri.

VI. & VII. Doctrina Jansenii damnata decreto Apostolicæ Sedis, in Gallia placitis Parlamentorum approbato.

I. CONSTITUTIONES Ecclesiæ aliæ sunt particulares, aliæ generales, quæ fiunt pro regimine Ecclesiæ, vel in Conciliis generalibus ex authoritate Sedis Apostolicæ Congregatis, vel in sacro Consistorio cum consilio Cardinalium: nam Papa sine consilio res arduas Ecclesiæ expedire non potest, *c. Per venerabilem*, §. *Sunt autem, qui filii sint legitimi*, Panorm. ibidem Baldus *in L. Non multa, C. de bonis quæ liberis*, in quibus tractatur de politia Ecclesiæ, & Fidei mysteriis, oppositione & appellatione remotâ, *c. Nemo, c. Aliorum, & c. Cuncta per mundum, c. 9. q.* 3.

II. In Constitutionibus quæ fiunt circa rem politicam Ecclesiæ, seu reformationem Cleri, ritus Divini Officii, & administrationem bonorum Ecclesiæ, variatur, prout rerum commutatio, vel ævi tempestas exigit: at in mysteriis Fidei non variatur. Constitutiones rei politicæ in patria libertatis non obligant, nisi fuerint promulgatæ & usu receptæ, *c. In istis, dist.* 4. At Constitutiones, aut Canones qui fiunt de mysteriis Fidei, ubique obligant, post promulgationem factam in Romana Curia; in iis omnis patria est patria obedientiæ. Patria libertatis dicitur ubi vivitur secundùm Leges proprias, laudabiles & honestas. Et patria obedientiæ est ubi vivitur juxta ritus & mores Ecclesiæ Romanæ. Morum diversitas toleratur in Ecclesia ob Nationum diversitatem, *c. Novit, dist.* 12. unde Divus Ambrosius Beato Augustino respondet, *cum Romam venio, sabbatum jejuno; cum Mediolani sum, non jejuno, c. Illa autem, dist.* 12. At Fidei diversitas non admittitur, *una Fides & unum Baptisma, ad Ephes. c.* 4. Nam morum diversitas, modò publica servetur honestas, variis civilibus rationibus defendi potest; at Fidei diversitas

sustineri non potest, cum unica sit ratio credendi, sola authoritas Dei revelantis, & Papæ sui Ministri, quo utitur in terris, nobisque credenda proponit.

III. Eam authoritatem esse in Romano Pontifice, Fide certum est, & rationibus demonstratur. Nam, *primò*, cum Ecclesia sit Corpus visibile, debet habere Caput visibile, ne videatur Corpus acephalum; ideoque Christus designavit Beatum Petrum Ecclesiæ Caput & Principem, dicens, *Joan. c.* 1. *Tu vocaberis Cephas*, quod est Caput, *& Math. c.* 16. dicens, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sic ante suam Passionem eum elegit Principem Ecclesiæ futurum; & post Resurrectionem eum confirmavit, *Joan. c. finali*, dicens Beato Petro ter, *Pasce agnos meos, & pasce oves meas:* & quoniam Beatus Petrus illud munus exercere non poterat sine lumine Fidei infallibili, at Christus donum pro eo obtinuit, *Luc.* 22. dicens, *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua:* quod donum ratione muneris quod administraturus erat in Pontificatu, illi datum fuisse, sequentia verba Evangelii demonstrant, *& tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Denique non reliquit Apostolos orphanos, *Joan. c.* 14. *Non relinquam vos orphanos*: nam Patrem communem dedit Beatum Petrum omnium credentium, & in eo Spiritum æternum veritatis: quæ verba soli Beato Petro conveniunt, ut Principi Ecclesiæ designato, & successoribus illius in eo munere: Nam cæteri Apostoli habuerunt quidem potestatem prædicandi Evangelii, & lumen Fidei; sed eorum potestas erat delegata, & morte ipsorum fuit finita; & potestas Beati Petri erat ordinaria, transmissibilis ad suos Successores, ut in Sede illius Fideles haberent Oraculum æternæ veritatis.

IV. *Secundò*, eam potestatem datam Beato Petro transmissam fuisse ad successores, de fide etiam est, & ratione demonstratur. *Primò*, ex verbis Evangelii supra citati: *Supra firmam Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam, Math.* 16. Quibus indicatur firmitas & duratio Principatûs Ecclesiastici; & in illis verbis, *Joan. c.* 14. *Æternum Spiritum veritatis*, indicatur potestatem illam Ecclesiæ non fore temporalem, sed duraturam in æternum Spiritum veritatis. *Secundò*, Deus non deficit in necessariis, necesse erat eam potestatem constituere in Ecclesia ad aperienda fidei Mysteria, & solvenda dubia, non in diversis capitibus, sed in uno, ne sententiarum diversitate unitas Fidei divideretur, ut accidit inter Hæreticos nostri temporis deficientes ab Ecclesia Catholica, libertatis amatores, & veræ Religionis osores, quorum alii Lutheri, alii Calvini falsis & in multis articulis contrariis opinionibus adhærent. Atqui eadem necessitas est in conservando Statu Ecclesiastico, quæ fuit in instituendo: ergo Deus idem jus, eamdemque potestatem ligandi & solvendi transfundere debuit in successores Beati Petri pro regimine Ecclesiæ, quam dedit illi per traditionem Clavium, eum Principem Ecclesiæ eligendo.

V. *Tertiò*, de Fide est, & ratione probatum, solum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri, eandemque potestatem solvendi & ligandi habere à Deo: nam quòd illa potestas ut Dignitati annexa, ad successores transeat, suprà demonstratum fuit. Quòd Pontifex Romanus sit successor Beati Petri, ostenditur: certum enim est ex Historia, quòd Beatus Petrus ex Antiochia Sedem suam Romam transtulit, jubente Deo, ut scribit Marcellus Papa Episcopis per Antiochiam constitutis; & sic Ecclesia Antiochena cessit Romanæ Sedi, ut refertur *in c. Rogamus, c.* 24. *q.* 1. Ea fuit veterum fides, Victoris Uticensis *lib.* 2. *de persecutione Vandalica*, asserentis Ecclesiam Romanam esse Caput omnium Ecclesiarum, qui scripsit anno à Nativitate Christi quingentesimo, Vincentii Monachi Lirinensis, *in lib. adversus prophanas novationes*, ubi loquens de Papa Sylvestro, ait, *ut tantùm Fidei devotione vinceret, quantùm loci authoritate superabat*, qui scripsit anno 430. Ea fuit sententia Imperatorum, Constantini Magni, ut notavimus suprà *tit.* 5. ex Optato Milevitano, Michaëlis Paleologi, qui declaravit Principatum Ecclesiæ Romanæ in omnibus deberi, & cuivis licere Romam, ut Curiam majorem, appellare, ut constat ex Constitutionibus Imperatoriis à Gothofredo relatis, Phocæ, & Justiniani Imperatoris, ut ex Epistola ejus constat *in L. Reddentes, C. de summa Trinitate*, & cæterorum Imperatorum Catholicorum. *Fœlix Ecclesia*, ait Tertullianus, *de Romana, in libello de præscriptione adversus Hæreses, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes, posteaquàm in oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur.* Hæc est vera Ecclesia, in qua extra maculam semper fuit Catholica servata Religio, ait Eusebius

Papa *in c. in Sede* 24. *q.* 1. & unitas Fidei Hæresim nullam fovet, ait Sixtus Papa *in c. Memor, ibid.* Et quoties ratio Fidei ventilatur, ad eam recurritur, ejusque decreta prosunt per totum mundum omnibus Ecclesiis, ait Innocentius Papa *in c. Quoties, ibid.* In possessione sumus, ait Tertulianus *loco citato*, ut probatur ex Conciliis œcumenicis per diversa tempora ex authoritate Romanorum Pontificum celebratis, in quibus Hæreses pullulantes fuerunt suppressæ & damnatæ; & ex serie continua & nomenclatura Pontificum à Divo Petro usque ad nostra tempora Pontificatûs Alexandri VII. & repulsa Schismatum: & ex illa possessione, unitate Fidei, & sanctitate Religionis, Principatûs Ecclesiæ Romanæ plenissimum infertur argumentum.

VI. Exemplum nostri temporis non omittam, quo veritas hujus rei confirmatur. Jansenius Yprensis Episcopus, singularitate opinionis gloriam inanem quærens, Librum non ita pridem edidit, in quo negare non dubitavit gratiam omnibus hominibus à Deo dari qua salvari possint si velint, & Christum pro omnibus hominibus fuisse passum. Quæ falsa doctrina olim à Pelagio disseminata fuerat, & in Concilio Arelatensi, anno 409. fuit reprobata & damnata, juxta Confessionem Fausti Episcopi Regiensis, in Epistola scripta Lucido Presbytero, lecta & approbata in eodem Concilio, ut referunt Baronius & Sirmundus. Nihilominùs à multis incautis ob famam Jansenii illa falsa doctrina spargebatur in Gallia, non solùm tractabatur in colloquiis, sed etiam in Concionibus à nonnullis inverecundè publicabatur, magno futura Ecclesiæ detrimento, ob graves contentiones & controversias quæ de ea inter Jansenistas & cæteros Theologos acriter movebantur: cumque convenire non possent, nec essent Arbitri qui litem finirent, ex compacto ad Sedem Apostolicam causam detulerunt, Doctoribus ab utraque parte deputatis & Innocentius X. in Comitiis, re maturè deliberata, doctrinam Jansenii impiam, scandalosam & hæreticam judicavit: cujus decreto tota Gallia applausit, & Curia Parisiensis Centumviralis Jansenistis silentium imposuit.

VII. Verùm ne sutor extra crepidam, Theologorum hæc est materia, quam tamen attingere hîc visum fuit, ut ostenderem Catholicam Fidem apud nos cum appellationibus ab abusu salvam & inviolatam servari, cum debito obsequio, illæsamque Apostolicæ Sedis authoritatem, cujus censuræ scripta mea submitto. Totam materiam Jurisdictionis Ecclesiasticæ in hoc Libro breviter sum complexus, in gratiam Clericorum imperitorum rerum forensium, & Libros non habentium, ordinem judiciarium secutus; hanc viam propriorem inveni, ut ex singulis partibus Lector pleniorem cognitionem habeat. Post nos fortè alii copiosiùs de hac materia disputabunt: nam ut loquar cum Seneca, *qui ante nos de hac materia scripserunt non domini nostri sunt, sed duces, patet omnibus veritas, nondùm est occupata, & multum ex illa futuris est relictum*; maximè in Foro, ubi ex variis causarum figuris, & rebus judicatis, nova quotidie nascitur decisionum seges, & scribendi materia.

LAUS DEO.

TRACTATUS
JURIS FEUDALIS
ET EMPHYTEUTICI.
AD USUM UTRIUSQUE FORI
Galliæ, ejuſdem Regni Parlamentorum
Senatuſconſultis confirmatum.

Authore MELCHIORE PASTORE *Juris utriuſque Profeſſore in Alma Academia Regiâ Aquenſi.*

TRACTATUS JURIS FEUDALIS ET EMPHYTEUTICI.

In Libros ſeptem diviſus.

LIBER PRIMUS.

TITULUS PRIMUS.

De Feudorum origine.

SUMMARIUM.

I. Origo Emphyteuſis tribuitur Græcis. Origo Feudorum tribuitur Romanis.
II. Conſuetudines Mediolanenſium de Feudis.
III. Conſuetudines Gallorum de Feudis antiquiores.
IV. & V. Ordo & diſpoſitio Materiæ.

ORIGO Emphyteuſis tribuitur Græcis, ut nomen ipſum ſonat, à Verbo Græco ἐμφυτεύειν, quod eſt implantare, & à Biſantinis ortum habuit, qui cùm pecuniâ indigerent, prædia frugifera ad certum tempus locaverunt, ſterilia verò in perpetuum ſub cenſu annuo, ut refert Ariſt. οἰκονομικῶν *lib.* 2. & Feudorum origo tribuitur Romanis, qui prædia Provinciarum ſubactarum in ſtipendium militibus dare ſolebant, une prædia ſtipendiaria dicebantur, §. *Per traditionem, inſtit. de acquir. rer. dom. l. Ager, ff. de verb. ſign.* Prædia verò quæ Provincialibus ſub onere tributi relinquebantur, tributaria erant, ad differentiam prædiorum Italici ſoli, quæ immunia erant à tributo. De prædio ſtipendiario Virgilius in Eclogis villicum quemdam loquentem facit :

Impius hæc tàm culta novalia miles habebit.

II. Hoc jure uſi ſunt Longobardi ſeu Mediolanenſes, ut conſtat de conſuetudinibus illorum collectis à duobus Jureconſultis Gerardo & Oberto, in Libris Feudorum, & ante illorum conſuetudines & tempora Juſtiniani Pharamundus Galliarum Rex prædia Provinciarum ſubactarum militibus in feudum dedit, ut obſervat Molineus *in Conſuet. Pariſ. tit. des Fiefs.* Hugone Capet Regnante in Galliâ Feuda facta ſunt perpetua, patrimonialia, & hæreditaria, Bacquet *tit. des Francs-Fiefs, art.* 51.

III. Hinc Jus Feudale Gallicum à conſuetudinibus Mediolanenſium in multis diſcrepat: quæſtiones quæ oriuntur in hac Materia, vel conſuetudinibus Galliæ & exemplis rerum judicatarum finiuntur, vel Jure communi, nec recurrimus ad conſuetudines aliarum Nationum, niſi nitantur Jure communi, vel moribus noſtris ſint conformes; nam conſuetudines ſunt locales, & extra non habent vim Juris.

IV. De hac Materia plures Authores copiosè ſcripſerunt, ſinguli obſervantes ea quæ

apud ſuos ſunt in uſu ; quorum exemplo ductus, in paucis Libris ſcripſi quæ vidi obſervari apud nos de Jure Feudali & Emphyteutico, utrumque Jus ob affinitatem conjungendo.

V. In paucis Libris. *Primus* erit de Feudis & Regalibus. *Secundus* de inveſtituris feudalibus & emphyteuticariis. *Tertius* de cenſibus, obſequiis, & operis patrono debitis. *Quartus* de alienatione rei feudalis & emphyteuticariæ. *Quintus* de laudimiis & releviis. *Sextus* de jure prælationis. *Septimus* de cauſis ex quibus Feudum & Emphyteuſis finiuntur. Hunc ordinem propriorem excogitavi, digerendo & diſponendo hanc Materiam fuſam & ſparſam in hoc Opuſculo, ut illud ſit Studioſis viatorium, & cauſas agentibus commonitorium Deciſionum Forenſium.

TITULUS II.

Feudum quotuplex.

SUMMARIUM.

I. & II. Feudum à fide. Feudorum ſpecies variæ.
III. Quæ ſint Feuda Gardiæ & Gaſtaldiæ.
Res etiam incorporales in Feudum dantur. Cur Rex Senatores appellet Ses Amez & Feaux.

I. FEUDUM dicitur à fide, ob juramentum fidelitatis quod exigitur à Vaſſallo. Multiplex eſt : aliud eſt Feudum novum, ſeu paternum, quod pater acquirit ſibi & liberis : aliud Feudum antiquum quod ab avo vel proavo pro ſe & liberis acceptante acquiſitum fuit. Aliud eſt Feudum limitatum ex providentia dantis in perſona Vaſſalli, & ſuorum liberorum : aliud hæreditarium tranſmiſſibile ad hæredes etiam extraneos : aliud Feudum ſimplex, aliud conditionatum, ſub conditione datum, aliquid dandi vel faciendi, præter ea quæ continentur in juramento fidelitatis : aliud fœmininum tranſitorium ad fœminas, degenerans à recta ratione Feudi.

II. Aliud eſt Feudum ligium quo Vaſſallus ſeu accipiens jurat & promittit patrono fidelitatem, nullius alterius fidelitate exceptâ ; aliud eſt Feudum non ligium, quo Vaſſallus à fidelitate promiſſa alteri patrono non recedit : aliud eſt Feudum Regalis Dignitatis, ut Ducatus, Comitatus, Marchia : aliud minoris Dignitatis cum Juriſdictione in Villa murata, & dicitur Baronia, vel cum Juriſdictione in Caſtro vel Oppido, aut ſine Juriſdictione aut cum Juriſdictione ſimplici, & mixturâ imperii in cauſis civilibus, aut cum mero imperio, & gladii poteſtate, & ſimplici Juriſdictione in criminalibus & civilibus : nam ex placito dantis per varios gradus Juriſdictio diſtribuitur in inveſtituris, ut dicemus infrà.

III. Aliud eſt Feudum de camerâ aut cavenâ conſiſtens non in dominio aut certo territorio, ſed in penſione annuâ ſolvendâ ex ærario Principis pro Gardiâ aut Gaſtaldiâ, quæ nomina fluxerunt ex conſuetudinibus Longobardorum, ſeu pro procuratione, cuſtodiâ, vel officio à vaſſallo præſtando, ut ſunt ſtipendia debita Officiariis armatæ & togatæ militiæ : res enim non ſolùm corporales ſed etiam incorporales in Feudum dantur. Hinc Senatores à Rege vocantur Amici Fideles, *Ses Amez & Feaux*, ſicut Imperator Alexander Præfectum Urbi amicum ſuum vocat *in l.* 1. *C. Si mancipium ita venierit ne proſtituatur.*

TITULUS III.

De Regalibus.

SUMMARIUM.

I. Quid ſint Regalia. Regalia alia majora alia minora.
II. & III. Regalia non continentur in inveſtiturâ niſi ſint expreſſa.

I. REGALIA per inveſtituram feudalem vaſſallo conceduntur : ideò de iis agitur in Libris Feudorum. Regalia ſunt quæ jurè naturali nullius in bonis ſunt ; ſed jure civili

civili sunt Regis, aut vassalli cui Rex ea concessit. Alia sunt Regalia majora, alia minora. Regalia majora, sunt, potestas Legis sanciendæ, Judices dandi, Tabelliones, Actuarios, & litium executores instituendi, abolendi crimina, dandi gratiam, remittendi pœnam, restituendi in integrum, legitimandi bastardos, fabrica monetæ, armandias, telonia seu nova vectigalia imponendi rebus aut personis, *tit. Quæ sint Regalia, lib. 2. de Feudis*, ut sunt *rêves*, *gabelle*, *doüane*, *foraine*, pro rebus quæ invehuntur vel exportantur: de Regalibus minoribus dicemus infrà.

II. In investiturâ feudali Regalia non continentur nisi ea sint expressa: & si ea sint expressa generaliter veniunt solùm Regalia minora, non majora, nisi de investiturâ Regni agatur; nam Regno concesso conceduntur ea sine quibus, *l. 2. ff. de Jurisd. omn. Jud.*

III. In investituris Regalium Dignitatum subalternarum Regalia majora non continentur nisi fuerint expressa, quod non exprimitur omissum intelligitur, *l. Quidquid adstringendæ, ff. de verb. oblig.* nisi fiat renovatio investituræ rei feudalis cum pertinentiis suis: eo enim casu quæ fuerunt adjecta in primâ investiturâ censentur repetita in renovatione.

TITULUS IV.

De Regalibus minoribus, Viis publicis, & Pedagiis.

SUMMARIUM.

I. Viæ publicæ, viæ Regiæ.
II. Ad quos cura spectet viarum publicarum. Ne quid fiat in viis publicis quò pejus ire liceat. Quorum expensis pons erigatur. Portoria seu pedagia non exigenda sine privilegio. Pœna pedagii non soluti, quò liberentur ab eâ, vel sint immunes.
III. Qui cognoscant de crimibus commissis in viis publicis.
IV. Pœna publicani plus exigentis.

I. MINORA Regalia sunt viæ publicæ, pedagia, flumina, venatio, piscatio, bona vacantia, bona albinorum, bona bastardorum sine testamento aut liberis morientium, hæreditates vacantes, bona publicata, bona adespota, res naufragio deperditæ, thesaurus, mineralia, salinæ, armandia, telonia, Jurisdictio.

II. Solum viarum publicarum Regis est, aut domini feudatarii, usus verò publicus est: latitudo certa est pro usu & commoditate singulorum, & nemini licet in iis quidquam facere quo pejus ire liceat, *l. 2. §. viarum, ff. ne quid in loco publico fiat quo pejus ire liceat*: ideò viæ βασίλικαι seu Regiæ dicuntur in lege allegatâ: cura reparationum viarum publicarum pertinet ad Regios Officiarios, & reparatio fit sumptibus & expensis habentium jus exigendi pedagii ex transitu animalium, aut portu rerum, ex Constitutionibus Gallicis, Aurelianensi *art.* 107. & Blesensi *art.* 282. vel reparatio fit expensis universitatis, à quibus Clerici non sunt immunes, *l. Ad instructionem, C. de sacros. Eccl.* Tamen si major sit impensa, ut si agatur de ponte erigendo in flumine, Procuratores Provinciæ solent contribuere, ob utilitatem & commoditatem totius Provinciæ. Pedagium exigere nemini licet sine privilegio à Rege concesso, ex Constitutione Regia quam citat *Loiseau tit. des Seigneuries, cap. 9.* Hâc datâ licentiâ licet non solventes persequi, res pignori capere, nisi res aut domini earum ab eo onere sint immunes, ut Libri, & Rectores Provinciæ, *l. Si publicanus, ff. de publicanis.* De Libris sic judicatum fuit in Curia Vectigalium, *ultimâ Maii anno 1617.* pronuntiante Domino de la Cepede Præside primario dignissimo, & rei Litterariæ amantissimo: & si debitor pignus non redimat, res distrahitur ex pretio, vectigal debitum fermario solvitur cum expensis, & quod supereſt datur debitori: hîc enim publicatio non habet locum nisi pœna in privilegio sit expressa: & si sit expressa liberantur pupilli, si post professionem omissam curatores eorum vectigal debitum intulerint, *l. Imperatores, §. iidem rescripserunt, ff. de publicanis*: liberantur etiam minores si per errorem non solverint, præstitâ pœnâ dupli, *l. fin. §. Divi, ff. eod. tit.* Et querimonia publicanorum, sic enim exactores hujusmodi in Jure appellantur, cessat, *Primò*, si per quinquennium tacuerint, *l. Neque commissum, C. de vect. & comm. Secundò*, si res quæ incidit, in commissum ob professionem omissam non existat, & debitor pedagii eam sine dolo desierit possidere, *d.*

l. Neque commissum : nam ob professionem omissam, & vectigal non solutum, res non persona obligatur : & quamvis res pignori capi possit, ut diximus suprà, mercatores tamen, muliones, aut corrucarios detinere non licet, ut districtè prohibetur *Constitutione Henrici II. 27. Martii anni* 1547.

III. Præterea exactores pedagii tenentur vias securas præstare, & arcere latrones, ut constat ex variis Ordinationibus Regiis, *& notant Loiseau tit. des Seigneuries, c. 9.* & *Tiraqueau in tit. des Droits Royaux, verb.* peage.

IV. At si plus exigant citra modum & taxam privilegii tenentur in duplum intra annum, & post annum in simplum, *l. 1. ff. de publicanis* : in Gallia ex Constitutionibus Henrici II. & III. relatis in collatione Constitutionum Regiarum, *tit. des Peages*, tenentur in quadruplum : quibus Constitutionibus tabulam affixam in loco eminenti apponere jubentur, ut viatores moneantur, alioquin viatores excusantur, ex Constitutione Aurelianensi, *art.* 138. Nam publicani insidiantur viatoribus, vel non apponunt tabulam, vel imitantur Caligulam, qui, ut scribit Tranquillus Edicta sua minusculis litteris scribebat, ut minùs expertes in laqueos inciderent, quorum libido est castiganda.

Quod attinet ad vias urbanas, reparatio fit expensis vicinorum pro ratâ frontis domûs uniuscujusque, *l. unica, ff. de via publ. refic.* Et si de loco sacro agatur, onus viæ reficiendæ recidit in totam viciniam pro ratâ frontis domûs uniuscujusque, *Raldus ad l. 7. C. de sacros. Ecclesiis, Molin. ibid.* & ad id ipsi coloni & inquilini coguntur, salvo jure repetendi.

In iis nulli licet ultra lineam ædificium suum protendere, *l. 1. ff. de servitutibus*, aut aliquid habere impediens viæ usum, alioquin id demoliri jubetur, *ex Constitutionibus Henrici II. anni* 1554. & *Caroli IX. anni* 1560. *art. 96.* Quilibet novum opus nuntiare potest nomine domini, *l. 1. ff. de operis novi nuntiatione* : actio verò soli domino competit : tamen etiam in Regalibus præscriptio locum habet, *infrà tit. 21.* nisi publicus usus impediatur.

TITULUS V.

De Fluminibus.

SUMMARIUM.

I. Flumina navigabilia proprietate nullius sunt, usus verò & portus publicus est. Cura pertinet ad Regios Officiarios. Ex Flumine publico non licet aquam derivare sine Regis licentia. Licentia non datur in præjudicium juris alteri quæsiti. Ripæ Fluminis publici proprietate sunt privatorum, usus publicus est. Insulæ quæ nascuntur in medio Fluminis publici, sunt Regis aut Vassalli.

II. Flumina non navigabilia & insulæ quæ nascuntur in illis privati juris sunt. Non licet aquam derivare per agros vicini sine ejus consensu vero aut præsumpto. Licet Universitati aquam ducere per agros vicini pro usu publico. Universitas molendinum novum bannale facere non potest in præjudicium molendinorum à privatis priùs constructorum. Universitas verò sive jure suo, sive jure cesso molendina aut furnos construat, bannum indicere potest.

III. Conventione aut consuetudine bannalitas in molendinis aut furnis acquiritur dominis. Dominus non est in possessione prohibendi in furnis aut molendinis nisi post proclamationem prohibitionis. Consuetudo bannalis servanda est. In quibus casibus cesset bannum.

IV. Si aqua non sufficiat duobus molendinis, quid sit statuendum.

I. FLUMINA navigabilia Jure naturali aut Gentium nullius in bonis sunt, Jure Civili sunt Regis, sicut districtus maritimus ; usus verò publicus est, ut de viis publicis suprà diximus, ob commercii necessitatem, §. *Flumina, Instit. de rer. divis.* Sic Officiarii Regis curant ne quid fiat in Flumine publico quo pejus navigetur : & sine licentiâ Principis ex Flumine publico aquam derivare non licet ad irrigandos agros, aut molendinorum usum, ne vis Fluminis minuatur, & pejus navigetur : illa licentia non conceditur in præjudicium juris alteri jus quæsiti in molendino priùs constructo, si aqua non sufficiat utrique, sive appareat de licentiâ ab altero priùs obtentâ, sive ex possessione

temporis immemorialis præsumatur: nam Rescripta Principum non tollunt jus alteri quæsitum. Ripæ verò Fluminis publici proprietate sunt privatorum, quorum prædiis inhærent, §. *Insulæ*, *Instit. de rer. divis.* pro curâ & expensis quas impendunt in ripis minuendis structis aggeribus ad avertendum Fluminis impetum, inundationem, & conservandos agros. Verùm usus riparum publicus est, §. *Riparum, Inst. de rer. divis.* & dominis non licet in iis quidquam facere quod impediat navis appulsum, & & religationem: insulæ verò quæ nascuntur in medio Fluminis, ob aquæ recessum & Fluminis inconstantiam, inter Regalia censentur, sunt Regis aut domini feudatarii cui Regalia concessa sunt.

II. Cætera Flumina non navigabilia, & insulæ quæ nascuntur in illis, privati juris sunt, illorum qui propè ripam prædia possident, pro modo latitudinis cujusque fundi, quæ propè ripam est, proportione geometricâ, §. *Insulæ*, *suprà cit.* Ex quibus licet illis aquam derivare, & ducere ad irrigandos agros, aut molendina constructa. Nemini tamen prædium vicini ingredi & per illud aquam derivare licet sine ejus consensu, *l. Imperatores*, *ff. de servit. rustic. præd.* Quid si dubitetur de licentia concessa? Distinguitur, si titulus adsit, & bona fides, & possessio decennalis suffragetur, licentia data censetur, & actio negatoria præscribitur: si verò titulus desit, servitus aquæductûs non censetur quæsita nisi possessione temporis immemorialis, quòd plerumque inter vicinos familiaritatis gratiâ licentia illa datur sine attributione juris, *l. Hoc jure*, §. *ductus aquæ*, *ff. de aqua quot. & æst. l. in summa*, §. *idem*, *ff. de aqua pluv. arc.* At universitati licet pro molendino construendo, aliove usu publico, aquam derivare per prædia vicinorum, præstando id quod interest arbitrio peritorum, & quintam partem ampliùs, ex Statuto hujus Provinciæ, quod privatis non conceditur: & ne utilitas molendinorum universitatis minuatur, licet etiam universitati prohibere singulis civibus ne alia molendina construant, néve alibi molant, sub certâ pœnâ, quæ dicitur bannum, & molendinum bannale: tamen illa prohibitio fieri non potest in præjudicium molendinorum à privatis priùs constructorum, ut variis Arrestis Senatus hujus Provinciæ judicavit nostris temporibus, quæ referuntur in Scholiis modernis nostri Statuti: idem dicitur de Furnis, ut impensa quæ fit pro construendo furno, aut molendino, vel reparando, lucro aliquo moderato, quod colligitur ex pretio trituræ frumenti, & coctionis panis, compensetur: hinc magnus reditus provenit ubi populus numerosus.

III. Universitati servitutem illam civibus suis imponere licet decreto majoris partis, etiam aliis nolentibus & invitis: si construendi furnos & molendina facultatem habeat quam habere censetur in locis allodialibus jure proprio, & in locis feudalibus jure cessô à domino feudatario, cui ea facultas construendi furnos & molendina primariò competit: at domino non licet eam servitutem vassallis imponere invitis, jure feudi, nisi hoc conventum fuerit in investiturâ: sed eam servitutem potest sibi acquirere ex consensu vassallorum expresso vel tacito, vel conventione initâ cum illis in construendo furno, vel molendino, pro se & suis subditis: vel usu & præscriptione, in quâ alii requirunt tempus immemoriale: mihi videtur decennium sufficere, si dominus molendinum aut furnum construxerit spatiosum, pro se & suis subditis, si subditi eo usi sint, pretium trituturæ aut coctionis priùs solverint, & prohibiti à domino ne ad alia molendina aliosve furnos frumentum aut panem exportarent paruerint: nam constructio molendini & furni tituli instar est, per prohibitionem factam, vassallis non reclamantibus dominus est in possessione servitutis, & eam per continuationem decennalem sibi acquirit, quod tempus in servitutibus continuis sufficit ad consuetudinem inducendam, *l.* 1. *Sub finem*, *de aqua pluv. arc. l. Cùm de in rem verso*, *ff. de usuris.* Prohibitio autem fit proclamationibus publicis, ante prohibitionem dominus non est in possessione servitutis, & non currit præscriptio: consuetudo autem in iis rebus præscripta servanda est, *Choppinus in consuet. Paris. lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 435. *Ferrerius ad Guid. Pap. q.* 248. *Bacquet des Justices, c.* 29. *n.* 25. *Sic judicatum fuit in hac Patria pro Domino de Vins contra suos subditos, Arresto mensis Novemb. anno* 1634. Pari jure subditi contrario usu decennali præscribunt libertatem contra dominum, si major pars eo sciente & tacente alibi moliverit. Nulla pœna irrogatur subditis bannum infringentibus, frumentum aut panem ad alia molendina aut furnos portantibus, si molendinum bannale sit impeditum, & dominus non curet intra viginti quatuor horas impedimentum tolli, ex consuetudine generali, *Loëtius in lit. M. n.* 17. Et si molendinum dirutum sit, & dominus intra annum non curet reædificari, jus banni amittit, liberum est subditis alia molendina construere, vel alibi molere, *Bart. in l. Præscriptio*,

ff. de usucap. Alexander consil. 130. *vol.* 6. Idem de furnis dicitur, ob necessitatem vitæ humanæ.

IV. Frequens quæstio occurrit inter dominos molendinorum, si aqua utrique non sufficiat; & respondetur in eo casu potiorem esse conditionem molendini priùs constructi, *Cynus in l. Manifestè, C. de servit. Baldus in l. Si plures, C. de condit. insertis. Sanson in consuet. Turonenses, art.* 4. & aquam divertere non licet in præjudicium molendini priùs constructi, quia præoccupatione jus quæritur, §. *Item lapilli, Instit. de acquir. rer. dom.* si non constet de prioritate potior est conditio possidentis, modò non sit abusus, ut si possessor molendini superioris fraudulenter aquam retineat, ut usum molendini inferioris impediat, *Sanson loco citato.*

TITULUS VI.

De Venatione, Piscatione, & Aucupio.

SUMMARIUM.

I. Venatio juris gentium est. Fera desinit esse nostra si custodiam evaserit. Fera non est venatoris nisi capta sit.

II. Venatio solis Nobilibus in Galliâ permissa. Venatio ferarum nocentium omnibus permissa.

III. Piscatio permissa. Jus piscandi & pedagii exigendi pro piscatura in Fluminibus publicis acquiritur privilegio vel usu.

IV. Columbaria fixa solo in agris feudalibus sine licentiâ domini habere licet, nisi constet de titulo prohibitivo.

V. Plebeis garenas muratas habere licet. In garenis domini feudatarii spatiosis & patentibus venari non licet.

VI. Animalia mansueta nostra sunt quandiu retinent consuetudinem revertendi. Qui detinet aut occidit animalia mansueta, actione furti tenetur. Animalia domestica suis dominis restituuntur, nisi pro derelictis habita sint.

I. VENATIO & Piscatio sunt juris Gentium, & Aristoles in Politicis venationem recenset inter honestas lucri faciendi artes: eo jure animalia fera fiunt capientis, sunt in bonis illius quandiu ejus custodiâ coërcentur, §. *Feræ, Instit. de acq. rer. dom.* At si evaserint custodiam, & difficilis sit persecutio, desinunt esse in ejus bonis, & fiunt primò occupantis, *d.* §. *Feræ*: si verò fera vulnerata sit, vel in laqueos aut casses inciderit, non fit venatoris donec ab eo fuerit apprehensa, multa enim accidere solent ut eam non capiat, *l. In laqueum, ff. de acq. rer. dom.* At si venator feram insequeretur, nec difficilis esset persecutio, & alius prædam interceperit, tenetur actione in factum, ad id quod interest venatoris, in quâ venit res, aut ejus æstimatio: & si venator fundum alienum vetante domino ingressus sit venandi causâ, tenetur actione injuriarum, prædam tamen facit suam, §. *Planè, Instit. de acquir. rer. dom.*

II. Apud Gallos *Constitutione Henrici IV. Junii* 1601. *art.* 8. venatio mercatoribus & plebeis prohibita est, eis animalia & instrumenta venatoria domi habere non licet, ne ab officinâ & agriculturâ distrahantur: Nobilibus illud exercitium, quod Xenophon *lib.* κυνηγετικῶ vocat θέων ἵυρημα, Deorum inventum, reservatur: nomine Nobilium non solùm domini feudatarii continentur, sed etiam alii nobiliter viventes, *ut probat Loiseau, Tract. des ordres de Noblesse, cap.* 5. Tamen licentia venandi feras nocentes, ursos & lupos, nemini denegatur, *l. unica, C. de venat. fer. lib.* 11. Extra illum casum dominis non licet subditis permittere portum armorum ad venandum, *ut judicatum fuit contra dominum de Mongestin, Arresto*, quoniam armorum usus inscio Principe est interdictus, *l. unica, tit.* 46. *lib.* 11. *Codicis.*

III. Piscatio verò in fluminibus publicis permissa est, sine abusu, ne flumina intoxicentur, aut piscibus depopulentur, & domini feudatarii quibus Regalia concessa sunt prohibent venationem in suis terris, & portum armorum, voce præconis, & proclamationibus publicis, & venatores castigant per suos Officiarios; piscationem tamen permittunt suis subditis, non extraneis, in fluminibus sui territorii, reservatâ sibi certâ parte fluminis, in quâ nullus sine eorum licentiâ piscari potest. In flumine publico per territorium decurrente dominus habere potest jus piscationem prohibendi, & permittendi, &

pedagium exigere à piſcatoribus, ex privilegio vel conſuetudine temporis immemorialis; hoc enim jus conſuetudine acquiri poteſt, *ex L. Si quis, ff. de diverſis & tempor. præſcr. & Arreſtis cit. Bacquet tit. des droits de Juſtice, chap. 3. n. 24.*

IV. Columbaria in ſuis ædibus plebeis habere licet, ac etiam in prædiis ruſticis feudalibus, niſi conſtet de titulo prohibitivo, ut judicatum fuit in gratiam Eguiſier, pro columbario conſtructo in ſuo prædio, contra Dominum Loci de Rougnes petentem demolitionem, *Arreſto* 30. *Octobris anno* 1631. niſi ſit abuſus, ut cenſetur eſſe ſi quis habens prædiolum ſolum in aliquo loco vellet ibi erigere columbarium, id enim non conceditur niſi latifundia habentibus, ne columbæ vicinis magis noceant: *vidè Choppinum in Conſuet. Pariſ. lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 43.

V. Garenas muratas ſingulis habere licet in ſuo prædio; at ſaltus majores ad continendas feras ſolis Nobilibus habere permittitur, in quibus, privatis venari non licet, *Conſtitutione Henrici IV. Junii* 1601. *art.* 21.

VI. Animalia fera tandiu cenſentur noſtra quandiu cuſtodiâ noſtrâ coërcentur, vel habent animum ſeu conſuetudinem revertendi, & qui ea detinet vel occidit, actione furti tenetur, *L. Pomponius, ff. Fam. erc. L. Poſſideri*, §. *Item feras, ff. de acquir. poſſeſſ.* Si verò amiſerint conſuetudinem revertendi deſinunt eſſe noſtra: ſecùs de animalibus domeſticis, anſeribus, & gallinis, quæ ſi turbatæ evolaverint ſuis Dominis reſtitui debent, §. *Gallinarum, Inſt. de rer. diviſ.* & dominis negligentibus vicinis admonitis octo decemve diebus elapſis pro derelictis habentur, *L.* 1. *&* 2. *ff. Pro derelicto*: de iis poſſeſſor bonæ fidei poteſt pro libito diſponere. *Vide infrà tit. des eſpaves.*

TITULUS VII.

De bonis vacantibus.

BONA vacantia à Græcis dicta ἀδέσποτα, ſeu Domino carentia, inter Regalia cenſentur, & cadunt in fiſcum, ſicut flumina in mare: unde caduca dicuntur, aut acquiruntur Domino feudali cui Regalia conceſſa ſunt, ut patebit in caſibus ſequentibus.

TITULUS VIII.

De bonis Albinorum.

SUMMARIUM.

I. II. & III. Albini unde dicti. Bona albinorum in Galliâ morientium ſine liberis ibi natis & habitantibus, fiſco vindicantur. Fiſcus excludit Dominum Juriſdictionalem in ſucceſsione albinorum.

IV. Liberi albinorum in Galliâ nati & habitantes in ſucceſsione patris excludunt fiſcum.

I. ALBINI dicti, quaſi alibi nati; peregrini, quorum bona tum mobilia tum immobilia ſita in Galliâ, ſive in terrâ allodiali, ſive feudali, ſi moriantur ibi ſine liberis, ibi natis, & habitantibus, fiunt caduca, & applicantur fiſco, excluſo Domino feudali, ſive illi teſtati fuerint, ſive non; Jure Romano peregrinis teſtari licebat, quibus Conſtitutione Antonini jus civitatis erat conceſſum, hoſtibus exceptis: unde Rutilius Poëta Imperatori ſic gratulatur, de jure civitatis peregrinis conceſſo.

Feciſti patriam diverſis gentibus unam,
Urbem feciſti, quæ priùs orbis erat.

II. At moribus Galliæ peregrini cenſentur ἀπόλιδες, ſine jure civitatis, in Regno habitantes poſſunt quidem diſponere de bonis inter vivos, ſed teſtari aut codicillari, vel donare mortis causâ non poſſunt, nec publica Officia aut Beneficia obtinere, ex Ordinationibus Regiis Caroli VI. & IX. & Henrici III. anni 1583. *Molin. in Conſuet. Par.* §. 186. *& in Arreſtis Curiæ, art.* 81. *Papon lib.* 5. *tit.* 2. *n.* 2. niſi jus civitatis ſeu Litteras naturalitatis à Principe impetraverint & inſinuaverint, quibus pro regnicolis reputantur; ſine quibus nec habent teſtamenti factionem activam nec paſſivam, nec diſponere poſ-

sunt causâ mortis, nec succedere ex dispositione causâ mortis, tametsi disponere possint inter vivos & acquirere ex dispositione inter vivos, *Bacquet en son Traité du droit d'aubaine, part. 3. chap. 26.*

III. Ratio verò cur fiscus excludat Dominum feudalem inde petitur, quòd Rex in investituris feudalibus sibi reservat licentiam dandi jus civitatis peregrinis, & consequenter sibi reservat jus succedendi in eorum bonis morientium sine liberis in Regno susceptis & habitantibus, *Bacquet loco citato, Loiseau des Seigneuries profitables, chap. 12.*

IV. Tamen liberi Albinorum in Regno nati & habitantes excludunt fiscum in successione paternâ ex testamento vel ab intestato, nam ratione nativitatis & incolatûs fortiuntur in Regno jus civitatis, & pro indigenis habentur, juxta Legem Hebræorum, Ezechielis *cap.* 47. censentur condomini cum patre, & cùm illi succedunt, propè ad propria bona veniunt, *Bacquet 4. part. chap. 32. Papon lib. 5. tit. 2. n. 1.* Idem dicitur de successione liberorum in bonis matris in Regno morientis sine jure civitatis, *Bacquet loco cit.* qui exactissimè hanc materiam discussit.

TITULUS IX.

De bonis confœderatorum.

SUMMARIUM.

I. Confœderati in Gallia jus habent civitatis. Qui sint confœderati.
II. Confœderatis dantur Litteræ declaratoriæ.
III. Galli extra Regnum habitantes non amittunt jus civitatis.
IV. An advenis jus habitandi in Galliâ concessum sit.

I. BONA confœderatorum tametsi extra Regnum nati sint, non fiunt caduca: nam confœderati jus habent civitatis, & pro regnicolis habentur, tùm in Officiis & Beneficiis, tùm in successionibus. Confœderati sunt qui orti sunt ex Comitatibus Flandriæ, Brabantiæ, Luxemburgi, Artensi, Hollandiæ, Zelandiæ, ex Pace initâ inter Franciscum I. & Carolum V. Imperatorem, anno 1544. *Bacquet Traité du droit des Justices, chap. 8. n. 22.* Sunt etiam confœderati ex nostris vicinis, in Terris Sabaudiæ Nicienses, & in Terris Papæ Avenionenses, & Veneisinenses: nam hæc Provincia ambitu suo olim utrumque Comitatum continebat.

II. Confœderatis opus non est Litteris naturalitatis ad jus civitatis obtinendum, quod habent ratione originis; Litteræ declaratoriæ suæ originis sufficiunt obtentæ in Regia Cancellariâ ante litem motam vel post, quibus jus non quæritur, sed declaratur quæsitum, ut in causa Præbendæ Theologalis Grassensis Ecclesiæ judicatum fuit pro Figuiere Nicienses Diœcesis; & in causa Tonduti Nicienses, pro Vicariatu Episcopi Glandetensis, *Arresto mensis Octob. anno 1626.* Avenionensibus & Veneisinensibus Litteris declaratoriis opus non est, quibus Diplomata Regia ad postulationem Universitatis concessa singulis prosunt.

III. Galli habitantes in exteris Regnis jus civitatis in Galliâ non amittunt in successionibus cognatorum sibi delatis, si revertantur & commorentur in Galliâ, ut judicatum fuit in gratiam Galli qui à viginti annis Melitam migraverat, uxorem ibi duxerat, & liberos susceperat; cui tamen hæreditas consanguinei defuncti in Galliâ ut proximiori fuit adjudicata, sub eâ conditione & modo de revertendo in Galliam intra biennium, & ibi commorando, alioquin hæreditas fuit adjudicata aliis cognatis proximioribus, *Arresto mensis Junii anni 1659.*

IV. Non est hic omittendum, quod Domini feudatarii istius Provinciæ ab advenis Gallis aut alienigenis certum jus exigere solebant pro licentiâ habitationis & incolatûs in suis Terris concessâ: quod illis interdictum fuit Edicto promulgato in hâc Provinciâ, *6. Januarii anno 1618.* Gallia est communis Patria omnium Nationum, ut de Româ suprà dictum est, *ex Constitutione Antonini, & Authent. Omnes peregrini, C. Communia, de succeff.*

TITULUS X.

De bonis Baſtardorum.

SUMMARIUM.

I. *Bona baſtardorum morientium ſine teſtamento, & ſine liberis, fiunt fiſci. Quando Dominus feudalis ſuccedat in bonis baſtardi.*
II. & III. *Baſtardi legitimati an ſuccedant. De legitimatis per reſcriptum.*
IV. & V. *Ut liberi naturales Jure Civili ſuccedunt patri & matri. Baſtardis an legari poſsit.*

I. BONA Baſtardorum in Galliâ morientium ſine teſtamento, ſine liberis, tùm mobilia tùm immobilia, ſita in territorio allodiali aut feudali, cadunt in fiſcum excluſo Domino feudali, ex Ordinationibus Caroli VI. IX. & Henrici III. *in tit. Albinorum*: nam Regi jus illud reſervatur, cui ſoli competit jus legitimandi baſtardos, eiſque dandi jus ſucceſſionis in bonis cognatorum, niſi baſtardus in territorio Domini feudalis natus fuerit, habitaverit, obierit, ibique bona reliquerit; eo enim caſu Dominus feudalis ſuccedit illi in bonis relictis in ſuo territorio excluſo fiſco, ratione nativitatis, incolatûs, & curæ quam gerit Dominus territorio, ſubditos protegendi, eiſque jura diſtribuendi per ſuos Officiarios, *Bacquet du droit de bâtardiſe, chap.* 8. *Boërius in Conſuet. Biturigum, de teſtam. Papon lib.* 2. *Arreſt. tit.* 2. *n.* 1. & in cæteris bonis allodialibus ſuccedit fiſcus.

II. Dixi, ſi baſtardus ſine liberis deceſſerit: nam potior eſt cauſa liberorum ad bona propria propè venientium, ut diximus ſuprà de liberis albinorum, ratione naturali, ut ait Auſonius.

Juſta quidem ſeries patribus ſuccedere natos,
Eſſe ſimul Dominos.

III. Dixi, ſi baſtardus inteſtatus obierit, illis enim Jura non denegant teſtamenti factionem activam, licet negent paſſivam, ſi legitimati non fuerint; ſi per ſubſequens matrimonium legitimati ſint pleno jure utuntur in ſucceſſione cum cæteris legitimis: ſi per Reſcriptum Principis legitimati ſint, cognati ſuccedunt illis, ex quo voluerunt in eorum familiam adſciſci; ipſi verò non ſuccedunt cognatis, niſi ex illorum conſenſu legitimati ſint, *Bacquet du droit des Juſtices, chap.* 23. *n.* 6.

IV. Moribus noſtris pater filio naturali per Reſcriptum legitimato plus relinquere non poteſt quàm reliquerit uni ex ſuis liberis legitimis cui minùs reliquit, *Ferrerius ad Guid. Pap. q.* 482. & non legitimati ſucceſſionis ſunt incapaces; quibus tamen pater & mater aliquid relinquere tenentur, juxta modum ſubſtantiæ ſuæ, pro alimentis; & ſi ampliùs reliquerint, illud ad juſtum modum reducitur, legitimis conquerentibus, ad quos illis morientibus ſine legitimâ prole, relictum revertitur excluſo fiſco & Domino Juriſdictionali, *Imbert, Papon, & alii quos citat Stephanus Placito* 54. *Ita judicatum pro muliere nuncupatâ Laugiere Glandetenſi, anno* 1620.

V. Sic moribus Galliæ incontinentia coërcetur, & Jus Romanum corrigitur, quod permittebat patri & matri liberos naturales inſtituere, *L. Lucius, ff. de vulg. & pupill. ſubſtitut.* ad ſucceſſionem matris inteſtatæ liberos naturales cum legitimis pariter vocabat, ex Senatuſconſulto Orphitiano; & ad ſucceſſionem patris morientis ſine liberis legitimis filios naturales cum matre pro duabus unciis admittebat, *Novella* 18. *c.* 5. & concubinæ legare vel donare permittebat, *L. Affectionis, ff. de donat.* quod nobis non licet, in odium incontinentiæ, ut de legato relicto concubinæ judicatum fuit *Arreſto menſis Junii anni* 1627. tamen legata ab avo vel aviâ relicta liberis legitimis filiorum ſuorum naturalium valent, ſi teſtator ſine legitimâ prole deceſſerit, *juxta Legem finalem, C. de natural. lib. Molin. ad Conſilium Alexandri* 74. *vol.* 4. *Bertrandus conſ.* 201. *lib.* 2.

TITULUS XI.

De hæreditate vacante.

SUMMARIUM.

I. *Bona hæreditaria vacantia acquiruntur Domino feudatario cui Regalia conceſſa ſunt.*

II. *Si alius ſit Dominus feudalis, alius Juſtitiarius, bona acquiruntur Juſtitiario. Dominus Juſtitiarius pro bonis ſibi acquiſitis immobilibus vacantibus recognoſcere debet Dominum directum.*

III. *Rex ſuccedens in bonis vacantibus tenetur indemnem præſtare Dominum directum.*

I. BONA morientium ſine hærede teſtamentario aut legitimo, vacant, & applicantur fiſco, *L.* 1. *C. de bonis vacant. lib.* 10. vel Domino Juſtitiario cui Regalia conceſſa ſunt, non fiſco, *Bacquet en ſon Traité de desherance, chap.* 2. *Loiſeau des droits profitables, chap.* 12. *n.* 83. nam in hâc ſucceſſione jus privatum attenditur, quod Rex ſibi vindicat in bonis allodialibus, & Dominus Juſtitiarius in feudalibus, quo jure mortuo vaſſallo ſine hærede res feudalis ad Dominum revertitur, & dominium utile quod ſeparatum fuerit conſolidatur cum directo, *c.* 2. *Extra de feudis*: at in ſucceſſione albinorum & baſtardorum jus publicum ſpectatur, ut ſuprà diximus.

II. *Si* ejuſdem territorii alius ſit Dominus directus, alius Juſtitiarius, in ſucceſſione bonorum vacantium Juſtitiarius præfertur, ob curam Juſtitiæ adminiſtrandæ, quam gerit per ſuos Officiarios: & ſi illa bona ſint ſita in diverſis territoriis, unuſquiſque Dominus ſibi vindicat bona reperta in ſuo territorio tum mobilia tum immobilia: verùm Domini Juſtitiarii pro bonis immobilibus hoc jure ſibi quæſitis, recognoſcere tenentur Dominos directos, à quibus illa moventur, eiſque impoſterum jura debita præſtare, cenſûs, laudimii, & relevii, de quibus infrà dicemus: tamen ejus acquiſitionis, quæ fit Domino Juſtitiario jure feudali, nullum debetur relevium.

III. Eodem jure cùm Rex ſuccedit in bonis albini aut baſtardi ſitis in territorio vaſſalli, tenetur eum indemnem præſtare, aut ea bona dimittere, ne vaſſallus fruſtretur jure ſuo: & tum Rex tum Dominus feudatarius de bonis ſic ſibi acquiſitis tenentur æs alienum quod defunctus debebat, ſolvere juxta vires hæreditarias in inventario quod fieri debet contentas, quia non dicuntur bona niſi deducto ære alieno, *L. Subſignatum, ff. de verb. ſignif.*

TITULUS XII.

De bonorum confiſcatione.

SUMMARIUM.

I. *Bona confiſcata acquiruntur Domino Juſtitiario. Si plures ſint Domini, quilibet ſuccedit in bonis repertis in ſuo territorio. Confiſcationes ſunt in fructu, & fructus ſunt commoda Juriſdictionis.*

II. *Si alius ſit Dominus proprietarius, alius uſufructuarius. Emendæ & confiſcationes bonorum mobilium ſunt in fructu.*

III. *Bonis Clerici confiſcatis, bona mobilia Eccleſiæ acquiruntur, & immobilia Regi aut Domino Juſtitiario.*

IV. *In crimine Læſæ-Majeſtatis bona confiſcata applicantur fiſco ſine onere, ſalvo jure Domini directi. In crimine Majeſtatis veniunt bona reſtitutioni aut reverſioni obnoxia ſine onere.*

V. *In cæteris criminibus bona confiſcantur cum ſuo onere.*

VI. *Si reus deportatus ſit, in confiſcatione veniunt bona futura ex conditionis eventu. Bona deportati non publicantur, niſi in ſententia id ſit expreſſum. Ob delic-*

tum

tum filii familias bona profectitia, adventitia, castrensia, aut quasi, non publicantur.

VII. *In pœnis fiscalibus creditores præferuntur.*

I. BONA confiscata acquiruntur Domino Justitiario, tum mobilia, tum immobilia, res transit cum suo onere, ut dictum est suprà; si plures sint Domini, quilibet succedit in bonis repertis in suo territorio, & quilibet tenetur ad solutionem æris alieni pro modo emolumenti. Si alius sit Dominus Justitiarius, alius sit Dominus directus, Dominus Justitiarius præfertur ob curam quam gerit Justitiæ administrandæ per suos Officiarios, & pro bonis immobilibus recognoscere debet Dominum directum, ut dictum est suprà: nam confiscationes sunt in fructu, & fructus hujusmodi sunt commoda Jurisdictionis, *Boërius & Bacquet quos refert Ferrerius ad Guidium Papam, q.* 413.

II. Si plures sint Domini Justitiarii, bona mobilia acquiruntur publicanti, simul cum bonis immobilibus sitis in suo territorio, & cætera bona immobilia acquiruntur aliis Dominis Justitiariis in quorum territoriis sita sunt, ex sententia Bartoli, Baldi, & Alexandri, *quos citat Bacquet tit. des drotts de Justice, c.* 13. *Ubi tamen citat Arrestum* quo bona mobilia in alio territorio alterius Domini Justitiarii reperta, eidem fuerunt adjudicata; ex quo concludit, singulos Dominos Justitiarios succedere in bonis mobilibus & immobilibus sitis in suo territorio. Si alius sit Dominus proprietarius, alius usufructuarius, emendæ & confiscationes bonorum mobilium pertinent ad Dominum usufructuarium, & confiscatio bonorum immobilium proprietate cedit Domino proprietario, & usufructus Domino usufructuario, *Molin. in Consuet. Paris.* §. 1. *Gl.* 1. *n.* 54.

III. Si bona Clerici fuerint confiscata, bona mobilia illius acquiruntur Ecclesiæ, immobilia verò Regi aut Domino Justitiario loci ubi ea sita sunt: in quibus casibus tametsi à Regiis Officiariis sententia confiscationis lata fuerit, non fit præjudicium Dominis Justitiariis, media pars ut moris est sententiâ adjudicatur Regi, & altera pars Domino Justitiario.

IV. Verùm in crimine Læsæ-Majestatis in primo capite, seu si contra Statum Reipublicæ, vel in personam Regis, Reginæ, vel liberorum eorum, crimen commissum sit, confiscatio pleno jure sine onere cedit fisco, & in eâ veniunt bona donata vel relicta sub onere restitutionis aut reversionis onere detracto, ex Constitutione Francisci I. quam citat Loëtius *in litt. C. n.* 53. *Choppinus de Domanio, lib.* 1. *c.* 8. & bona oppignorata sine onere æris alieni & hypothecæ. Rex in hoc casu omnibus potior est & antiquior, *Loët. loco cit.* Tamen in bonis feudalibus, subfeudalibus, emphyteuticariis, vel censitis, Dominis directis aut censualibus non fit præjudicium, nam eorum jura sunt separata à bonis delinquentis, pœna sequitur suos authores, & Rex tenetur eis indemnitatem præstare, aut bona publicata dimittere, ut ab accipientibus eorum jura conserventur; remotis importunis & inverecundis precibus eorum qui ante sententiam condemnationis petunt donum confiscationis, *L.* 1. *C. de petit. bonorum sublatis, lib.* 10.

V. Ex cæteris criminibus bona confiscantur cum suo onere, substitutionis, aut reversionis, modi, diei, vel conditionis adjectæ, *L. Statius Florus, ff. de jure fisci.*

VI. Et si reus deportatus fuerit, in confiscatione veniunt etiam bona quæ sperabat ex fideicommisso, aut obligatione conditionali, in quibus fiscus aut Dominus Jurisdictionalis succedit post diei aut conditionis adventum, *L.* 2. *C. de bonis proscript.* & succedit cum suo onere, *L. Recusare*, §. 3. *ff. Ad Trebell.* At si reus deportatus non fuerit, ejusque bona publicata sint, quidquid post publicationem acquiritur non sequitur fiscum, aut Dominum Justitiarium, publicatio intelligitur de bonis præsentibus, non de futuris, *L. Si mandavero*, §. 5. *ff. Mandati*: nam deportationem sequebatur bonorum ademptio, *L. Deportatorum, C. de pœnis*, dimidiâ parte liberis deportati relictâ, *L. Quando, C. de bon. proscript.* At jure Novellarum bona deportati non publicantur, nisi pœna publicationis in sententiâ fuerit expressa, sed ea relinquitur liberis aut proximioribus cognatis, *Auth. Bona, C. de bonis proscript.* Ob delictum filii familias bona profectitia, adventitia, castrensia, aut quasi castrensia, non publicantur, ne patri fiat præjudicium cui illa bona acquiruntur jure peculii, *L.* 3. *C. de bonis proscriptorum, lib.* 11.

VII. Cæterùm sive fisco sive Domino Jurisdictionali bona publicata acquirantur, æs alienum creditoribus solvi debet, *L. Unica, C. Pœnis fiscalibus creditores præferri*, excepto crimine Læsæ-Majestatis in primo capite, ut diximus suprà, fit inventarium bo-

norum ; & si plures sint Domini quibus bona publicata sint, quilibet tenetur pro modo emolumenti, si fecerint inventarium, *Loiseau des Seigneuries*, *chap.* 12. *Bacquet loco suprà citato.*

TITULUS XIII.

De rebus adespotis, despaves.

SUMMARIUM.

I. *Bestiæ deperditæ post tres proclamationes addicuntur Domino Justitiario loci. Domino comparenti ante factam declarationem restituuntur.*

I. BESTIÆ deperditæ, vulgò despaves, à Verbo Græco ἀδέσποται Domino carentes, inter Regalia censentur: ex Consuetudinibus Galliæ bestiæ hujusmodi adducuntur ad Dominos Justitiarios loci ubi repertæ sunt, servantur per quadraginta dies, fit perquisitio Domini proclamationibus publicis intra illud tempus, eoque non comparente post tres proclamationes factas per intervalla octo dierum bestiæ hujusmodi addicuntur Domino Justitiario per suos Officiarios, de quibus potest pro libito disponere, ex Consuetudinibus Galliæ Turonensi & Aurelianensi, *c.* 156. *Joann. Faber in* §. *Apium*, *Instit. de acquir. rer. dominio*, & Domino comparenti ante factam declarationem restituuntur præstitis sumptibus proclamationum & custodiæ, post factam declarationem non restituuntur: nam declaratio facta post proclamationes & temporis inducias est justus titulus, & beneficio Juris consuetudinarii fit commutatio Dominii, ne rerum dominia sint in incerto, §. 1. *Instit. de usuc.* & cura rerum negligatur; inter adespota censentur etiam examina apium, si evolaverint, & difficilis esset persecutio, fiunt Domini Justitiarii, ex Consuetudine Turonensi, sine dilatione aut proclamatione ullâ, nam horum animalium fera natura est, *Inst. de acquir. rer. dominio*, media pars examinis est inventoris, ex eadem Consuetudine. De aliis rebus corporalibus inanimatis deperditis vide infrà Titulum de Thesauro.

TITULUS XIV.

De jure naufragii.

SUMMARIUM.

I. *Res naufragio deperditæ post spem recuperandi amissam inter Regalia censentur.*

II. *Naufragantes in rebus suis expiscandis non debet impediri.*

I. RES in mare projectæ navis levandæ causâ, vel naufragio deperditæ, post amissam spem recuperandi, pereunt suis Dominis, inter Regalia censentur, ob rationem suprà allatam, quod nullius in bonis est, Regis est: & si res hujusmodi operâ piscatorum è fundo maris extrahantur, aut fluctu maris ejectæ in littore reperiantur, pars media fit Regis aut Admiraldi, cui Regalia concessa sunt, & altera pars piscatoris aut inventoris, aut Domini Justitiarii loci littori adjacentis, *Loiseau des droits profitables*, *chap.* 12. *n.* 125.

II. Dixi, post amissam spem recuperandi: nam quandiu spes est probabilis, Dominus laborans in quærendo res deperditas non debet impediri, nec Rex quærere compendium in luctuosa calamitate naufragantium, *L.* 1. *C. de naufragiis*, *lib.* 11.

TITULUS XV.

De Thesauro.

SUMMARIUM.

I. Thesaurus non habet Dominum.
II. Quibus acquiratur Thesaurus.
III. In quibus casibus inventor partem non habet.
IV. Pecunia amissa Domino restituenda.

I. THESAURUS etiam inter Regalia numeratur: nam Thesaurus in Jure est vetus pecunia à Domino recondita, cujus memoria non extat, proindeque nullus se Dominum illius dicere potest, nequidem loci illius Dominus: nam quæ ignoramus non possidemus, *L.* 3. §. *Neratius*, *ff. de acquir. possess. L. Possidere*, *ff. eod.*

II. Moribus nostris si quis Thesaurum invenerit in loco suo, dimidiam partem lucratur, altera pars sit Regis, si locus sit allodialis, aut Domini Justitiarii si locus sit feudalis, ut judicatum refert *Bacquet*, *des Justices*, *chap.* 32. Si verò in loco alieno Thesaurus sit inventus, fiunt tres partes, altera Regi si locus sit allodialis, vel Domino feudali si locus sit feudalis, altera loci Domino, & altera tribuitur inventori, *Bacquet ibid.* Idem jus est si locus sit Ecclesiæ vel Universitatis; & si emphyteota ipse vel vassallus invenerit, uterque partem habet dimidiam in beneficio fortunæ, *Speculator de emphyteusi*, *n.* 158. nam Thesaurus non est in fructu.

III. In duobus casibus inventor ludit operam, & privatur commodo reperto. *Primus*, si consultò datâ operâ Thesaurum effoderit in loco alieno publico aut privato, sine consensu Domini proprietarii, §. *Thesaurus*, *Instit. de acq. rerum dominio. Secundus*, si post repertum Thesaurum non nuntiaverit Domino proprietario, & Justitiario, aut Regis Officiariis, *L. Non intelligitur*, §. *Deferre*, *ff. de jure fisci. Tertius*, addi potest, si inventor arte magicâ operam Dæmonis adhibuerit.

IV. At si quis pecuniam aliamve rem amissam aut derelictam invenerit in suo fundo, vel alieno publico vel privato, restituere eam debet Domino; nam quod meum non est, debeo præsumere esse alterius, *L. A tutore*, *ff. de rei vindic.* nisi Dominus eam abjecerit, aut pro derelictâ habeat, nolens eam ampliùs esse in suis bonis, quod ex rei utilitate præsumitur; & Domino non comparente post factam perquisitionem inventor potest eam retinere, possidet cum titulo & bonâ fide, putans rem esse nullius, & usucapit per tempus lege definitum, ante usucapionem completam, Domino supervenienti eam restituere tenetur, præstitis sumptibus custodiæ, post usucapionem completam triennio non tenetur, nam per usucapionem rei dominium adjicitur possessori bonæ fidei rerum mobilium, & mala fides superveniens post præscriptionem, non nocet juri quæsito, *Imola in c. Cura*, *de Jure Patron. Baldus in Authent. Ad hæc*, *de usuris. Vide suprà tit. de adespotis.*

TITULUS XVI.

De Mineralibus.

SUMMARIUM.

I. & II. Mineralia latentia in visceribus terræ nullius sunt. Mineralia investigare permittitur denuntiato loci Domino, reservatâ parte Regi.
III. Lapilli pretiosi & gemmæ fiunt inventoris.

I. MINERALIA latentia in visceribus terræ, nullius in bonis sunt, nec fuerunt unquàm: inter Regalia numerantur, aurum, argentum, stannum, plumbum, ferrum, æs, bytumen, alumen, creta, & aliæ species; Jure Communi res hujusmodi fiunt inventoris, *L.* 3. *Sub finem*, *ff. de rebus eorum qui sub tutela vel cura sunt sine decreto non alienandis*: ex Constitutione Henrici IV. *anni* 1601. permittitur singulis mi-

nas aperire in suo solo, & res hujusmodi effodere, decimâ parte reservatâ fisco; quâ Constitutione cavetur ne Dominus feudatarius loci Mineralium eam partem sibi vindicet, nisi de eo jure expressè fuerit investitus.

II. At in fundo alieno rimari non licet, & Mineralia effodere, nisi priùs cum Domino soli de indemnitate conventum fuerit, ex eadem Constitutione: cogitur autem Dominus consentire, vel opus aggredi ob publicam utilitatem.

III. Lapilli verò pretiosi, & gemmæ, qui non crescunt in minis, & nullius in bonis sunt, Beneficia naturæ censentur, & dona Dei Jure Gentium fiunt inventoris, §. *Item lapilli*, *Instit. de acq. rer. dom.* sive in suo fundo sive in alieno fortuitò & nullâ operâ adhibitâ invenerit.

TITULUS XVII.

De Salinis.

SUMMARIUM.

I. In Galliâ non licet uti Sale nisi gabellato, pretio Edicto Principis imposito. Lysimachi avaritia in vectigali Salinarum. Demetrii liberalitas. Romani ex Salinis vectigalia exigebant.

I. SALINÆ inter Regalia censentur, & Principi reservantur, ne cuiquam liceat Salinas habere, sine Principis licentiâ, nec Sal emere nisi ex Salinis pretio Regis Edicto impositio. Unde cùm nuntiatum fuisset Curiæ Vectigalium hujus Provinciæ, fontem esse in Loco du Castellet propè Fluvium du Var, cujus aqua dejecta in Sal congelabatur, ad postulationem Procuratoris Regii, & Fermarii generalis Salinarum, Curia jussit fontem illum Naturæ beneficium operiri, & inhibuit Loci incolis alio Sale uti quàm gabellato, sub gravi pœnâ, *Arresto Novemb.* 1620. Sanè non dubium est de potestate Principis quin pretium Salis possit augere vel minuere, prout exigit rerum necessitas. At Lysimachi damnatur avaritia, qui pro Sale magnum vectigal exigere voluit; sed coactus fuit Edictum suum supprimere, nam refugiente Naturâ Salinæ exaruerunt, *ut refert Atheneus*, & Demetrii laudatur liberalitas, *Machab.* 4. qui Judæis pretium Salis remisit. Romani ex Salinis privatorum vectigal exigebant, *L.* 13. *ff. de publicanis*, *& L.* 17. *ff. de verborum signif.*

TITULUS XVIII.

De Vectigalibus & Armandiis.

SUMMARIUM.

I. Tria genera tributorum.
II. Centesima rerum venalium. Rectores Provinciarum vectigalia nova sine jussu Principis imponere non possunt.
III. Vassalli non sunt taleabiles suis Dominis.
IV. Quæ sint Armandiæ.

I. QUIA genera functionum publicarum observat Turnebius, adversariorum *c.* 5. *Ex Græcis*, ψυγὸν ἐκ τῆς ἰδίας γῆς, τέλος ἐκ τῆς ἐμπορίας, ἀλαγράμμα, primum solvitur ratione soli, & dicitur Census, de quo dicemus infrà: secundum ratione quæstûs & negotiationis, & dicitur portorium aut pedagium: tertium ratione capitis & incolatûs.

II. Primis temporibus ratione soli dumtaxat vectigal exigebatur, *la Taille*, & sub Nerone adeò excreverat, ut de iis Regina Britannorum apud suos justè conquereretur: *Nonne pascitis & aratis Romanis, & corporum etiam vectigal penditis Dio in Nerone?* Alia erant onera indicta seu ordinaria, alia superindicta seu extraordinaria: aliæ angariæ, aliæ parengariæ pro Regiis expeditionibus, & cursu publico, *de quibus in tit. Codicis lib.* 12. *eod. tit.* & quòd Romani pecuniam habere mallent, & dare fœnori, quàm prædia,

Edicto cautum fuit ne cuiquam ultra sexaginta mille sextercia habere liceret; *Dio lib. 4.* Posteà rerum necessitate id exigente rebus venalibus vectigal impositum fuit, quod sub bono Principe erat centesima pars pretii, & sub malo Principe quinquagesima, ut refert Tacitus, de hoc vectigali loquitur Jureconsultus *in L. Debet, ff. de Ædil. ed.* Vectigalia indicta erant perpetua, at superindicta extraordinaria ad tempus indicuntur ob causam, eâdemque sublatâ tolluntur. Præsides Provinciarum eam licentiam usurpabant Vectigalia imponendi in Provinciis sibi commissis; quàm Principes sibi reservare voluerunt, *L. 1. Et tot. tit. C. Vectigalia nova sine jussu Principis institui non posse.* Nostris temporibus Dominus de Guisia Princeps generosissimus, & publicæ salutis amantissimus, Gubernator hujus Provinciæ, ob negotia publica urgentia mandaverat exigi certam pecuniam in certis Præfecturis & Civitatibus. Verùm appellatione interpositâ à Procuratoribus Provinciæ ab ejus Ordinationibus, juncto Procuratore Regio, Ordinationes illæ fuerunt cassatæ, & earum executio prohibita Arrestis utriusque Curiæ anni 1625.

III. In certis Provinciis Galliæ olim Domini feudatarii subditis vectigalia imponere poterant ex consuetudine, subditi erant taleabiles arbitrio dominorum, ut in Delphinatu, sed Humbertus Delphinus eam Provinciam ab illo onere liberavit, *Guid. Pap. q. 301. Bened. in c. Raynutius, verb. & uxorem.* Tamen ex lege investituræ subditi debent contribuere pro subsidio in certis casibus suis Dominis, & operas præstare, ex lege investituræ, ut dicemus infrâ.

IV. Armandiæ de quibus agitur in Libris Feudorum, *tit. Quæ sint Regalia*, erant Vectigalia quæ Princeps exigebat pro armorum fabrica à vassallis, ab armis sic dicta, vel armaniæ, non ab armentis, vel pro sustentatione militum, *l'Auberge ordinaire, quartier d'hyver extraordinaire.*

TITULUS XIX.

De Jurisdictione.

SUMMARIUM.

I. *Jurisdictio pars Regalium nobilior. Tres gradus Jurisdictionis. Meri imperii partes. Mixti imperii partes. Simplex Jurisdictio.*
II. *Jurisdictio ordinaria & delegata.*
III. *Jurisdictio vassallis conceditur per investituram. Vassalli olim per se Jurisdictionem exercebant.*
IV. *Judices debent esse Graduati, Baccalaureatus non sufficit. Judices Ordinariorum suspecti in causis criminalibus, si sint cognati vel affines Domini aut fermarii.*
V. *Judex Regius non potest esse Judex vassalli.*
VI. *Judice recusato vel abstinente quis debeat occupare.*
VII. *Judices vassallorum sunt amobiles. Judex institutus ob remunerationem non potest revocari. Successor in Episcopatu potest revocare Vicarium à prædecessore institutum ob servitia.*
VIII. *Vassalli non possunt Judicaturas vendere vel oppignorare.*
IX. *Duces & Comites habent ressortum appellationum.*

I. JURISDICTIO est nobilior pars Regalium concessa vassallis, ad castigandum delinquentes, distribuendum jura, & continendum subditos in debito Officio: cujus gradus sunt tres, merum imperium, mixtum imperium, & simplex Jurisdictio, *mere, mixte impere, & simple Jurisdiction, ou bien, haute, moyenne & basse Justice.* Merum imperium continet gladii potestatem, in criminalibus pœnam sanguinis, deportationis, aut exilii, infamiæ, publicationis bonorum, aut mulctæ pecuniariæ. Erectio furcarum & loci patibularis est signum meri imperii. Mixtum imperium habet cognitionem civilem de levioribus delictis sine inquisitione, mulctæ dationem, pignorationem, incarcerationem pro executione rei judicatæ, missionem in possessionem, restitutionem in integrum, tutelæ dationem, legis actiones, emancipationem, manumissionem, adoptionem. Simplex Jurisdictio consistit in cognitione Causarum Civilium, & distributione Juris, cum mixturâ imperii, pignoratione, & incarceratione, pro executione rei judi-

catæ : nam cui conceditur Jurisdictio, conceduntur ea sine quibus illa esset inutilis & inanis, *l. 2. ff. de Jurisd. omn. Judicum.*

II. In Principe residet omnis Jurisdictio & imperium, ut lux in Sole, quam Princeps interdùm delegat intuitu personæ, vel tribuit intuitu dignitatis, cui Jurisdictio est annexa. Jurisdictio delegata expirat finito mandato, vel morte mandantis aut mandatarii, vel revocatione mandati, aut finito negotio : at Jurisdictio annexa dignitati, quæ ordinaria est, transit ad successorem in dignitate.

III. Vassallis per investituram Jurisdictio conceditur, velut feudo annexa, & concesso castro vel feudo Jurisdictio etiam censetur concessa, pro regimine civium, *Covarr. c. 1. pract. qq. concl. 5.* tùm in concessione factâ à Principe, vel ab alio, sive simpliciter castrum concessum sit, sive cum pertinentiis suis ; nam uno concesso conceduntur alia sine quibus, *l. 1. ff. de Jurisd. omn. Iud.* Tamen castro vendito Jurisdictio non censetur vendita nisi fuerit expressa : interdùm plena in civilibus & criminalibus ; interdùm Princeps suis Officiariis reservat merum imperium, & simplicem Jurisdictionem tribuit vassallo in civilibus. Olim vassalli Jurisdictionem sibi concessam per se exercere poterant, *Loiseau des Seigneuries c. 7.* hodie verò eam exercent per Judices à se datos : hinc fit quòd feuda etiam ad fœminas, mutos, surdos & furiosos transeunt, exceptis feudis in officio personali consistentibus.

IV. Judex à vassallo datus debet esse Graduatus aut Licentiatus in Jure, gradus Baccalaureatus non sufficit : nam gradus iste apud nos corruptis moribus datur sine examine, & quod pejus est, isti Judices quos *Bannarels* vocamus, à Proprætoribus admittuntur in suis Præfecturis sine examine. Si sint cognati vel affines vassalli procedere non possunt in causis criminalibus, ob interesse vassalli vel fermarii, cui mulctæ pecuniariæ adjudicantur. Idem servatur si sint cognati vel affines fermarii, ut decisum fuit variis Arrestis, *mensis Martii anni 1623. & mensis Februarii anni 1624.* & à causis vassallorum quorum Jurisdictionem exercent abstinere jubentur : Rex tamen litigat coram suis Officiariis, & eorum judiciis stat.

V. Ex Statuto istius Provinciæ, & Constitutione Reginæ Joannæ, Judex Regius exercere non potest Jurisdictionem vassalli, ne jura confundantur ; sunt enim certi casus de quibus Judices vassallorum cognoscere nequeunt, ut dicemus infrà.

VI. Cùm Judex Regius recusatur, vel abstinet, antiquior Graduatus ejusdem Præfecturæ adeundus est : at Judice vassalli abstinente vel recusato, alius à vassallo Judex peti debet ; & si vassallus ipse sit suspectus, à Proprætore vel Senatu Judex subrogatur in eadem Præfectura : nam licèt Judex & vassallus sint suspecti, Tribunal ipsum non fit suspectum. Sic judicatum fuit pro Domino de Salernes, *Arresto mensis Maii anni 1620. & alio Arresto priore mensis Martii anni 1619.*

VII. Judices vassallorum amobiles sunt ad libitum, revocatione, vel morte mandantis, aut finito negotio, ad differentiam Judicum Regiorum ordinariorum, qui revocari non possunt nisi ex delicto depositione digno, quoniam Jurisdictio est annexa dignitati. Tamen vassallus Judicem à se datum ob remunerationem alicujus officii destituere non potest, nisi ex delicto, ex Constitutione Rosilionensi, *Loiseau tit. des Offices, lib. 5. c. 5. Loëtius lit. O. n. 2.* Sic judicatum fuit pro Suffreno Judice Salonii contra Loci dominum, Arresto Senatûs Gratianopolitani. Idem observabatur inter Episcopos & eorum Officiales institutos, ob servitia Ecclesiæ præstita. Verùm ad postulationem Cleri Gallicani in Comitiis generalibus jus illud correctum fuit responso Regis datâ licentiâ successoribus expellendi Vicarios vel Officiales à prædecessoribus suis Episcopis institutos ob servitia Ecclesiæ præstita. Et ita judicatum fuit pro Domino Camelino Episcopo Forojulienſi, *Arresto mensis Februarii anni 1644.* nam remunerationes hujusmodi in re spirituali redolent simoniam, *c. Consulere, de simonia.*

VIII. At dolendum est de licentiâ quam vassalli nostris temporibus usurpant sine Regis licentia, Judicaturas suas suas vendendi vel oppignorandi pretio numerato, exemplo moti vectigalis annui & auri quod infertur ærario publico, pro Judicaturis Regiis : nam quæ fiunt contra rationem juris ob publicam Regni necessitatem, non debent trahi ad exemplum. Hinc multa mala nascuntur, ut jam cum Divo Ambrosio dicere liceat : *Venduntur Leges, Jura corrumpuntur, Sententiæ fiunt venales, & nulla potest esse causa sine causa.*

IX. Ducibus & Comitibus datur etiam in investituris ressortus appellationum, ut Ju-

dex ab illis datus possit judicare appellationes emissas à Sententiis latis à Judicibus inferioribus suorum Oppidorum aut Castellaniarum in prima instantia ; quibus etiam datur potestas creandi Grapharios, Notarios, Procuratores, & litium executores : de divisione Jurisdictionis inter plures vassallos dicemus infrà *tit. de divisione Feudi.*

TITULUS XX.

De Casibus Regiis.

SUMMARIUM.

I. Judices vassallorum universalem Jurisdictionem habent. Excipiuntur causæ Fori Ecclesiastici. Excipiuntur etiam Casus Regii.

I. OMNES Causæ tàm civiles quàm criminales occurrentes in territorio vassalli pertinent ad cognitionem Judicis illius. Excipiuntur Causæ Fori Ecclesiastici, de quibus Laïcis cognoscere non licet, sive de rebus spiritualibus agatur, sive de actionibus personalibus ex contractu, vel delicto contra Clericos in casibus non privilegiatis. Excipiuntur Casus Regii, quorum cognitio reservatur Officiariis Regiis : cujus generis sunt crimina Læsæ-Majestatis in primo & secundo capite, de quibus suprà diximus *in tit.* de Confiscatione, infractæ Regiæ Salvægardiæ, falsæ monetæ, falsi commissi in Litteris Regiis, vis publicæ per modum belli, cognitio Litterarum Gratiæ, & Causarum Fisci, & Domanii Regii, *Loiseau des Seigneuries, c. 14. Molin. in Stylo Curiæ c. 29.* Dubitabatur olim de Causis Nobilium habitantium in Terris vassallorum : verùm Edicto Cremensi statutum fuit eas ad cognitionem Judicum vassallorum pertinere ratione incolatûs, nisi de Feudo agatur : de delictis commissis in viis publicis, suprà diximus *in tit. de Viis.*

TITULUS XII.

An Regalia consuetudine acquirantur, vel non-usu amittantur.

SUMMARIUM.

I. Regalia acquiruntur consuetudine contra Regem. In hac consuetudine possessio centenaria requiritur, non contraria præscriptioni.

II. Vt possessio probetur in hac materia. In præscriptione non fit extensio.

III. Regalia amittuntur non usu.

IV. Vassalli Regalia inter se præscribunt.

I. SICUT Regalia beneficio à Principe concesso acquiruntur, sic consuetudine acquiri possunt ; in quâ tria requiruntur, titulus saltem præsumptus, bona fides, & possessio continua centum annorum, *c. Super quibusdam, de verbor. signif.* Titulus præsumitur ex recognitionibus & præstationibus juris dominici : nam sine titulo res Fisci non potest usucapi, §. *Res Fisci, Instit. de usucap.* possessio centenaria desideratur, quæ non sit contraria præscriptioni, *c. Dudùm, de decimis :* nam qui precario possidet vel depositò nunquàm præscribit, quia non sibi possidet, & rei dominicæ vel Templorum vindicatio nullâ temporis præscriptione submovetur, *l. 1. C. eod. tit.* At possessio centenaria junctâ bonâ fide, & titulo præsumpto, veri tituli instar est, *l. Hoc jure*, §. *ductus aquæ, ff. de aq. quot. & æst.* ad acquirendum Regalia etiam, *Baldus in tit. quæ sint Regalia, de feudis, Bacquet tit. du droit de desherance, c. 7. ex Arrestis Curiæ Parisiensis.*

II. Possessio probatur testibus & instrumentis ; at in actibus qui fiunt in scriptis, ut in exercitio Jurisdictionis, sola vocalis probatio non sufficit sine probatione litterali : in præscriptione tantùm præscriptum quantùm possessum, ad similia non fit extensio : hinc qui possessione præscripsit simplicem Jurisdictionem in civilibus, non censetur præscripsisse merum imperium in criminalibus non possessum, *Balbus de præscr. 2. parte, n. 11. Alexander cons. 122.*

III. Quemadmodum Regalia usu & consuetudine acquiruntur, sic non-usu & consuetudine contrariâ amittuntur: at hîc præscriptio centenaria non desideratur; præscriptio triginta annorum sufficit in rebus profanis, & quadraginta annorum in rebus Ecclesiasticis, *c. Accedentibus de privil. & Authent. quas actiones, C. de Sacrosanct. Eccl.* nam facilis est reditus cujusque rei in suum pristinum statum, *l. Si unus, ff. de pactis.* Solo non-usu Regalia quæ consistunt in merâ facultate non amittuntur, nam illa censentur concessa ut quandocumque voluerit vassallus eis uti possit, *l. Viam publicam, ff. de via publica, Gl. in l. Qui luminibus, ff. de servitutibus urban. præd.* sed oppositione vel consuetudine contrariâ legitimo tempore præsecuto.

IV. Et si plures sint domini ejusdem territorii portionibus divisis præscriptio triginta annorum inter eos sufficit litium finiendarum gratiâ, cum titulo saltem præsumpto & bonâ fide, secùs si possessio sit violenta, clandestina, aut precaria.

LIBER II.

DE INVESTITURIS ET RECOGNITIONIBUS FEUDALIBUS ET EMPHYTEUTICIS.

TITULUS PRIMUS.

Ut Feudum & Emphyteusis differant.

SUMMARIUM.

I. Effectus contractûs emphyteutici. Vt differat à contractu censuali. Vt differat à Feudo.

I. PER Emphyteusim utile dominium prædii rustici vel urbani transfertur à domino in accipientem, sub annuo censu, vel sine censu, retento dominio directo, & jure prælationis & laudimii in casu alienationis. Iste contractus differt à contractu censuali, quo plenum dominium transfertur in accipientem sub annuo censu: Emphyteusis accedit locationi, & contractus censualis accedit contractui venditionis, & differt à Feudo; nam in Emphyteusi spectatur solùm interesse pecuniarium censûs, laudimii, prælationis, & commissi: at in Feudo non solùm illa jura includuntur, sed maximè jura honorifica attenduntur præstatio fidelitatis & homagii, obsequia & operæ à vassallo promissæ in investiturâ: & Feudum fit per modum donationis ob causam, ob merita accipientis vel Majorum suorum: unde dicitur beneficium.

TITULUS II.

De Investitura.

SUMMARIUM.

I. In Feudo & Emphyteusi accipiens investitur. Vt fiat investitura. Juramentum fidelitatis à vassallo præstatur. Doctoratûs est Dignitas.

I. CONCESSIO rei feudalis vel emphyteuticariæ dicitur investitura, quoniam per eam vassalli & emphyteotæ investiuntur de possessione rei concessæ. Investitura emphyteusis fit per missionem emphyteotæ in possessionem prædii urbani vel rustici sibi concessi corporalem, aut fit civiliter per traditionem clavium, vel per clausulas constituti & precarii in contractu appositas, quibus dominus transfert utile dominium & posses-

sionem rei in accipientem, & in signum traditæ possessionis asserit se possidere nomine emphyteotæ eandem rem precariò ad libitum illius, donec is veram & actualem rei possessionem apprehenderit corporaliter, reservato sibi dominio directo, & aliis juribus dominicis, & accipiens recognoscit dantem ut dominum directum ejusdem rei, & jura in contractu contenta solvere promittit: sic fit divisio pleni dominii in utile & directum cum spe consolidationis. At in Feudo investitura fit traditione annuli, vel lanceæ, vel chyrothecarum, in signum amoris & honoris, prout fert consuetudo: & vassallus cum honestâ reverentiâ gratias agens beneficii accepti spondet, promittit & jurat se domino danti fidelem fore, ab iis abstenturum quæ illius incolumitatem, tutelam & honestatem lædent, & in eisdem casibus auxilium & consilium ei præstiturum, *c. Qualiter, lib. 2. de Feudis, c. De forma, c. 33. q. 5.* Præstatio & recognitio quæ fit genibus flexis & manibus porrectis soli Principi debetur, *Molin. in Consuet. Paris. tit. de Feudis, §. 1. Gl. 3. n. 9.* Eadem forma servatur in Doctoris inauguratione, per traditionem Pilei, Annuli, & Togæ: nam Doctoratus Dignitas est, aut saltem janua ad Dignitates, *Bart. in l. fin. C. de Jud. Felinus in c. Quanto, de Magistris:* ubi tamen aiunt, quòd in multis ob imperitiam vel inopiam hæc Dignitas villescit & contemnitur.

In investiturâ feudali vel emphyteuticariâ scriptura desideratur, *l. 1. C. de jure emph.* Tamen instrumentum amissum probatur novis recognitionibus, & continuatâ possessione, ut notabitur infrà: ex consuetudinibus Feudorum, in primâ investiturâ pares Curiæ seu convassalli in testimonia adhibebantur, quod moribus nostris non observatur.

Si Titius fuerit investitus simpliciter, Feudum hæreditarium est arbitrio Titii transmissibile ad hæredes extraneos, etsi illud Titius sibi acquirat, & suis, ut in stipulationibus; jus tamen de re disponendi pro libito non amittit; tamen hæredes vassalli rem feudalem sibi relictam à vassallo retinere non possunt, & hæreditatem repudiare, nam Feudum habent jure hæreditario ut hæredes vassalli, *Rubeus cons.* 84. Si verò Feudum sit concessum Titio & suis hæredibus aut successoribus, de descendentibus Titii masculis id intelligitur ex providentiâ dantis juxta naturam Feudi, ne Titius possit illud in extraneos transferre, *Rubeus cons.* 110. Tamen vassallus testamento potest uni ex liberis Feudum relinquere, & alios excludere, *Paulus de Castro cons.* 160.

Si Feudum incipiat à fœmina, seu fœminæ & liberis illius datum sit, transit ad liberos utriusque sexûs, est Feudum degenerans: verùm extantibus masculis filiæ non succedunt ubi tale viget Statutum.

TITULUS III.

De investitura rei Ecclesiasticæ.

SUMMARIUM.

I. *Quæ forma sit servanda in investitura rei Ecclesiasticæ.*
II. & III. *Si de re mensæ Episcopalis agatur.*
IV. *Clausula si in evidentem utilitatem, difficiliùs admittitur.*
V. *Quomodo constat de Ecclesiæ utilitate.*
VI. *Res ad Ecclesiam reversa sine nova solemnitate datur, nisi fuerit diu incorporata Ecclesiæ.*

I. IN investiturâ rei Ecclesiasticæ, servatur forma præscripta *in Authent. perpetua, C. de Sacros. Eccl. & in c. Si qua de rebus, c. 12. q. 2.* nempè si de re Capituli agatur, aut communi inter Capitulum & Episcopum, tractatus Capituli debet præcedere, vocatis iis qui sunt in civitate, & suffragium habent, *c. Cùm inter, & c. In Genesi, de elect.* & saltem duæ partes suffragantium debent adesse, *l. Nulli, ff. quod cujusque universit. nomine:* alioquin tractatus differtur, nisi periculum sit in morâ: si vota sint contraria, consensus majoris partis prævalet: nam regulariter in iis actibus in quibus spectatur interesse singulorum, standum est numero, *l. Quod major, ff. ad municipalem:* secùs in electionibus quæ fiunt ad Beneficia vel Officia Ecclesiæ, in quibus major pars dicitur quæ sanior est ratione dignitatis & zeli rei Ecclesiasticæ, in quo tractatu causa alienationis examinatur.

II. Si de re mensæ Episcopalis agatur, œconomus Ecclesiæ Cathedralis vocatur, non ut suffragium præbeat, sed ut causam alienationis propositam impugnet: nam eo etiam invito, si causa justa sit, alienatio permittitur: idem dicitur de Procuratore Regio, & Patrono, si de re agatur Ecclesiæ fundationis Regiæ, vel Patroni.

III. Post deliberationem Capituli authoritas Superioris postulatur, ut permittat alienationem fieri, vel factam confirmet: si res sit mensæ Episcopi, authoritas Papæ requiritur; nam Episcopus non potest esse author in causa propria, & jurat in inauguratione sua de non alienando, *c. ut super, de rebus Eccl. non alien.* Si verò res sit Capituli, vel Ecclesiæ inferioris, authoritas Episcopi diœcesani sufficit: Vicarius Episcopi non potest alienationes hujusmodi confirmare, nisi id habeat in mandatis, ut judicatum fuit super appellatione interpositâ tanquàm ab abusu, *Arresto mensis Novembris anni 1622.* Verùm quia à Sententiis aut Decretis Episcopi appellari potest, in causis hujusmodi Papa adiri solet, aut Legatus, non ut alienationem permittat, aut confirmet, quod fieri non potest sine cognitione causæ: nam Papa inter Gallos non potest de causis cognoscere, obstante Concordato *in capit. de causis*, sed ut deputet Commissarios in partibus vicinis, non ut ultra bidui spatium, qui de causa alienationis cognoscant vocatis vocandis; & si ea justa sit, alienationem factam confirment, vel fieri permittant.

IV. Causa justa censetur, si necessitas urgeat, vel solvendi æris alieni, vel captivorum redimendorum, vel pauperum alendorum, *c. Sacrorum, & c. Aurum* 11. *q.* 2. vel si utilitas Ecclesiæ exigat, nimirùm si res sit Ecclesiæ damnosa, vel minùs utilis, *c. Terrulas* 12. *q.* 2. *Auth. perpetua, C. de Sacr. Eccl.* Non enim prædia bona censentur, quæ plus afferunt incommodi quàm commodi, *l. Propriè, ff. de verb. signific.* Difficiliùs admittitur clausula, si in evidentem Ecclesiæ utilitatem, ne inveniatur occasio alienationis, ut de prædiis minorum dicitur *in l. Magis puto*, §. *si pupillus, ff. de præd. minor. sine decr. non alien.* nisi de prædiis urbanis agatur, ob periculum ruinæ, *Authent. si quas ruinas, C. de Sacros. Eccl.*

V. De rei utilitate constat ex valore fructuum annuatim percipiendorum, vel reditûs annui deductis sumptibus & expensis, cum diminutione quadrantis, si de prædio urbano agatur subjecto ruinæ, aut rustico inundationi fluminis subdito, vel cum diminutione sextantis, si de prædio rustico periculo non subdito, *Faber ad Authent. hoc jus porrectum, C. de Sacros. Eccl. Speculator de emphyt. n.* 5. 8. *&* 9. & dicitur justa pensio quæ spatio viginti annorum exæquat rei valorem, *Speculator ibidem* §. 15.

VI. Verùm cùm res feudalis vel emphyteuticaria ad Ecclesiam reversa est, ex lege investituræ, finitâ lineâ, vel desertione, commisso, vel jure prælationis, Rector Ecclesiæ potest alium investire, sine novâ cognitione causæ, & Superioris licentiâ, ne sumptibus & expensis frustratoriis Ecclesia gravetur, *c. Ad aures, de rebus Eccl. non alien. c.* 1. *de feudis*, nisi res fuerit Ecclesiæ post reversionem diu incorporata, scilicet per decennium, quod in Jure est longum tempus, *Julius Clarus in verb. emphyteusis, q.* 13. *n.* 4. Eo enim casu nova cognitio causæ & rei æstimatio desideratur, quia pretia rerum temporis commutatione augentur vel minuuntur: aut si res ea quæ tempore primæ investituræ erat sterilis, melior facta ad Ecclesiam reversa sit, in iis casibus æstimatio & forma requisita in novâ investiturâ desideratur, *Panorm. in c. ut super, de rebus Eccl. non alienandis.* Si Rector Ecclesiæ investiverit consanguineum, est suspicio fraudis, *l. Quibuscumque, C. de Sacros. Eccl.* quæ suspicio cessat si solitum modum servaverit, *Baldus ibidem.*

TITULUS IV.

Si duo vel plures conjunctim de eadem re fuerint investiti.

SUMMARIUM.

I. *In investituris emphyteuticis & feudalibus jus accrescendi non habet locum.*

II. *In Beneficiis liberalitatis Imperialis jus accrescendi habet locum. In feudis antiquis jus accrescendi aut succedendi habet locum. In feudis individuis jus accrescendi aut succedendi est.*

I. SI plures de eadem re fuerint investiti conjunctim, singuli admittuntur in virilem, pro se & suis hæredibus, quibus unusquisque censetur prospexisse, *tit.* 18. *lib.* 2. *de feudis*, & altero illorum defuncto, liberis relictis, dominus excluditur, & mortuo sine liberis portio illius ad dominum revertitur excluso vassallo superstite: nam regulariter in contractibus jus accrescendi non habet locum, *l. Si mihi & Titio, ff. de verb. obl. Speculator de emphyteusi n. 69. Baldus in c. 1. qui feudum dare possunt.* Idem dicitur si duobus fratribus Feudum sit concessum, & alter eorum moriatur sine liberis, pars illius non accrescit fratri ob rationem allatam, nec ei acquiritur; nam quilibet pro se stipulatus est, & pro liberis, non pro fratre, sed ad dominum revertitur, *Curt. senior cons.* 49. nisi in investiturâ agnati positi sint.

II. Verùm in certis casibus vassallus excludit dominum: *Primò*, si Beneficium liberalitate Principis duobus conjunctim collatum fuerit, altero illorum defuncto sine hærede, ad socium superstitem portio illius debet pervenire, *l. un. C. si liberalitatis Imperialis socius sine hærede decesserit, lib.* 10. *Secundò*, si Feudum sit antiquum, vassallo defuncto relictis liberis portio deficiens in persona unius ad alios pertinet, non tàm jure accrescendi quàm jure investituræ avitæ, in quâ filii & nepotes continentur, *Bartol. in d. l. Si mihi & Titio, & alii quos citat Decius cons.* 263. *Tertiò*, si Feudum sit individuum inter plures, altero illorum deficiente liberum est superstiti aut totum retinere aut partem dimittere, ut de portione hæredis deficientis dicitur *in l. Cum hæreditate, ff. de acquir. hæred. & in l. un. C. quando non petentium partes petentibus accrescant.* At si duo fuerint à domino investiti divisim de eadem re, prior investitura prævalet si realiter facta fuerit, *c.* 1. *Qui successores teneantur, de feudis*: nam si verbaliter tantùm facta fuerit, secunda prævalet si realiter facta, *l. Quoties, C. de rei vindicatione.* Et si utraque investitura eodem tempore verbaliter facta fuerit abusivè, ut loquuntur, per traditionem lanceæ aut chyrothecæ, nec constet de præcedenti, inspicitur quis investitorum priùs possessionem adeptus sit, *c. Si à Sede, de præb. in 6.* ut observatur in Beneficiis.

TITULUS V.

Qui succedunt in Feudis.

SUMMARIUM.

I. *In successione rei feudalis vel emphyteuticæ forma investituræ est attendenda. Ex Lege Salicâ fœminæ non succedunt in Feudis. Feudum fœmineum. Liberi naturales non admittuntur in successione Feudi, nec adoptivi. Liberi legitimi succedunt servatâ prærogativâ gradûs. Filius primogeniti excludit patruum.*

II. *Muti, surdi & alii imperfecti an succedant in feudis.*

III. *Ascendentes non succedunt. Collaterales succedunt. Nepotes cum patruo succedunt in stirpes.*

IV. *Ex consuetudinibus Galliæ Feuda sunt patrimonialia, & in eis succeditur ut in bonis patrimonialibus. Ordo successionis.*

V. *An filius repudiatâ hæreditate vassalli possit Feudum retinere.*

I. IN successione feudali & emphyteuticariâ forma investituræ attendi debet, & consuetudo regionis: aut investitura data est accipienti tantùm, & talis investitura propriè feudalis, aut emphyteuticaria non est, in Jure Canonico dicitur precaria, finitur morte accipientis, & res revertitur ad dantem; aut investitura datur accipienti sine clausula restrictiva, & accipiens sibi acquirit & suis hæredibus; unusquisque enim stipulando sibi acquirit & suis hæredibus, ut diximus suprà: aut investitura datur accipienti & suis, vel hæredibus suis, & nomine suorum, vel suorum hæredum, Jure communi veniunt liberi utriusque sexûs: sed in hac materia veniunt masculi, non fœminæ, *c.* 1. *de duobus fratribus à Capitaneo investitis*: nam Lege Salicâ cavetur ne fœminæ succedant in Feudis, *Cujac. Observat. c.* 8. *c.* 14. quia Feuda pro stipendiis militum destinata sunt, ut diximus suprà, nisi investitura data sit fœminæ, vel accipienti pro se & liberis utriusque sexûs, quo casu masculis non extantibus fœminæ admittuntur, *tit* 18. *de Feudis lib.* 2. *& tit.* 8. §. *filia, lib.* 1. Hermafroditus admittitur si incalescat in masculinum, *l. Quæritur,*

ff. de ſtatu hominum. Liberi naturales non admittuntur, §. *Naturales, tit.* 26. *de Feudis, lib.* 2. ſunt enim de genere obliquo, degeneres non de genere, nec ſi in inveſtitura nominati fuerint; niſi per ſubſequens matrimonium legitimati ſint; vel etiam ad Feuda Reſcripto Principis legitimati. Liberi adoptivi non ſuccedunt, ne adoptionis commento fraus fiat inveſtituræ, *Speculator tit. de locat.* §. *nunc aliqua*, §. *adoptivos, tit.* 20. *de Feudis.* Inter liberos ſervatur in ſucceſſione prærogativa gradûs, ſi plures ſint in eodem gradu æqualiter ſuccedunt, *tit.* 8. *de ſucceſsione Feudi, lib.* 1. Jus repræſentationis habet locum inter fratres fratrumque filios: & ſi vaſſallus pro ſe & primogenito fuerit inveſtitus, filius primogeniti defuncti excludit patruum, *Speculator c.* 1. *de feudis, Molin. in Conſuet. Pariſ. tit.* 1. §. 13. *Gl.* 1. *Anfrerius q.* 433. ubi obſervat quæſtionem illam inter patruum & nepotem judicio gladiatorio deciſam fuiſſe ex decreto Othonis Imperatoris, nepotemque bis viciſſe: & ſi filius primogeniti ſuccedere nolit, vel non poſſit, locum facit ſecundo genito, & ſic de cæteris ordine ſucceſſivo.

II. Ex Conſuetudinibus Feudorum, muti, ſurdi, cœci, & dementes, Feuda retinere non poſſunt, *lib.* 2. *de feudis, tit.* 36. quia ſervire non poſſunt, moribus noſtris poſſunt acquirere & retinere Feuda, in quibus per alios ſervire poſſunt, non Feuda quæ conſiſtunt in officio perſonali gardiæ vel gaſtaldiæ, de quibus ſuprà, vel etiam Militiæ Togatæ; quæ tamen ex novis Edictis Galliæ mediante vectigali annuo, reſignandi & vendendi licentiâ conceſsâ, patrimonialia & hæreditaria facta ſunt.

III. Ex eiſdem Conſuetudinibus, vaſſallo defuncto ſine liberis aſcendentes non ſuccedunt, pater non ſuccedit filio, *tit.* 84. *lib.* 2. *Feudorum*, niſi nominatim in inveſtitura de patre actum ſit. Si vaſſallus mortuus ſit, liberis relictis, alteri eorum defuncto ſine liberis collaterales ei ſuccedunt, fratres fratrumque filii, fœminis excluſis earumque liberis, niſi in inveſtitura fuerint comprehenſæ, quo caſu ſuccedunt maſculis non extantibus; nam in Feudis jus agnationis ſpectatur, & ſervitia præſtanda. Si nepotes concurrant cum patruo, ſuccedunt in ſtirpes: ſi verò ſint ſoli ſuccedunt in capita, *tit.* 11. *lib.* 2. *de Feudis*, ut ſervatur in ſucceſſione bonorum patrimonialium, §. *Reliquum & cùm de appellatione cognoſcitur, in Authenticis.* Ratio cur aſcendentes non admittuntur in ſucceſſione feudali filii vel nepotis, & collaterales ſuccedant, ex dictis colligitur, quia filii & nepotes in inveſtitura Feudi paterni continentur expreſsè vel tacitè, quilibet enim ſibi acquirit & liberis: aſcendentes verò non continentur niſi fuerint nominati: dominus in inveſtitura cogitavit de liberis accipientis, non de aſcendentibus, qui ex ordine Naturæ liberis præmoriuntur; itaque lineâ deſcendentium per lineam maſculinam finitâ, ex Conſuetudinibus Feudorum res revertitur ad dantem aut ejus hæredes.

IV. At moribus Galliæ Feuda ſunt patrimonialia & hæreditaria, ut bona emphyteuticaria, ſive vaſſallus pro ſe & ſuis hæredibus, ſive pro ſuis liberis acceperit, *ex Conſuetudine Pariſienſi & Aurelianenſi*, & eam Conſuetudinem eſſe generalem teſtantur *Molin. Guid. Pap. Boërius, & alii quos citat Brodeau in Scholiis Loëtii in lit. C. n.* 53. Unde ſequitur quòd vaſſallus de re feudali ad libitum diſponere poteſt inter vivos, & causâ mortis, tametſi pro ſe & ſuis liberis acceperit, nullum enim jus cenſetur quæſitum liberis niſi conditionaliter, ſi ipſe vaſſallus non alienaverit, ut ſi quis pro ſe & ſuis emerit, vel emphyteuta acceperit; quo jure libertas vaſſalli conſervatur diſponendi de bonis ſuâ operâ & labore quæſitis, & jura domino debita non minuuntur, cui liberum eſt rem feudalem alienatam extra familiam retinere, jure prælationis, vel jura ſibi debita à novo vaſſallo exigere: ex quibus ſequitur quòd mortuo vaſſallo inteſtato, in ſucceſſione Feudi apud nos ſucceditur, ſecundùm formam Juris Communis. Primò vocantur liberi maſculi qui ex legitimis nuptiis orti ſunt, ſervatâ prærogativâ gradûs, & jure repræſentationis, ut ſuprà diximus, excluſis exhæredatis, ut de lucro nuptiali dicitur *in Authent. hæres, C. de ſec. nupt.* Maſculis non extantibus vocantur filiæ, vel liberi legitimi illarum: liberis non extantibus, parentes paterni generis ſuccedunt, ſervatâ prærogativâ gradûs, quibus non extantibus mater vel avia ſuccedit: mater ſecundùm formam Edicti de ſecundis nuptiis, avia ſecundùm formam Juris Communis: & ſi cum parentibus fratres conjuncti ex utroque latere concurrant, ſuccedunt omnes in viriles, *Authent. defuncto, C. ad Tertull.* Deſcendentibus & aſcendentibus non extantibus ſuccedunt fratres ex utroque latere conjuncti, & eorum filii, ſive Feudum ſit novum, ſeu à fratre defuncto acquiſitum, ſive antiquum à patre profectum, licèt aliud caveatur; de Feudo novo *in tit.* 12. *lib.* 2. *de Feudis:* nam moribus noſtris Feuda nova & antiqua patrimonialia & hæreditaria cen-

sentur : iis non extantibus admittuntur fratres ex alterutro latere juncti ; tamen frater consanguineus pariter admittitur cum fratribus ex utroque latere conjunctis in Feudo paterno, non inspecto discrimine originis maternæ, *Baldus in c. 1. de succeſſ. feudali, col. 1. Decius conſ.* 443. Quibus deficientibus veniunt agnati & cognati proximiores gradu, sublato discrimine sexûs, agnationis & cognationis, & jure repræsentationis, *Authent. ceſſante, & Authent. poſt fratres, C. de legitimis hæredibus :* & quamvis masculis extantibus fœminæ non succedant in successione universali, succedunt in legitimâ, in quâ veniunt etiam bona feudalia, ut cætera bona patrimonialia defuncti : nam cùm Feuda moribus nostris ad instar bonorum patrimonialium redacta sint, successio in bonis feudalibus fieri debet, ut fit in patrimonialibus, secundùm formam Juris Communis, & Statuta Patriæ ; nisi illa forma sit immutata in investiturâ providentiâ dantis.

V. Hinc solvitur illa quæstio, an repudiatâ hæreditate vassalli successor possit rem feudalem petere, ut liberam ab ære alieno à vassallo contracto : nam ex Consuetudinibus Mediolanensium, vassallus non potest rem feudalem alienare, nec oppignorare, sicut hæres gravatus rem fideicommisso obnoxiam non potest alienare, nec ære alieno gravare : & sicut fideicommissarius res alienatas ab hærede gravato potest vindicare petitione hæreditatis fideicommissariâ, & hæreditatem illius repudiare, sic successor rei feudalis alienata à vassallo potest revocare, hæreditatem illius repudiare, ne teneatur debita ab eo contracta solvere, ut constat ex variis Titulis earum Consuetudinum, & Doctorum scriptis, asserentium quòd repudiatâ hæreditate vassalli filius ei succedit in Feudo ut filius, non ut hæres, *in c. unico, de gradibus ſucceſſ. in Feudo.* At ex Consuetudinibus Galliæ suprà allegatis, *le vaſſal ſe peut joüer du Fief*, vendendo, donando, legando, & oppignorando, res feudalis censetur patrimonialis mixta cum cæteris bonis vassalli, ejusque hæredes non possunt Feudum retinere, & ab illius hæreditate abstinere : nam Jus non patitur quemquam mori pro parte testatum, & pro parte intestatum, *l. Jus noſtrum, ff. de regulis juris.* Nec obstat exemplum fideicommissarii, qui repudiatâ hæreditate hæredis gravati fideicommissi restitutionem potest petere : nam in fideicommissis testator principaliter prospicit fideicommissario cui bona conservari & restitui desiderat ab hærede gravato ut personâ interpositâ : at infeodans prospicit vassallo, ob servitia ab eo præstita & præstanda, non liberis vel agnatis vassalli fortè sibi incognitis, & vassallus sibi acquirendo, & suis, non amittit jus de ea re disponendi, ut de emphyteutâ suprà dictum fuit, nisi aliud constet ex investiturâ : sic enim investitura feudalis in formâ communi juxta Consuetudines Galliæ declaratur : at si per investituram vassallus ejusque filii, nepotes & pronepotes fuerint investiti, qui sunt de lineâ succedunt successivè ex investiturâ, & ultimus potest de re feudali pro libito disponere inter vivos, vel causâ mortis, *Molin. conſ.* 18. *n.* 3. nisi dominus in eum casum jus reversionis sibi & suis stipulatus sit, quo pacto vassallo prohibetur alienatio, juxta Consuetudines feudales, *lib.* 3. *tit.* 55. Verùm sicut vassallus potest Feudum refutare domino ob onera imposita ; sic hæres illius retentâ hæreditate potest illud dimittere, ut de re emphyteuticariâ vel censuali desertâ dicemus infrà, modò tempestivè refutatio fiat : non enim admittitur renuntiatio invito domino, quæ fit à vassallo in procinctu, ut ab operis domino debitis liberetur, *Felinus, Baldus, & alii, in c. Quæ in Eccleſiarum, de Conſtitutionibus.*

TITULUS VI.

An hæres Vaſſalli debeat Inveſtituram petere.

SUMMARIUM.

I. Hæres vaſſalli & emphyteutæ debet inveſtituram petere. Moribus Galliæ hæres non tenetur inveſtituram petere.
II. Succeſſor ſingularis debet inveſtituram petere, & jura debita ſolvere.
III. Succeſſor ſingularis pro reliquis ſui authoris actione hypothecariâ convenitur.

I. JURE Communi hæres vassali vel emphyteutæ debet investituram petere à domino, & relevium solvere, ut dicemus infrà, alioquin post annum vel quadraginta dies, prout fert consuetudo loci, Judicis decreto ad id compellitur ; & nisi pareat, res

feudalis in manu Domini ponitur, qui facit fructus suos, ut dicemus infrà. At ex Consuetudine generali Galliæ inter defunctum & suum hæredem possessio continuatur, *le mort saisit le vif*, non videtur facta manûs mutatio, sive sit hæres suus, sive extraneus, consequenter neque novâ industriâ hæredi opus est, neque relevium ab eo debetur, *Mol. in Consuet. Paris. tit.* 1. §. 3. *Gloss.* 2.

II. Cæteri verò successores particulares vassalli ex contractu emptionis, donatione, vel legato, investituram petere debent, laudimium vel relevium solvere pro mutatione manûs, nec-non reliquâ censûs, & laudimia, vel relevia à suis authoribus debita, alioquin post moram, & præceptum de recognoscendo, & solvendo jura debita, res ponitur in manu Domini, ut dictum est suprà, ut is tædio affectus pareat: si res sit Laïcalis, reliqua censûs annorum viginti novem à morâ & cessatione solutionis à Domino exiguntur: & si sit Ecclesiastica, reliqua triginta novem annorum debentur Rectori Ecclesiæ: cætera verò temporis anteacti præscriptione triginta & quadraginta annorum censentur præscripta, & ab iis debitor liberatus: iis oblatis Dominus novum vassallum tenetur admittere & investire, sub conditionibus & modis prioris investituræ.

III. Et si Dominus jura sibi debita accipere & vassallum investire recuset, tunc vassallo & emphyteutæ permittitur pecuniam debitam deponere apud Actuarium, & ex mandato Judicis vassallus seu emphyteota per Executorem mittitur in possessionem Feudi, & talis missio æquipollet investituræ, *Boërius in Consuetudines Byturigum, de consuetudine Feudi*, §. 11. *Molin. in Consuet. Paris. tit.* 1. §. 23. *Gl. 6. n.* 151. Tamen si Dominus successorem particularem vassalli vel emphyteutæ investierit, & jura acquisitionis & possessionis suæ ab eo acceperit, non potest eum convenire pro laudimiis & reliquis censûs ab Authore suo debitis nisi actione hypothecariâ, in re feudali vel emphyteuticariâ, discussis priùs bonis sui Authoris, qui hujusmodi debita rem eam acquirendo vel possidendo contraxit, *Molin. loco citato.*

TITULUS VII.

Per quos investitura petatur.

SUMMARIUM.

I. Investitura peti potest per Procuratorem specialem. Juramentum fidelitatis non solet præstari per Procuratorem. Emphyteuta non jurat fidelitatem.

II. Plures vassalli vel emphyteutæ possunt investiri per eundem Procuratorem.

III. Si plures sint Domini de Feudo vel emphyteusi contendentes liberum est vassallo & emphyteutæ cui voluerit illorum se offerre.

IV. Ubi præstatio fidelitatis & homagii fieri debeat.

V. Dominus per Procuratorem potest vassallum admittere.

I. INVESTITURA petitur à vassallo & emphyteutâ per se vel per Procuratorem speciale mandatum habentem, *Gloss. in c. Quo tempore miles investituram petere debeat, de Feudis, Boërius in Consuet. Byturigum, de Feudis*, §. 10. Speciale mandatum in Procuratore requiritur, ut vitetur interversio possessionis: tamen ex Consuetudine generali vassallus non jurat fidelitatem per Procuratorem; sed si justo impedimento detentus sit, Procurator illius investitur, & induciæ dantur vassallo ut compareat ad præstandum juramentum fidelitatis & homagium, eoque non comparente investitura fit irrita, *Molin. in consuet. Paris. tit.* 1. §. 67. *Gloss.* 1. *n.* 1. At emphyteuta à quo juramentum & homagium non exigitur, potest investiri per Procuratorem: & si Domino placuerit, vassalli jurare possunt & homagium præstare per Procuratorem: nam jurejurando Procurator onerat conscientiam Domini, vi mandati de jurando in animam mandantis non suam: & sic in multis locis ex Consuetudine fieri solet.

II. Si plures sint vassalli vel emphyteutæ, operâ ejusdem Procuratoris uti possunt: at si vassallus unus se offerat, aliis absentibus Dominus non tenetur eum admittere, & actionem suam dividere, si Feudum sit indivisum, nisi constet de impedimento absentium, secùs si Feudum sit divisum.

III. Si quis sit vassallus plurium dominorum, & inter eos contentio sit de jure vas-

ſallagii, vaſſallus poteſt ſubſiſtere, donec illi inter ſe convenerint, aut lis ſit finita, & declarare ſe paratum ad recognoſcendum eum qui jus evicerit, *Sanſon in Conſ. Turonenſes, des droits de baſſe Iuſtice, c.* 15. vel alteri illorum cui voluerit ſe offerre, & jurare, *L. Si plures, ff. de accuſ. L. Si quis in gravi, ff. Ad Syllanianum, Romanus conſ.* 471. Quo facto vaſſallus qui eſt in bona fide liberatur, & jus aliorum dominorum non fit deterius.

IV. Præſtatio fidelitatis & homagii fieri debet in domo Domini: verùm ſi ſint inimicitiæ inter Dominum & vaſſallum, fieri poteſt coram Officiariis Juſtitiæ ipſius, aut coram Officiariis Regiis Reſſortûs, expenſis tamen vaſſalli, ut judicatum fuit *Arreſto Parlamenti hujus Provinciæ, menſis Februarii anno* 1617.

V. Ubique verò Dominus per ſuum Procuratorem poteſt vaſſallum vel emphyteutam inveſtire, & à vaſſallo juramentum fidelitatis & homagium recipere, *c.* 1. §. *Sed utrum per quos fiat inveſtitura, de Feudis.* Si plures ſint Domini indiviſi ejuſdem Feudi, ſufficit alteri illorum ſe offerre, juramentum & homagium præſtare, ut diximus ſuprà, *ex c. Imperialem,* §. *Præterea, de prohibita Feudi alienatione, & notat Boërius in Conſuet. Byturigum, de Feudis,* §. 12. Si verò plures ſint ſucceſſores vaſſalli, & Feudum ſit inter eos diviſum, à ſingulis homagium exigitur, *c. Omnes, ſi de Feudo fuerit controverſia, Petrus Iacobi c. de forma libelli, ex Moribus.*

TITULUS VIII.

De Vaſſallo qui Inveſtituram non petiit, & prehenſione Feudi.

SUMMARIUM.

I. Vaſſallo recuſante inveſtituram petere, & jura debita ſolvere, res ponitur in manu Domini. Philippus Valeſius Galliarum Rex contra Eduardum Regem Angliæ pro Ducatu Aquitaniæ fidem non exhibentem manu dominicâ uſus eſt. Si jus Domini ſit dubium, vaſſallus debet deponere.

I. SI vaſſallus intra tempus ſtatutum poſt interpellationem inveſtituram non petierit, & jura debita obtulerit, Domino poſtulante res feudalis ponitur in manu ipſius, ex mandato Regis Litteris Cancellariæ, *Lettres de Terrier*, per Executorem, donec vaſſallus Dominum agnoverit, inveſtituram petierit, & reliqua debita ſolverit, *Boërius in Conſuet. Byturigum, de Feudis.* Idem dicitur de emphyteuta. Eo jure Philippum Valeſium Francorum Regem uſum fuiſſe contra Eduardum Regem Angliæ, quòd pro Ducatu Aquitaniæ fidem non exhiberet, referunt Hiſtorici, *& obſervat Cujacius in librum* 1. *de Feudis, tit.* 21. Et ſi jus Domini ſit dubium, vaſſallus jura petita debet deponere, animo litigandi ut manus injecta levetur, *L. Litibus, C. de agricolis & cenſitis, lib.* 11. Idem dicitur de emphyteuta. Vaſſallus poſt quadraginta dies ab acquiſitione aſſignatur, & mandato Domini ad præſtationem fidelitatis & homagii, ex Conſuetudine Byturigum, *des Coûtumes des Fiefs,* §. 13. & eo non comparente poſt iteratam monitionem res ponitur in manu Domini, ex mandato Regis, *Lettres de Terrier*, & executiones mandati *& ſaiſine* intimantur vaſſallo, ut ſe redimat ſi velit, Conſ. Tur. *tit. des droits de baſſe Iuſtice, c.* 17. Si vaſſallus intra triginta annos rem prehenſam non redimat, inveſtituram petat, & jura debita ſolvat, Dominus præſcribit contra ipſum utile dominium, ex Conſuetudine Byturigum, *ch. des Coûtumes des Fiefs,* §. *finali, & Conſ. Turon. des droits de baſſe Iuſtice, c.* 70. Ante quadraginta dies vaſſallus non cogitur inveſtituram petere, ex Conſuetudine Turon. *des droits de baſſe Juſtice, art.* 2.

TITULUS IX.

An Dominus fructus rei Feudalis prehensæ faciat suos.

SUMMARIUM.

I. Dominus non facit fructus suos rei feudalis prehensæ nisi post secundum præceptum. Si Dominus non doceat de jure suo manus injecta levatur. Si res prehensa perierit in manu Domini, an teneatur.

II. Dominus emphyteuticus non facit fructus suos rei prehensæ. Pro laudimio non fit manus injectio.

III. Oppositio vassalli vel emphyteutæ suspendit executionem Domini, & pecuniâ depositâ res relaxatur. Executio quæ sit pro Rege pecuniâ depositâ non retardatur.

I. QUANDO res feudalis est in manu Domini, pignoris gratiâ esse intelligitur, ut debitor tædio affectus eum recognoscat, fidem exhibeat, & jura debita solvat; tamen Dominus feudalis facit fructus suos; sed sumptus & expensas quas fecit vassallus pro cultura ei restituere tenetur, ex Consuetudine Aurelianensi, *de Feudis*, *c.* 74. & Turon. *des droits de basse Justice*, *c.* 22. nec usucapit nisi ob contumaciam vassalli post secundum præceptum de solvendo & recognoscendo, *Papon lib.* 13. *Arrest. tit.* 2. *n.* 14. Et si reus opponat pignorationi, & Dominus non doceat de jure suo, manus injecta levatur, res relaxatur, & Dominus prætensus fructus restituere tenetur, & præstare id quod interest opponentis: si res ea perierit in manu Domini, & justa esset prehensio, Dominus tenetur solùm de dolo & culpa, *L. Quæ fortuitis*, *C. de pignorat. act.* Si verò prehensio esset injusta, tenetur de omni culpa & casu, ob culpam in executione & prehensione commissam, *L. Si ut certo*, §. 4. *ff. Commodati.* Tamen si res eodem casu esset peritura penes opponentem, non tenetur de periculo, nisi mala fide & dolo usus fuerit, vexandi libidine; quo casu incidit in crimen de vi privata, & de omni periculo rei tenetur, *L. Qui furtum*, *ff. de condict. furtiva.*

II. Eodem jure Dominus emphyteuticus uti potest in emphyteutam monitione præmissa: at Dominus emphyteuticus non facit fructus suos, ob contumaciam vassalli, possidet custodiæ causâ, donec emphyteuta tædio affectus solvat, *L. Si is*, *ff. Ut in possessione legatorum servandorum causa esse liceat:* at pro laudimio vel relevio non licet incipere à sequestratione aut prehensione rei oppignoratæ, sed ab actione experiri, *L.* 1. *C. de prohibita sequestratione pecuniæ.*

III. Si executiones hujusmodi fiant pro privato, & opponatur ex parte vassalli vel emphyteutæ, lite pendente, suspenditur executio, & pecuniâ depositâ res relaxatur, ut diximus suprà: at si executio fiat pro Rege, non obstante oppositione & deposito executio continuatur, ne solutio rei fiscalis retardetur, *Molin. in Consuet. Paris. tit.* 2. *de Feudis*, §. 74. *Gloss.* 1. *n.* 116.

TITULUS X.

An Investitura præscribatur.

SUMMARIUM.

I. Post triginta annos possessionis investitura non exigitur à vassallo vel emphyteuta. In re Ecclesiasticâ possessio quadragenaria requiritur. Laudimia & relevia eodem tempore præscribuntur.

I. SI vassallus vel emphyteuta rem possederit ut feudalem, vel emphyteuticariam per triginta annos, & jura debita solverit, censetur investitus ex tacito consensu utriusque vassalli qui solutione & præstatione obsequii eum agnovit ut Dominum, & Domini, qui recipiendo jura sibi debita, eum ut vassallum vel emphyteutam admisit, & post illud tempus vassalli & emphyteutæ non tenentur investituram petere, cùm talis possessio

habeatur pro investitura, *c. Si quis post triginta annos, de Feudis, lib. 2. tit. 26.* Idem dicitur de re Ecclesiæ post possessionem quadragenariam, *Auth. Quas actiones, C. de Sacros. Eccl.* Eodem temporis spatio laudimia & relevia debita Dominis Ecclesiasticis & Laïcis præscribuntur, ut dicemus infrà.

TITULUS XI.

De renovanda Investitura.

SUMMARIUM.

I. Investitura non probatur testibus. Ex quibus causis investitura renovetur.

I. INVESTITURA feudalis & emphyteuticaria non testibus sed Litteris probatur, *L. 1. C. de jure emphyt.* vel Litteris Patentibus Sigillo & subscriptione Principis à quo fit munitis, vel Instrumento publico Notarii, & testium subscriptione vallato, & ex certis casibus renovatur. *Primò*, ob vetustatem primæ investituræ. *Secundò*, ob obscuritatem illius. *Tertiò*, ex consuetudine, vel conventione contentâ in prima investitura, de renovando post primam, secundam vel tertiam generationem. *Quartò*, ob mutationem Domini, vel vassalli aut emphyteutæ, ut tollatur occasio intervertendæ possessionis, successor recognoscat rem moveri à Domino directo, & promittat se soluturum jura debita, *Speculator in §. Sequitur, tit. de locato.*

TITULUS XII.

De recognitionibus Vassalli & Emphyteutæ, & Titulis edendis.

SUMMARIUM.

I. & II. Investitura pendet ex facto Domini, recognitio ex facto vassalli. Cur recognitio exigatur. Quis investituram debeat exhibere.

III. Si Dominus sit fundatus in toto territorio. Quando Dominus præsumitur fundatus in toto.

I. INVESTITURA pendet ex facto Domini, recognitio verò ex facto vassalli asserentis rem feudalem vel emphyteuticariam quam possidet moveri à Domino directo illius sub annuo censu juxta formam investituræ: quæ recognitio exigitur, vel ab ipso accipiente post certa lustra elapsa, vel à novo possessore, ne possessio intervertatur, ut diximus suprà: & quoniam recognitio debet fieri juxta formam investituræ, quæritur quis eam debeat exhibere; respondetur quòd si Dominus sit fundatus in toto territorio, non tenetur edere vassallo titulum prioris investituræ: nam omnia prædia in eo sita præsumuntur pendere à Domino directo illius. At vassalli ex mandato Regis contento in Litteris Cancellariæ à Domino obtentis edere jubentur intra certum tempus Domino declarationem & dinumerationem prædiorum quæ possident in illo territorio, in scriptis: & si prætendant ex illis prædiis quædam esse exempta, jubentur edere titulos exemptionis, alioquin præsumitur pro Domino, & res ponitur in manu illius, ut dictum est suprà, *Mathæus de Afflictis decis. 265. n. 86. Imbertus Instit. For. lib. 1. c. 19.* Quæ declaratio edita in scriptis Domino, tametsi vitiosa sit aut erronea, impedit injectionem manûs, & à vassallo mutari & corrigi potest, *Sanson in Cons. Turon. tit. des droits de basse Justice, art. 2.*

II. Si plures sint Domini fundi divisi, singulis separatim fit declaratio prædiorum ad unumquemque eorum pertinentium: si verò Feudum sit indivisum, recognitio facta alteri illorum sufficit, ut solutio facta uni ex pluribus reis stipulandi liberat debitorem, *L. 2. ff. de duobus reis, Molin. in Cons. Paris. de Feudis, Gloss. 4. §. 43.*

III. Si dubitetur de territorio, an Dominus sit fundatus in toto, inspici debet tenor primæ investituræ, quâ constat de limitibus territorii, quam Dominus debet exhibere,

vel jurare se non habere, nec dolo desiisse habere, vel tenor recognitionum antiquarum, *Speculator in verb. Emphyteusis, tit. de locatione* : si neque exhibeantur recognitiones antiquæ, videndum est an cætera prædia territorii ejus dominio directo sint submissa, & an ille sit in possessione terræ sterilis & desertæ territorii; quæ si ita sint, præsumitur Dominus directus in toto territorio, *Argentarius in Consuet. Britann. des appropriances, art.* 277.

TITULUS XIII.

An una sola Recognitio Tituli vim habeat.

SUMMARIUM.

I. Unica recognitio tituli vim non habet, nisi in eâ investitura fuerit exhibita. Recognitio facta per modum transactionis tituli vim habet.

II. Recognitio facta per errorem, probato errore retractatur.

I. SI recognitio facta sit juxta titulum investituræ exhibitæ, & enuntiatæ in Instrumento, tituli vim habet: nam verba enuntiativa probant inter partes ad effectum de quo principaliter agitur, *L. Cùm aliquis, C. de jure deliberandi, & c. Illud, de præsumpt.* Idem dicitur de recognitione factâ per modum transactionis super lite motâ vel movendâ: nam talis recognitio fit causaliter, sive inter partes, sive earum Procuratores speciale mandatum habentes.

II. At si recognitio facta fuerit per errorem de prædio allodiali pro feudali, vel censu majori aut minori, relativè ad investituram, aut recognitiones priores non visas nec exhibitas, non obest recognoscenti, nec in possessorio, nec in petitorio, quominùs probato errore à novo gravamine liberetur: nam talis recognitio facta censetur conditionaliter, si investituræ aut prioribus recognitionibus sit conformis, & probato errore ex ipsa investitura, vel prioribus recognitionibus debet reformari, *L. Qui rem, & L. Ad probationem, C. Locati, Baldus Cons.* 375. *Castrensis Cons.* 191. *Decius Cons.* 184.

TITULUS XIV.

An Dominus Emphyteuticarius Titulum Investituræ aut priores recognitiones debeat exhibere.

SUMMARIUM.

I. Cùm de re sita in loco allodiali agitur, Dominus emphyteuticarius debet exhibere emphyteutæ investituram, aut priores recognitiones. Duæ recognitiones probant investituram. Una recognitio antiqua junctâ possessione sufficit.

II. Ut probetur possessio. Declaratio venditoris non sufficit.

I. CUM verò Dominus emphyteuticarius petit recognitionem ab emphyteutâ prædii siti in loco allodiali franco & libero, tenetur edere Instrumentum inuestituræ, nam pro libertate præsumitur: si non habeat Instrumentum investituræ, jurare tenetur se non habere, nec dolo desiisse habere, & eam probare per recognitiones subsecutas. Duæ recognitiones probant investituram, & una recognitio non sufficit, nisi illa facta sit causaliter per modum transactionis, aut juxta tenorem investituræ exhibitæ & enuntiatæ in ea, ut diximus suprà, aut recognitio sit antiqua, & firmata possessione longissimi temporis, scilicet triginta annorum, si res sit Laïcalis, & quadraginta si sit Ecclesiæ: sola antiquitas recognitionis sine possessione non probat investituram.

II. Possessio verò probatur ex solutione censûs annui, laudimiorum, & relevionum, cui fini reus tenetur exhibere apocas solutionis censûs, vel jurare se non habere, nec dolo desiisse habere, & eo negante creditur Libris censualibus Domini in forma probante descriptis, maximè si de re Ecclesiæ aut Universitatis agatur, *Felinus, Speculator, &*

alii citati à Molineo, in Consuet. Par. tit. de Feudis, §. 8. *num.* 89. & solutio facta ab extraneo etiam prodest, *L. Forma*, §. *Si cùm ego*, *ff. de censib. Romanus cons.* 103. Tamen declaratio venditoris asserentis rem liberam esse servilem, non nocet, quia alteri per alterum non acquiritur actio, *Guid. Pap. q.* 34. *Benedictus in c. Raynutius*, *verb. & uxorem*, *n.* 444. *Rebuff. in Tract. de constitutione reditûs*, *art.* 2. *Gl. un. art.* 2. Ratio casûs istius à præcedenti est diversa: nam extraneus admittitur ad solvendum pro alio, §. 1. *Inst. de solut.* & solvit ex mandato expresso vel tacito debitoris, nisi constet de dolo solventis.

TITULUS XV.

An Exemplum Investituræ vel Recognitionis probet.

SUMMARIUM.

I. Quando exemplum probet, vel non.
II. Libri privatorum probant contra scribentem. Libris Trapezitarum & Nummulariorum fides adhibetur. Libris Mercatorum quando fides sit adhibenda.
III. Exemplum Instrumenti antiquum probat. Quando Instrumentum dicatur antiquum. In Instrumentis novis forma desideratur, in antiquis suppletur. An verba enuntiativa in Instrumentis probent.

I. EXEMPLUM investituræ vel recognitionis non probat, nisi ex decreto Judicis fuerit transcriptum vocatâ parte, cum designatione loci & temporis, sive ex Libris Ecclesiæ, Universitatis vel Notarii sit transcribendum, *Auth. Si quis in aliquo*, *C. de edendo*, *Masuer. tit. de locato*, *lib.* 2.

II. Libri privatorum contra scribentem probant, non pro scribente, *L. Publia*, *ff. Depositi*, nisi de natali liberorum agatur, aliove negotio in quo non fit alteri præjudicium. Tamen Libris Trapezitarum & Nummulariorum fides adhibetur, ratione Officii publici, *L. Quædam*, *ff. de edendo.* Libris Mercatorum & Pharmacopolarum fides etiam adhibetur, si sint vitæ probæ, si res sit verisimilis, si vendita & recepta seriatim sint descripta, etsi de modica summa agatur, *Gallus* 3. *observat.* 2. *n.* 4.

III. Verùm exemplum Instrumenti antiquum probat, si originale sit amissum, incendio deprædatione hostium, aliove casu, tametsi illud vetustate temporis ex parte sit comsumptum, vel à muribus corrosum, *L.* 1. §. *Si rosæ*, *ff. de bon. poss. secundum Tabulas*, *c. ult. de fide instr.* Sed, ut suprà dictum est, sola antiquitas sine possessione non prodest probatio enim ex possessione eruitur, & tituli antiquitate firmatur. Antiquum Instrumentum dicitur si excedat triginta annos, *Molin. in Cons. Par. tit.* 1. §. 8. *n.* 82. Novum verò si sit infra, nam tempus triginta vel quadraginta annorum dicitur longissimum, & meta actionum. Alia est differentia: in Instrumentis novis solita forma desideratur Lege vel Stylo præscripta, & solemnitas requisita non præsumitur præcessisse, nisi fuerit enuntiata, & verba enuntiativa in illis apposita non probant, nisi inter ipsos contrahentes, ad effectum de quo principaliter agitur in ipso Instrumento, ad alios effectus non probant, tamen præsumptionem faciunt: at in Instrumentis antiquis fides habita de illis in temporis decursu supplet defectum formæ, vel si in publicis Archivis illa reperta sint, nisi constet de vitioso principio, aut Instrumentum sit prorsus informe, solemnitas actûs in illis enuntiati præsumitur præcessisse, & verba enuntiativa Instrumenti non solùm probant ad effectum de quo principaliter actum fuit, sed etiam ad alios effectus, si de modico præjudicio agatur, *Jason*, *Decius*, *quos refert Molin. ad L.* 2. *C. de edendo.*

TITULUS XVI.

An Jus Feudale vel Emphyteuticum præscribatur.

SUMMARIUM.

I. Per præscriptionem dominium directum & jura dominica in re alterius allodiali & liberâ acquiri possunt.

II. In præscriptione possessio tricenaria cum titulo & bonâ fide sufficit. In præscriptione subducuntur legitima impedimenta.

III. Tertius possessor præscribit contra Dominum & vassallum. Præscriptio patrona generis humani.

IV. Ecclesiæ gaudent præscriptione centum annorum. Idem dicitur de fisco, & rebus Universitatis.

AUT quæritur an non Dominus præscribere possit dominium directum feudale vel emphyteuticum in re allodiali & liberâ alterius : aut quæritur an vassallus vel emphyteuta præscriptione possit submovere Dominum directum.

I. Si primum, respondetur Dominium directum in re liberâ alterius possessione triginta annorum cum titulo & bonâ fide acquiri posse: sicut enim usucapione plenum Dominium rei alienæ acquiri potest, & servitutes in re alienâ acquiruntur usu; sic Dominium directum & alia jura dominica quæ servitutes sunt acquiri possunt per continuationem possessionis legitimi temporis, cum titulo & bonâ fide, *c. Si quis per triginta annos, si de Feudo fuerit controversia inter Dominum & vassallum, Boërius in Cons. Biturigum, des Coûtumes, touchant prescription*, §. 2. Titulus censetur efficax, modò contrarius non sit possessioni, & constituat possessorem in bonâ fide existimantem se Dominum directum rei, & jura ea sibi deberi, ex emptione, legato, vel donatione, & traditione facta ab eo quem putabat Dominum, qui tamen non erat Dominus : nam hujusmodi tituli causant bonam fidem, & præscriptionem, tametsi non transferant Dominium ab initio, ob defectum juris alienatoris, §. 1. *Instit. de usucap. & L. Quod vulgo, ff. de usucap. pro emptore*: & si titulus desit, possessio præscribentis probata recognitionibus vassalli vel emphyteutæ, modò præscribens sit in bona fide, & vassallus vel emphyteuta solvat, aut præstet jura debita ut vassallus vel emphyteuta, sufficit, *Petrus Jacobi in tit. de forma libelli emphyteutici.*

II. Tempus præscriptionis triginta annorum est, quod visum fuit sufficere rerum Dominis ad res suas vindicandas. Jure Civili in usucapione rerum mobilium triennium sufficit, & in usucapione rerum immobilium decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes desideratur, §. 1. *Inst. de usucap.* Jure Authenticorum in usucapione rerum immobilium præscriptio triginta annorum requiritur, ad tollendam actionem, & demendam suspicionem malæ fidei, *Authent. Nisi tricennale, C. de bonis maternis*: ex quo subducuntur legitima impedimenta, quibus agere non licuit, ætatis pupillaris, minorum viginti quinque annis, patriæ potestatis, captivitatis, absentiæ, belli, pestis, vacationis Ecclesiæ, & vitæ alienatoris, si de re Ecclesiæ aut Universitatis agatur : in quibus casibus præscriptio non currit cum effectu, aut subvenitur per restitutionem in integrum: moribus nostris Litteris Cancellariæ opus est restitutionis in integrum adversus lapsum temporis, nisi Edicto generali singulis provisum fuerit, ob bella aut pestem, aliave publica impedimenta.

III. Eodem tempore contra Dominum directum tertius præscribere potest cum titulo & bona fide, si vassallus vel emphyteuta eum agnoverit ut Dominum, eique jura debita solverit, subductis legitimis impedimentis, ut dictum est suprà, ut lites præscindantur præcriptionis hujus adminiculo, quam Cassiodorus appellat patronam generis humani.

IV. At contra Ecclesiam præscriptio quadragenaria requiritur, subductis legitimis impedimentis, *Authent. Quas actiones, C. de Sacros. Eccl.* & subducto tempore quo Rector Ecclesiæ supervixit post conventionem vel transactionem Ecclesiæ damnosam, & neglectum curæ rei Ecclesiasticæ, *c. Sine exceptionis, & c. Si Sacerdotes 16. q. 3.* Et si titulus desit præscribenti, vindicatio rei Ecclesiasticæ non præscribitur nisi spatio centum annorum, quæ præscriptio tituli vim habet, *L. Hoc jure*, §. *Ductus aquæ, ff. de*

aqua quot. & æst. juxta Nov. ut Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione; quæ non solùm scripta fuit pro Ecclesia Romana, sed etiam pro cæteris Ecclesiis totius Occidentis, ratione Juris Communis id exigente, quo vindicatio rei Ecclesiasticæ nullâ temporis præscriptione submoveri potest, *L. 1. C. Ne rei dominicæ vel Templorum vindicatio ulla temporis præsc. subm.* Tamen præscriptio centum annorum excipitur, & pro titulo habetur. Hoc Jure utimur tùm pro rebus Ecclesiæ, tùm pro rebus fisci & Universitatum, ob vicissitudinem, & neglectum Rectorum & Prælatorum, *Loiseau tit. des Seigneuries, c. 4. Claperius, c. 22. q. 2.*

TITULUS XVII.

An Vassallus vel Emphyteuta præscribat liberationem contra Dominum.

SUMMARIUM.

I. Vassalli & emphyteutæ, præscribere non possunt contra Dominum.

II. III. & IV. Vassalli & emphyteutæ præscribunt à die interversæ possessionis. Quando possessio dicatur interversa. Si res servilis ut libera vænierit in loco allodiali. Si res vænierit ut libera, si libera, ut servilis, si servilis.

V. Si res sita sit in loco servili emptor non potest causare ignorantiam.

I. SI verò quæratur an vassallus vel emphyteuta præscribere possit contra Dominum, respondetur negativè: nam in usucapione & præscriptione possessio civilis requiritur, ut præambula Dominii, quæ non sit contraria præscriptioni: vassalli autem & emphyteutæ possessionem naturalem habent ut faciant fructus suos, & de re disponant salvo jure Domini directi cujus nomine possident, quæ possessio est contraria possessioni: & ipse Dominus possidet per vassallum & emphyteutam civiliter, jus quod habet conservat, & impedit præscriptionem vassalli vel emphyteutæ, & suorum hæredum, in quibus eadem possessio continuatur cum suo onere, & cum sua causa, *L. Comperit, C. de præscr. 30. ann.* & ita observatur in Gallia, *ex Const. Aurel. art. 4.* juxta consuetudinem generalem, *le mort saisit le vif*, sive sit hæres suus, sive extraneus, sive de re fisci, Ecclesiæ vel Universitatis agatur, sive de re privatorum, *Boërius in Cons. Byturigum, ch. des Coûtumes touchant prescription, §. 2. Faber C. de præscr. 30. vel 40. ann. def. 22. Loëtius litt. C. n. 21.*

II. At si possessio illa fuerit interversa, seu si vassallus vel emphyteuta cœperit possidere civiliter nomine proprio, ab eo tempore præscriptio incipit currere contra Dominum negligentem petere à vassallo vel emphyteutâ recognitionem, & jura sibi debita; possessio dicitur interversa, non si vassallus vel emphyteuta constituat apud se rem eam possidere nomine proprio, ut liberam à jure vassallagii, vel emphyteutico: nam causam possessionis nemo sibi mutare potest, *L. Quod vulgo, ff. Pro emptore*, & possessio clandestina non obest Domino; nec si hæres succedat vassallo vel emphyteutæ: nam hæres succedit in idem jus, possessio continuatur in eo, & Jure Canonico mala fides defuncti simul continuari præsumitur in hærede: nec dicitur interversa possessio per cessationem vassalli vel emphyteutæ à solutione juris laudimialis vel censualis: nam hæc jura sunt accessoria Dominii directi, & principale non regitur ab accessorio. At possessio intervertitur si vassallus vel emphyteuta requisitus à Domino de recognitione negaverit, asserendo fundum esse francum & liberum, eumque recognoscere noluerit, *L. Quod vulgo, ff. Pro emptore*, sive in Judicio sive extra negaverit, ab eo tempore incipit liberè possidere & præscribere: vel si vassallus prædium servile situm in loco allodiali vendiderit ut francum & liberum emptori, qui bonâ fide secutus est fidem venditoris, tametsi venditor sciat esse servile: nam mala fides vassalli vel emphyteutæ non nocet emptori, aliive successori particulari ex causa onerosa, *L. Apud Celsum, §. Si quis autem, ff. de doli exc. Dyn. in reg. possessor, ff. de reg. jur.* secùs si venditor prædium servile vendiderit ut liberum, si liberum, vel servile si servile sit: nam talis assertio dubia dubium facit emptorem, ne possessionem intervertat, & præscribat contra Dominum, quia possidet cum formidine; ut judicatum fuit pro Rectore Capellaniæ Arelatanæ, contra emptorem, *Arresto 19. Novembris anno 1644.*

III. Si rei poſſeſſio interverſa ſit, ut diximus ſuprà, ſucceſſor particularis bonæ fidei ex cauſa oneroſa præſcribit contra Dominum directum ſpatio triginta annorum, ſi Dominus ſit Laïcus à die interverſionis, & quadraginta annis ſi ſit Eccleſiaſticus: ita judicatum fuit contra Archiepiſcopum Arelatanum petentem novam recognitionem ab emptore prædii emphyteutici ſiti in loco allodiali, quod emptor bonæ fidei emerat ut francum & liberum, & à quadraginta annis poſſidebat, *Arreſto* 13. *Decembris anno* 1624. Idem judicatum fuit alio Arreſto in caſu ſimili, contra Oeconomum Monaſterii Sancti Bartholomæi iſtius Civitatis, *Arreſto Novemb.* 1649.

IV. At ſucceſſor particularis ex cauſa lucrativa, donatarius vel legatarius, à poſſeſſore malæ fidei ſciente rem eſſe feudalem aut emphyteuticariam, & in donatione vel legato affirmante rem eam eſſe francam & liberam, eadem exceptione doli repellitur, quâ ſuus author repelleretur, *L. Apud Celſum, §. Si quis autem, ff. de doli exc.* Nihilominùs etiam donatarium & legatarium rem hujuſmodi accipientem ut francam & liberam, & bonâ fide poſſidentem, præſcriptione triginta aut quadraginta annorum uti poſſe contra Dominum directum, exiſtimarem: nam mutatur rei poſſeſſio, donatarius vel legatarius bonâ fide poſſidet cum affectu Dominii: præſcriptio eſt exceptio Juris, non ex facto authoris; ergo eo remedio uti poteſt, ſive cauſam habeat ab eo ex cauſa oneroſa, ſive ex cauſa lucrativa: utroque enim caſu mutatur rei poſſeſſio cum affectu Dominii, tametſi cauſa ſit diverſa.

V. Verùm ſi vaſſallus vel emphyteuta vendiderit rem eam ut liberam, vel donaverit aut legaverit, & res ea ſita ſit in loco feudali cujus Dominus fundatus eſt in toto territorio, emptor aut donatarius præſcriptionem allegare non poteſt contra Dominum: nam cùm ſciat locum eſſe ſervilem, cauſare non poteſt ignorantiam ſervitutis rei emptæ vel donatæ quam accepit ut liberam; cumque nullam habeat juſtam cauſam erroris, poſſeſſionem rei intervertere non poteſt, nec præſcribere, niſi author haberet aliquem titulum exemptionis, quo ſucceſſor motus fuerit ad credendum fundum eſſe liberum.

LIBER III.

DE CENSIBUS, OBSEQUIIS, ET OPERIS DEBITIS.

TITULUS PRIMUS.

De Censibus.

SUMMARIUM.

I. Quid sit Census. Liber censualis. Censitores.

I. QUONIAM in Feudo & Emphyteusi Census imponi solet, aut operæ promittuntur, de iis agendum nobis est. Census propriè dicitur Liber Censualis, ἀπογραφὴ τῆς οὐσίας, descriptio substantiæ, seu bonorum censitorum, in Græco Glossario, Libro æstimi, apud nos *Cadastre*; aut descriptio capitum pro quibus tributum debetur: quod in Evangelio Divi Mathæi dicitur κῆνσος seu census, à Latinis mutuato vocabulo; in Evangelio Divi Lucæ est φόρος, seu tributum fisco debitum ratione bonorum, vel personarum: & Censitores in veteri ethymologico Censitores, peræquatores, & agrimensores dicuntur, τὴν γὴν μετρῶντες, mensurantes, & æstimantes.

TITULUS II.

Species Censûs.

SUMMARIUM.

I. Census publicus & privatus. Taille *Græcum vocabulum. Census privatus, alius feudalis, alius emphyteuticus, alius simplex. Census simplex vel fundiarius, vel impositivius, vel emptitius. Solarium quid sit.*

I. ALIUS est Census publicus Principi vel Reipublicæ debitus, à Græcis τελέσιος dictus, undè fortè nomen *Taille* apud nos derivatur; veteres enim in hac Provincia sermone Græco in Actis publicis utebantur, ut de Massilienſibus refert Strabo *lib.* 4. Alius est Census privatus, qui duplex est, feudalis vel emphyteuticus, quem Dominus sibi reservat in investitura; & Census simplex, qui rursus duplex est, fundiarius quem Dominus sibi reservat in fundo, pleno dominio translato in emptorem: solarium dicitur à Symmacho, *Ep. lib.* 4. *& in L. Cùm servus*, §. 5. *ff. de leg.* 1. & fundus emptitius quem emptor emit pretio constituto à venditore perpetuò solvendum, certo fundo oppignorato emptori pro solutione Censûs annuâ, cum clausulis constituti & precarii, & pacto de non alienando: addunt etiam Notarii clausulam translationis dominii directi, quæ supervacua est, & contraria contractui, in quo agitur de sola venditione Censûs,

&

& poſſeſſorem rei non obligat ad recognitionem, & ſolutionem juris laudimialis aut relevii, ut notabitur infrà.

TITULUS III.

Ut probetur qualitas Censûs.

SUMMARIUM.

I. Ut Cenſus probetur feudalis vel emphyteuticus.

II. Ut Cenſus probetur emptitius. Quid in dubio ſit ſentiendum.

I. CENSUS probatur feudalis vel emphyteuticus, ex inveſtitura, aut novis recognitionibus, vel ex ſolutione laudimii aut relevii, vel ex tenuitate Censûs: nam in feudo vel emphyteuſi non tàm ſpectatur Cenſus quàm jura laudimii vel relevii debita ex mutatione manûs, quæ creſcunt ex æſtimatione valoris rei feudalis aut emphyteuticariæ, quæ fit melior vel utilior labore, vel ſumptibus accipientis aut Beneficio temporis, & cætera commoda quæ reſervantur danti in inveſtitura, quæ omnia ſunt velut pretium inveſtituræ; & interdùm cenſus non reſervatur: nam reſervatio Censûs exigui non fit, niſi ad majorem probationem, & conſervationem dominii directi, ne poſſeſſio intervertatur.

II. At ſi Cenſus ſit conſtitutus ad modum reditûs annui rei traditæ, vel legitimarum uſurarum pretii ejuſdem rei, tunc præſumendum eſt alio non apparente Cenſum fuiſſe emptum, pretio conſtituto, vel impoſitum pro mercede, locatione perpetuâ. Et in dubio quod minimum eſt ſequimur, potiùs ad liberandum poſſeſſorem quàm ad obligandum, *L. Arrianus, ff. de action. & obl.* Cenſus potiùs præſumitur emptus quàm fundiarius, nam emptus redimibilis eſt, fundiarius verò non: potiùs fundiarius ſimpliciter ſine reſervatione Dominii directi, quàm feudalis vel emphyteuticus, & potiùs emphyteuticus quàm feudalis: nam feudalis eſt oneroſior quàm emphyteuticus, & Cenſus emphyteuticus quàm impoſitus, & impoſitus quàm emptus.

TITULUS IV.

In quibus Cenſus fundiarius & conſtitutus conveniant & differant.

SUMMARIUM.

I. Cenſus feudalis & emphyteuticus debet deferri ad domum Domini. Dominus non cogitur recipere ſolutionem Censûs niſi ab ipſo debitore. Creditor Censûs conſtituti debet adire debitorem. Quâ monetâ Cenſus ſit ſolvendus.

II. Cenſus fundiarius non poteſt redimi. Quando poteſt redimi.

III. Cenſus emptus eſt redimibilis niſi ſit amortiſatus.

IV. Emptor Censûs non poteſt ſortem repetere.

V. Debitor censûs fundiarii convenitur pro reliquis triginta annorum, aut quadraginta. Debitor censûs empti non poteſt conveniri niſi pro reliquis quinque annorum.

VI. An debitor censûs poſsit ſolvere in futurum.

VII. Cenſus emptus non poteſt excedere legitimum modum uſurarum.

VIII. In obligationibus perpetuis obligatio ad carceres non valet.

I. SI reditus ſit feudalis vel emphyteuticus, debet deferri ad domum Domini expenſis vaſſalli vel emphyteutæ tempore conſtituto, *Guid. Pap. & ibi Ferrerius, q.* 124. & Dominus non tenetur recipere niſi ab eo aut ejus Procuratore, ne poſſeſſio intervertatur, *Hypolitus de Marſiliis in Singularib. n.* 168. *Jaſon in L.* 3. *C. de jure emphyt. q.* 26. Si plura ſint domicilia Domini, in loco à quo Feudum movetur, ſi locus ſit incertus electio eſt vaſſalli, *Mol. in Conſ. Par.* §. 63. *Gl.* 1. Si verò Cenſus ſit conſtitutus, aut impoſitus, venditione, legato, vel donatione, creditor adire debet debitorem, *Mo-*

lin. loco cit. Si Census pecuniâ solvi debeat, cujuscumque generis sit, solvitur monetâ valoris currentis tempore solutionis, *Joannes Gallus q.* 302. nisi partes aliter convenerint.

II. Si Census sit fundiarius, ex Feudo, emphyteusi, vel locatione perpetuâ, non potest redimi, debitor debet solvere, aut solo cedere, nisi aliud conventum fuerit: verùm sicut mutatâ domini personâ in minorem vassallus potest se redimere, ut dicemus infrà: sic in Censu simplici mutatâ personâ creditoris, cessione ex causa venditionis aut donationis, liberum est debitori censito se redimere intra mensem oblato pretio emptionis, & justis expensis, ne invitus obligetur alteri de quo non cogitavit, Statuto hujus Provinciæ.

III. At si Census sit emptus, semper redimibilis est, oblatâ restitutione pretii, & justis expensis, nullâ præscriptione obstante, aut pacto de non redimendo appositio, *Molin. de usur. q.* 15. *&* 50. nam in æternum nulla coïtio est, *l. In æternum, ff. pro socio, Bald. cons.* 487. *Imola cons.* 25. *Guid. Pap. q.* 77. & ita cavetur Constitutione Gallicâ *anni* 1539. Est enim mutuum palliatum, in quo creditor se privat libertate repetendi sortem, & debitor Censum annuum promittit pro eo quod interest creditoris, retentâ facultate redimendi Censum solutione sortis.

IV. Contractus Censûs venditi claudicat: etenim venditori licet se redimere restituendo pretium & justos sumptus, ut jam diximus: & emptori non licet à contractu recedere, & pretium seu sortem Censûs repetere, *l. Non donationis, C. de contrah. empt.* tametsi venditor Censûs labatur facultatibus, quoniam de natura hujus contractûs est quòd omnis sors alienetur, sine spe restitutionis, & Census imponatur super certo fundo oppignorato emptori cum pacto constituti, precarii, & de non alienando, quo diruto cassinate vel inundatione, venditor non tenetur novas hypothecas submittere, aut fidejussores dare, *Extrav. regimini, de empt. & vend. Molin. de usuris, q.* 8. ad coërcendam materiam fœnerandi; tamen in generali distributione bonorum ob debitoris inopiam creditor potest sortem repetere: est enim species societatis, & publicatione aut cessione bonorum societas finitur, §. *Publicatione, Inst. de societate.*

V. Præterea si Census sit fundiarius, & debitor non solverit, conveniri potest pro reliquis debitis non excedentibus annos viginti novem, si Census sit Laïcalis; & triginta novem si sit Ecclesiasticus: nam reliqua temporis anteacti censentur præscripta triginta annis contra Laïcos, & quadraginta contra Ecclesiam, *l. Cùm notissimi, C. de præsc.* 30. *an. Auth. quas actiones, C. de Sacros. Eccl.* At si Census sit emptus constituto pretio, debitor potest conveniri pro reliquis quinque annorum ante petitionem decursorum, & cætera temporis longioris censentur præscripta, ex Constitutione Ludovici XII. æquo sanè jure; nam Census hujusmodi emptitii sapiunt naturam fœnoris, creditor inhians bonis debitoris omittit eum interpellare annuatim, ut solutiones cumulentur, & prædia pretiosa illius ipsi addicantur pro reliquis debitis, ideò libido illius est restringenda. Verùm ab interpellatione factâ ex Judicis mandato, reliqua decursa usque ad annos viginti novem debentur, ut de Censu fundiario diximus.

VI. Si Census sit feudalis vel emphyteuticus, debitor potest solvere pro tribus annis futuris, *l. Placuit, C. de collat. fundi patrimon. lib.* 11. etiam invito domino: si verò Census sit constitutus pretio aut dono, non potest solvere invito creditori, nisi post terminum solutionis; quia tempus censetur adjectum in gratiam creditoris, *Molin. in Consuet. Paris. tit.* 1. §. 85. *Gl.* 1. *n.* 40.

VII. In Censu emptitio spectatur modus legitimus usurarum pretii numerati; & si quid suprà illum modum sit constitutum, Census reducitur si modicus sit excessus, contractu manente: si verò enormis sit excessus, contractus annullatur ut usurarius, & quidquid suprà justum modum solutum fuit extenuat sortem: at Census fundiarius ob enormitatem læsionis non reducitur invito domino, liberum enim est accipienti solvere, vel solo cedere, ut dicemus infrà.

VIII. Conveniunt autem Census fundiarius & constitutus. *Primò*, quòd sint perpetui, & currunt ultra duplum, ad differentiam usurarum, quæ non possunt excedere sortem, nisi placuerit contractum Censûs fundiarii aut constituti fieri ad certum tempus ex placito contrahentium, modò non sit abusus. *Secundò*, sive Census sit fundiarius, sive simplex, ex solutione continuâ, & uniformi trium annorum præcedentium resultante ex tribus apocis publicis aut privatis, debitor liberatur à majori quantitate temporis longioris, *l. Quicumque, C. de apocis, lib.* 10. quæ exceptio etiam obest Ecclesiæ, sive Census

sit publicus, sive privatus, fundiarius tributarius, vel constitutus, *Rota decis.* 304. *in novis: Capella Tolosana decis.* 235. *Tertiò*, in Censu perpetuo, cujuscumque generis sit obligatio ad carceres adjecta, habetur pro non appositâ contractu manente, vitiatur non vitiat, libertatis tuendæ causâ, *l.* 1. *&* 2. *ff. de libero homine exhib. Molin. de usuris*, *q.* 35.

TITULUS V.

Ut Census præscriptione acquiratur vel amittatur.

SUMMARIUM.

I. Annuæ præstationes per decennium continuatæ obligant in futurum. Possessio immemorialis tituli instar est.
II. Quotitas censûs præscribitur.
III. Census feudalis & emphyteuticus non præscribitur.
IV. Census simplex præscribitur.
V. Contra Ecclesiam census præscribitur.
VI. Tertius possessor præscribit contra Ecclesiam. Universitas eodem privilegio utitur quo Ecclesia.
VII. Ut præscriptio censûs interrumpatur. Confessio vel solutio venditoris non nocet tertio possessori in præscriptione.

I. NON solùm census acquiritur per contractum, sed etiam usu & quasi possessione longi vel longissimi temporis. Nam annuæ præstationes ex legitima causa factæ, & per decennium uniformiter continuatæ, obligant in futurum, *l. Cùm de in rem verso, ff. de usuris*, tametsi erratum sit in causa, modò illa sit legitima, seu ex se sufficiens ad illum effectum, & constituendum possessorem in bona fide, tametsi actio civilis ex ea orta exceptione elidi possit: nam si ea causa non sit ejusmodi, non prodest ad præscribendum, *l. Si certis annis*, *C. de pactis*, ubi ex pacto nudo debitor non obligatur civiliter, etiamsi certis annis solverit, quoniam obligatio civilis ex causis civilibus ortum habet: at si ex pacto legitimo non tamen fœneratitio debitor usuras solverit per decennium, obligatur in futurum, tametsi illud pactum exceptione elidi possit, cui debitor solvendo renuntiare videtur, *d. l. Cùm de in rem verso:* sic si debitor ex contractu censuali obligatus in plus solverit minus, vel obligatus in minus plus solverit per decennium, in eandem quantitatem in futurum obligatur, modò illa quantitas legitimum modum usurarum non excedat, *Alexander in d. l. Si certis annis*, *Felinus in c. Causam quæ*, *col.* 3. *de præscr.* Verùm licèt causa legitima non sit, si solutio censûs fuerit continuata à tempore immemoriali, tractu temporis fit legitima, modò non constet de principio vitioso: nam præscriptio tàm longi temporis tituli instar est, *l. Hoc jure*, §. *ductus aquæ*, *ff. de aqua quot. & æst.* & in eâ sufficit præsumptio tituli, *Panormitanus in c. Pervenit*, *de censibus.*

II. Sicut census acquiritur per continuationem possessionis, sic minuitur usu & continuatione solutionis ex aliquo titulo legitimo, tametsi error intervenerit: & si recognitio posterior facta fuerit sub minori censu, & vassallus vel emphyteuta juxta eam recognitionem solverit per decennium bonâ fide, præscribit censum in quotâ, non tenetur de eo quod amplius est in investitura, vel recognitionibus anterioribus, *d. l. Cùm de in rem verso*, *Faber C. de præscr.* 30. *ann. def.* 19. *Loëtius lit. C. n.* 21. aut obligatur in plus in casu opposito.

III. At licèt quota Censûs feudalis vel emphyteutici præscribatur in quota, impræscriptibilis est in totum, ex eorundem Doctorum sententia, & variis Arrestis citatis apud Loëtium, tùm quia census singulis annis renascitur, non præscribitur priùs quàm sit, & cùm est ad triginta vel quadraginta annos producitur, *l. Cùm notissimi*, *C. de præscr.* 30. *ann.* tùm quia census hujusmodi debetur in signum dominii directi, & honoris debiti domino feudali, & jura hujusmodi superioritatis & honoris nunquàm præscribuntur, *c. Comperit*, *C. de præscr.* 30. *ann. Boërius in Consuet. Bytur. des Coût. de la presc.* §. 4. juxta quam Constitutionem Franciscus I. declaravit jura domanialia non subesse præscriptioni centenariæ, Constitutione suâ *mensis Junii anni* 1539. tum quia per recognitiones repetitas vassalli vel emphyteutæ præscriptio interrumpitur, Dominium directum conservatur domino, & principali causâ subsistente, census ab illa dependens simul conservatur, nisi

poſſeſſio fuerit interverſa, ut diximus ſuprà : eo enim caſu necdùm dominium directum, ſed etiam cenſus præſcribitur, ſi cauſa principalis tollatur : *ſuprà tit.* 4.

IV. Alia ratio habenda eſt cenſûs conſtituti ſeu impoſiti ſine reſervatione dominii directi, in quo ſola actio perſonalis & hypothecaria conſideratur, quæ tollitur præſcriptione triginta vel quadraginta annorum à debitore vel ejus hærede à tempore ceſſatæ ſolutionis, *l. cùm notiſsimi, C. de præſc.* 30. *ann.* & à tertio poſſeſſore decennio inter præſentes, & vicennio inter abſentes, *l.* 1. *&* 2. *C. ſi adverſus creditorem præſcriptio opponatur :* nam cùm actio empti vel legati præſcribatur eo temporis lapſu, cur non etiam actio Cenſûs empti vel legati præſcribi poterit ? Tamen ſi cenſus ſit Eccleſiæ venditus aut legatus, debitor non liberatur præſcriptione triginta vel quadraginta annorum, nec tertius poſſeſſor præſcriptione decem aut viginti annorum : nam cenſus Eccleſiæ incorporatus nulla temporis præſcriptione amittitur, *l.* 1. *C. ne rei dom. vel Templ. vind. ulla temp. præſcr. ſubmov.* Sic judicatum fuit pro Franciſco de Paula Equite Sancti Joannis Hieroſolymitani petente ſolutionem cenſûs conſtituti annui contra dominum du Canet opponentem præſcriptionem quadragenariam, *Arreſto menſis Junii anni* 1617. quo non obſtante præſcriptione oppoſitâ, petitio fuit admiſſa.

V. Tamen cenſus hujuſmodi ſimplices non laudimiales Eccleſiæ aut Monaſterio relicti, vel pretio conſtituti, præſcriptione centenariâ præſcribuntur, *l. ut inter, C. de Sacroſ. Eccl. Nov.* 9. *ut Eccl. Rom. centum ann. gaud. præſcr.* Sic judicatum fuit in cauſa evocata Domini Præſidis de Maniban Tholoſani opponentis præſcriptionem centenariam contra œconomum Monaſterii Sanctæ Claræ petentem cenſum annuum certæ menſuræ vini Monaſterio relictum pro Anniverſario, Arreſto Senatûs hujus Provinciæ, in Auditorio publico, *anno* ni fallor 1618. quo œconomus fuit ſubmotus à petitione ſua, & Dominus Præſes relaxatus, tametſi œconomus opponeret ſervitia Monaſterii præſtita pro anima Fundatricis. Verùm ſi conſtaret de præſtatione ſervitiorum, & notitia hæredum, præſcriptio non admitteretur, *Faber C. de præſcr.* 30. *ann. def.* 20. Cui præſcriptioni lex 1. *C. ne rei domin. vel Templ. vind. &c.* non obeſt : nam præſcriptio hæc habetur pro titulo, tum contra Eccleſiam, & alia loca pia, Monaſteria & Hoſpitalia, tum etiam contra fiſcum & univerſitates, tempus omnia tegit, & oblivioni tradit, χρόνος πάντα καλύπτει τῇ λησμονίᾳ, *Menander.* Inſtrumenta exceptionum proponendarum pereunt in tàm longo temporis decurſu, vel è memoria elabuntur.

VI. Si verò Eccleſia conveniat tertium poſſeſſorem fundi oppignorati pro cenſu non laudimiali, ſolâ actione hypothecariâ eum convenire poteſt pro reliquis ab authore ſuo debitis, rectâ viâ indiſcuſſo principali debitore, in re oppignorata, non in propriis bonis illius ; & hæc actio quæ contra creditorem privatum præſcribitur decem annis inter præſentes & viginti inter abſentes contra Eccleſiam præſcibitur ſpatio quadriginta annorum : eodem jure utuntur cætera loca pia & univerſitates in ſuis rebus vindicandis, intra centum annos admittuntur contra contrahentes & eorum hæredes actione perſonali, & contra tertios poſſeſſores intra quadraginta annos audiuntur, *Auth. quas actiones, ſuprà cit.* Nam cauſa univerſitatum, civitatum & oppidorum, non minùs favorabilis eſt ratione pupillorum, orphanorum, viduarum, & aliarum perſonarum miſerabilium, quàm cauſa Eccleſiæ, & ſubeſt periculo ut cauſa Eccleſiæ, ob commutationem & negligentiam Rectorum, & pari indiget Juris ſuffragio, *l. Reſpublica, C. ex quib. cauſ. maj. in int. reſt. l.* 22. *ff. eod. tit. l. uſucapionem, ff. de uſurp.* ubi ab uſucapione excipiuntur res ſanctæ, & publicæ δημόσιαι, ſeu populicæ, ut legunt Græci.

VII. Per recognitionem aut ſolutionem cenſûs præſcriptio interrumpitur, aut interpellatione factâ in judicio, at lite peremptâ triennali ſilentio, præſcriptio continuatur, ut ſi non fuiſſet interrupta, *ex Conſt. Gall. Roſil.* Recognitio, confeſſio aut ſolutio facta ab ipſo vaſſallo vel emphyteuta, aut debitore cenſuali, poſt venditionem, aut donationem, non nocet emptori, vel donatario bonæ fidei, qui rem acquiſivit ut liberam, ut res inter alios acta alteri nocere nec prodeſſe poteſt, *l. Pomponius, ff. quemadm. uſuſf. amitt.* Sed neque declaratio venditoris in contractu venditionis facit rem ſervilem ſi ſit libera : nam alteri per liberam perſonam non acquiritur actio, *Guid. Pap. q.* 24. niſi conſuetudine nitatur, *l. cenſualis, & ibi Baldus, c. de donationibus.*

TITULUS VI.

Vt tertius poſſeſſor conveniatur pro reliquis Cenſûs.

SUMMARIUM.

I. Tertius poſſeſſor pro reliquis cenſûs poſſeſſionis ſuæ tenetur actione perſonali. Pro reliquis poſſeſsionis ſui authoris tenetur actione hypothecaria.

II. Si ſint plures poſſeſſores rei cenſitæ ſinguli poſſunt in ſolidum conveniri.

I. TERTIUS poſſeſſor convenitur pro cenſu currente, & pro reliquis poſſeſſionis ſuæ: nam poſſeſſio ipſa eum debitorem facit, *l.* 1. *C. ſine cenſu vel reliquis fundum vectigalem comparari non poſſe*, pro quibus fit executio etiam in propriis bonis, niſi bona fides excuſet: nam ſi fundum cenſitum acquiſierit ut liberum, non tenetur actione perſonali in propriis bonis niſi à tempore litis conteſtatæ quâ cognovit eſſe cenſitum: tamen pro reliquis ante litem conteſtatam decurſis, vel ab authore ſuo debitis, actione hypothecaria conveniri poteſt in prædio cenſito, ſive cenſus ſit laudimialis, ſive ſimplex; nam res tranſit cum ſua cauſa, *l.* 1. *C. ſine cenſu*, *&c.* ſive cenſus ſit publicus, ſive privatus, *Bacquet des Juſt. c.* 21. *n.* 199.

II. Et ſi plures ſint poſſeſſores fundi vectigalis ſeu cenſiti, quilibet in ſolidum conveniri poteſt, ſalvo recurſu ſolvendi contra conreos debendi, *Chaſſaneus, & alii quos refert Ferrerius ad Guid. Pap. q.* 43. nam hypotheca eſt indiviſibilis, niſi fuerit diviſa per inveſtituram aut recognitiones ſeparatim factas & admiſſas, *l. Si creditores veſtros*, *C. de pactis.*

TITULUS VII.

De uſuris Cenſûs & Laudimii.

SUMMARIUM.

I. Uſuræ Cenſûs debiti debentur à die petitionis factæ in judicio. Uſuræ laudimii pariter debentur à die petitionis judicialis. Fructuum non debentur uſuræ niſi poſt interpellationem.

I. USURÆ penſionum non dilatarum ex locatione debentur à die moræ, *l. Quæro*, *ff. locati*, *l. Præſes*, *C. eod. l. cùm quidam*, §. *locatio*, *ff. de uſuris.* Attamen variis Arreſtis judicatum fuit uſuras cenſûs debiti non deberi ex contractu cenſuali niſi ab interpellatione facta in judicio, *Arreſto menſis Martii anni* 1604. *&* 12. *Febr. anni* 1638. ob cenſûs modicitatem, ut plurimum eſt, & moram non petentis. Idem judicatum fuit de uſuris laudimii debiti, *Arreſto* 4. *Maii* 1643. nam & cenſus & laudimia ſunt in fructu, & fructuum non debentur uſuræ niſi poſt interpellationem factam in judicio, *l. Neque*, *ff. de uſuris.*

TITULUS VIII.

An contractus cenſualis ob læſionem reſcindatur.

SUMMARIUM.

I. II. & III. Contractus cenſualis ob defectum formæ vel cauſæ nullus eſt, aut reſcindendus. Cenſus laudimialis non reſcinditur ob modicitatem cenſûs. In locatione perpetuâ, lex 2. *C. de reſc. vend. non habet locum.*

IV. & V. Cenſus emptus reſcinditur ſi læſio ſit enormis, & ſi modica ſit reducitur.

VI. Debitori reſciſionem aut reductionem cenſûs petenti non obeſt.

VII. Emptori censûs ob læsionem non subvenitur nisi sit minor.

I. CENSUS laudimialis ob defectum formæ vel causæ requisitæ in contractu, vel nullus est, vel rescindendus Judicis officio, ut constat ex supradictis, de forma contractûs, & causa investituræ: at idem contractus ob modicitatem censûs non rescinditur, nisi de re Ecclesiæ, universitatis aut minoris viginti-quinque annis agatur: nam jura laudimiorum, releviorum, prælationis, in casu alienationis, politiones agrorum, jus commissi, confiscationis in Feudis, obsequia & operæ à vassallo debitæ, sunt pars pretii, & supplent defectum censûs. Investitura feudalis est benevola actio, beneficium dicitur, & interdùm sine censu datur. Investitura emphyteuticaria redolet locationem, non est sine mercede, quæ dicitur canon seu regula præstationis annuæ, at licèt ille canon non commensuretur reditui annuo, valor investituræ cæteris juribus annexis & reservatis domino directo, augetur: ergo regulariter loquendo ob censûs tenuitatem non datur restitutio danti: Lex secunda Codicis de rescindenda venditione hìc non habet locum, nisi in casibus suprà exceptis.

II. Sed neque datur restitutio accipienti, si census excedat duplo justum valorem reditûs annui, ut moderetur, cùm vassallus aut emphyteuta rem dimittendo possit se liberare, ut dicemus infrà, *Molineus ad l. Quibuscumque, C. de Sacrosanct. Eccl.*

III. Dubitatur an dicta Lex secunda, C. de rescind. vendit. locum habeat in locatione perpetua ob læsionem enormissimam; an census augeatur in gratiam dantis, qui modicum censum stipulatus est, vel minuatur in favorem accipientis, qui majorem promisit; etsi locatio venditioni finitima sit, ex communi sententia Doctorum rescindi non potest, ob læsionem enormissimam, ex parte dantis, vel ex parte accipentis, quoniam in ea veniunt fructus, res mobiles & incertæ, de quibus certa non est habenda ratio, ut si quis jactum retis emerit, *l. Si jactum retis, ff. de act. empti*, nisi de re minorum, universitatis aut Ecclesiæ agatur, & forma locationis fuerit omissa; aut conductor errore lapsus fuerit, vel dolo circumventus: ex quibus infertur in locatione perpetua rescisionem non habere locum ob læsionem enormissimam, si forma Juris fuerit observata, sive læsio sit ex parte dantis in tenuitate censûs, sive ex parte accipientis in excessu: sic sentiunt moderni, *Loëtius in lit. B. n. 13. & in lit. L. n. 11. Masuer. Molin. Cujas, Argentarius, & alii quos Brodæus ibi citat*; nisi agatur de re minorum, universitatis, aut Ecclesiæ; quo casu ob læsionem in sexta aut in quarta parte valoris reditûs annui, juxta sensum communem, habitâ æstimatione rei tempore contractûs, locatio perpetua rescinditur nisi conductor supplere malit, juxta Arrestum à Loëtio relatum, *lit. B. n. 13.* intra tempus Juris, nimirùm si de re minorum agatur intra decennium, ex quo majores facti fuerint, si de re Ecclesiæ, intra quadraginta annos, *Authent. quas actiones, C. de Sacrosanct. Eccl.* Eodem jure cætera loca pia & universitates utuntur, ut notavimus suprà, post tempus petendæ restitutionis elapsum non audiuntur de læsione: nec de nullitate tituli post præscriptionem centenariam, ut diximus suprà: tamen accipiens nimis gravatus exoneratur dimissione rei, ut dicemus infrà.

IV. Si verò census fuerit emptus certo pretio, & excedat justum modum legitimarum usurarum, distinguitur: aut enim excessus modicus est, & reducitur ad modum legitimum usurarum obligatione manente: nihil enim citra illum modum Lege præscriptum licet exigere directè vel indirectè, seu ex mutuo vel emptione censûs annui: tamen solutum non repetitur, nec minuit sortem, *Molineus de usuris q. 19.* aut læsio enormissima est, in illo excessu excedens duplo modum legitimum usurarum pretii, & eo casu venditio censûs rescinditur, ut usuraria, obligatio solvitur, & quidquid supra legitimum modum usurarum solutum fuit imputatur in sortem, quam venditor liberatus restituere tenetur emptori, *ex d. l. 2. C. de resc. vend. & Molineo, de usuris, loco citato.*

V. In ratione excessûs censûs venditi certæ speciei, vel quantitatis fructuum, fit æstimatio rei; & si valor excedat modum legitimum usurarum pretii numerati, census reducitur vel extinguitur, habito discrimine excessûs, ne per speciem suppositam frumenti vel olei alteriusve rei fiat fraus Legi prohibitivæ fœnoris, *l. cùm non frumentum, C. de usur.*

VI. Nec obstat debitori rescisionem censûs aut moderationem petenti præscriptio quadriennii aut decennii, longi vel longissimi temporis: nam lex publica semper reclamat, ut improbum fœnus coërceatur, *l. Improbum fœnus, C. ex qu. causis infamia irro-*

getur, & præscriptionem impedit: & quamvis partes de usuris indebitè exactis paciſci possint, contra Legem publicam ire non possunt, ut quod Lege prohibitum est in futurum permittatur, ne detur occasio peccandi, *l. Pacta quæ, C. de pactis, Molin. loco cit. n.* 17. *&* 67.

VII. Emptor verò censûs, qui summam pecuniæ quantitatem numeravit pro censu modico, non restituitur, ut pretium repetat, vel census augeatur: nam ille non certat de damno, sed de minori lucro, sciens emit, dicta lex fuit, & lex 2. *C. de resc. vend.* non favet emptori scienti & volenti, nisi sit minor læsus facilitate sui, vel adversarii dolo, *Mol. de usur. q.* 14. *n.* 142. In istis casibus rescisionem petenti simplex libellus sufficit, non est opus Litteris Regiis rescisionis, aut restitutionis in integrum, cùm Lege publica singulis provisum sit, *ex eodem Molineo, de usuris, q.* 18. *n.* 192.

TITULUS IX.

Vt census venditus redimatur à possessore rei censitæ.

SUMMARIUM.

I. Si non constet de pretio fit æstimatio sortis habitâ ratione reditûs annui. Minor est reditus prædii urbani.

II. Si reditus consistat in fructu, ut fiat æstimatio.

III. Reliqua debita censûs sunt offerenda. An debitor offerre debeat pensionem termini futuri.

I. SUPRA dictum fuit censum venditum redimi posse, hic quæritur quomodo redimatur: si constet de certo pretio census redimitur oblato pretio: si non constet de pretio fit æstimatio sortis, habitâ ratione legitimarum usurarum: ut si census sit nummorum quinque prædii rustici, sors restituenda erit centum: nam reditus prædii rustici est quinque pro centum detractis impensis & oneribus; & quatuor pro centum, si prædium sit urbanum, ob majores expensas requisitas in conservando prædio urbano, & majus periculum incendii vel ruinæ.

II. Si census sit certæ quantitatis, ponderis vel mensuræ fructuum, fit æstimatio fructuum juxta communem valorem, & pretium fructuum reducitur ad legitimum modum usurarum: ex quo colligitur pretium sortis, habito discrimine prædii urbani & rustici, ut suprà diximus, *l. cùm non frumentum, C. de us. Loëtius lit. R. n.* 12.

III. Præter pretium sortis, reliqua præteriti temporis & præsentis debitor offerre debet creditori sumptus quos solvit Notario pro Instrumento emptionis censûs, & emptor ei illud exemplum tradere tenetur, *Molin. de usuris q.* 6. Sed dubitatur an etiam offerre teneatur censum termini futuri: sunt qui affirmant ob indemnitatem emptoris, *Guid. Pap. q.* 27. *Bacquet des Justices, c.* 21. *n.* 203. *& alii.* Negant alii, ob libertatem reservatam venditori ex natura contractûs, *Sanson in Cons. Tur. des retraits art.* 2. cujus sententia magis placet favore libertatis ad debitorem exonerandum, *l. Arrianus, ff. de oblig. & act.* emptor enim potuit eventum hunc prævidere in contractu.

TITULUS X.

De redimendo censu Ecclesiæ debito, & sententiâ Domini de Bellovalle.

SUMMARIUM.

1. Quid cautum fuerit de censibus redimendis sententiâ Domini de Bellovalle. Census laudimiales non sunt redimibiles. In dubio si non constet de titulo census præscripti ante litem motam possessione quinquagenaria censentur laudimiales non redimibiles. Census tenuiores habitâ ratione reditûs annui in dubio censentur emphyteutici non redimibiles.

I. APUD nos ex sententia antiqua Domini de Bellovalle Gubernatoris istius Provinciæ, anni milleſimi quadringenteſimi triceſimi quarti, lata inter Consules & œconomum Capituli Ecclesiæ Cathedralis Sancti Salvatoris, census dictæ Ecclesiæ de-

biti in Civitate & territorio Aquensi redimibiles sunt, sive sint laudimiales, sive simplices: exceptis censibus laudimialibus antiqui dominii ejusdem Ecclesiæ à quinquaginta annis ante dictam Sententiam quæsitis: voluit enim dictus Dominus census antiqui dominii ejusdem Ecclesiæ conservare, & novos extinguere, cùm videret majorem partem prædiorum hujus Civitatis censibus Ecclesiasticis prægravari, in præjudicium rei fiscalis; nam præter fundationes Laïcorum pro Anniversariis, quorum pietas major erat illis temporibus, singuli Canonici ejusdem Ecclesiæ tenebantur Capellaniam fundare pro servitio illius, ex Statuto, & in emptionibus censuum etiam apponebantur clausulæ translationis dominii directi & juris laudimialis in gratiam emptorum, ut fortior esset obligatio, licèt inutiliter id fieret contra naturam contractûs, ut ostendimus suprà. Ea videtur fuisse mens illius Sententiæ, quæ tamen aliter explicatur, ut constat ex variis Arrestis relatis in novo Commento Statutorum istius Provinciæ; videlicet si constet de censu laudimiali & emphyteutico ante vel post illam sententiam quæsito, talis census non potest redimi, ne recedatur à lege investituræ, debitor debet solvere, aut solo cedere: & si non constet de contractu emphyteusis, unica recognitio præscripta spatio quinquaginta annorum, ante instantiam motam, junctâ possessione, probatâ solutione censûs aut laudimii, pro titulo emphyteutico habetur, idem servatur si census sit tenuis habito respectu reditûs annui prædii censiti, tametsi recognitio non sit antiqua, & quinquagenaria, ut observat Scholiastes Statuti; nam censûs tenuitas arguit retentionem Dominii directi: Si verò recognitio non sit quinquagenaria, & census conveniat mercedi fundi, census judicatur simplex & redimibilis. Sic judicatum fuit inter Consules hujus Civitatis, & œconomum præfatæ Ecclesiæ, in causa evocata, *Arresto Senatûs Tholosani anno* 1644. Idem servatur in censibus cæterarum Ecclesiarum.

TITULUS XI.

An debitor liberetur dimissione rei censitæ.

SUMMARIUM.

I. Debitor censûs fundiarii liberatur dimissione fundi. Species servitutis hominem in perpetuum obligari.
II. Pactum de non dimittendo non valet. Venditor censûs an liberetur.
III. Quæ sint à debitore præstanda in dimissione.
IV. Quæ tertius possessor præstare debeat.
V. An Dominus impensas debeat præstare.

I. SIVE census sit laudimialis feudalis, emphyteuticus vel impositus, ex causa donationis, locationis perpetuæ, vel legati, accipiens & successor universalis aut particularis ab eo causam habens liberatur dimissione aut desertione rei, vulgò *deguerpissement:* nam census imponitur rei non personæ, *l. Rura, C. de omni agro deserto, lib.* 10. & ab onere reali possessor dimissione rei liberatur, *l. Et si forte, ff. de servit. Loiseau Traité du droit de deguerpissement, lib. 9. Bacquet Traité du droit des Justices, c.* 204. Ubi tamen excipiunt locationem perpetuam, si accipiens promiserit sé soluturum censum annuum, rei possessionem non deserturum, & bona sua obligaverit in eum finem, ex tali pacto ipse obligatur ad præstationem censûs annui, à contractu resilire non potest, ut judicatum fuit pro Eguisier Civitatis Aquensis, in locatione perpetuâ domûs, pro censu annuo quindecim nummorum, contra accipientem, qui bona sua obligaverat, cum pacto de non deserendo, & post viginti annos possessionis suæ migrare & domum deserere volebat, *Arresto mensis Junii anno* 1628. Tamen tale pactum personale est, non obligat successores accipientis deserere volentes, & ab illo onere annuo liberari, species enim servitutis est hominem liberum in perpetuum obligari.

II. At si census fuerit venditus sub certo pretio, in fundo specialiter oppignorato, cum clausulis constituti, precarii, & pacti de non alienando, venditor potest quidem se redimere restitutione pretii, ut dictum fuit suprà *tit.* 4. Sed non liberatur fundum oppignoratum emptori dimittere volens, ut liberetur à censu vendito, quia nemo cogitur emere, *l. Nec emere, C. de jure deliberandi:* nec liberantur ejus hæredes; nam hæres succedit

in

in idem jus. Verùm tertius poſſeſſor fundum deſerendo liberatur, quia in eo res non perſona obligatur, ut judicatum fuit *Arreſto menſis Octobris anno* 1625.

III. Deſertor fundi priùs denuntiare debet Domino deſiderium ſuum, offerre reliqua cenſûs & laudimia debita à ſe & authore ſuo, damna & detrimenta præſtare quæ dolo aut culpâ ſuâ, non ea quæ caſu fortuito obvenerunt; alioquin Dominus eum admittere & liberare non tenetur.

IV. At tertius poſſeſſor dimittere volens, reliqua cenſûs poſſeſſionis ſuæ tenetur offerre; nam à reliquis debitis ab authore ſuo, pro quibus actione hypotecariâ ſolùm tenetur, rem dimittendo liberatur, ſalvo jure Domino coveniendi authorem; & tertius poſſeſſor tenetur præſtare damna & detrimenta quæ dolo ſuo rei illata ſunt, non ea quæ culpâ contingunt, niſi ſit in mala fide ſciens rem eſſe vectigalem, & negligens.

V. Dominus autem deſertori non tenetur præſtare impenſas factas in re melioranda, nec ſolvere ἐυποιήματα, ſeu politiones agrorum, nec licet deſertori eas auferre, arbores implantatas eradicare, parietes evertere, & lapides auferre poſitos ad terram continendam; nam contractus hujuſmodi fiunt ut res fiat melior: verùm ſi ædificia conſtructa fuerint in fundo habitationis gratiâ, aut pecorum continendorum, & Dominus ſumptus & impenſas præſtare recuſet, deſertor ea poterit retinere; neque enim cogendus eſt Dominus ea emere, neque privandus eſt poſſeſſor: nam in contractu emphyteutico aut locatione perpetuâ agitur de excolenda & melioranda terra, non de ædificiis conſtruendis: & ſi Dominus ea velit retinere, cogitur impenſas ſolvere, ne locupletetur cum damno & jactura alterius.

TITULUS XII.

De obſequiis à Vaſſallo debitis, & homagio.

SUMMARIUM.

1. In quibus conſiſtant obſequia patrono de- | *bita.*

I. A Vaſſallo & ſubvaſſallo obſequia debentur patrono, quæ conſiſtunt in homagio, honore & reverentia patrono debita; ejuſque uxori & liberis fidelitate & auxilio præſtando, & in inveſtitura promiſſo, ut ſuprà diximus. Vaſſallus non tenetur ad hujuſmodi ſervitia niſi fuerit denuntiatus, ſciat mortis vel captivitatis periculum imminere: in quibus caſibus ex juramento tenetur auxiliari Domino: Vaſſallus non juvat Dominum contra Regem, aut Dominum antiquiorem: & ſi plures ſint domini æquales, & inter ſe bella gerant, vaſſallus neutri ſervire tenetur.

Si plures ſint hæredes domini, vaſſallus uni ſoli tenetur præſtare homagium & fidelitatem; nam obligatio non mutatur ex perſona ſucceſſorum, *l.* 2. *ff. de verb. oblig.* §. *præterea de prohib. feudi alienat. per Fridericum*, ne qui cum uno contraxit diſtringatur in plures, *l.* 1. *ff. de exercit. act.* Tamen ſi ſint plures hæredes vaſſalli in feudo, ſinguli tenentur præſtare homagium, & jurare, *t. Omnes, de feudo.*

TITULUS XIII.

De operis Patrono debitis.

SUMMARIUM.

I. Operæ non debentur patrono niſi ex pacto. Pactum de operis illicitis & inhoneſtis eſt nullum. Patronus vaſſallum inopem pro ſe laborantem alere tenetur. Operarum præſtatio non debetur niſi vaſſallus fuerit interpellatus.

II. Patronus operas ſibi debitas alteri cedere non poteſt.

III. Operæ non debentur patrono titulum non habenti.

I. OPERÆ vulgò *courvées*, non debentur patrono, nisi de illis in investitura actum fuerit: sicut olim liberti non tenebantur ad operas fabriles diurnas aut nocturnas, nisi Dominus in manumissione eas sibi reservasset, *L. 1. C. de operis libert.* operas turpes & illicitas patronus sibi reservare non poterat, *L. Hæ demùm, ff. de operis libert.* & turpi conditione rejectâ manumissio valebat, *L. Pacta quæ, C. de pactis*, & libertum egenum & inopem pro se laborantem patronus alere tenebatur, *d. L. 1.* Libertus non tenebatur se offerre patrono ad operam & laborem, & patronus non poterat eum convenire de interesse, nisi eum priùs interpellasset, *L. 1. ff. de operis libertorum.*

II. Eadem Jura hodie observantur inter Dominum & vassallum pro operis debitis, non debentur nisi in investitura fuerint expressæ, nec debentur si turpes sint & illicitæ in sua specie, vel habitâ ratione dignitatis vassalli, *Petrus Jacobi, de dist. feud. dist. 7.* Vassallus non tenetur de eo quod interest Domini, nisi fuerit interpellatus. Vassallum inopem & egenum pro se laborantem Dominus alere tenetur, & Dominus operas sibi debitas alteri cedere non potest, *Papon Placitor. lib. 13. tit. 6. n. 3.* & Feudum conditionatum ad certum tempus non extenditur ad aliud servitium non expressum, *Petrus Jacobi de dist. Feudorum, dist. 7.*

III. Sola possessio aut consuetudo non tribuit jus Domino exigendi operas hujusmodi à vassallo sine titulo: alioquin potiùs ex metu & reverentia Domino debita præstitæ censentur, quàm ex debito justitiæ, non obstante possessione temporis immemorialis, *L. Litibus, C. de agric. & cens. lib. 10. L. Qui per potentiam, C. de omni agro deserto, L. un. C. Ne operæ à collatoribus exigantur, Molin. in Consuet. Paris. tit. des Fiefs, §. 3. Gl. 6. n. 4.*

TITULUS XIV.

De subsidiis in quatuor casibus patrono debitis, & taleis.

SUMMARIUM.

I. Subsidia hujusmodi non debentur patrono nisi ex pacto. Non debentur nisi petantur.

II. Vassalli taleabiles. Hæc jura sunt odiosa. Quando vassallus potest hæc jura præscribere.

I. SUBSIDIA debentur à vassallo in quatuor casibus in investitura expressis, pro dotanda filia, pro impensis filii cingendi cingulo militiæ equestris, pro sumptibus Domini suscipientis peregrinationem ultramarinam, & pro redimendo Domino à captivitate: hæc subsidia non debentur ex Legibus, aut Consuetudinibus feudalibus, sed ex pacto aut conventione in investiturâ adjecta, *Joannes Faber in §. Æque, Inst. de act. Guid. Pap. q. 57. Papon lib. 13. tit. 3. n. 1. Petrus Jacobi de dist. feud. dist. 9. Ubi addit*, quòd vassallus patronum inopem tenetur alere, ex æquitate, ob Beneficium acceptum, secùs si pretium datum sit. Et quamvis vassalli ex conventione teneantur Dominum captum ab hostibus redimere, tamen pro eo si sit incarceratus pro debitis non tenentur solvere, *Petrus Jacobi loco cit.* nam in istis casibus non fit extensio, ne gravamina multiplicentur. In quibus casibus sunt observanda. *Primum*, quòd Dominus de vassallo qui sibi subsidia hujusmodi non præstitit queri non potest, nisi petierit, & vassallum interpellaverit. *Secundum*, quòd si vassallus neget in judicio vel extra, ex tunc incipit præscribere contra Dominum hujusmodi jura, & lapsu decennii liberatur, *L. Sicut usumfructum, & L. Cùm talis, C. de servitutibus*: ante negationem vassallus præscribere non potest, quia non est in quasi possessione libertatis, nisi post negationem, *Bald. in L. Quoties, C. de suis & leg. hæred. Boër. in cons. Byturigum, des Coûtumes de la prescription.*

II. Sunt & alibi vassalli taleabiles ad nutum Domini ex conventione particulari in investitura expressa, quod jus similiter non debetur nisi petatur, & præscribitur à vassallo decennio à negatione facta in judicio vel extra, ut de subsidiis dictum fuit, *Ferrerius ad Guid. Pap. q. 52.* Sunt enim hæc jura odiosa, & onerosa vassallis, ideò restringenda: Delphinates ab iis oneribus Humbertus Delphinus liberavit, *Guid. Pap. q. 301.*

TITULUS XV.

De Banno & Retrobanno.

SUMMARIUM.

I. *Feuda conceſſa vaſſallis ut Principi ſerviant. Ex conſuetudine Galliæ vaſſalli militant ſtipendiis Regis. Bannum & Retrobannum ſunt pœnæ indictæ vaſſallis non obtemperantibus Edictis.*

I. EX lege inveſtituræ vaſſalli & ſubvaſſalli tenentur ire, aut mittere homines armatos pro expeditionibus militaribus, quoties Edicto Regis convocantur, Banno indicto vel Retrobanno, *c. Imperialem, §. Firmiter, de Feudis, lib. 2. Benedictus in c. Raynutius, verb. & uxorem, n.* 527. Verùm hæc convocatio non fit niſi in caſu magnæ neceſſitatis, *lib.* 12. *Conſtit. ex Conſtitutione Caroli VIII.* & vaſſalli non tenentur ire extra Regnum, & in Regno militant ſtipendiis Regiis, *Benedictus loco cit.* Eccleſia poſſidens Feuda ſervit per Laïcos, *Capella Toloſana q.* 485. *Choppinus de ſacra Politia lib. 3. c.* 2. *n.* 10. Bannum eſt pœna Edicto non obtemperantis: de Banno & Retrobanno vide Ragueau, *in verb. Ban.*

LIBER IV.

DE ALIENATIONE REI FEUDALIS ET EMPHYTEUTICÆ.

TITULUS PRIMUS.

De diviſione Feudi.

SUMMARIUM.

I. Feuda alia dividua, alia individua.
II. Diviſio facta inter Dominos non nocet vaſſallo. Ut diviſio fiat inter fratres condominos. De præcipuo primogeniti.
III. Diviſio vaſſallorum non nocet Domino.

I. EX Conſuetudinibus Feudorum, Ducatus, Marchia, Comitatus, ſunt individui, *c. Imperialem*, §. *Firmiter*, *lib. 2. de feudis*, quoad dignitatem; nam cætera bona ſunt dividua, *Petrus Jacobi in Praxi de feudis*, *verſic. ſeptima diſtinctio*: Jure Communi omnia Feuda ſunt dividua, *Rebuffus in Tract. de diviſ. Feudorum*, *verſic. hodie.* Regnum excipitur, quod ex ſua natura indiviſibile eſt, ſicut in apibus unus Rex, ſic in Republica unus Princeps, *c. In apib. 7. q. 1.* οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς, ait Homerus: *Haud multos regnare bonum eſt, Rex unicus eſto.* Jure Francorum Feuda ſunt individua.

II. Diviſio facta inter plures Dominos non nocet vaſſallo, ne mutetur forma præſtationis fidelitatis & homagii, & gravamen multiplicetur, *L. 4. ff. communi dividundo*, niſi ex conſenſu vaſſalli diviſio facta ſit. Ex conſuetudine in diviſione facta inter fratres feudi conſortes Caſtrum feudale habitationis cum portione telluris adjacentis ad menſuram volatûs galli gallinacei cedit primogenito, ut præcipuum, *Boërius in Conſuet. Biturigum*, *de Feudis*, *Rebuff. loco citato*: alibi primogenitus, ſi ſint duo fratres capit duas partes rei feudalis de tribus; & ſi ſint plures, dimidiam partem totius, ratione cujus præcipui nihil ampliùs ſolvere tenetur pro debitis hæreditariis, quàm unuſquiſque ſuorum fratrum ſolvere debeat, quoniam illud præcipuum habet quaſi prælegatum, non jure hæreditario, ſed Beneficio legis municipalis, ut infertur *ex L. 1. C. Si certum petatur*, *notat Bacquet au Traité des Juſtices ch. 21. n. 9. poſt Molineum*, *& Tiraq. quos citat.*

III. Et pari jure diviſio facta inter vaſſallos vel emphyteutas non nocet Domino in præſtatione juris ſibi debiti, quominùs quemlibet in ſolidum poſſit convenire: nam debitorum pactionibus jura creditorum mutari non poſſunt, *L. Debitorum*, *n. de pactis*, niſi ex conſenſu Domini diviſio facta ſit, vel in inveſtitura, vel in recognitione, ſi ſingulos pro virili ſolventes admiſerit, *L. Si creditores veſtros*, *n. de pactis.*

TITULUS II.

De alienatione rei Feudalis & Emphyteuticæ.

SUMMARIUM.

I. Emphyteuta liberam habet facultatem alienandi. Vaſſallus durante linea non poteſt alienare. Proximior de linea poteſt revocare à remotiori intra annum. Qui ſunt de linea poſſunt revocare intra triginta annos ab extraneo. Dominus jure prælationis non poteſt impedire revocantem.

II. & III. Moribus Galliæ vaſſallus ut emphyteuta poteſt alienare.

I. EMPHYTEUTA liberam habet facultatem alienandi ſalvo jure Domini directi, vaſſallus durante linea agnatorum vel cognatorum, pro quibus etiam fuit inveſtitus, ex conſuetudinibus Feudorum non poteſt alienare irrevocabiliter, nam ſervari debet inter deſcendentes prærogativa gradûs in ſucceſſione Feudi, ut diximus ſuprà: itaque ſi alienet intra lineam in eum qui remotior eſt gradu proximior alienationem poteſt revocare intra annum, *c. Titius, ſi de Feudo fuerit controverſia, lib. 2. de Feudis:* & ſi alienet extra lineam, qui ſunt de linea poſſunt alienationem revocare intra triginta annos, ſervatâ inter eos prærogativâ gradûs: nam eo temporis lapſu actio vindicatoria rei vectigalis præſcribitur, poſſeſſor fit ſecurus, ut de præſcriptione ſuprà diximus, & Dominus ipſe ſubmovetur: neutro caſu retrahens pretium reſtituere tenetur, emptor re ſibi evictâ illud repetit à venditore: hîc enim non ſolùm res avocatur, ſed ipſa alienatio revocatur, ut facta in fraudem eorum qui ſunt de linea, & Dominus jure prælationis impedire non poteſt revocantem, ex lege inveſtituræ, & finitâ lineâ res ad eum revertitur, ex conſuetudinibus Feudorum, & uti poteſt jure ſuo contra quemcumque rei poſſeſſorem.

II. Moribus Galliæ vaſſallus liberam habet facultatem vendendi, donandi, & oppignorandi, ut emphyteuta, *ſe peut joüer du Fief*, ut diximus ſuprà, & Dominus non poteſt impedire alienationem, modò vaſſallus alienet in parem, non difficilis conventionis, ex Conſtitutione Aurelianenſi, niſi prohibitio alienationis expreſsè in inveſtitura ſibi prohibita fuerit: jus enim agnatis aut cognatis vaſſalli in inveſtitura adjectis non cenſetur quæſitum niſi conditionaliter, ſi res extet tempore mortis vaſſalli, ſalvo jure vaſſallagii Domino debito contra rei poſſeſſorem, *Coûtumes d'Orleans, de Feudis, c. 1. & 2.* Ex quibus patet quòd ex Conſuetudinibus aliarum Nationum feudatarii ſunt velut uſufructuarii: at ex Conſuetudinibus Galliæ cenſentur Domini, hinc Franci dicuntur.

III. Pater poteſt teſtari de feudo novo pro ſe & filiis recepto etiam in præjudicium liberorum, nam ſtipulatione ſpes ſola filiis acquiritur, quæ alienatione adimitur, ſecùs ſi Dominus ipſe proſpexerit filiis & nepotibus, eo enim caſu liberis jus cenſetur per providentiam Domini conditionaliter, ſi exiſtit poſt mortem patris, contra quam vaſſallus ire non poteſt, at de Feudo antiquo vaſſallus teſtari non poteſt in præjudicium agnatorum.

TITULUS III.

Si alienatio fiat à Vaſſallo inconſulto Domino.

SUMMARIUM.

I. Vaſſallus alienans inconſulto Domino incurrit pœnam commiſſi ut emphyteuta. Denuntiatio requiritur tametſi Dominus non ignoret.

II. In Gallia pœna commiſſi non habet locum ob denuntiationem omiſſam.

I. FEUDA in Gallia ad inſtar bonorum patrimonialium ſunt redacta, ut bona emphyteuticaria, ad quorum exemplum facultas alienandi moribus noſtris vaſſallis

conceſſa eſt, ut diximus ſuprà, niſi in inveſtitura feudali vel emphyteuticaria aliud conventum fuerit: nam pactis contrariis appoſitis natura feudi vel emphyteuſis alteratur: & ſicut in emphyteuſi res cadit in commiſſum ſi emphyteuta rem alienaverit Domino inconſulto, *L. finali, C. de jure emphyteutico*, itidem in feudo ſi vaſſallus rem alienaverit Domino inconſulto, *c. Imperialem*, §. *Firmiter, de prohibita Feudi alienat. lib. 2. de Feudis*, tametſi Dominus notitiam habuerit alienationis, emphyteuta & vaſſallus denuntiare debent: nam denuntiatio requiritur non ſolùm ut Dominus ſciat, ſed ut permittat, aut jure ſuo prælationis utatur, *d. c. Imperialem*, ob manûs mutationem.

II. Verùm apud nos neque emphyteuta nec vaſſallus pœnam privationis incurrit ob denuntiationem omiſſam rem alienando: nam utroque caſu liberum eſt Domino jure prælationis rem alienatam revocare, ut dicemus infrà de retractu feudali, vel novum vaſſallum aut emphyteutam admittere, *Joannes Faber in* §. *Item Serviana, Inſtit. de act. Papon lib. 3. tit. 1. n. 39.*

TITULUS IV.

De ſubinfeodatione.

SUMMARIUM.

I. *Vaſſallus poteſt dare rem feudalem in retrofeudum.*
II. *Cui debeantur laudimia.*
III. *An laudimium debeatur ex ſubfeudatione.*
IV. *An Eccleſia prædia emphyteuticaria poſſit dare cum retentione Dominii directi.*

I. VASSALLUS prædia feudalia poteſt dare in retrofeudum, etiam cum Curte ſeu Juriſdictione. In dubio Juriſdictio cenſetur conceſſa ſi Caſtrum cum juribus & pertinentiis ſuis conceſſum fuerit, *Petrus Jacobi tit. de forma libelli, de morib.* quia territorium non poteſt eſſe ſine Juriſdictione; & Duces, Comites & Marchiones in ſubfeudatione Caſtrorum ſibi reſervant reſſortum appellationum, *Petrus Jacobi ibid* Prætereà in ſubfeodatione majus Dominium directum reſervatur cum ſpe conſolidationis in caſu commiſſi, homagio, & cenſu promiſſo, & Juriſdictio interdùm tota transfertur in ſubvaſſallum, & interdùm pars reſervatur Domino ſuperiori.

II. In quibus caſibus ſervantur jura debita Domino ſuperiori quandiu utile dominium pertinet ad Dominum intermedium, ad eum pertinent commoda vaſſallagii & emphyteuſis: & reſoluto dominio utili in perſona illius ex delicto eadem commoda pertinent ad Dominum ſuperiorem, *Molin. in Conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 5. n. 11.* ibi enim ſpectatur duplex dominium utile, alterum in perſona poſſeſſoris rei feudalis vel emphyteuticariæ, alterum in perſona Domini intermedii, ratione juris ſibi reſervati, laudimii, prælationis, & commiſſi: utrumque pendet à dominio directo domini ſuperioris, & reſoluto jure domini intermedii, reſolvitur jus ſubvaſſalli, niſi is à domino ſuperiore fuerit inveſtitus, *Molin. loco citato:* eo enim caſu reſoluto jure domini intermedii jus ſubvaſſalli ſubſiſtit, per inveſtituram domini ſuperioris; ſecùs ſi inveſtitura conceſſa à domino intermedio fuerit à domino ſuperiore ſimpliciter confirmata: nam confirmatio conſervat diſpoſitionem prout eſt, ſine attributione novi juris; & ſine præjudicio juris debiti domino confirmanti.

III. Ex inveſtitura nova ſubvaſſalli nullum debetur laudimium, neque domino intermedio: nam prima inveſtitura eſt gratiæ; neque domino ſuperiori, niſi per modum venditionis pretio conſtituto vaſſallus inveſtierit ſubvaſſallum, *Molin. loco cit.* §. 51. *Gl. 1. n. 31.* nam per inveſtituram jus cenſetur conceſſum vaſſallo, ut per ſe vel alium re feudali uti poſſit: & ex venditione à ſubvaſſallo facta laudimium debetur domino intermedio à quo fuit inveſtitus: ſi verò ipſe vaſſallus jus illud vaſſallagii ſibi debitum à ſubvaſſallo, vendiderit alteri, laudimium illius venditionis debetur domino ſuperiori ex ſubordinatione juris inter dominum directum, vaſſallum, & ſubvaſſallum: neque dominus ſuperior impedire poteſt vaſſallum ne vendat, ex Conſuetudine Galliæ, *ut diximus ſuprà*, niſi in inveſtitura clauſulam de non alienando appoſuerit, aut ipſe velit uti jure ſuo prælationis: idemque jus ſervatur inter vaſſallum & ſubvaſſallum, neque vaſſallus vendendo aut donando obeſſe poſſte domino ſuperiori.

IV. At emphyteuta potest quidem transferre dominium utile quod habet in colonum per locationem perpetuam cum onere suo, sub annuo censu: verùm laudimium & jus prælationis non potest sibi reservare, ut de vassallo diximus: ut nobilius est jus vassalli, qui à Principe vel Dignitate Regali causam habet, sic jus illius plenius est & potentius in re sibi concessa: subvassallus tenetur præstare homagium & fidelitatem vassallo, emphyteuta verò non. Unde cùm quæsitum fuisset de certis investituris emphyteuticariis prædiorum Ecclesiasticorum sitorum in locis servilibus vassallorum, quas Rectores Ecclesiarum concesserant privatis in emphyteusim sub annuo censu, reservato dominio directo, & laudimio in casu alienationis, dominis locorum conquerentibus, Rectores Ecclesiarum jussi fuerunt cedere dominio directo, & jure laudimiali, solo censu reservato esse contentos, non obstante præscriptione centenaria, quæ inter dominum & vassallum non habet locum, nisi vassallus habeat titulum exemptionis, aut possessio fuerit interversa domino sciente & patiente. Sic judicatum fuit pro Forti domino de Claps, contra Oeconomum Sancti Joannis istius Civitatis, *Arresto 8. Oct. anno 1607. pro domino loci de Sancto Andiol, contra Priorem loci, Arresto ultimæ Junii 1617. & alio Arresto pro domino loci de Vauvenargues, contra Vicarium loci*, 8. *Martii anni* 1580. non obstante præscriptione centenaria opposita, nisi possessio fuerit interversa, aut prædium sit exemptum, aut investitura fuerit à domino confirmata: nam, ut diximus suprà, inter dominum vassallum aut emphyteutam præscriptio non habet locum.

TITULUS V.

An Vassallus invito Domino possit alienare, vel contra.

SUMMARIUM.

I. *Alienationi factæ in parem vel meliorem Dominus consentire tenetur. Alienationem in deteriorem Dominus potest impedire. Si Dominus jus suum transferat in minùs potentem vassallus potest se redimere.*

II. *Domino alienante emphyteuta potest se redimere: idem dicitur de debitore censûs.*

I. SI vassallus Feudum vendat pari aut meliori, dominus consentire tenetur, nisi malit uti jure prælationis: si verò vendat minori, dominus consentire non tenetur, alienationem potest impedire, ne conditio sua tali mutatione fiat deterior, *tit. 52. & 55. lib. 2. de Feudis.* Pari jure dominus non potest jura sua per venditionem transferre in alium minorem, & minùs potentem, ne conditio vassalli ratione patrocinii sibi promissi fiat deterior: ideò arcturus Britanniæ Rex Regem Angliæ, cui Rex Galliæ jura quæ habebat in illo Ducatu cesserat, recognoscere noluit ut minorem & minùs potentem, *ut observat Cujacius in Libris Feudorum*: nam vassallus & dominus judicantur ad paria, *c. Imperialem, de prohib. Feudi alien. Pyrrhus in Consuet. Aurelian. tit. des Fiefs.* Liberum est vassallo in illo casu se redimere.

II. Pari jure emphyteuta & debitor censûs possunt se redimere intra mensem, si dominus directus aut creditor jus suum alteri vendiderit, aut cesserit, ex Statuto hujus Provinciæ, ob mutationem creditoris, quia debitor non delegatur nisi volens, *L. Delegare, & L. Doli, ff. de novat. & deleg.* & sicut libertus non cogitur submittere se patrocinio alterius, *L. Invito, ff. de fideic. libert.* sic neque vassallus nec emphyteuta cogi possunt agnoscere alium dominum.

TITULUS VI.

De non alienando in manus mortuas.

SUMMARIUM.

I. Dominus potest revocare alienationem vassalli factam in manus mortuas. Quæ sint

manus mortuæ.

II. Ut consulatur domino pro alienatione facta in manus mortuas. Ut indemnitas domini sit æstimanda.

III. De indemnitate laudimiorum præstanda.

IV. Ut laudimium debetur acquisitionis cadentis in manus mortuas. De censu præstando.

I. LICENTIA alienandi vassallo vel emphyteutæ concessa, limitatur ne possint rem alienare in manus mortuas, ut sunt Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, Collegia, & Universitates: quæ conditio in investituris apponi solet, *ut observavit Speculator ex Consuetudine hujus Provinciæ suæ Patriæ, in tit. de emphyteusi, n. 116.* & si talis clausula fuerit omissa, suppletur: multa namque in sermone tacitè excipiuntur, & quæ moris sunt tacitè insunt, *L. Quidquid astringendæ, ff. de verbor. obligat. L. In conventionibus, ff. de verb. signif. L. Quod si nolit, ff. de ædil. ed.* ne domini conditio re cadente in manus mortuas fiat deterior: manus mortuæ dicuntur, quòd illa corpora acquirere quidem possunt, sed res sibi acquisitas & incorporatas alienare non possunt, & hujusmodi res in illis videantur mortuæ domino directo, cùm nullos producant fructus laudimiorum & releviorum debitorum ex alienatione quæ illis corporibus est interdicta, & commisso: quocirca dominus directus non tenetur consentire alienationi factæ in manus mortuas, nisi Rectores earum sibi indemnitatem præstent.

II. Si res sit feudalis, Rector Ecclesiæ dare seu assignare debet domino hominem viventem & morientem, seu cujus obitu eadem jura debeantur domino, quæ deberentur à vassallo si rem eam possideret, nisi Ecclesia malit indemnitatem præstare domino, optio enim datur Ecclesiæ, *Choppinus de sacra Politia lib. 3. c. 1. num. 5. Stephanus Placito 10.* contra sententiam Molinei asserentis Ecclesiam præcisè obligari dare vicarium seu hominem viventem & morientem, nisi dominus malit indemnitatem sibi præstari: quo casu dominus & Rector Ecclesiæ convenire debent de pretio indemnitatis, habitâ ratione commodi & incommodi, & lucri casualis: Molinei sententia tutior videtur in jure, nam nemo cogitur vendere, *L. Nec emere, C. de jure deliber.* aut si cogatur ob necessitatem vel utilitatem publicam, in pretio relevandus est ex æquitate, ne gravamina multiplicentur: hæc de re feudali. Si verò res non sit feudalis, sed allodialis & laudimialis, domino consulitur præstatione laudimii dimidiati de decennio in decennium recurrens: & si Ecclesia vel Universitas velit jus illud extinguere, domino consentiente liberatur solvendo laudimium integrum, & sortem censûs annui: nam dominus consentiendo alienationi in manus mortuas, liberationi simul consensisse videtur, ne illæ cogantur in perpetua servitute manere, quibus acquirere licet, & alienatio prohibita est. An autem Ecclesia dare debeat hominem confiscantem, seu cujus bona confiscari debeant ob delictum commissum, & Feudum aperiatur domino, ut si esset in manu illius, affirmat *Papon, Placitorum 13. tit. 1. d'Olive liv. 2. tit. 13. negat Molin. in Consuet. Paris. §. 51. Gl. 1. n. 61.* Nam ab Ecclesia aliove loco pio tàm tristis exitus non debet expectari, ergo neque ab ejus vicario ut vicarius est.

III. Indemnitas illa domino præstanda, vel est tertia pars valoris rei, si res sit feudalis, ex Constitutione Caroli VI. vel quinta pars si res non sit feudalis, deductis oneribus, *Bacquet du droit d'Amortissement, ch. 6.* vel est arbitraria, ut dicemus infrà. Cætera corpora Laïcorum dare tenentur hominem viventem, morientem, & confiscantem, vel indemnitatem præstare si dominus malit.

IV. Prætereà Rectores manuum mortuarum pro acquisitione rei feudalis vel emphyteuticariæ laudimium præstare debent ex venditione, aliove contractu in venditionem cadente, aut relevium ex alia causa lucrativa, & ob spem laudimiorum interceptam, quæ dominus perciperet si res esset in manibus liberis, solvere debent illi laudimium dimidiatum decimo quoquo anno, *Molin. in Consuet. Paris. de Feudis, §. 51. Gl. 1. n. 63. Bacquet en son Traité du droit des Amortissemens*, ubi fusè tractat hanc Materiam; nisi etiam de hac indemnitate laudimiali partes aliter convenerint, sive rei valor minuatur vel augeatur; sed mutatione manûs mutatur rei conditio, *L. Per curatorem, ff. de acq. hær.* si res ea è manibus mortuis exierit in manus privatorum per emphyteusim, à prima alienatione, nullum debetur laudimium, ut dicemus infrà; sed in aliis alienationibus quæ fiunt inter privatos, laudimium integrum debetur domino & licèt Rectores prædicti indemnitatem præstiterint à censu annuo non liberantur, nisi de eo simul actum sit.

TITULUS

TITULUS VII.

De jure Morticinii, & novi quæstûs.

SUMMARIUM.

I. *Ex novo quæstu rei feudalis vel allodialis Rectores manuum mortuarum Regi indemnitatem præstant. Cur Rex in Gallia dicatur* SIRE.
II. *Ut jus morticinii & novi quæstûs exigatur. Rex hujusmodi jura exigendo non facit præjudicium dominis subalternis.*
III. & IV. *Ut solvatur jus morticinii.*
V. *An hæres jus morticinii rei legatæ solvere debeat.*

I. CUM res amortizatur, seu cadit in manus mortuas, indemnitas etiam Regi præstanda est, sive ea sit feudalis, emphyteuticaria, sive sit allodialis: nam res allodialis tametsi domino subalterno subdita non sit, & pleno jure pertineat ad possessorem, Regi subdita est, ratione imperii, & Jurisdictionis. Unde in Gallia Rex dicitur SIRE, à Græco κύριος seu Dominus, ut inter Græcos observat Cedrenus, & vulgò dicitur *nulle Terre sans Seigneur*: & tàm res allodiales quàm feudales ex debito Regi publicantur, si sint in manibus privatorum, secùs si sint in manibus mortuis.

II. Quamobrem pro Regis indemnitate jus morticinii & novi quæstûs exigitur à Rectoribus manuum mortuarum pro rebus à se possessis tàm feudalibus quàm emphyteuticariis & allodialibus, juxta Ordinationes Regum Franciſci I. & Henrici II. quod jus exigitur post singula quinque lustra, seu de viginti quinque annis, in alios viginti quinque, à Commissariis Regiis in Provincias deputatis, quorum mandatis Rectores manuum mortuarum exhibere jubentur intra certum tempus declarationem prædiorum à se possessorum tàm feudalium quàm allodialium, & possessionem eorundem bonorum dimittere, & jura præteriti temporis possessionis suæ solvere, juxta taxam ab eisdem Commissariis faciendam; quæ fit ad modum reditûs unius anni eorundem bonorum, detractis sumptibus & oneribus, & servitiis debitis dominis subalternis: tamen si Rectores fuerint à Rege investiti, aut per triginta annos ea bona possederint, jubentur quidem jura debita præteriti temporis solvere, non bonorum possessionem dimittere: nam illa possessio pro titulo investituræ habetur, *c. Si de Feudo fuerit controversia inter dominum & vassallum*, §. *Si quis per triginta annos*, *de Feudis*, *Papon lib.* 1. *du droit d'Amortissement*, *n.* 6. sive contra dominum subalternum, sive contra Regem agatur.

III. Si Rectores non solvant, bona ponuntur sub manu Regis, ut illi tædio affecti solvant: nullum tamen fit præjudicium dominis directis in juribus sibi debitis: si solvant liberantur à juribus præteriti temporis Regi debitis pro morticinio, non à futuris: quæ cùm debita sint in signum subjectionis & superioritatis, nullo tempore præscribuntur: neque liberantur à juribus debitis domino subalterno, cui Rex exigendo jura sibi debita nocere non intendit: ex quibus colligitur quòd Rectores manuum mortuarum nulla prædia possident nisi ex Regis tolerantia.

IV. Verùm ab hoc jure Regi debito pro tolerantia manûs mortuæ liberantur, si res fuerit amortizata, Diplomate Regio licentiâ possidendi in perpetuum concessâ, solutione pretii, quod taxatur juxta valorem rei amortizatæ, deductis oneribus, *Papon lib.* 1. *du droit d'amortissement n.* 6. quo tamen jure manus mortuæ non liberantur à fide & subjectione Regi debita, & jura futura quæ Regi obvenire possunt ex dissolutione illorum corporum, aut publicatione bonorum domini subalterni, non remittuntur.

V. Subinde quæritur si res Ecclesiæ aliive loco pio oblata legatave fuerit, an expensis hæredum debeat amortizari: respondetur affirmativè: nam cùm testator sciat rem eam sine Regis licentia in manibus mortuis esse non posse, rem eam legando sumptus necessarios pro effectu legati videtur legasse, *Papon loco cit. n.* 5. *ex Legibus ibi relatis.*

TITULUS VIII.

De Franco Feudo.

SUMMARIUM.

I. Francum Feudum debetur à plebeis pro bonis feudalibus. Ut fiat exactio Franci Feudi.
II. Sola possessio rei feudalis non nobilitat.

I. JURI morticinii & novi quæstûs affine est Francum Feudum : nam similiter si res feudalis possideatur à plebeio in feudum vel retrofeudum, jus Franci Feudi debetur Regi patienti res hujusmodi à plebeis possideri, quæ pro nobilibus sunt destinatæ, quod exigitur cum jure morticinii vicesimo quinto quoque anno, & taxatur à Commissariis deputatis juxta valorem rei reditûs annui, deductis oneribus : exactio fit eodem ordine servato, possessor jubetur edere declarationem rei, censuum & jurium annexorum, & possessionem dimittere, nisi à Rege fuerit investitus, aut per triginta annos possederit ; nam possessio tàm longi temporis æquipollet investituræ, & solvere tenetur taxam factam à Commissariis, in qua habetur ratio temporis decursi non futuri, & nullum fit præjudicium domino intermedio, si res à subvassallo possideatur.

II. Hoc jus Francum Feudum dicitur, non quòd possessorem liberet & nobilitet ; nam Feuda sola non nobilitant ; sed quia Feuda non nisi ab hominibus francis & Nobilibus ex institutione sua possunt possideri, *Bacquet du droit des francs-fiefs*, *c.* 13. ubi plura vide de hac materia.

TITULUS IX.

Qui sint immunes à Franco Feudo.

SUMMARIUM.

I. Sola infeodatio non nobilitat. Plebei & Nobiles differunt civiliter. Nobilitas quid sit.
II. Possessio rei feudalis non facit Nobilem.
III. Senatores Parlamenti & Computorum & liberi eorum Nobiles.

I. SOLA infeodatio Regis non nobilitat accipientem, si plebeius sit : nam infeodatio præsupponit Nobilitatem originalem, aut dativam, nisi ob præclara gesta infeodatio à Rege facta sit, *Bart. in l.* 1. *C. de dignit. lib.* 11. *Bacquet des droits d'annoblissement*, *c.* 20. Aristoteles *Politic.* 1. *c.* 1. ait servos & liberos nihil inter se differre secundùm naturam : οἰοδλος καὶ ἐλεύθερος οὐδὲν διαφέρουσι, tamen distinguntur civiliter : sic Nobiles à plebeis naturâ non differunt, sed hominum censurâ, vel ob virtutem & præclara facinora Diplomate Principis approbata, vel quia ex nobilibus parentibus orti sunt, quorum virtus & generositas laudatur : nam à Parentibus Nobilibus ortum esse potens character est virtutis & generositatis in societate humana : οἰενος χαρακτὴρ ἐν βροτοῖς εὐθλῶν γένεται, *ait Euripides in Hecuba* : meliùs & breviùs Nobilitatem definit Aristot. *Politic.* 4. *c.* 8. ἀρχαῖον πλοῦτον καὶ ἀρετήν, divitias antiquas & virtutem : nam neque solæ divitiæ sine virtute Nobilem faciunt, nec sola virtus sine divitiis antiquis, & reditu bonorum sufficiente ad honestè vivendum.

II. Divites qui Feuda mercantur & possident, Nobiles non censentur in Gallia, nisi in ipsa investitura à Rege nobilitati fuerint, ex Constitutione Blesensi, *art.* 158. Verùm quamvis nobilitati non fuerint, si nobiliter vixerint, & Feuda possederint, nepotes eorundem Nobiles reputantur, ob Feuda antiqua & privilegio Nobilium in Feudis avitis utuntur, *ex l.* 1. *C. de dignit. lib.* 12. *Loiseau des Offices*, *c.* 9.

III. Senatores Nobiles censentur, *l. Jus Senatorum*, *C. de dignit. lib.* 12. *l. Fœminæ*, *ff. de Senatoribus.* Idem dicitur de Senatoribus Curiæ Computorum, *Bacquet du droit d'amortissement*, *c.* 19. ob delectum Regis, & officia ab eis præstita in ministerio Justitiæ, & ab onere Franci Feudi sunt immunes. An verò eorum liberi gaudeant eodem privile-

gio, dubitant nonnulli, *Bacquet ibid. c.* 22. Verùm rationi congruit liberos eorum qui Senatorio munere functi sunt, & in eo exercitio obierunt, Nobiles censeri, & Nobilium privilegio uti, *juxta Leges, ff. 6. & 7. de Senatoribus.* Idem dicitur de filia Senatoris, *l. 9. ff. eod. tit. Brodeus in notis Loët. lit. N. n.* 4.

TITULUS X.

An prædia Feudalia sint immunia à taleis.

SUMMARIUM.

I. Prædia feudalia sunt immunia à taleis. Prædia antiqui dominii Ecclesiæ anni 1471. *immunia. Prædia reversa ad dominos feudatarios ex lege Feudi immunia.*

II. Prædia acquisita à dominis feudatariis à suis subditis sunt taleabilia. Compensatio fit dominis feudatariis prædiorum sui dominii subditis concessorum.

I. FRANCA etiam dicuntur Feuda in alio sensu, quòd prædia sint immunia à taleis & tributis Regi debitis, & universitati pro negotiis, sicut prædia allodialia urbium magnarum immunia ab eisdem taleis franca dicuntur: & prædia antiqui dominii Ecclesiæ contenta in dinumeratione facta anno 1471. franca sunt. Verùm illa immunitas cessat mutatione manûs, si eadem prædia in emphyteusim aut locationem perpetuam à dominis feudatariis aut Rectoribus Ecclesiarum data fuerint; & si eadem prædia revertantur ad dominos feudatarios aut Ecclesiam, ex lege feudi vel emphyteusis, in casibus commissi, confiscationis, vel desertionis, privilegium immunitatis instauratur, *Papon lib. 5. tit.* 11.

II. At prædia quæ domini feudatarii acquisierunt in suis territoriis à subditis suis, titulo emptionis, testamenti, donationis, vel legati, aut jure prælationis, post annum 1471. remanent taleabilia in manibus eorum, ut judicatum fuit in Regis Consistorio, *Papon loco cit.* Verùm fit compensatio proportionaliter de prædiis quæ de suo dominio feudali franco & libero, post idem tempus illi in suos subditos alienaverunt cum prædiis taleabilibus quæ à subditis post id tempus acquisierunt Jure communi: de cæteris prædiis à dominis in subditos alienatis de suo dominio feudali ante illud tempus, vel à suis subditis acquisitis, nec universitatis contra dominum pro taleis, nec domini contra universitatem pro compensationem querimonia admittitur præscriptione obstante. Idem de rebus dominii antiqui Ecclesiæ alienatis in emphyteutas, aut colonos perpetuos, & de prædiis taleabilibus post illud tempus Ecclesiæ acquisitis jus est, *Papon ibid.* Idem judicatum fuit pro dominis feudatariis, *Arresto Consilii* 15. *Dec. anno* 1556. & alio Arresto posteriore Curiæ Vectigalium hujus Provinciæ, pro Domino loci de Sancto Andiol, 23. *Dec. anno* 1616.

LIBER V.

DE LAUDIMIIS ET RELEVIIS DOMINO DIRECTO DEBITIS EX ALIENATIONE.

TITULUS PRIMUS.

Ex quibus cauſis laudimia & relevia debeantur.

SUMMARIUM.

I. Relevium debetur ex quâvis mutatione manûs gratuitâ. Moribus noſtris in hac Provincia relevium non debetur.

II. Laudimium debetur domino ex venditione, aliove contractu in venditionem cadente. Ex venditione cenſûs in re feudali vel emphyteuticaria laudimium debetur. Laudimium à laudando ſeu approbando.

I. RELEVIA & laudimia debentur Domino directo feudali vel emphyteuticario: relevium ex quâvis mutatione manûs ſucceſſione hæreditaria, legato aut donatione factâ perſonæ extraneæ aut collaterali, juxta valorem reditûs unius anni rei, ex Conſuetudine Aurelianenſi, *c.* 14. At inter aſcendentes & deſcendentes non videtur facta manûs mutatio, poſſeſſio continuatur, *l. In ſuis, ff. de liberis præteritis vel exhæredatis*, ideò inter eos relevium non debetur: ſicut olim Jure Romano deſcendentes in ſucceſſione aſcendentium non tenebantur ad onera viceſimæ aut quartæ Curiæ debitæ, caducorum, aut ſiliquaticorum, quæ tamen inter fratres & ſorores & alios collaterales debebantur, ut obſervat Cujacius *in c.* 1. *de Feudis tit.* 25. Moribus noſtris nec debetur relevium in ſucceſſione aſcendentium, nec in ſucceſſione collateralium, aliorumve extraneorum, quoniam etiam in ſucceſſione extraneorum fit continuatio poſſeſſionis, *le mort ſaiſit le vif*, ut dicemus infrà de laudimio.

II. Laudimium verò debetur Domino directo, ex venditione, aliove contractu in venditionem cadente, ſive fundus feudalis vel emphyteuticarius, ſive cenſus ſuper eo venditus ſit à vaſſallo aut emphyteuta: nam etiam de tali cenſu emptor à Domino directo debet inveſtiri, & laudimium ſolvere venditionis, ſicut emptor fundi, quoniam cùm novum onus rei imponitur, rei valor minuitur, & jura Domino debita ſimul minuuntur: alioquin Dominus agere poteſt contra vaſſallum vel emphyteutam, ut vel ille cenſus extinguatur, vel indemnitati ſuæ conſulatur, *Molin. in Conſuet. Pariſ. tit.* 1. §. 29. *Gl.* 1. *n.* 12. *Cleperus cau.* 29. *q.* 5. Hinc dicitur laudimium à laudando, quia Dominus venditionem laudat & approbat, novum vaſſallum aut emphyteutam admittit, & laudimium recipit, ut pretium inveſtituræ.

TITULUS II.

Casus particulares in quibus ex venditione laudimium debetur, aut non debetur.

SUMMARIUM.

I. & II. *Non debetur laudimium ex venditione censûs in re oppignorata creditori. Non debetur laudimium ex venditione rei habenti censum in ea sine dominio directo.*
III. *Non debetur ex re vendita si re integrâ partes discedant à contractu.*
IV. *Si plures venditiones intercesserint, & una facta sit manûs mutatio, an plura laudimia debeantur.*
V. *Ex venditione facta cum pacto additionis in diem an laudimium debeatur.*
VI. & VII. *Si venditio facta sit cum pacto legis commissoriæ.*
VIII. *Si venditio facta sit cum pacto de retrovendendo.*
IX. X. & XI. *Si venditio sit nulla aut rescisa, an laudimium repeti possit.*
XII. *Emptor supplere volens an laudimium supplementi debeat præstare.*
XIII. *Ex retractu gentilitio aut dominico laudimium non debetur.*
XIV. & XV. *Ex collatione creditoris an laudimium debeatur.*
XVI. *Ex venditione in diem vel sub conditione quando laudimium debeatur.*
XVII. & XIX. *Ex re æstimata marito in dotem data an laudimium debeatur.*
XVIII. *Ex in solutum datione facta pro jure legitimæ non debetur laudimium.*
XX. *An debeatur laudimium ex collocatione facta à marito pro dote, & usuris, & quinta parte.*

I. SUNT varii casus in quibus laudimium non debetur ex venditione rei emphyteuticariæ: nam si quis censum super suo fundo vendiderit, & in securitatem asseruerit se eum fundum nomine emptoris ut domini directi possidere; ex tali venditione censûs laudimium debetur domino directo fundi: & si alium censum super eodem fundo alteri vendiderit novum laudimium hujus venditionis debetur domino directo: nullum verò laudimium debetur priori censûs emptori, cùm dominus directus non sit; quia illa clausula adjecta in venditione censûs, quâ venditor promisit se eum fundum possessurum nomine ipsius, cum clausulis constituti & precarii, & translatione dominii directi, non fecit emptorem censûs dominum directum rei, cùm venditor ipse dominus directus non sit, juxta regulam, *nemo plus juris in alium transferre potest quàm ipse habeat.* Idem dicendum est si dominus fundi liberi super eo censum vendiderit creditori pretio numerato, cum eisdem clausulis constituti & precarii, & translationis dominii directi, & mox alium censum vendiderit alteri, nullum ex venditione censûs posteriori creditori priori laudimium debetur; nam res non processit ab eo ut dominus directus dicatur, & talis clausula non censetur adjecta nisi ad roborandum pignus. Sic judicatum in causa Arelatana, *Arresto Febr. 1639.*

II. Rex concessit facultatem ducendi aquam ex Flumine Druentiæ per rivum de Crapone in locis feudalibus vassallorum pro construendis molendinis, certo censu annuo constituto pro pretio vendito molendino territorii de Malemort, laudimium debetur vassallo soli domino directo: quærebatur an aliquod laudimium Regi deberetur pro illa servitute aquæductûs molendino annexa; responsum fuit non deberi, quòd illa facultas saperet naturam venditionis pro censu constituto, non feudi vel emphyteusis, contra exactorem laudimiorum Regi debitorum, *Arr. Nov. 1632.*

III. Et si post contractum venditionis ante rei traditionem veram contrahentes discedant à contractu, nullum debetur laudimium: nam laudimium debetur ob manûs mutationem, tametsi clausula constituti & precarii & translationis dominii in contractu fuerit apposita in securitatem emptoris, quia hujusmodi clausulæ non faciunt traditionem veram, sed fictam, ex qua sola laudimium non debetur, si ante possessionem rei apprehensam partes resiliant à contractu, *Joan. Faber in lege 1. C. Quando liceat ab empt. discedere: Sanson in Consuet. Turon. tit. des rachats, Molin. in Consuet Paris. tit. 2. §. 78. Gl. 1. n. 32. Ferrerius ad Guid. Pap. q. 10.*

IV. Si plures venditiones intercesserint, & unica manûs mutatio facta sit, unum tantùm laudimium debetur juxta pretium contractûs posterioris, *Bacquet des Justices, c. 21.*

n. 312. & momentanea manûs mutatio non ſufficit ut aliud laudimium debeatur: & ſi emptor ante rei traditionem vendiderit alteri, ut ſatisfaceret venditori, & pretio numerato à ſecundo emptore rem ſibi traditam ei tradiderit, unum ſolum laudimium debetur ex poſteriori venditione, quia non videtur cepiſſe qui mox reſtituere debet, *l. Non videtur, ff. de reg. jur. Molin. in Conſuet. Pariſ. tit.* 2. §. 33. *n.* 117. Quam ſententiam probo, ſi principalis venditor intervenerit in poſteriori venditione, vel ex ejus mandato ea facta ſit: eo enim caſu duæ illæ venditiones in unam coaleſcunt, ſin minùs ex duplici venditione perfecta, & conſummata rei traditione, eodem tempore vel diverſo, duplex laudimium debetur.

V. Si venditio celebrata ſit cum pacto additionis in diem, ſcilicèt ſi intra menſem alter plus obtulerit pretii res ſit inempta, & ex pacto contractu reſoluto, quæritur an laudimium debeatur: eſt diſtinguendum, aut illud pactum fuit appoſitum in diſpoſitione contractûs, & conditionis eventu intra illud tempus altero plus offerente, venditori licet ab illa venditione priore recedere, & plus offerenti vendere, nullumque ex illa priore venditione reſoluta laudimium debetur: nam illud pactum efficit venditionem conditionalem, & conditione ſecutâ contractus recidit in non eſſe, *l. ubi autem, & l. Imperator, ff. de pacto additionis in diem.* Interim tamen conditione pendente laudimium ſolvi debet domino directo, ſalvâ repetitione, ſi venditio reſolvatur ex pacto, *Molin. in Conſuet. Pariſ. tit.* 1. §. 3. *Gl.* 2. *n.* 34. niſi pactum excurrerit in longum tempus, & per decennium res ſteterit in manu emptoris: eo enim caſu non obſtante pacto & conditione adjectâ laudimium debetur: aut illud pactum fuit adjectum in clauſulis executivis contractûs, & tunc non facit contractum conditionalem, ſed actionem parat venditori, ut poſſit à venditione priori recedere, & alteri plus offerenti vendere, quamobrem laudimium debetur ex venditione: ſed non debetur ex reſolutione, quia reſolutio fit ex pacto adjecto contractui, ut mox dicemus de pacto legis commiſſoriæ.

VI. Si pactum legis commiſſoriæ in venditione appoſitum fuerit, ſcilicet ſi emptor intra certum tempus pretium non ſolverit res ſit inempta, tale pactum non facit contractum conditionalem, ex quo laudimium ſolvi debet, & repeti non poteſt: verùm actionem parat venditori ut rem repetere poſſit, nullumque ex diſtractu laudimium debeatur: nam dominus ex contractu laudimium recepit, ex quo fit diſtractus, & venditio ſolvitur.

VII. Idem dicitur ſi contrahentes convenerint rem inemptam fore ſi emptori diſplicuerit intra certum tempus: ex tali venditione laudimium debetur, & repeti non poteſt, ne liberum ſit emptori fraudare dominum directum: at ex diſtractu ſi res emptori diſplicuerit, & venditor rem receperit, non debetur aliud laudimium, quia diſtractus fit non per novam venditionem, ſed per averſionem emptoris à venditione; hoc pactum ſi diſplicuerit admittitur, *l. Si convenit, ff. de reſcind. vendit.* nam illud intelligitur de arbitrio boni viri; ſed pactum ſi noluerit non admittitur, quòd ſit contrarium contractui, *l.* 7. *ff. de contrah. empt.*

VIII. At ſi pactum de retrovendendo adjectum ſit in contractu, & poſt traditionem rei venditio reſolvatur, vi pacti, fiat retrovenditio & retrotraditio, duplex debetur laudimium, alterum ex contractu, alterum ex diſtractu: nam talis diſtractus non fit per ſolam averſionem à venditione facta, ut de pacto legis commiſſoriæ diximus: ſed per novam venditionem ex qua novum laudimium debetur, *Molin. in Conſuet. Pariſ. tit.* 1. *Gl.* 1. *n.* 19. Alii verò accuratiùs diſtingunt, aut pactum de retrovendendo appoſitum fuit in ipſo contractu, aut poſt contractum ante rei traditionem, aut poſt rem traditam. In primo caſu, reſoluto contractu per novam venditionem laudimium debetur in prima venditione, quia pactum illud non facit venditionem conditionalem, ut de pacto additionis in diem diximus: ſed ex nova venditione reſolutiva prioris non debetur novum laudimium: nam illa venditio fit vi pacti in priori venditione appoſiti, ex cauſa neceſſaria. Idem dicendum eſt ſi pactum de retrovendendo poſt contractum perfectum, ante rei traditionem conventum fuerit: nam res dicitur integra ante traditionem, & re integrâ licet contrahentibus à venditione perfecta diſcedere, *l.* 2. *ff. quando liceat à venditione diſcedere.* Ergo eiſdem licet de retrovendendo convenire. At ſi pactum de retrovendendo initum fuerit inter contrahentes poſt contractum perfectum & rem traditam, in eo conveniunt omnes duplex laudimium deberi, alterum ex venditione, & alterum ex retrovenditione: ibi enim eſt duplex venditio, & duplex traditio, & manûs mutatio, *Tiraquellus de retractu conventionali*, §. 6. *q.* 2. *n.* 2. *Olive lib.* 2. *tit.* 18.

IX. Si venditio sit nulla ipso jure, aut resolvatur ex causa necessaria, metûs gravis, vel doli mali, aut beneficio ætatis, laudimium non debetur ex ea, & solutum repetitur, *Jason in l. finali, C. de jure emphyt. Boërius in Consuet. Byturigum, de consuetudine Feudi*, §. 19. *Molineus in Consuet. Paris. tit.* 1. §. 33. *Gl.* 1. *n.* 45. *& Gl.* 6. *n.* 36. In istis casibus laudimium solutum non repetitur à venditore, sed à domino aut ejus fermario qui recepit conditione sine causa: repetitur autem re evicta emptori, tametsi in illo Judicio dominus aut fermarius vocatus non fuerit, *Cleperus Causa* 66. quibus tamen à sententia licet appellare, aut collusionem detegere, si colluserè contrahentes ita convenerint.

X. Si maritus fundum dotalem vendiderit, venditio nulla est ob prohibitionem Legis Juliæ, & uxore vindicante, fundo evicto, Judicis sententiâ, vel partium consensu, laudimium emptori restitui debet, ut judicatum fuit in Audientia Pauperum ante Pascha, anno 1623. tametsi extra jus emptor uxori vindicanti jure cessisset.

XI. Verùm pendente rescisione contractûs inter emptorem & venditorem, emptor solvere tenetur laudimium domino provisionaliter cautione juratoriâ interpositâ de restituendo, si venditio rescisa fuerit, & laudimium restituendum sit. Ita fuit judicatum *Arresto mensis Maii anno* 1628. ne partium disceptationibus solutio laudimii debiti retardetur, *Molin. in Consuet. Paris. tit.* 2. §. 78. *Gl.* 1. *n.* 18. *ex l. fin. C. sine censu.*

XII. Si venditio resolvatur ob læsionem enormissimam inter majores, *ex l.* 2. *C. de rescind. vendit.* laudimium non debetur, & solutum repetitur: & si emptor supplere malit justo pretio, & prædium retinere, laudimium supplementi solvere tenetur domino, *Molin. in Consuet. Paris. tit.* 2. §. 55. *Gl.* 5. *n.* 31. *Bacquet des Justices, ch.* 21. *n.* 312. Tamen si res steterit per annum in manu emptoris, & ex fructibus usuras pretii & laudimium recuperare potuerit, laudimium non debet restitui, quòd pretium possessionis est, *Molin. ibid. n.* 44.

XIII. Si res vendita retrahatur jure gentilitio, vi Statuti, laudimium non debetur ex retractu; nam beneficio Statuti retrahens subrogatur in locum emptoris, eique si solverit laudimium restituere tenetur, *Charondas lib.* 7. *Resp. n.* 178.

XIV. Si res pignorata ad instantiam creditoris authoritate Judicis distracta fuerit, ut ipsi satisfieret, ex Statuto hujus Patriæ redimi potest intra annum: olim nullum debebatur laudimium, neque ex alienatione, neque ex redemptione: nam solutione facta creditori à debitore redimente alienatio recidit in non causam beneficio Statuti, *Bertrandus cons.* 61. *n.* 4. *lib.* 2. *Faber C. de rescind. vend. def.* 6. Hodiè verò laudimium debetur ex alienatione post pignoris distractionem & addictionem factam creditori, tum pro sorte, usuris, & expensis sibi debitis, tum pro laudimio. Ita judicatum fuit variis Arrestis, ut notatur in novo Commento nostri Statuti, ob interesse dominorum, & ipsorum Judicum. Verùm laudimium novum non debetur ex redemptione, quia fit beneficio Statuti ex causa necessaria.

XV. Nec solùm laudimium debetur habitâ ratione valoris & æstimationis rei quæ addicitur creditori pro pecunia debita, sed etiam laudimium debetur quintæ partis valoris ejusdem rei, quæ detrahitur ex æstimatione illius in gratiam creditoris, si sit extraneus, pro eo quod ejus interest, prædia in solutum pecuniæ sibi debitæ recipere in territorio alieno; ut judicatum fuit pro domino, *Arresto mensis Februarii anno* 1629. Pro domino fit æstimatio rei valoris plenè, & pro creditore extraneo cum diminutione quintæ partis, ne dominus diminutionem juris sibi debiti patiatur, ex qualitate creditoris extranei.

XVI. Si venditio fiat ex die, vel sub conditione, laudimium non debetur, nisi post adventum diei, vel conditionis implementum: tamen ne dominus defraudetur, si res emptori tradita sit, laudimium interim solvi debet, salvo jure repetendi si ante terminum adjectum vel conditionis eventum contractus non sortiatur suum effectum, *Molin. loco citato, tit.* 1. §. 76. *n.* 34.

XVII. Si constante matrimonio bona mariti vergentis ad inopiam, pro repetitione dotis uxori addicta fuerint, laudimium non debetur nisi post mortem mariti: nam illa addictio aut collatio, est potiùs oppignoratio in securitatem dotis, quàm irrevocabilis alienatio: & si alius sit fermarius juris laudimialis tempore mortis, alius tempore collocationis, laudimium debetur ei qui fermarius est tempore mortis, quoniam ab eo tempore fit translatio dominii & possessionis in uxorem: *Vide infrà tit.* 15. *n.* 4.

XVIII. Si debitor dederit creditori suo pignus in solutum pecuniæ debitæ, laudimium debetur; nam talis alienatio venditio est: at ex prædio dato liberis pro jure succes-

sionis, aut legitimæ sibi debitæ in bonis ascendentium, vel ascendentibus in bonis descendentium, laudimium non debetur, quia alienatio fit ex causa necessaria, *Jason in l. fin. C. de jure emphyt. Molin. loco citato, tit.* 1. §. 3. *Gl.* 20. Ita judicatum *Arresto mensis Maii anno* 1623. Ex quibus sequitur, quòd si dos à patre vel à matre fuerit constituta filiæ in certa pecuniæ quantitate, & pro solutione hæredes prædium laudimiale dederint, nullum ex tali alienatione laudimium debetur ex causa necessaria, quia prædium cedit loco legitimæ.

XIX. Verùm si prædium genero datum fuerit æstimatum in dotem filiæ à patre vel à matre, aliove ascendente, & mortuâ filiâ maritus velit illud retinere, & pretium solvere, laudimium solvere tenetur, *Molin. loco citato:* nam æstimatio facit emptionem, *l. Quoties, ff. de jure dot.* Si verò nolit retinere prædium remanet in bonis uxoris, & laudimium non debetur ab ea, nec ab hæredibus illius, quia succedunt in idem jus pro legitima debita: si maritus in contractu matrimoniali, habens optionem, dicat se velle prædium æstimatum retinere, fit emptio, *l. Cùm dotem, C. de jure dot.* laudimium debetur fermario temporis præsentis: si verò nihil dixerit, & retinere velit post mortem uxoris nomine proprio, laudimium debetur fermario temporis mortis uxoris, constante matrimonio possidet ut maritus habens dominium civile, & mortuâ uxore possidet naturaliter & civiliter ut dominus.

XX. Suprà diximus laudimium non deberi si bona fuerint addicta marito pro dote uxoris in bonis ascendentium: secùs si à collaterali dos fuerit constituta patruo vel avunculo, aut fratre, in quibus casibus laudimium debetur, ut si ab extraneo dos constituta sit: at si bona paterna aut materna fuerint addicta marito, pro dote uxoris, nec non pro usuris, sumptibus litis & executionum, & quinta pars valoris detracta sit, in gratiam illius, quòd sit extraneus: dubitatur an laudimium debeatur pro usuris, sumptibus litis, & quinta parte: hæc enim non sunt accessoria dotis, cùm sint mariti, & dos sit uxoris; ideò judicatum fuit laudimium deberi à marito, *Arresto anni* 1628. relato in novo Commento Statuti: tamen si uxor haberet bona parafernalia penes maritum compensatione facta cum usuris marito debitis, & sumptibus ab eo erogatis, dicendum esset integra illa bona ad uxorem pertinere; nam maritus ut procurator legitimus rem uxoris gerere debet, & abstinentem ab omni lucro fidem præstare, nullumque eb ea laudimium deberi.

TITULUS III.

An Laudimium debeatur ex permutatione.

SUMMARIUM.

I. Consuetudo loci spectanda est. Laudimium debetur pecuniæ datæ pro supervalentia rei permutatæ.

I. IN permutatione prædiorum laudimialium consuetudo loci ubi illa sunt sita servanda est: alibi nullum debetur laudimium, alibi debetur integrum, alibi dimidiatum: tamen si res pretii minoris permutetur cum re majoris valoris, & pecunia supererogetur, pro supervalentia, venditio est, & laudimium integrum debetur pecuniæ sepererogatæ, *Bart. in l.* 1. *ff. de rer. permut. Bald. in l.* 1. *C. eod. tit. Pyrrhus in Consuet. Aurelian. de Feudis, n.* 61. *Guid. Pap. q.* 92.

TITULUS IV.

An Laudimium debeatur ex Institutione, Legato, vel donatione.

SUMMARIUM.

I. Ex institutione, legato, vel donatione, inter ascendentes & descendentes laudimium non debetur. Ab hærede extraneo laudimium non debetur, à legatario vel donatario extraneo debetur. Moribus nostris ex legato vel donatione facta extraneo nec laudimium debetur nec relevium. Si hæres rem extraneo legatam pecuniâ redimat laudimium debetur.

Quòd

I. QUÒD inter aſcendentes & deſcendentes, ex inſtitutione, legato vel donatione laudimium non debeatur, ſive ſpecies ipſa legata vel donata tradatur, ſive pecunia redimatur, ſuprà dictum fuit: at ſi agatur de hærede, aut legatario vel donatario extraneo, extra lineam deſcendentium vel aſcendentium, veteres exiſtimaverunt ab hærede extraneo laudimium non deberi, *Speculator in tit. de jure emphyteut. quæſt.* 113. & à legatario vel donatario extraneo deberi, *Jaſon in l. finali, Cod. de jure emphyteutico*, quem ſecuti ſunt ex modernis, *Julius Clarus in §. emphyteuſis, quæſt.* 23. *Papon lib.* 13. *Placitorum tit. num.* 19. ubi tamen Papon nihil affirmat, ſed conſuetudinem loci ſpectandam eſſe monet. Moribus Galliæ, ex inſtitutione, legato vel donatione facta extraneo relevium debetur, non laudimium: moribus iſtius Provinciæ nec debetur relevium nec laudimium. Sic judicatum fuit de legato relicto extraneo *Arreſto menſis Novembris anno* 1619. nam relevium quod debetur ex cauſa lucrativa apud nos non eſt in uſu, laudimium verò quod debetur ex venditione, aliove contractu in venditionem cadente, eſt velut pretium inveſtituræ, & prælationis, cui dominus inveſtiendo vaſſallum renuntiat: at in donatione & legato jus prælationis non debetur domino: ergo neque laudimium, niſi res ea fuerit legata extraneo, aut donata pro pecunia debita, eo enim caſu legatum vel donatio in venditionem cadit, ut de datione in ſolutum ſuprà diximus; aut hæres rem eam legatam vel donatam pecuniâ redimat, iis caſibus laudimium debetur ex cauſa præcedenti legatum, vel ſubſecuta; ut judicatum fuit de re redempta ab hærede, *Arreſto menſis Aprilis anno* 1637. habitâ ratione pecuniæ debitæ, non rei valoris: nam quod amplius eſt in rei valore, donatio eſt, de qua laudimium non debetur: ſecùs ſi alienatio incipiat à venditione, in qua ſpectatur rei valor, ne fraus fiat domino directo, ſi res magni pretii modico pretio vænierit, ut diximus ſuprà.

TITULUS V.

An laudimium debeatur ex diviſione.

SUMMARIUM.

I. Ex diviſione facta inter cohæredes extraneos, aut inter ſocios, laudimium non debetur.

II. Ex ſupplemento pecuniæ datæ vel promiſſæ ob commoditatem diviſionis laudimium non debetur

III. Si alienatio rei communis incipiat à venditione inter ſocios laudimium debetur.

I. EX diviſione facta inter cohæredes laudimium non debetur, ſive ſint ſui hæredes, ſive extranei, *Bart. in l. & ideò ff. de condict. furtiva*: nec debetur ex diviſione rei communis facta inter ſocios aut conſortes ejuſdem rei judicio communi dividundo, per Arbitros, aut partium conventionem: nam in diviſione non fit alienatio, ſed quilibet ſuum recipit, *ut ait Guid. Pap. q.* 48.

II. Sed neque laudimium debetur, ſi res non poſſit dividi in partes æquales, & alter alteri pecuniâ ſupplementum valoris præſtare debeat; nam talis alienatio pluris valoris & pecuniæ præſtatio fit ob commoditatem diviſionis, ex qua cùm ſit neceſſaria, ne partes cogantur in communione remanere, non debetur laudimium.

III. Neque ſi ſocii inter ſe conveniant de re communi; & ea integra alteri illorum tradatur cum ceſſione jurium, vel per arbitrum adjudicetur ſub certo pretio inter eos dividendo: nam talis adjudicatio ſive fiat per modum licitationis, vel non, neceſſaria eſt ob commoditatem diviſionis, *l. ſi pignore, ff. famil. erciſc. Boërius in Conſuet. Byturigum, de conſuetudine Feudi: Loët. in lit. L. n.* 9. Ergo ex ea laudimium non debetur, ſi res ea remaneat penes alterum eorum, *Loët. ibid.* Nam ſi inter eos ſpectetur commodum venditionis; ut res ea pluris vendatur integra quàm diviſa per partes, & extraneo adjudicetur, venditio eſt facta ex communi partium conſenſu, ex qua laudimium debetur.

TITULUS VI.

An laudimium debeatur ex generali distributione bonorum debitoris inopis.

SUMMARIUM.

I. Ex alienatione necessaria laudimium non debetur. Ex generali distributione bonorum debitoris inopis laudimia debentur.

I. EX communi Doctorum sententia laudimium non debetur ex alienatione necessaria, ratione petitâ *ex l. cum fidei hæredis, ff. de fideicomm. libert.* ubi fit distinctio alienationis voluntariæ & necessariæ: quam sententiam limitat Papon, si necessitas sit ex parte utriusque emptoris & venditoris, *lib.* 13. *placitorum tit.* 2. *num.* 22. hinc nonnulli crediderunt laudimium non deberi ex alienationibus bonorum debitoris inopis factis ex judicis decreto in generali distributione bonorum inter creditores, necessitate ibi interveniente, tum ex parte venditoris, tum ex parte creditorum, qui emptorum loco habentur, & solutionem pecuniæ sibi debitæ aliter assequi neqeunt: at cum dicimus alienationem necessariam, inspicimus causam alienationis, obligationem ex qua fit alienatio: hìc verò tametsi alienatio sit necessaria, obligationes tamen quas debitor contraxit, & ex quibus alienatio fit, fuerunt voluntariæ: ergo laudimia debentur ex hujusmodi alienationibus dominis directis, ut priora & antiquiora hypothecis creditorum, in prædiis feudalibus & emphyteuticariis hoc jure utimur.

TITULUS VII.

An laudimium debeatur ex transactione.

SUMMARIUM.

I. Laudimium non debetur ex transactione si proprietas accedat possessioni, vel possessio proprietati.

II. Laudimium debetur ex transactione ficta & fraudulenta.

I. SI de lite mota de prædio laudimiali transactum sit, aliquo dato vel promisso, laudimium non debetur: sive possessio illius prædii retenta sit, sive in alium translata, *Molin. quem citat Ferrerius ad Guid. Papam, quæst.* 48. *Expili c.* 149. *Cleperus causa* 66. *q. unica*: alii vero affirmant laudimium deberi, si per transactionem fiat manûs mutatio *Scholiastes Loëtii in lit. I. nu.* 5. ad consiliandas illorum sententias est distinguendum: nam per distinctionem casuum veritas quæstionis elucidatur: aut per transactionem possessio rei transfertur in proprietarium; ex eo casu, sive proprietarius pecuniam dederit sive non, laudimium non debetur: nam proprietarius non acquirit jus novum, sed recuperat amissum, & litem redimit: transactio fit ex causa necessaria & antiqua, ex qua, ut suprà diximus, laudimium non debetur: aut per transactionem dominium transfertur in possessorem ejusdem rei, & similiter eo casu laudimium non debetur: nam laudimium debetur ratione investituræ & possessionis adeptæ: ergo si ille possessionem adeptus fuerit, laudimium solverit, si solvere deberet, & à domino fuerit investitus, aliud laudimium solvere non tenetur ex eadem causa, perinde ac si proprietarius ipse interveniisset in venditione facta à non domino, aut eam ratam habuisset: si verò non solverit laudimium, & solvere deberet ex causa venditionis, aliave causa in venditionem cadente, solvere tenetur: & si sint duo fermarii, laudimium debetur primo qui fermarius erat tempore venditionis, non secundo qui fermarius est tempore transactionis: nam per transactionem jus quæsitum declaratur, non tribuitur.

Aut per transactionem prædium datur loco pecuniæ, pro conservando prædio litigioso, & redimenda lite, & laudimium debetur illius prædii de novo acquisiti, & in solutum dati.

II. Aut transactum fuit de lite ficta & simulata ad fraudandum patronum inter empto-

rem & venditorem, vel ad excludendum jus prælationis, vel tegendum laudimium debitum: & patrono fraudem detegenti laudimium solvitur cum usuris & litis expensis; nam malitiis hominum non est indulgendum.

TITULUS VIII.

An laudimium debeatur ex locatione.

SUMMARIUM.

I. Locatio rei Ecclesiasticæ fit in triennium, rei profanæ in quinquennium. Laudimium debetur ex locatione excurrente decennium.

I. EX locatione non debetur laudimium, quoniam per eam non fit manûs mutatio; conductor possidet nomine locatoris, *Gl. in l. Codicillis, §. instituto, ff. de leg. 2.* Regulariter locatio fit in quinquennium, & Jure Canonico prædia Ecclesiæ locantur in triennium, *Extravag. ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis:* tamen res privatorum in longius tempus locari possunt: si locatio non excurrat decennium, nullum laudimium debetur, quia non fit manûs mutatio: si excurrat decennium, veteres existimaverunt nullum laudimium deberi, ob eandem rationem, *Boërius quæst. 235. Papon lib. 13. Arrestorum, tit. 2. num. 21.* Contrarium tamen servatur; nam decennium est longum tempus in Jure, *Gl. in l. 3. §. si servus, ff. de acquir poss.* & locationes hujusmodi factæ in longum tempus videntur fieri in fraudem dominorum aut fermariorum, ut mutato fermario minus solvatur pro laudimio, & laudimium solvitur habitâ ratione mercedis totius locationis.

TITULUS IX.

An laudimium debeatur ex locatione perpetua.

SUMMARIUM.

I. Ex prima investitura contractûs emphyteutici laudimium non debetur.
II. Ex locatione perpetua sub censu annuo laudimium debetur habitâ ratione illius censûs. Retractus gentilitius habet locum in locatione perpetua, & retrahens non potest sortem extinguere.
III. Ex societate inita inter emphyteutam & colonum laudimium non debetur.

I. EX prima investitura contractûs emphyteutici laudimium non debetur, *Bacquet des Just. c. 12. n. 17.* nam in prima investitura formatur jus dominii directi, & jus laudimiale, & causa naturâ prior est suo effectu: emphyteuta non potest eandem rem in emphyteusim dare, cùm non habeat dominium directum quod sibi retineat: at vassallus potest ex consensu domini rem feudalem dare in retrofeudum vel emphyteusim, ut diximus suprà, retento dominio, quod respectu domini superioris dicitur utile, & respectu subvassalli censetur directum ratione juris laudimialis sibi debiti in casu alienationis: emphyteuta potest rem emphyteuticariam vendere, vel donare, vel locare ad tempus, vel in perpetuum colono censito vel partiario, seu sub certo censu annuo, aut pacto de quota fructuum annuatim percipiendorum.

II. Si locatio perpetua facta sit sub certo censu annuo in pecunia vel fructibus præstando, laudimium debetur domino habitâ ratione valoris sortis illius reditûs, *Mol. in Consuet. Paris. tit. 1. §. 33. Gl. 2. n. 62.* & in locatione hujusmodi retractus gentilitius locum habet, retrahens non potest sortem extinguere, & tenetur annuatim solvere, *Mol. ibid.* idem juris est si locatio facta sit colono partiario.

III. At si emphyteuta agros steriles & desertos acceperit ad colendum & meliorandum; eosque aut partem illorum dederit ad culturam pacto inito, de prædiis illis post certum tempus inter eos dividendis, societas est, ex qua nullum laudimium debetur domi-

no directo, neque ex concessione, neque ex divisione inter eos subsecuta; nam culturâ res fit melior, & jura domini directi crescunt, & tum concessio ad excolendum & meliorandum, tum divisio facta videtur ex causa necessaria. *Ita judicatum fuisse Tholosæ refert Olive lib. 2. tit. 2. n. 16.*

TITULUS X.

An laudimium debeatur ex Alienatione Feudi hæreditarii à Vassallo facta.

SUMMARIUM.

I. Ex consuetudine debetur. Ædificiorum etiam constructorum laudimium debetur.

I. DIXIMUS suprà moribus Galliæ Feuda hæreditaria & patrimonialia censeri, ut bona emphyteuticaria, & à vassallo alienari posse, nisi in investitura alienatio prohibita sit: de jure ex alienatione rei feudalis laudimium non debetur, cùm ex Consuetudinibus Feudorum alienatio prohibita sit: sed moribus nostris debetur, quibus alienatio permittitur, sicut ex alienatione rei emphyteuticariæ, *Boërius in Consuet. Bytur. de Feudis, Cujacius lib. 2. de Feudis, tit. 7. Ferrerius ad Guid. Pap. q. 167.* Nec solùm laudimium debetur fundi feudalis vel emphyteuticarii, sed etiam ædificiorum in eo constructorum, *Alexander cons. 5. vol. 5. Ranchinus ad Guid. Pap. q. 167.*

TITULUS XI.

An laudimium debeatur portionis desertæ alteri consorti accrescentis.

SUMMARIUM.

I. Portionis desertæ ab uno & consorti accrescentis non debetur laudimium. Idem jus observatur inter possessores rei censitæ.

I. CUM plures sunt vassalli vel emphyteutæ, & alter eorum portionem suam deserit, portio deserta accrescit portionibus cæterorum, pro modo portionis quam quisque possidet, ut dicemus infrà: cujus acquisitionis laudimium nullum debetur domino: nam talis acquisitio fit ex lege investituræ, ex causa necessaria, etiam invito: idem jus servatur inter plures possessores rei censitæ, quam emphyteuta cessit in annuum super censum altero eorum deserente.

TITULUS XII.

An laudimium debeatur ex reversione rei feudalis vel emphyteuticariæ finito Feudo vel Emphyteusi.

SUMMARIUM.

I. Finito Feudo vel emphyteusi laudimium non debetur ex reversione rei ad dominum directum.

II. Ex commisso aut confiscatione, Feudo finito, & re reversa ad dominum, non debetur laudimium.

I. RESPONDETUR nullum laudimium deberi dominis directis, ex reversione rei feudalis vel emphyteuticariæ feudo vel emphyteusi finitâ: nam talis acquisitio fit ex lege investituræ Juris necessitate, *Bacquet des Justices, ch. 12. n. 17.* At si Ecclesia rem feudalem vel emphyteuticariam moventem à domino superiore ad se reversam feudo vel emphyteusi finitâ, alteri cedat, ut se liberet à jure morticinii, laudimium debetur illius acquisitionis domino superiori: idem dicitur de aliis vassallis & subvassallis.

II. Et si per confiscationem res fuerit acquisita domino Justitiario, laudimium illius

acquisitionis nullum debetur Regi à quo res mediatè movetur, quia talis acquisitio fit ex lege feudi Juris necessitate: & si Regi res publicata sit, Rex Domino subalterno nullum laudimium præstare tenetur ob eandem rationem: verùm si Rex eam vendiderit, emptor acquisitionis suæ laudimium domino subalterno solvere tenetur: nam per confiscationem non fit præjudicium dominis subalternis, excepto casu criminis Læsæ-Majestatis, ut dicemus infrà.

TITULUS XIII.

De taxa laudimii.

SUMMARIUM.

I. Consuetudo loci spectanda est. Quis sit modus hujus Provinciæ.
II. Si fraus intervenerit in pretio.
III. Si onera fuerint adjecta loco pretii.
IV. Si cum Universitate bonorum res sit vendita.

I. IN taxa laudimii consuetudo loci spectanda est, si non constet ex investitura: alibi laudimium est quintus denarius pretii, & subquintus, seu quintus illius quinti, ex Consuetudine Aurelianensi, *c. 6.* Apud nos taxa fit habitâ ratione pretii conventi: si sit laudimium simplex, modus est viginti quinque librarum, pro centum nummis: si laudimium debeatur cum trezeno, *lods & treizain*, modus est onerosior, scilicet sexta pars pretii conventi.

II. Si fraus intervenerit in contractu, & res pretio minori vendita sit, remissâ supervalentiâ, fit æstimatio justi valoris impensis Domini, salvo jure repetendi, si fraus detegatur æstimatione factâ, *Molin. loco cit. tit.* 1. §. 33. *Gl.* 2. *n.* 32. Fraus arguitur ex enormitate læsionis in sexta parte juris sibi debiti, ut cùm agitur de læsione minorum: & si læsio sit minor, non est audiendus acerbus exactor, ex Constitutione Henrici II. *tit. des Notaires, art.* 21. *quam refert Ferrerius ad Guid. Pap. q.* 171. fraudator privatur jure suo; verùm illa Constitutio apud nos non est in usu.

III. Et si in venditione onera fuerint apposita in partem pretii, & utilitatem venditoris, res æstimatur quanti fuit tempore contractûs detractis illis oneribus impensis domini, *Mol. loco cit.* nisi illa onera fuerint apposita citra rei valorem, ad inducendum venditorem.

IV. Si non constet de pretio, putà si hæreditas fuerit vendita, aut plura prædia à diversis dominis moventia, eodem pretio, fit æstimatio prædii controversi separatim impensis domini, *Molin. ibid.*

TITULUS XIV.

Quâ actione pro laudimio Dominus debeat experiri.

SUMMARIUM.

I. Actione personali emptor convenitur pro laudimio acquisitionis suæ.
II. Possessor rei laudimialis pro reliquis debitis ante suam acquisitionem convenitur actione hypothecaria indiscusso debitore.

I. HÆC actio oritur ex ipsa investitura, vel à lege, *ex l. fin. C. de jure emphyt.* ubi jus laudimiale, quod Græci appellant ἐισοδίκιον, taxatur, ne transcendat quinquagesimam partem pretii: verùm, ut suprà diximus, consuetudo loci spectatur. Idem observatur in investitura feudali: nam, ut diximus suprà, Feuda ad instar emphyteusis redacta sunt: & dicitur condictio ex lege, quâ vassalli & emphyteutæ tenentur laudimium solvere dominis in suo ingressu in possessionem rei feudalis vel emphyteuticariæ: tamen si fuerint in mora solvendi, usuræ non currunt nisi ab interpellatione, ut diximus suprà.

II. Si plures venditiones intercesserint, & per manus plurium possessorum res ambu-

laverit, pluraque debeantur laudimia, dominus singulos pro laudimiis à se debitis potest convenire actione divisa, *Faber C. Sine censu vel reliquis fundum vectigalem comparari non posse*; vel in solidum ipsum rei possessorem actione hypothecariâ, prioribus rei possoribus indiscussis, ut rem pignoratam dimittat, & ex licitatione & pretio illius sibi satisfiat, aut solvat reliqua censûs, & laudimia sibi debita: idemque possessor suos authores potest convenire actione empti, vel actione cessâ, cum eodem privilegio & hypothecâ.

TITULUS XV.

Si plures sint Domini directi Prædii Laudimialis.

SUMMARIUM.

I. Gratia facta à domino non obest condomino petenti partem laudimii sibi debitam. Altero laudante condominus retinere potest.

II. Laudimium debetur domino usufructuario.

III. Laudimium collocationis factæ pro dote constante matrimonio cui Fermario debeatur.

I. SI plures sint domini divisi, & alter remiserit partem laudimii sibi debitam, gratia ab eo concessa non obest condomino, *L. Proculo, ff. de leg.* 2. *L. Legatarius, ff. de leg.* 1. Et si alter velit laudare, alter retinere, qui retinere vult cogitur totum fundum retinere, & partem laudimii alteri domino præstare, ne emptor incidat in communionem, *Tiraquellus de retractu*, §. 11. *Gl.* 7. *n.* 4. Tamen non tenetur investituram petere, quia retinendo utitur jure suo, & emptorem debet à præstatione laudimii liberare. Vide infrà *lib.* 6. *tit.* 6.

II. Si alter habeat rei proprietatem, alter usumfructum, laudimium debetur domino usufructuario, ut de Censu diximus: nam in fructu est quidquid renascitur, *Boërius in Cons. Bytur. de consuetudine Feudi c.* 9. *Cleperus causa* 64. *q.* 1.

III. Si uxori constante matrimonio bona mariti addicta sint pro solutione aut securamento dotis, laudimium non debetur nisi à morte mariti: nam alienatio hujusmodi revocabilis est, marito veniente in pinguiorem fortunam, fit in securitatem dotis: consequenter si diversi sint domini aut fermarii juris laudimialis, laudimium debetur ei qui dominus est aut fermarius tempore mortis, *Guid. Pap. & ibi Ferrerius q.* 535. *Ita judicatum Arresto mensis Novemb. anno* 1622.

TITULUS XVI.

An Laudimium præscribatur.

SUMMARIUM.

I. Actio laudimii futuri non præscribitur. Actio laudimii præteriti præscribitur.

I. JUS laudimiale est annexum dominio directo; ideò sicut dominium directum est impræscriptibile, sic jus laudimiale debitum in signum superioritatis impræscriptibile est, nisi possessio fuerit interversa, ut diximus suprà: at sicut reliqua Censûs præscribuntur, sic laudimia præteriti temporis debita præscribi debent, ob negligentiam non petentis: nam reliqua præteriti temporis sunt separata à dominio, & velut mobilia censentur. Itaque sicut actiones personales præscribuntur spatio triginta vel quadraginta annorum, *L. Omnes, & L. Sicut, Cod. de præscr.* 30. *vel* 40. *ann.* sic hæc actio laudimialis pro reliquis debitis præscribitur à rei possessore qui rem acquisivit, vel ab ejus hærede, spatio triginta annorum contra dominum directum, etiam contra Regem, *Bacquet Traité du droit de desherance, ch.* 7. *&* 23. sive possessor rem eam acquisierit sciens esse vectigalem, sive ignorans, nam in præscriptione triginta annorum non habetur ratio malæ fidei, *Guid. Pap. quæst.* 199. *Faber, C. de Sacros. Eccl. def.* 16. & hoc jus non censetur de-

bitum niſi petatur intra tempus Juris: & contra Eccleſiam præſcribitur quadraginta annis, *Auth. Quas actiones, C. de Sacroſ. Eccl.* Si verò de tertio poſſeſſore agatur, qui bona fide rem eam acquiſivit ut liberam, dicendum eſt eum non obligari actione perſonali niſi ex quo ſcivit in judicio rem eſſe laudimialem, ut notavimus ſuprà: tenetur tamen actione hypothecariâ pro reliquis cenſûs, & laudimiis ab authore ſuo debitis, quæ præſcribitur contra dominum à poſſeſſore bonæ fidei ex emptione, aliave cauſa oneroſa, ſpatio decem annorum, aut viginti ſi poſſideat ex cauſa lucrativa, *L. 1. & 2. C. Si adv. creditorem præſcr. oppon.* & quadraginta annis contra Eccleſiam, *Auth. Quas actiones, C. de Sacroſ. Eccl.* Eodem jure fiſcum & Univerſitates uti poſſe probabilius eſt, ex iis quæ ſuprà notavimus, ob viciſſitudinem & negligentiam Rectorum.

LIBER VI.

DE JURE PRÆLATIONIS.

TITULUS PRIMUS.

Quo jure Retractus dominicus fuerit introductus.

SUMMARIUM.

I. Jus prælationis jus honorificum. Hoc jus in emphyteusi introductum ad Feuda extensum. Ne dominus vassallum novum invitus cogatur investire.

I. HOC jus in Constitutione Friderici dicitur jus πρωτιμησίως jus honorificum: quæ tamen Constitutio de Retractu gentilitio solùm loquitur, non de feudali: nam prædia feudalia alienari non poterant; & si alienarentur invito domino, ab eo vindicari poterant intra triginta annos, sine pretio, *c. Imperialis*, & *c. Si quis post triginta annos*, *lib. 2. de Feudis*. Moribus nostris Feuda sunt hæreditaria & patrimonialia, alienari possunt, ut bona emphyteuticaria, salvo jure domini: & sicut domino emphyteuticario laudimium debetur in casu alienationis, sic idem jus debetur domino feudali, ut diximus suprà: sicut jure suo dominus emphyteuticarius rem alienatam à vassallo sine licentia sua potest revocare aut retrahere, *L. 2. C. de jure emphyt.* sic dominus feudalis eodem jure uti potest, ne invitus novum vassallum investire cogatur, §. *Porrò*, *lib. 2. de Feudis*, *Papon lib. 2. Placitorum 1. n. 5.*

TITULUS II.

Quo tempore Retractus præscribatur.

SUMMARIUM.

I. Cognatis præscribitur spatium triginta dierum à denuntiatione.

II. Domino emphyteuticario dantur duo menses. Domino feudali datur annus.

III. Ut notitia probetur. Post decennium retrahens non admittitur. Emptor excusatur ab omissa investitura post triginta annos.

I. COGNATIS, agnatis, & affinibus, dantur triginta dies ad retrahendum, Constitutione Friderici suprà citatâ, idem apud nos Statuto cautum fuit; absentibus verò, si denuntiati non fuerint, datur decennium, ordine servato inter eos, si sint plures, & prærogativa gradûs. Sic judicatum fuit variis Arrestis Parlamenti hujus Provinciæ, 7. *Maii* 1616. *& mensis Decembris anni* 1635.

II. Dominus emphyteuticarius habet duos menses ad retrahendum, *L. fin. C. de jure emphyteut.* quod tempus non currit nisi à denuntiatione, & eâ omissâ dominus admittitur intra decennium, *Cujac. ad d. L. fin. C. de jure emphyt.* juxta Constitutionem Friderici suprà citatam *de Afflictis Tr. de jure* πρωτιμησίως: & dominus feudalis habet annum, §. *Porrò*,

rò, *de Feudis*, *suprà cit.* à die denuntiationis: alibi datur annus & dies in retractu gentilitio, ut in feudali, Constitutione Henrici III. *anni* 1581. à die notitiæ: quâ tamen Constitutione Statutis & Consuetudinibus locorum non derogatur.

III. Tempus datum ad retrahendum in retractu gentilitio currit vel à die denuntiationis, vel à die publicatæ venditionis apud Acta Judicis ordinarii, ex Constitutione Gallicâ suprà citatâ. Et si venditio neque denuntiata nec publicata fuerit, tempus currit à die notitiæ, quæ probatur testibus vel litteris, nempè si retrahens præsens fuerit in licitatione, aut contractu rei venditæ, vel in loco ubi venditio celebrata fuit, & vicini ejus rei notitiam habuerint ex rumore & publica fama, *c. Quanto, de præsumpt.* vel notitia testibus probatur: At post decennium non requiritur alia probatio, quàm quæ resultat ex lapsu longi temporis, quo omnia revelantur. Contra dominum directum feudalem vel emphyteuticarium tempus retractûs currit à die denuntiationis: nam ex lege contractûs dominus debet denuntiari, ut ratam habeat venditionem, & det investituram, vel rem venditam retrahat; & quando denuntiatio requiritur ut denuntiatus aliquid faciat, non sufficit eum notitiam habuisse, nisi expresè denuntietur ut sciat & faciat, *Bald. in L. Empti, C. de eu.* Tamen retrahere volens post decennium non auditur, si emptor investituram petat, & jura debita offerat; & ab investitura omissa emptor non excusatur nisi præscriptione triginta annorum, *c. Si quis post triginta annos 2. de Feudis.* Hinc multi colligunt laudimium & retractum non præscribi contra dominum nisi lapsu triginta annorum, *Molineus, Chassanæus, quos citat Ferrerius ad Guid. Pap. q.* 51. quod licèt in laudimio servetur, ut suprà diximus de laudimio, non admittitur in retractu post decennium, ne rei possessor diutiùs sit in incerto.

TITULUS III.

Si venditio sit conditionalis, vel ex die, aut litigiosa.

SUMMARIUM.

I. Tempus retractûs currit post conditionis adventum. Si venditio facta sit ex die, retractus non admittitur ante diem. Retractus habet locum in alienationibus perpetuis.

II. Retractus in venditione facta à Procuratore sine mandato non currit, nisi ratihabitione secutâ.

I. SI venditio sit conditionalis, tempus retractûs dominici & gentilitii non currit, nisi post conditionis eventum, *L. 1. §. 2. ff. Quando de peculio actio annalis est, Ferrerius ad Guid. Pap. q.* 257. *Tiraquellus, & alii quos citat*, nisi conditio fraudulenter adjecta fuerit ad excludendum retractum: si venditio facta sit ex die, retrahens non admittitur ante diem; & si facta sit ad tempus, retractus non habet locum: quoniam pro alienationibus perpetuis, non pro momentaneis & reversuris, retractus fuit introductus.

II. Si à Procuratore venditio facta sit cum mandato, tempus currit à die contractûs: si sine mandato, aut dominus ratam habet venditionem, & tempus retractûs currit à die ratihabitionis, aut non habet ratam, & venditio non valet, nec locus est retractui, *Ferrerius loco citato.*

TITULUS IV.

Si pactum de retrovendendo, vel legis commissoriæ, vel addictionis in diem, fuerit adjectum in contractu.

SUMMARIUM.

I. & II. Retractus habet locum in venditione resolubili ex pacto adjecto vel legis commissoriæ, vel addictionis in diem, aut de retrovendendo. Pacta hujusmodi non faciunt venditionem conditionalem, sed resolubilem.

I. SI pactum de retrovendo intra certum tempus appositum fuerit in contractu, tempus retractûs non currit nisi post tempus pacti finitum: nam retractus non habet locum nisi in venditione perpetua & irrevocabili, *Joannes Faber Instit. de emptione & venditione, n. 2. Boërius in Consuet. Byturigum, de retractu §. 1. & alii quos citat Scholiastes Loëtii in litt. R, n. 46.* At venditio hujusmodi revocabilis est, vi pacti: ergo retractus non habet locum nisi pacto resoluto post temporis lapsum. Sic judicatum fuisse de retractu gentilitio refert Loëtius *loco citato.*

II. Alii verò volunt, non obstante pacto de retrovendendo, retractum habere locum à die contractûs, sub eodem pacto & onere, *Tiraquellus de retractu consanguinitatis, §. 1. Gl. 7. n. 66. Guid. Pap. q. 257.* Utraque sententia potest esse vera: nam ratio quæ allegatur in prima, quæstioni malè applicatur; quoniam sicut liberum est venditori prorogare executionem contractûs in certum tempus, sic licet ei prorogare executionem retractûs, non tamen suspendere, ne fiat fraus retractui: ergo non obstante pacto de retrovendendo, aliove resolutorio contractûs, retrahens potest post contractum perfectum jure suo uti, aut retrahere sub eodem pacto, vel expectare finem & executionem pacti, si malit, quo finito non submovetur à retractu, nisi post tempus retrahendi elapsum: sicut, non obstante pacto resolutorio, dominus potest laudimium petere, ut diximus suprà, sic potest uti jure retractûs, cùm utrumque jus ab eadem causa pendeat, ne conditio sua alieno facto aut pacto fiat deterior, *L. Debitorum, C. de pactis:* venditio ex sua natura perpetua est, & irrevocabilis, tametsi contrariis pactis appositis alteretur: & licèt vi pacti appositi sit resolubilis, tamen non est conditionalis: ergo quamvis in venditione conditionali retractui locus non sit, ob rationem suprà allatam, quia ante conditionis eventum venditio non est, in venditione resolubili retractui locus non debet negari, quia venditio perfecta est, & pactum resolutorium, æquè in persona retrahentis ac in persona emptoris potest impleri, ne jus concessum dominis directis & familiis eludatur.

TITULUS V.

An minores, filiifamilias, uxores, & alii agere non valentes, adversus lapsum temporis retrahendi restituantur.

SUMMARIUM.

I. Pupilli minores tutorem vel curatorem habentes non restituuntur.
II. Adversus lapsum temporis retractûs conventionalis minores restituuntur.
III. Uxor non restituitur. Absentes si denuntiati fuerint non restituuntur. Absentes si denuntiati non fuerint intra decennium restituuntur. De furiosis, ibidem.
IV. In retractu feudali vel emphyteutico restitutio non admittitur.

I. MINORES adversus lapsum temporis ad retrahendum statuti in retractu gentilitio non restituuntur, ex consuetudinibus Galliæ, & communi Doctorum sententia, quos citat Scholiastes Loëtii *in litt. R, n. 7.* nam retractus & tempus retrahendi Statuto vel consuetudine præscribitur, suis finibus limitatum, & qui eo uti volunt intra idem tempus admittuntur, non post, *Fab. C. Si adversus usucap. def. 2.* sive sint majores, sive minores: æquè enim minores obligantur ac majores, cùm non agatur de damno, nec de eorum facto, sed de lucro: idem dicitur de pupillis tutorem habentibus, vel non, *Faber ibid. in notis.*

II. Nec obstat Lex *Æmilius, ff. de minor. & c. Constitutus, de in integrum restit.* quibus opinio contraria de minoribus restituendis nititur: nam *in L. Æmilius* agitur de retractu conventionali, & damno quod filia incurrebat ex culpa tutoris, & *in c. Constitutus* agitur de venditione bonorum ex parte maternorum à patre facta dum viveret, in qua filii non modicum damnum patiebantur, ut ait Textus, sibique per restitutionem in integrum, & per retractum gentilitium, juxta consuetudinem patriæ, duplici jure, subveniri postulabant.

III. Sed neque filius familias restituitur adversus lapsum temporis quo fuit in potesta-

te patris, & agere non potuit, *Joann. Faber in L. 1. C. de bonis maternis, quem refert & sequitur Sanson in Consuet. Turon.* nec uxor adversus lapsum temporis quo fuit in potestate mariti, & retrahere nequivit, ex eorundem sententia : neque absentes, aut furiosi, *Scholiast. Loëtii loco cit.* Tamen tam absentes, si denuntiati non fuerint, quàm furiosi, qui absentium loco habentur, si curatorem non habeant, intra decennium per se aut curatorem datum, moribus nostris restituuntur, ut diximus suprà. Unde cùm ex facto quidam nomine Commendaire in bonis sui debitoris Vitalis nuncupati fundum acquisivisset in territorio de Lorgues Diœcesis Forojulienſis, & soror debitoris habitans in civitate Sancti Maximini Diœcesis Aquensis, & alterius Præfecturæ seu Senescalliæ, post novem annos & octo menses, jure retractûs Commendaire in Jus vocasset, & Litteras restitutionis adversus lapsum temporis obtinuisset, & reus defendendo opponeret præscriptionem, notitiam, & simulationem, quòd retrahens non sibi sed alteri vellet retrahere, Senatus non obstante præscriptione oppositâ petentem admisit, ob absentiam, & loci distantiam, sed ex adverso reum admisit ad probandum exceptiones oppositas, notitiæ, & simulationis, ex quibus pendebat litis decisio, *Arresto mensis Decembris anni* 1635.

IV. Verùm alia ratio est retractûs dominici, qui conventionalis est, & legalis : nam retractus emphyteuticus Constitutione Justiniani fuit introductus, bimestri limitatus, & retractus feudalis ex consuetudine ortum habuit, ad exemplum emphyteutici, & anno limitatur, §. *Porrò, qualiter feudum poterit alienari, de feudis*, & uterque retractus pendet ab investitura, in qua dominus directus alienat dominium utile, cum spe consolidationis, in casu alienationis, desertionis, & commissi : in retractu gentilitio merum lucrum retrahentis spectatur ; & in dominico damnum & interesse domini in mutatione manûs : ex quibus videtur dicendum restitutionem in integrum non esse denegandam in retractu emphyteutico & feudali minoribus & majoribus legitimè impeditis : nihilominus contrarium decisum fuit, ut constat variis Arrestis relatis in Scholiis Loëtii *litt. I, n.* 2. quibus dominus feudalis submotus fuit à petitione retractûs facta intra annum, non tamen contestatâ, & per biennium discontinuatâ, tametsi Litteras restitutionis in integrum obtinuisset adversus lapsum temporis, allegans impedimenta bellorum, quibus sibi non licuerat instantiam cœptam persequi, & decisum fuit tempus retractûs feudalis anni lapsu finiri, solam petitionem retractûs, & litem cœptam, non prorogare actionem ultra annum, & restitutionem in integrum adversus lapsum temporis non admitti, tametsi legitima impedimenta intervenerint, ad conservandam libertatem commercii, & lites præscindendas, in hac materia frequentibus plerumque ex odio & æmulatione & hominum malitia nascentibus.

TITULUS VI.

An Dominus directus præferatur cognatis.

SUMMARIUM.

I. Retractus conventionalis excludit legalem. Retractus dominicus excludit gentilitium.

II. Qui sunt de linea vassalli præferuntur domino.

I. DUPLEX est retractus, conventionalis & legalis : & legalis rursus duplex distinguitur, dominicus, & gentilitius : retractus conventionalis excludit legalem : nam retractus conventionalis pars est contractûs, conditio sine qua non, *L. Fundi partem, ff. de contrah. empt. Molin. in Cons. Par. tit.* 1. §. 22. *n.* 4. & retractus dominicus excludit gentilitium : nam jus domini ex ipsa investitura veniens prius est & antiquius, *Baldus in L. Imperator, in fine, ff de pactis : Jason in L. fin. ff. de jure emphyteutico.*

II. Tamen in retractu feudali, si res fuerit alienata extra familiam, & illi qui sunt de familia ex lege investituræ vocati velint retrahere ab emptore extraneo, præferuntur domino, cui non licet à lege investituræ resilire concessæ accipienti, & agnatis & cognatis illius, servatâ inter eos prærogativâ gradûs, *Molin. in Cons. Par.* §. 22. *tit.* 1. *Gl.* 5. *n.* 3.

TITULUS VII.

Si plures sint Domini, vel cognati.

SUMMARIUM.

I. Alter ex dominis retinere potest rem, solvendo jura debita condomino. Retrahens partem retrahere non potest invito emptore. Emptor potest à contractu recedere, domino partem retrahere volente.

II. Si domini simul vendiderint, alteruter retinere non potest.

I. SI plures sint domini directi ejusdem rei, & altero laudare volente, alter retinere velit, uti potest jure suo, sed rem totam retinere debet, & præstare partem laudimii condomino debitam, & cætera jura feudalia, *Ripa in L. Quominus, ff. de fluminib. Ita judicatum fuit Arresto mensis Novembris anno* 1554. ut vidi in observationibus antiquis: sic enim servatur jus utriusque: partem verò ejusdem rei invito emptore non potest retinere, alioquin emptori licet à contractu recedere, ne invitus incidat in communionem, *L. Tutor, §. Curator, ff. de minorib. Albericus in L. Per fundum, ff. de servitutib. rust. præd. Tiraquellus, de jure retractûs, §. 11. Gl. 7. n. 4.*

II. Et si duo condomini vendiderint rem communem eodem contractu & pretio, & alter retrahere velit partem consortis venditam, excluditur à retractu ob præstitum consensum: secùs si diverso contractu vendiderint divisim, alter retinere potest partem condomini, *Molin. in Cons. Par. tit. 1. §. 20. Gl. 1. n. 13.*

Si plures sint cognati vel affines in eodem gradu, in retractu pariter admittuntur: si res sit divisibilis, inter eos dividitur æqualiter; si non sit divisibilis, sorte addicitur alterutri, *Sanson in Cons. Turon. des retraits, art. 5.* Idem dici potest de pluribus dominis directis concurrentibus in retractu dominico.

TITULUS VIII.

Si per Procuratorem Retractus petatur.

SUMMARIUM.

I. In Procuratore retrahente speciale mandatum desideratur.

II. Maritus retrahens jure uxoris, acquirit uxori, non sibi.

III. Ex Statuto hujus Provinciæ affines admittuntur. Si uxor non habeat bona adventitia, maritus censetur retrahere nomine proprio non uxoris, licèt se maritum dixerit, & magistrum bonorum.

I. PROCURATOR non admittitur ad retrahendum, sine speciali mandato, *Molin. loco suprà cit. §. 67. n. 10.* nec si habeat mandatum cum liberà potestate, *Ferr. ad Guid. Pap. q. 173.* ne dominus neget factum Procuratoris: tamen ratihabitio æquiparatur mandato: & si emptor defectum mandati non opposuerit, & dominus factum Procuratoris ratum habuerit, retractus tenet.

II. Si maritus usus sit jure uxoris in retractu feudali vel emphyteutico, res acquiritur uxori, nam retractus non est in fructu: & si duo sint domini, alter proprietarius & alter usufructuarius, & usufructuarius retineat rem à vassallo vel emphyteuta venditam, res ea acquiritur proprietario refuso pretio retractûs, *Ferrerius ad Guid. Papam q. 477. post Molineum & alios:* nam in fructu est quidquid renascitur, & quæ sunt in fructu pertinent ad usufructuarium, quæ non sunt in fructu ad proprietarium, ut est possessio.

III. At cùm ex Statuto hujus Provinciæ etiam affines admittantur ad retrahendum, cognatis non extantibus, aut retrahere nolentibus, dubitatum fuit in retractu gentilitio, de retractu facto à marito ut marito & magistro bonorum uxoris suæ; iis terminis maritus usus fuerat, de prædiis à consanguineis uxoris alienatis, & ex pecunia mariti redemptis, uxor enim non habebat bona adventitia, quæ prædia post mortem mariti fratres

uxoris & donatarii illius repetebant ab hæredibus mariti, oblato pretio retractûs, replicantibus retractum cessisse in utilitatem mariti, ut affinis, & ex pecunia propria retrahentis, & illa verba, *ut maritus & magister bonorum*, in retractu apposita, indicare affinitatem, quâ utebatur in retractu, ex Statuto Provinciæ, non animum acquirendi uxori; lite motâ coram Parlamento hujus Provinciæ, durante Semestri, quod brevi suppressum fuit, hæredes mariti vicerunt, & super libello supplicatorio oblato ex adverso, causa evocata, Arresto Parlamenti Divionensis Judicium Semestrale fuit confirmatum: nam si uxor non habeat bona adventitia, maritus non tenetur pecuniam dotalem erogare ad retrahendum pro ipsa; & si is pecuniâ propriâ retraxerit, nec expresserit se retrahere pro uxore, sibi non uxori censetur acquisiviſſe.

TITULUS IX.

Si res sit litigiosa.

SUMMARIUM.

I. *In retractu gentilitio cognati admittuntur ordine successivo. Si anterior fuerit excluſus à retractu, sequens simul excluditur. Si anterior à lite recedat, sequens admittitur. Interpellatio anterioris prodest posteriori. Lite motâ de venditione inter contrahentes tempus retractûs currit. Contrahentes non possunt à lite recedere in præjudicium retrahentis.*

II. *Re integra contrahentes possunt à contractu recedere.*

I. IN retractu gentilitio cognati admittuntur ordine successivo, servatâ inter eos prærogativâ gradûs, ne tempus Statuti multiplicetur: quare si anterior retractum petierit, & inter eum & emptorem lis mota fuerit, sequens retrahere non potest: & si Judicio anterior fuerit excluſus, sequens simul excluditur: nam jura sunt inter eos subordinata, nisi sequens fraudem & prævaricationem probet: at si anterior à lite recedat, sequens admittitur ad retrahendum, tametsi tempus retrahendi durante lite fuerit elapsum: nam interpellatio anterioris conservat jus sequentis: ita judicatum fuit *in causa Picardi anno 1606.* juxta sententiam Guid. Pap. *q.* 257. *Tiraquellus de retractu gentilitio*, §. 1. *Gl.* 10. *n.* 30. Si verò post venditionem perfectam lis moveatur inter venditorem & emptorem vel extraneum de rei alienatione, tempus retractûs currit tum in retractu dominico tum in gentilitio, *Molin. in Consuet. Paris. tit.* 1. §. 2. *Gl.* 5. *n.* 19. *contra Paponium lib.* 11. *Placitorum*, *tit.* 7. *n.* 21. nam retrahens durante lite potest in Judicio emptorem interpellare, & si fraudem timeat & colluſionem, instantiæ se jungere; quo casu contrahentes non possunt colluſoriè à lite cœpta recedere in præjudicium ejus.

II. At si res sit integra, necdùm res tradita fuerit, & dominus emptorem non interpellaverit, liberum est contrahentibus à lite recedere, & retrahere volentem excludere à retractu dominico aut gentilitio; tametsi res fictè fuerit tradita, appositis clauſulis constituti & precarii, translativis possessionis & dominii, ut loquuntur Pragmatici, *Joann. Faber in* §. 1. *Instit. de venditione & emptione*, *Molin. loco cit. tit.* 1. §. 20. *Gl.* 5. *n.* 12.

TITULUS X.

An Ecclesia uti possit jure prælationis.

SUMMARIUM.

I. Ecclesia uti potest jure prælationis intra tempus Lege vel consuetudine præscriptum.

II. Ecclesia potest retrahere, ut alterum inveſtiat. Ecclesia tenetur inveſtire cognatos alienatoris cæteris paribus.

I. ECCLESIA locupletata est bonis allodialibus, feudalibus, & emphyteuticariis à suo dominio directo moventibus; & in casu alienationis à vassallo vel em-

phyteuta factæ, jure prælationis uti potest, intra tempus Statuto vel consuetudine præscriptum: nam in iis Ecclesia utitur Jure Communi, eique nocet culpa & negligentia Prælati, si non retraxerit intra tempus statutum, *Panormitanus in c. Cum causa, de emptione & venditione.*

II. Post retractum Ecclesia rem potest retinere, si à Rege jus morticinii obtinuerit, ut diximus suprà; sin minus debet eam extra manum suam ponere, venditione vel locatione perpetuâ, *Papon lib.* 11. *tit.* 5. *n.* 7. *Choppinus de sacra Politia, lib.* 3. *c.* 1. *n.* 15. Verùm Rector Ecclesiæ injuriam facere videtur cognatis alienatoris retrahere volentibus jure congrui, si præferat extraneos, *Bartolus in L.* 1. §. *Permittitur, ff. de aqua quot. & æst. Romanus cons.* 22. *Decius cons.* 131. *quos citat Riccius decis.* 131.

TITULUS XI.

An jus Retractûs alteri cedi possit.

SUMMARIUM.

I. Retractus conventionalis alteri cedi potest. Retractus dominicus ex Statuto hujus Provinciæ cedi potest.

II. Retractus gentilitius cedi non potest. Emptori datur actio revocatoria retractûs fraudulenti. Cognatus proximior jus suum potest cedere remotiori. Cognati præferuntur affinibus. Cognati & affines ejusdem gradûs pariter admittuntur. Jus repræsentationis non habet locum in retractu. Posterioribus licet interpellare priores.

I. RETRACTUS conventionalis alteri cedi potest, sicut actio veniens ex contractu: nam tale pactum pars est contractûs, *L. Fundi partem, ff. de contrah. empt. Paulus de Castro cons.* 43. *Decius cons.* 165. Retractus dominicus Jure Communi cedi non potest, *Molin. in Consuet. Paris. tit.* 1. §. 20. *q.* 1. *n.* 21. Sed ex Statuto hujus Provinciæ cedi potest, quia ex investitura venit, ita Statuto nostro declaratur; quod ut patet ex lectura, ex consilio Virorum peritissimorum conditum fuit: tamen in retractu feudali, durante lineâ agnatorum & cognatorum qui sunt in dispositione investituræ, patronus nec retinere potest, ut diximus suprà, nec alteri cedere.

II. At retractus gentilitius cedi non potest, *ex Consuet. Turon. art.* 25. quia fuit introductus gratiosè in favorem cognatorum, ut bona conserventur in familia, *L. Si in emptione, ff. de minor. L. Imperator, ff. de pactis, Constitutione Friderici lib.* 5. *de Feudis, tit.* 13. ex qua Statutum nostrum videtur desumptum, & ratio cohærens personæ facit Statutum personale, *Bald. in L. Si probatum, C. Communi dividundo, de Afflictis in Tract. de jure protimiseos:* ideoque cognatus aut affinis retrahens non potest retinere pro extraneo, ex dicta Constitutione Friderici, emptore instante jubetur jurare se velle retinere pro se, non pro alio, alioquin repellitur: & si post retractum rem eam alteri remiserit, pro quo intervenit, emptor actione Paulianâ intra annum à die detectæ fraudis retractum potest revocare, *Loëtius litt. R, n.* 53. Sic judicatum fuit in hac Patria, pro Massilienſi, *Arresto mensis Octobris anno* 1621. Ex quibus sequitur cognatum vel affinem jus retrahendi cedere non posse extraneo aliis cognatis aut affinibus non extantibus, ut Boërius existimavit. Verùm si plures sint cognati vel affines in dispari gradu, anterior jus quod habet cedere potest remotiori, cessionarius jure cesso præfertur anteriori, *Papon lib.* 11. *tit.* 7. *n.* 4. juxta exemplum quod habetur in Sacris Litteris, *Ruth c.* 4. alioquin inter cognatos & affines servatur prærogativa gradûs, cognati præferuntur affinibus: & si plures sint in eodem gradu pariter admittuntur, res inter eos dividitur, aut sorte alteri eorum addicitur, & detrimentum aliorum pecuniâ compensatur, rei æstimatione factâ, habitâ ratione gradûs: hoc enim jus repræsentationis non habet locum. Ne verò inter cognatos vel affines qui sunt in dispari gradu mora anterioris noceat posterioribus, licet posterioribus interpellare anteriores, ut jure suo utantur, quibus nolentibus vel omittentibus, post tempus à Judice præfixum ipsi possunt retrahere, *Boërius in Consuet. Burdig. des retraits*, §. 2. intra tempus quod reliquum erat proximiori, *Boërius ibid.* ipsi possunt interpellare emptorem de retractu, oblato pretio, & legitimis sumptibus: at si posterior omissâ interpellatione, & anterioribus insciis ab emptore rem retraxerit, anterioribus ab

eo jure ſuo rem revocare licet pretio reſtituto cum uſuris, & legitimis ſumptibus. Sic judicatum fuit *Arreſto* 20. *Octob. anno* 1615. niſi poſterior litem pro retractu contra emptorem perſecutus fuerit, ſciente anteriori: eo enim caſu lapſu temporis retrahendi & ſilentio anterior excluditur à retractu.

TITULUS XII.

Qui retrahere poſsint, vel non.

SUMMARIUM.

I. Poſthumi admittuntur in utroque retractu. Filii naturales non admittuntur. Exhæredati ob juſtam cauſam non admittuntur. Religioſi non admittuntur. Adoptivi non admittuntur.

II. Filius poteſt retrahere alienata à patre.

III. Habitantes extra Provinciam admittuntur.

I. BASTARDI non admittuntur ad retractum niſi legitimati fuerint : exhæredati ob juſtam cauſam ſimiliter non admittuntur, ſecùs ſi bonâ mente exhæredati ſint Religioſi hoc jure uti non poſſunt, nec qui jus civitatis amiſerunt: adoptivi non admittuntur, ne adoptionis commento venditiones revocentur, *Tiraquellus fusè in ſuo Tr. de retra.* Poſthumi tametſi adhuc ſint in utero tempore venditionis admittuntur intra tempus ſtatutum, quod currit contra parentes & tutores eorum, modò tempore petitionis nati ſint, *Tiraq. ibid. Charondas lib.* 5. *reſp.* 4. *Papon lib.* 11. *tit.* 7. *n.* 1.

II. Filiifamilias retrahere poſſunt res alienatas à patre, eo adhuc vivente, ſive ex peculio, ſive ex pecunia mutuò accepta, ut judicatum fuit de retractu filiifamilias ex pecunia ſibi credita ſub cautione avi, fundi à patre venditi, *Arreſto 6. Febr. anno* 1649. non tamen ex pecunia à patre vel ab alio ſibi credita ſub cautione patris : pater enim ipſe venditionem à ſe factam videretur revocare : in quibus caſibus pater poteſt eſſe author filio ad perſequendum retractum in Judicio, vel poteſt agere ut pater nomine filii : nam beneficio Statuti jus quæritur filio : & quamvis hæres ire non poſſit contra factum defuncti, tamen jure retractûs rem ab eo venditam poteſt retrahere : nam per venditionem jus ſibi fuit quæſitum ut cognato aut affini, cui adeundo hæreditatem non cenſetur renuntiaſſe, *Sanſon in Conſuet. Turon. des retraits, art.* 5. & in retractu non utitur jure hæreditario, ſed jure Statuti cognatis & affinibus conceſſo, nec videtur ire contra voluntatem defuncti, niſi expreſsè in venditione aut ultima diſpoſitione id ſibi prohibitum fuerit, *Boërius in Conſuet. Byturigum, de conſuetudine retractûs.*

III. Dubitabatur an cognati vel affines habitantes extra Provinciam retractûs jure uti poſſint ; reſponſum fuit poſſe, eodem Statuto, à die notitiæ intra tempus Statuti, quo nomine loci intelligitur Provincia, ut monet Scholiaſtes Loëtii *ex Arreſto citato* : nam cognati & affines habitantes extra Provinciam retinent animum & affectum conſervandi bona in familia.

TITULUS XIII.

An ceſsionarius domini præferatur.

SUMMARIUM.

I. Ceſsionarius domini poteſt emptorem inveſtire, vel retrahere. Subceſsionarius domini poteſt laudimium exigere, non retrahere.

II. Ceſsionarius Regis poteſt jus retinendi ſibi ceſſum alteri cedere. Emptor jus habens à domino directo excludit retractum gentilitium. Inter gentiles aut affines poſterior jus habens à domino directo excludit anteriorem.

I. CESSIONARIUS domini directi eodem jure quo cedens uti poteſt, nempè vel laudare & inveſtire emptorem, vel rem alienatam retrahere : nam inveſtitura per Procuratorem fieri poteſt, ut diximus ſuprà : at ſi idem ceſſionarius jus ſuum in

alium transtulerit, ut faciunt fermarii dominorum, subcessionarius potest quidem laudimium exigere, sed retractum gentilitium non potest excludere, ut judicatum fuit *Arresto 1569. relato in novo Commento nostri Statuti*: nam quæ contra rationem Juris sunt introducta non debent trahi in consequentiam, quòd cessionarius domini non habens dominium directum possit contra rationem Juris est, in gratiam dominorum: ergo jus illud finitur in sua persona, non potest in alium transmitti, ut notatur in Scholiis nostri Statuti, sub finem.

II. Tamen id limitatur in cessionario Regis, qui jus illud retinendi potest alteri cedere, ut judicatum fuit alio Arresto, *9. Decemb. anno 1616.* nam beneficia Principum latissimè sunt interpretanda: hoc jure emptor cessionem habens à domino directo excludit retractum gentilitium, & inter ipsos gentiles aut affines posterior habens cessionem à domino directo excludit anteriorem, ut aliis Arrestis judicatum fuit, duo vincula sunt fortiora.

TITULUS XIV.

An in retractu veniant alia bona.

SUMMARIUM.

I. & II. In retractu gentilitio veniunt alia prædia eodem contractu vel diverso vendita.

III. Retractu dominico vel conventionali retrahens non tenetur retrahere alia bona. Retractus gentilitius est gratiæ, conventionalis & dominicus justitiæ.

I. RETRACTU gentilitio retrahens non solùm retrahere debet rem familiarem, sed etiam res alias quas venditor acquisierat, & eodem contractu & pretio vendidit, si velit emptor, *ex Cons. Tur. des retraits, c.* 22. nam etiam in conquestibus iste retractus moribus nostris locum habet, *Boërius in Cons. Bytur. de retractu, sub finem, Tiraq. de retr. §.* 32. *Gl.* 1. & emptor debet indemnis abire, *l. Debet, ff. de ædil. edicto, Scholiastes Loëtii in lit. R. n.* 25.

II. Quin etiam si post emptionem prædii gentilitii emptor sine dolo prædia vicina ab aliis comparaverit, ob commoditatem prioris emptionis, retrahens ea omnia debet retrahere, ob eandem rationem, ne emptor bonæ fidei ex retractu damnum aliquod patiatur, *juxta textum in l. Communis, §. fin. ff. communi dividundo*: nam iste retractus est gratiæ: at si emptor timens retractum statim prædia vicina emerit, ut retrahentem onerare, & averteret, non esset audiendus pretium illorum prædiorum repetere volens; nam malitiis hominum non est indulgendum.

III. Secùs in retractu conventionali & dominico, in quibus retrahens tenetur retrahere ea solùm prædia de quibus conventum fuit, aut quæ moventur à suo dominio, ut probat Scholiastes Loëtii, ex Consuetudinibus Galliæ, contra Masuerium. Ratio discriminis est quia retractus conventionalis & dominicus sunt justitiæ, veniunt ex contractu, in quo emptor venditorem aut dominum prospicere potuit usurum fore jure suo, antequàm prædia vicina emeret: at retractus gentilitius est gratiæ, in favorem cognatorum & affinium, contra libertatem publicam commercii, *l. Dudum, C. de contrah. emptione*, qui non debet trahi in dispendium emptoris, *l. Communis, §. fin. ff. communi dividundo*: sic olim pars prædiorum Ecclesiæ vendita fuit solemniter ex authoritate Sedis Apostolicæ, pro necessitatibus Regni, cum pacto redimendi intra certum tempus, sæpiùs prorogatum gratiosè; quo elapso Rectores Ecclesiarum non admittuntur redimere volentes, nisi etiam alia bona aliunde ab emptore quæsita pro commoditate rei ab Ecclesia comparatæ retrahant; ut judicatum fuit pro emptore Prat nuncupato contra œconomum Ecclesiæ Cathedralis Glandetensis.

TITULUS XV.

Quâ actione retrahens experiatur.

SUMMARIUM.

I. Actio retractûs eſt in rem ſcripta contra rei poſſeſſorem. In retractu conventionali datur actio re evicta. In retractu gentilitio aut dominico non datur actio re evicta.

II. & III. Conditione retractûs reus conveniendus eſt ubi inhabitat.

I. ACTIO retractûs gentilitii eſt condictio ex lege municipali, actio retractûs dominici ſimiliter eſt condictio ex lege, aut conſuetudine generali: actio retractûs conventionalis eſt actio perſonalis ex contractu: omnes iſtæ actiones ſunt in rem ſcriptæ, diriguntur in rem, ſicut actio hypothecaria, & mutatâ perſonâ ſequuntur rei poſſeſſorem: in retractu conventionali reus laudat, & vocat in Jus ſuum authorem, ut ipſum defendat, & re evicta indemnem præſtet: at in retractu feudali vel emphyteutico, re evicta venditor, non tenetur, quia evictio venit à lege: idem dicitur in retractu gentilitio, in quo evictio venit à lege municipali, & caſus evictionis qui veniunt à lege aut placito Principis venditor non tenetur præſtare, *l. Lucius, ff. de evict.*

II. Alia ratio eſt actionis merè realis, ut eſt rei vindicatio, Publiciana, & actio redintegrandæ poſſeſſionis, in quibus actor debet convenire reum, ubi res ſita eſt: tamen ſi reus alibi habitet, & conveniatur ab actore coram Judice domicilii, non poteſt declinare Forum domicilii, ubi paucioribus ſumptibus litem ſuſtinere poteſt, *l. finali, C. ubi in rem actio, & l. unica, C. ubi de hæreditate agatur.*

III. At in actione in rem ſcripta, qualis eſt condictio utriuſque retractûs, reus debet conveniri ubi inhabitat; & ſi conveniatur ubi res ſita eſt, poteſt declinare Forum: nam condictio perſonalis eſt, tametſi ordinetur ad retrahendam rem contra poſſeſſorem, & actor ſequitur Forum rei, eum eſſe ſtylum communem obſervat Scholiaſtes Loëtii, ex variis Arreſtis, *lit. R. n.* 51. contra Tiraquellum, & alios, exiſtimantes liberum eſſe retrahenti reum convenire ubi inhabitat, vel ubi res ſita eſt, *Ferrerius ad Guid. Pap. q.* 257. tamen poſt litem conteſtatam non admittitur declinatoria Fori, *l. finali, C. de exceptionibus.*

TITULUS XVI.

De officio actoris & rei & Judicis in retractu.

SUMMARIUM.

I. Reus exhibere debet inſtrumentum emptionis, vel indicare Notarium. Retrahens debet emptorem indemnem præſtare. Si res deterior facta ſit in manu emptoris.

II. Si emptor gratiam laudimii obtinuerit.

III. Pretium oblatum deponitur, ſi emptor recuſet. Emptor recuſans tenetur ad reſtitutionem fructuum.

IV. & V. Fructus maturi ſunt emptoris, non maturi dividuntur.

I. SI retrahens non habeat inſtrumentum emptionis, petere poteſt ab emptore illius exhibitionem, ut certus ſit de pretio reſtituendo; & emptor tenetur exhibere, vel indicare Notarium, alioquin retrahenti non currit tempus: retrahens offerre debet pretium numeratum emptori, vel ſi numeratum non fuerit offerre debet ſe paratum ad liberandum eum erga venditorem, ſimiles hypothecas ſubmittere, aut fidejuſſores idoneos dare: & quamvis res facta ſit deterior in manu emptoris, ſi dolus abſit, & lata culpa, retrahens debet integrum pretium reſtituere ut emptor indemnis abeat, *Molin. in Conſuet. Pariſ. tit.* 1. §. 20. *Gl.* 1. *n.* 88.

II. Prætereà retrahens reſtituere tenetur emptori ſumptus veros quos fecit in emendo;

& executionem contractûs persequendo contra venditorem, & litis expensas, quas non obtinuit in Judicio, *Sanson in Consuet. Turon. des retraits, art.* 5. nec non laudimium: & quamvis emptor gratiam laudimii à domino vel ejus fermario obtinuerit ex toto vel ex parte, tamen retrahens integrum laudimium debitum pro pretio restituere debet emptori liberationem sibi concessam à domino exhibenti, *Scholiastes Loëtii ex variis Arrestis, in lit. S. n.* 22. nam vel gratia quam emptor habuit à domino remunerationis loco sibi est, ratione alicujus officii à se præstiti, vel eum obligat in futurum; & cùm, ut suprà dictum est, emptor indemnis abire debeat, *l. Debet, ff. de ædil. ed.* non potest à retrahente ea gratia defraudari, sive retrahens eandem gratiam à domino esset obtenturus, sive non, vel etiam ex consuetudine dominus partem laudimii remittere solitus esset; nam semper ea gratia fit emptori: tamen si emptor ex privilegio non teneatur laudimium solvere, non potest illud à retrahente repetere, *Baldus in l. Neque, C. de hæred. instit.* At in retractu dominico non quæritur de laudimio, quia non fuit solutum: præterea in retractu gentilitio debet restitui pretium prædiorum vicinorum, quæ emptor comparavit occasione emptionis prædii gentilitii, ut diximus suprà.

III. Si emptor pecuniam oblatam pro pretio & expensis justis recuset, retrahens ex Judicis decreto debet eam deponere, si quid liquidum non sit cavere de restituendo, cùm liquidum fuerit: & si constet in Judicio de jure retrahentis, emptor ei debet rem dimittere cum fructibus à die litis contestatæ, & pecuniæ depositæ: emptore non recusante, non est necesse pecuniam deponere, & nihilominùs si non dimittat rem fructus adjudicantur retrahenti à die litis contestatæ, compensatione factâ proportionaliter cum usuris pretii retractûs ab eodem tempore emptori debitis, *ut ait Faber C. de pactis inter empt. & vendit. compos. def.* 17. *de pacto de retrovend.* Idem dicendum est de retractu gentilitio.

IV. Si tempore retractûs fructus prædii rustici sint maturi, fiunt emptoris, *Sanson in Cons. Turon. des retraits, art.* 12. & censum solvere tenetur & taleas, sin minùs inter ipsum & retrahentem dividuntur pro ratâ emptoris, deductis sumptibus, *Molin. in Consuet. Paris. tit.* 1. §. 20. *Gl.* 1. *n.* 79. vel ob diversos casus qui occurrunt, intra tempus retractûs, emptor potest facere expensas necessarias pro conservando prædio, sed non potest ædificia construere aut demoliri, ut retrahentem oneret, *ex Cons. Turon. art.* 14.

V. In hac materia distinguimus, aut tempore quo petitur retractus, & consignatur pecunia, fructus adhuc sunt in ulva naturæ, seu in herba, & pertinent ad retrahentem, sed impensas seminis & culturæ restituere debet; aut sunt virides, & dividuntur inter possessorem, deductis sumptibus à possessore factis: aut sunt maturi, ut *cùm falcigeram flagrat arista manum*, & à possessore qui toto anno fecit expensas culturæ, & vectigalia solvit, percipiuntur.

TITULUS XVII.

In quibus casibus retractus habeat locum, vel non.

SUMMARIUM.

I. Dominus potest interpellare emptorem, licèt res nondùm tradita sit.

II. In datione in solutum necessariâ factâ ex Judicis decreto retractus habet locum.

III. In locatione temporali retractus non habet locum, nec in precariis.

IV. In locatione perpetuâ factâ ob industriam accipientis retractus non habet locum.

V. Si per transactionem rei possessio dimissa sit.

VI. In permutatione retractus non admittitur, si fraus absit.

VII. Si dominus partem prædii dederit agricolæ ob culturam.

VIII. In divisione facta inter condominos prædii feudalis vel emphyteuticarii retractus non admittitur. Nec in legato vel donatione.

IX. Nec in venditione Officiorum venalium.

X. Nec in navi vendita, aliisve Officiis venalibus. Nec in cuppis aut vasis vinariis.

XI. Nec in machinis bellicis.

XII. Retrahens an sibi præjudicet si præsens fuerit.

XIII. A retractu gentilitio cognati arcentur ob graves inimicitias.

I. JUs retractûs habet locum in venditione, ut diximus ſuprà, ſi res nondùm fuerit tradita, dominus poteſt interpellare emptorem poſt contractum perfectum oblato pretio & legitimis ſumptibus in Judicio vel extra, & interpellatio facta impedit ne partes recedant à contractu: eundem effectum operatur interpellatio judicialis in retractu gentilitio, *Molin. in Conſuet. Pariſ. Gl. 9. n. 19.*

II. Si debitor prædium dederit in ſolutum creditori ſuo loco pecuniæ debitæ, retractus habet locum: nam talis contractus incidit in venditionem: idem dicitur de retractu gentilitio, *Tiraq. & Molin. quos citat. Ferrerius ad Guid. Pap. q. 257.* ſive datio in ſolutum ſit voluntaria, ſive neceſſaria, ſeu facta ex Judicis decreto ut ſatisfieret creditori, juxta Doctorum ſententiam, & Arreſtum relatum in Commento veteri noſtri Statuti, *c. de retr.* & ſententiam Molinei *in Conſ. Pariſ. tit. 1. §. 26. q. 5. n. 47.* Idem ſervatur in generali diſtributione bonorum debitoris facta inter creditores Judicis decreto: non enim intereſt creditorum, modò ſolutionem pecuniæ ſibi debitæ aſſequantur, & abeant indemnes.

III. In locatione temporali retractus non habet locum, nec in precariis quæ fiunt de quinquennio in quinquennium, nec in precaria quæ fit ad vitam accipientis, de quibus agitur in Titulo Decretalium, *de precario.*

IV. Si locatio ſit in perpetuum, aut in ea habetur ratio operæ & induſtriæ accipientis ad colendos agros, & retractus dominicus aut gentilitius non habet locum; nam induſtria perſonalis eſt, *l. Inter artifices, ff. de ſolut. Guid. Pap. q. 568.* aut habetur ratio principaliter cenſûs annui, & retractus dominicus & gentilitius admittitur, *l. fin. C. de jure emphyt. Faber in §. adeò, Inſt. de locat.* quo caſu retrahens tenetur præſtare vaſſallo vel emphyteutæ cenſum annuum, & ſupplere æſtimationi, ſi propter hypothecas viliori pretio aut mercede emphyteuta rem tradiderit, *Molin. in Conſ. Pariſ. tit. 1. §. 13. Gl. 5. n. 28.*

V. Si per tranſactionem res litigioſa alienata ſit, aut dominium rei transfertur in non dominum, & jus prælationis habet locum, & laudimium debetur, ut diximus ſuprà: aut poſſeſſio rei dimittitur domino, & retractus non admittitur, nec laudimium debetur, quia novus titulus non acquiritur domino, ſed vetus confirmatur, *Loëtius lit. T. n. 5.* tametſi pro redimenda vexatione & jure conſervando pecunia data ſit, ex Conſuetudine Turonenſi, *des retraits, art. 23.*

VI. In permutatione retractus non admittitur, *Guid. Pap. q. 508. Ancharanus, & alii quos refert Cleperus, c. 103. q. un. n. 4.* propter ſingularem affectionem quam permutantes habent in rem acquiſitam: tamen ſi pecunia data ſit pro majori valore rei compermutatæ, laudimium illius pecuniæ debetur; & ſi res modici valoris data ſit cum ſupplemento pecuniæ ad fraudandum dominum, vel agnatum, retractus non denegatur, æſtimatione factâ, quâ fraus detegitur, ſi pecunia excedat dimidium juſti valoris, ex Conſuetudine Turonenſi, *c. 21.* nam à cauſa præponderante emptio eſt, *l. Ariſto, ff. de donat.*

VII. In contractu do ut facias, quo dominus partem prædii dedit agricolæ, ut totum excolat, retractus non admittitur, nec debetur laudimium, propter induſtriam electam, quæ perſonalis eſt, ut ſuprà diximus: eſt enim velut ſocietas, in qua alter fundum alter operam & induſtriam confert, ut novale inter eos dividatur, in qua retractus non habet locum, nec ex ſocietate, neque ex diviſione.

VIII. In diviſione facta inter condominos prædii feudalis, vel emphyteutici, retractus non admittitur: nam in æternum nulla coïtio eſt, alienatio eſt neceſſaria, imò non eſt propriè alienatio, cùm uterque partem ſuam recipiat, nec ſi ab alterutro pecunia data fuerit pro ſupplemento majoris valoris, ob commoditatem diviſionis, neque laudimium debetur, ut diximus ſuprà: vide Boërium *de retractu*, & Cleperium *loco citato.*

IX. Quæſitum fuit an retractus gentilitius locum haberet in venditione Officii venalis facta extra familiam venditoris: reſponſum fuit negativè, *Arreſto menſis Martii anni 1635.* nam Statutum noſtrum loquitur de poſſeſſionibus, quæ ſunt rerum immobilium corporalium, urbanorum prædiorum, vel ruſticorum; Officia verò ſunt res incorporales, quæ non poſſidentur, ſed quaſi poſſidentur.

X. Tangere enim, & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res, ait Lucretius. Sed nec in taberna aut navi vendita retractus admittitur, res enim mobiles ſunt, *l. 1. §. 7. ff. de vi armata*, & perituræ, in quas non cadit affectio ut in prædia ſitum perpetuum habentia:

neque in cuppis aut vasis vinariis, neque in venditione censûs emptitii, *Loëtius in lit. R. n.* 2. tametsi res hujusmodi in certis casibus, scilicet in successionibus, inter res immobiles censeantur, ut de censu dicitur *in l. Hac edictali, verb. annonarum, C. de sec. nupt. & in Clement. exivi, de verb. signif. in verb. cùm autem reditus.*

XI. Nec admittitur retractus feudalis in machinis bellicis, quæ difficiliùs solo moventur; nam retractus feudalis & emphyteuticus dantur ratione dominii directi retenti penes dantem: at in hujusmodi rebus dominium utile non separatur à directo. Verùm si Castrum datum sit vassallo cum machinis bellicis, in casu alienationis æquum esset etiam in illis machinis retractum admitti, *vide Tiraquellum de retr. n. 99.* jure congrui: & quamvis in vasis vinariis, quæ sine fractione loco moveri non possunt retractus non admittatur, ut diximus suprà, quòd sint res perituræ, tamen emptor si velit, non cogitur recedere, nisi ea simul retrahantur, ne ex retractu damnum aliquod patiatur.

XII. Si dominus investierit vassallum vel emphyteutam retractus pro illa vice consumitur: at licèt dominus præsens fuerit in contractu venditionis, vel etiam consenserit pro securitate contractûs, non sibi præjudicat in retractu intra tempus Juris nisi expressè renuntiet, *Molin. in Conf. Pariſ. tit.* 1. §. 2. *Gl.* 1. *n.* 12. Idem dicendum est de cognato aut affini in retractu gentilitio; nec si præsens fuerit in licitatione, vel etiam licitatus fuerit, nemo præsumitur renuntiare juri suo.

XIII. At in retractu gentilitio cognati & affines qui arguuntur aliquod damnum pecuniarum grave, vel insidias vitæ vel atrocem injuriam parasse & intulisse alienatori ex composito, per se, vel per alios, non admittuntur sine consensu venditoris qui talem injuriam passus est, ex Constitutione Græca Cæsaris Romani, relata apud Hermenopolum *lib.* 3. *tit.* 3. quam secutus est Imperator Fridericus in Constitutione sua de jure protimiseos *lib.* 2. *de Feudis tit.* 3. ex qua Statutum nostrum videtur desumptum, ne qui peccavit in Legem cognationis vel affinitatis, quæ amoris est & amicitiæ, fruatur jure gentilitio: at dominus directus ob eam causam non est arcendus à retractu dominico, quia jure suo utitur.



LIBER VII.

QUIBUS MODIS FEUDUM VEL EMPHYTEUSIS FINIATUR.

TITULUS PRIMUS.

Ex variis cauſis Feudum finitur.

EX variis cauſis civilibus & criminalibus Feudum finitur, ut notatur *in lib. 2. de Feudis, tit. 24.* ſcilicet commiſſo dolo vel culpa vaſſalli, confiſcatione, vexatione injuſtâ, lineâ finitâ, reverſione, & conſolidatione, interitu rei, vel evictione, & deſertione: de quibus nobis eſt agendum.

TITULUS II.

De commiſſo.

SUMMARIUM.

I. II. & III. *Caſus in quibus pœna commiſſi irrogatur. Quid obſervetur moribus Galliæ in commiſſo.*
IV. *Si vaſſallus rem deteriorem faciat.*

I. COMMISSUM dicitur à committendo, ſi Vaſſallus committat contra Legem Feudi, ſeu promiſſionem à ſe factam, & juratam in inveſtitura, vel aliquid omittat quod ex eadem lege facere debuerat: nempè ſi vitæ domini gladio aut veneno inſidiatus ſit, vel in eum manus impias injecerit, aliaſve graves injurias intulerit, *lib. 1. tit. 5. de Feudis:* vel ſi dominum aſſalierit animo nocendi, aut cùm ſciret alios aſſalituros, & necem illius vel capturam molituros, aliudve grave damnum, eundem cùm poſſet non certioraverit, & defenderit, ſi poſſet ſine vitæ diſcrimine; nam vaſſallus non tenetur *vitæ* ſuæ vitam domini anteponere: aut eum captivum vel incluſum non liberaverit, *ib. §. Præterea:* vel ſi contra dominum delator criminis fuerit, aut pro delatore fidejuſſerit, vel advocatus: niſi de crimine Læſæ-Majeſtatis ageretur, *ibid. §. Item ſi delator:* aut ſi dominum in acie periclitantem non liberaverit, ſi poſſet ſine vitæ diſpendio: ſi ſecretum domini prodiderit inimicis in re gravi, & ex tali proditione dominus gravem injuriam aut bonorum jacturam paſſus ſit, *ibidem:* vel ſi cum uxore domini, filia innupta aut ſorore ſe miſcuerit, §. *Rurſus, ibid.* aut filium domini interfecerit, vel ei gravem injuriam intulerit; nam pro levi injuria pœna commiſſi non irrogatur, §. *finali, ibidem:* vel ſi fratrem domini proditionaliter interfecerit, §. *Item ſi fratrem, ibid.* vel ſi teſtis fuerit contra dominum in cauſa criminali vel civili, §. *Similiter, tit. de conſuetudine recti feudi:* vel ſi filius vel domeſticus vaſſalli offenderit dominum, & vaſſallus eum non exhibeat domino, vel eum non dimittat, *c. Imperialem*, §. *Inſuper, de feudis:* vel ſi primus vaſſallus non requirat ſecundum vaſſallum ut ſatisfaciat domino quem offendit, *c. Imperialem:* & ſi primus vaſſallus feloniam commiſerit, vel aliquid faciat propter quod feudo privari debeat,

ſecundus vaſſallus jure ſuo ſimul privatur; nam reſoluto jure dantis reſolvitur etiam jus accipientis, *l. In diem, ff. de aqua pl. arc.* niſi ſecundus vaſſallus ex voluntate domini majoris fuerit inveſtitus: vel ſi bona vaſſalli ob delictum grave fuerint confiſcata, ut dicemus infrà. In quibus caſibus delictum patris nocet liberis in ſucceſſione feudi, ſive feudum ſit novum, ſeu patri datum, ſive antiquum ab avo vel proavo acquiſitum, *Bart. in l. Eum, ff. de interdictis & relegatis, juxta textum legis* 1. *ff. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit vel coëgerit, Panormit. in c. Ex parte, de Feudis:* ſicut culpa Adami nocet poſteris. At ſi ob alia delicta bona vaſſalli fuerint publicata, feuda antiqua, ſi ſint hæreditaria, liberis illius conſervantur.

II. Verùm moribus Galliæ vaſſallus non privatur feudo ipſo jure in caſibus ſupra dictis, niſi in crimine Læſæ-Majeſtatis *Molin. in Conſuet. Pariſ. tit. des Fiefs*, §. 43. *Gl.* 2. *n.* 59. Sed Judicis ſententiâ venit privandus: hinc ſequitur quòd ſi dominus injuriam remiſerit, vaſſallus excuſatur, ſive expreſsè ſive tacitè injuria remiſſa ſit, ut ſi poſt delictum commiſſum dominus vaſſallum admiſerit ad novam recognitionem feudalem: vel ſi dùm viveret, injuriam ad animum non revocaverit, nec queſtus fuerit, poſt mortem illius hæredes non admittuntur, *Petrus Jacobi in tit. de cauſis ex quibus feudum amitt. Mol. loco cit. ex l. fin. C. de rev. don.*

III. Sunt alii caſus civiles in quibus commiſſum locum habet ob culpam vaſſalli & emphyteutæ, nempè ſi intra annum & diem inveſtituram vaſſalli non petierint, *c. Si quo tempore miles inveſtituram petere debeat, lib.* 1. *de feudis*, vel ſi poſt trinam monitionem dominum recognoſcere, ei jura debita ſolvere noluerint, §. 1. *Quæ ſit prima cauſa beneficii amittendi, de feudis:* vel ſi rem alienent inconſultò domino, *c. Imperialem, ibid.* ubi nomine alienationis etiam ſervitutis impoſitio & oppignoratio cenſetur prohibita, *juxta l. fin. C. de rebus al. non alien.* vel ob ingratitudinem, ſi vaſſallus non alat dominum inopem, ut de donatore dicitur *in l. fin. C. de revocandis donat. Petrus Jacobi tit. ex quibus cauſis feudum amittatur:* vel ſi vaſſalli ceſſent à ſolutione cenſûs per biennium, ſi de re Eccleſiæ agatur, aut per triennium ſi de re Laïcali, *l.* 2. *C. de jure emphyt.* aut ſi negent in Judicio jura domino debita, aſſerentes rem eſſe liberam ab omni cenſu & ſervitio: in quibus caſibus pœna commiſſi ſeu privationis Jure Communi Judicis ſententiâ decernitur, non ipſo jure: minores tamen & alii legitimè impediti, excuſantur, *c.* 1. §. *Prætereà, de prohib. feudi alienat. de feudis:* excuſantur etiam Eccleſia & civitas ob culpam Rectorum, *Speculator de emph. n.* 27.

IV. Sed apud nos in iſtis caſibus mitiùs agitur cum vaſſallis & emphyteutis: pœna commiſſi non irrogatur ipſo jure, nec per Sententiam: ſed vaſſalli & emphyteutæ negantes jura debita damnantur recognoſcere dominos, eiſque jura debita præſtare cum litis expenſis, quæ moderantur ſi tituli ſint obſcuri, aut poſt eorum editionem emphyteuta celeri ſatisfactione jura debita obtulerit, *c. Potuit, de locatione: Imbertus in Enchyridio, verb. pœna: Papon Placitorum lib.* 13. *tit.* 1. *n.* 7. & alienatio vaſſallis non interdicitur, ſalvo jure domini. Alius caſus occurrit expellendi vaſſallum vel emphyteutam, ſi rem faciant deteriorem: nam res datur ut fiat melior, ut jura domino debita creſcant & conſerventur: & ſi res fiat deterior dolo aut culpa vaſſalli, Judicis Sententiâ expelli poteſt, ut colonus expellitur qui malè utitur re conductâ, *Molin. poſt Baldum, & alios citatos, ad Authent. quibuſcumque modis, C. de Sacroſ. Eccl. Clarus in* §. *Emphyteuſis, q.* 26. *n.* 2. quæ ſententia probatur, ſi magnum ſit detrimentum, ſi ſylva cædua radicibus extirpetur, ædificia neceſſaria diruantur, quod fieri non poteſt ſine licentia domini: nam emphyteuta poteſt mutare formam rei, modò domino non noceat: & ſi in prædio emphyteutico ſint quercus aliquæ quæ culturam impediant, & circumactum aratri, emphyteuta jure ſuo poteſt illas cædere ſine licentia domini, & præſtatione laudimii: quod tamen nonnulli domini à ſuis ſubditis injuſtè exigunt: at damnum quod venit caſu fortuito, vel ex leviſſima culpa vaſſalli, ei non imputatur, *Molin. in Conſuetud. Pariſ. tit.* 1. §. 43. *Gl.* 1. *n.* 166.

Pares Curiæ judicant de controverſiis ortis inter dominum & vaſſallum, vel inter ipſos vaſſallos: ſi verò alterius interſit, cognitio eſt Judicis ordinarii, moribus noſtris coram Judicibus ordinariis, Prætore ſcilicet & Parlamento, cauſæ hujuſmodi diſceptantur.

TITULUS III.

Vaſſalli bonis publicatis Feudum reſolvitur.

SUMMARIUM.

I. Vaſſalli bonis publicatis res feudalis ad dominum revertitur. Si Feudum ſit novum liberis excluſis, culpa vaſſalli nocet liberis. Si Feudum ſit avitum, res feudalis nepotibus conſervatur.

II. & III. In crimine Læſæ-Majeſtatis res feudalis acquiritur Regi ſine onere, ſecùs in aliis criminibus, de crimine Læſæ-Majeſtatis divinæ.

IV. Si plures ſint domini, & alter eorum injuriam paſſus ſit.

I. VASSALLI bonis publicatis res feudalis & emphyteuticaria ſimul publicatur: & ſi ob delictum commiſſum contra dominum bona publicata ſint, res feudalis ad eum revertitur, ſive Feudum ſit avitum, ſive paternum, liberis excluſis: culpa vaſſalli nocet liberis, ut diximus Titulo præcedenti. Si verò ob crimen in alium commiſſum bona publicata fuerint; ſi Feudum ſit novum, ſeu à patre acquiſitum, idem ſtatuitur, liberis excluſis, ob rationem allatam: & ſi ſit antiquum ſeu avitum, bonis publicatis ob delictum patris feudum liberis reſervatur ex capite avi pro ſe & pro nepotibus ſtipulantis, *lib.* 1. *de Feudis*, *tit.* 5. At ſi ob crimen Læſæ-Majeſtatis bona vaſſalli vel emphyteutæ publicata ſint, Regi acquiruntur, ſalvo jure domini ſubalterni, ut diximus ſuprà *lib.* 1. *tit.* 12.

II. Dominis bona publicata acquiruntur cum ſuo onere, ſubſtitutionis, reverſionis, & hypothecæ, tametſi ob feloniam in eos commiſſam publicata ſint, *Loiſeau des Seigneuries c.* 12. Idem de Rege ſi ob crimen commune publicata ſint, *l. unica*, *C. pœnis fiſcalibus creditores præferri:* at ſi ob crimen Læſæ-Majeſtatis publicata fuerint, onere ſubſtitutionis, reverſionis, & hypothecæ detracto, acquiruntur Regi, ut priori & antiquiori.

III. Sunt quædam crimina Læſæ-Majeſtatis divinæ, magiæ, ſortilegii, idololatriæ, hæreſis, ultimo ſupplicio & bonorum publicatione digna, *maleficum ne patiaris vivere*, *Exodi c.* 22. *l. Multis, & l. Etſi, C. de Mathematicis:* ſed neque cognitio horum criminum dominis Juſtitiariis denegatur, nec bonorum publicatio, *ut conſtat ex Arreſto citato apud Bacquet, Traité des droits de Juſtice, tit.* 11. *ſub finem.* Et ſi ad Judices Regios per præventionem aut appellationem cognitio deferatur, pars confiſcationis Regi, & pars domino Juſtitiario adjudicatur.

IV. Si ob feloniam in dominum commiſſam res feudalis publicetur, ei ſoli qui injuriam paſſus eſt applicatur per unionem aut conſolidationem dominii utilis cum directo, ſalvo jure condominorum ſi ſint plures: & dominis Juſtitiariis emendæ adjudicantur ob læſam Juſtitiam, ex aliis bonis vaſſalli ſolvendæ: ſi verò feloniæ aliud crimen acceſſerit bonorum publicatione dignum, ſeditionis putà, vis publicæ, homicidii, alia bona vaſſalli ſimul publicantur, res feudalis domino feudatario, cætera bona dominis Juſtitiariis, ſingulis, ſi ſint plures, pro modo Juriſdictionis: à quibus ſumptus litis, emendæ, & æs alienum ſolvitur pro modo emolumenti, *l.* 3. *C. de ſententiam paſſis*, *l.* 2. *C. ad legem Jul. de vi publica:* dominus feudatarius ratione rei feudalis ad ſe reverſæ, pro emendis non tenetur, ipſe enim ob inveſtituram prior eſt: nec pro ſumptibus litis, aut ære alieno, ſi alia bona vaſſalli confiſcata ſufficiant.

TITULUS IV.

De pœna Domini vexantis injuriosè Vaſſallum.

SUMMARIUM.

I. Domini & vaſſalli judicantur ad paria. Dominus vexans injuriosè vaſſallum privatur jure vaſſallagii, & vaſſallus Officiariis Regiis ſubjicitur. Si delictum do-

mini sit bonorum publicatione dignum, | Feudum publicatur Regi.

I. DOMINUS & vassallus judicantur ad paria, *c. Ex facto, de Feudis*: sicut vassallus privatur Feudo ob feloniam in dominum commissam, ut diximus, pari jure dominus privatur jure vassallagii sibi debito, si vexet injuriosè vassallum in sua persona, uxoris, aut liberorum, vel in suis bonis: moribus Galliæ Feudum non resolvitur in istis casibus, nisi delictum domini sit bonorum publicatione dignum: eo enim casu Feudum adimitur domino, & liberis illius, & ad Regem reflectitur, quod ab eo retinetur, vel ex commiseratione datur liberis delinquentis innocentibus: sed si injuria sit gravis, vassallus liberatur à Jurisdictione Officiariorum domini, quandiu ipse vixerit, & Officiariis Regis subjicitur: & post mortem domini remanet subditus Officiariis successoris Feudi, *L. Si manumissus, C. de libertis & eorum liberis: Papon lib. 13. tit. 1. n. 13.* Sic judicatum fuit variis Arrestis relatis à Bacquet, *c. 18. du Traité des Justices.*

TITULUS V.

De re feudali vel emphyteuticaria deserta.

SUMMARIUM.

I. Possessor re dimissa liberatur ab onere reali. Possessor rei feudalis vel emphyteuticariæ liberatur re dimissa. Pactum vassalli vel emphyteutæ de non deserendo est personale.

II. Desertor non liberatur nisi solvat reliqua censûs debita. Tertius possessor bonæ fidei de reliquis non solutis non tenetur nisi à lite contestata.

III. Desertor repetere non potest expensas necessarias utiles aut voluptuarias. Dominus tenetur expensas ædificiorum præstare.

IV. Feudo limitato ad certam generationem finito dominus restituere debet hæredibus vassalli expensas necessarias, utiles, & voluptuarias.

V. Si unus ex vassallis portionem suam deserat.

I. DESERTIONE rei feudalis vel emphyteuticariæ Feudum & Emphyteusis finiuntur, vassallus & emphyteuta liberantur à servitio & onere debito, etiam invito domino: illud enim commune est, in oneribus realibus impositis personæ ratione rei, quòd possessor rem dimittendo liberatur, *L. Si absenti, & L. Cùm fructuarius, ff. de usufructu, L. Qui utilia, C. de omni agro deserto, lib. 10.* & res deserta redit ad dantem, à quo profecta est, & reunitur dominio directo. Dominus autem portionem desertam tenetur acceptare, & deserentem liberare, pactis, promissionibus & recognitionibus non obstantibus, in quibus conditio illa expressè vel tacitè inest, de solvendo & recognoscendo, quandiu recognoscens rem possidebit, *L. Interdùm, ff. de operis libert. & C. de vassallo qui contra Constitutionem Lotharii feudum vendidit, de feudis*, nisi recognoscens promiserit se rem nunquàm dimissurum: quod pactum obligat quidem recognoscentem, quandiu vixerit, at personale est, non obligat hæredes, aliosve successores, *Loiseau Traité du droit de deguerpissement, liv. 5.* ubi tractat eleganter istam materiam: *Bacquet du droit des Justices, ch. 21. n. 204.*

II. Verùm dominus non tenetur deserentem liberare, nisi præstet reliqua censûs debita: an etiam teneatur præstare censum termini futuri, diximus suprà in Titulo de Censu redimendo, *lib. 3. tit. 11.* Prætereà præstare tenetur damna quæ rei illata sunt ex proprio facto, dolo, aut culpa, non ea quæ casu fortuito obvenerunt: nam de casibus fortuitis nemo tenetur, *L. Quæ fortuitis, C. de pign. act.* Idem jus est de hærede vassalli vel emphyteutæ deserere volente: nam hæres succedit in idem jus & onus. At tertius possessor qui bonâ fide rem servilem acquisivit ut liberam, & sciens esse servilem eam dimittere vult, tenetur quidem præstare domino reliqua censûs non soluti possessionis suæ, à die litis contestatæ, à qua scivit aut scire potuit rei naturam, *Bacquet loco citato, n. 197.* & laudimium acquisitionis suæ non solutum, actione personali, etiam ex propriis bonis: nam possessio ipsa eum obligat: at pro reliquis censûs, & laudimiis ejusdem rei ab

authore ſuo debitis, non tenetur niſi actione hypothecaria in re feudali vel emphyteuticaria, à qua rei dimiſſione liberatur, *Loiſeau & Bacquet locis ſuprà citatis.*

III. Deſertor rei vectigalis expenſas à ſe factas in ea re neceſſarias, utiles, aut voluptuarias repetere non poteſt à domino: nam per inveſtituram res datur ut conſervetur, & fiat melior: liberum ei eſt rem eam retinere vel dimittere, & nemo cogitur emere, *L. Nec emere, C. de jure de liber.* Tamen ſi emphyteuta domum conſtruxerit in ſolo vectigali, & velit prædium deſerere, liberum eſt domino vel domum retinere, & expenſas ædificii præſtare, vel ædificium relinquere, *Molin. in Conſuet. Pariſ. tit.* 1. §. 3. *Gl. n.* 8. *Guid. Pap.* q. 169. nam ædificiis res plerumque fit oneroſior domino, quàm utilior, & ut jam dictum eſt, nemo cogitur emere.

Pari jure vaſſallus poteſt Feudum refutare ut liberetur ab onere, modò tempeſtivè id fiat: nam ſi ad opus debitum vocatus vellet refutare ſine conſenſu domini, non admitteretur, & filius poteſt hæreditatem patris retinere, & feudum ſimplex refutare, ſicut pater: at ſi Feudum ſit conditionatum, quo pater eſſet obligatus domino ad aliquid dandum vel faciendum, filius non liberatur niſi ſatisfaciat. Idem dicitur de agnato aut cognato, aliove ſucceſſore cui hæreditas cum Feudo delata eſt: at filius non poteſt hæreditatem patris recuſare, & Feudum retinere, niſi agnatis conſentientibus, *lib.* 2. *de Feudis*, §. 3. Propinquus verò ſeu agnatus poteſt, *ibidem.* Ratio diſcriminis eſt quia filius capit hæreditatem cum Feudo de manu patris, & non poteſt hæreditatem repudiare, ne ſatisfaciat domino cui pater bona hæreditaria obligavit, tamen ſolvendo jura domino debita poteſt, *lib.* 2. *de Feudis, tit.* 45. *& tit.* 51. §. *Similiter.* Moribus noſtris nec filius nec agnatus poteſt hæreditatem vaſſalli repudiare, & Feudum retinere, ſive illud eſſet novum, ſive paternum, niſi præſtet onera injuncta vaſſallo in inveſtitura, quòd ille potuerit juxta jus conſuetudinarium dùm viveret de Feudo pro libito diſponere, & in extraneos transferre. Idem de emphyteuta eſt dicendum, *Gl. in* 45. *lib.* 2. *Feudorum, ſub finem.*

IV. Si Feudum finiatur ex providentia dantis, ſeu pacto inveſtituræ, liberis vel cognatis vaſſalli deficientibus, dominus expenſas omnes reſtituere debet hæredibus illius, neceſſarias, utiles, & voluptuarias, quibus res melior & utilior reperitur, ne locupletetur cum damno & jactura eorum: non tamen expenſas modicas quæ ſequuntur rei uſum, eamque ſalvam faciunt, *Guid. Pap. q.* 169.

Cùm verò Feudum finitur publicatione ex delicto vaſſalli, ædificia rem ſequuntur, ſine ſpe reſtitutionis ſumptuum. Idem dicitur de plantis, & commodo alluvionis, *Molin. loco cit.* §. 43. *Gl.* 1. *num.* 116.

V. Si plures ſint vaſſalli vel emphyteutæ ejuſdem rei, & alter eorum portionem ſuam velit deſerere, diſtinguitur; aut res eſt inter eos communis & indiviſa, & portio deſerta non decreſcit de communione inter alios; aut res ea fuit poſt inveſtituram diviſa inter accipientes, vel eorum hæredes, & diviſio non nocet domino: jura creditorum debitorum pactionibus non mutantur, *L. Debitorum, C. de pactis*, ob diviſionem factam inter eos dominus portionem deſertam poteſt retinere ſi velit, cum diminutione cenſûs debiti, vel eam cæteris conſortibus relinquere cum ſuo onere, pro ratâ portione ſingulorum: quo caſu portio deſerta accreſcit eis etiam invitis, niſi mallent ſinguli portiones ſuas deſerere, ut liberarentur ab onere, ne domini conditio ex eorum diviſione fiat deterior; *Vide Loiſeau loco citato.*

TITULUS VI.

De aliis modis quibus Feudum & Emphyteuſis finitur.

SUMMARIUM.

I. Feudum & emphyteuſis ex providentia dantis finiuntur poſt gradum generationis, aut tempus adjectum. Defectu formæ. Ob incapacitatem accipientis. Ex juſta cauſa reſtitutionis in integrum. Ob læſionem. Jure prælationis. Re evictâ vel peremptâ.

I. ALIIS modis Feudum & Emphyteusis finitur. *Primò*, ex providentia dantis, si ad certum gradum generationis vel certum tempus, investitura data sit; post gradum generationis finitum, aut tempus adjectum, Feudum vel Emphyteusis finitur, *Petrus Jacobi in tit. de distinctione Feudorum, vers. quarta distinctio* : in Jure Canonico sunt precariæ, quæ fiunt de quinquennio in quinquennium, & precaria quæ fit ad vitam accipientis, *in tit. de precario* : & quamvis Emphyteusis & Feudum ex sua natura fiant in perpetuum, *L. fin. C. de jure emphyteutico*, tamen ex placito dantis fieri possunt in certum tempus, quo elapso finiuntur. *Secundò*, investitura nulla est defectu formæ & solemnitatis requisitæ in alienatione rei Ecclesiasticæ, fisci, Universitatis, & minorum, ut de re Ecclesiæ suprà diximus *lib. 2.* *Tertiò*, investitura nulla est ob incapacitatem accipientis, nempè Ecclesiæ, & Universitatis, quæ investiri non possunt sine Regis licentia, *Speculator in tit. de locato*, §. *Nunc aliqua : Claperius causa 69.* nam Regis interest bona feudalia & emphyteuticaria esse in manibus mortuis : muti, surdi, furiosi, infantes, & fœminæ, Feudi sunt incapaces, quia servire non valent, *lib. 2. de Feudis, tit. 25.* At moribus nostris censentur capaces, quia per alios servire possunt, & bona feudalia ad instar bonorum patrimonialium redacta sunt, ut diximus suprà. *Quartò*, investitura rescinditur actione quod metûs causâ, vel doli mali. *Quintò*, investitura rescinditur ob læsionem in quantitate censûs rei emphyteuticariæ : si de re Ecclesiæ, Universitatis, aut minorum agatur, investitura rescinditur si læsio sit in sextante, habitâ ratione valoris reditûs annui prædii rustici, cum diminutione sextantis, ob casus fortuitos, & cum diminutione quadrantis, si de prædio urbano actum sit, quòd prædia urbana senescant successu temporis, incendio & ruinæ obnoxia sint, & ex reditu viginti annorum colligitur justa æstimatio valoris rei, *Speculator de emph. n. 15.* Majores verò viginti quinque annis non admittuntur, nisi læsio sit enormissima infra dimidium justi valoris reditûs annui, *Ant. de Butrio in c. Cùm dilectus, de empt. & vend. Speculator de emph. n. 90. Chopp. de sacra Pol. lib. 3. c. 7. in marg.* habitâ etiam ratione juris laudimialis, & obsequii feudalis. Accipiens verò queri non potest de læsione, cùm liberum ei sit recedere, & re desertâ liberetur, ut diximus suprà. *Sextò*, Feudum vel Emphyteusis resolvitur in casu alienationis jure prælationis, ut diximus suprà. *Septimò*, reversione ex commisso, vel delicto, ut suprà dictum fuit. *Octavò*, re evicta, si pars evincatur, emphyteuta liberatur pro parte, si tota res evincatur liberatur in totum. *Nonò*, accipiens liberatur interitu rei, inundatione, vel ruinâ : verùm si pars rei perierit, emphyteuta remanet in totum obligatus, sine diminutione censûs : nam casus fortuiti augmenti vel detrimenti, pertinent ad accipientem : *Panormit. in c. Propter, de locato.*

TITULUS VII.

An re evicta vassallo vel emphyteutæ Dominus teneatur de evictione.

I. SI dominus mediante pretio prædium dederit in Feudum vel Emphyteusim, re evictâ tenetur de pretio : si verò gratis sine pretio, non tenetur nisi evictionem promiserit, aut fraudulenter versatus sit, sciens rem esse alienam : eo enim casu tenetur actione doli ad id quod interest accipientis, ut res alia ejusdem bonitatis sibi detur, *L. 2. C. de evictionib. & L. Aristo, ff. de donat. Molin. in Consuet. Paris. tit. 1. §. 10. Gl. 1. n.* 24. Tamen si accipiens sciret rem esse alienam, de evictione agere non potest, *c. de investitura facta de re aliena, lib. 2. de Feudis.*

TITULUS VIII.

An Feudo ad Dominum reverso servitutes & hypothecæ maneant.

SUMMARIUM.

I. Finitâ lineâ, & Feudo resoluto ex pacto & providentia dantis, res redit libera ad dominum.

II. Si Feudum sit hæreditarium, transmis-

sibile ad hæredes, onera imposita manent. In dubio Feudum censetur hæreditarium apud nos.

III. Ob cessationem solutionis censûs, & pactum resolutorium adjectum in investitura; onera & servitutes impositæ evanescunt. Feudo resoluto ob culpam vassalli, vel desertionem, onera imposita manent. Feudo reverso ad dominum ob ingratitudinem vassalli, vel crimen commissum, onera imposita manent.

I. AUT Feudum resolvitur ex lege Feudi, seu conditione adjecta in investitura, & providentia dantis, lineâ generationis finitâ, & res revertitur ad dominum libera ab omni onere servitutis vel hypothecæ, nisi æs alienum contractum fuerit, pro expensis necessariis aut utilibus rei feudalis: vassallus enim in illo casu, ejusque successores in linea nudum habent usumfructum, non possunt alienare extra lineam, nec rem oppignorare, alioquin privantur Feudo, *ç. Quia supra, de Feudis, lib.* 1.

II. Secùs si Feudum sit hæreditarium, si vassallus illud susceperit pro se & suis hæredibus quibuscumque aut successoribus: eo enim casu Feudum transmissibile est ad successores vassalli universales & particulares, vassallus illud alienare potest, vel oppignorare, salvo jure domini, laudandi vel retinendi; & si vassallus illud susceperit simpliciter, hæreditarium censeri debet, nam stipulando nobis & successoribus nostris universalibus & particularibus acquirimus, *L. Quæ legata, ff. de reg. Juris.* Moribus nostris Feuda sunt hæreditaria & patrimonialia in libera dispositione vassalli, ut suprà diximus, nisi in investitura aliud actum sit: rem autem alienatam sequuntur onera imposita à vassallo, & hypothecæ.

III. Si conditio in investitura sit adjecta, Feudum ad dantem reversurum, si vassallus cessaret à solutione censûs per biennium, aliudve certum tempus; res redit libera ad dominum ob cessationem solutionis, sine onere, ex pacto adjecto, juxta responsum Scævolæ *in L. Lex vectigali, ff. de pignor.* At si pactum illud non fuerit adjectum in investitura, res quidem revertitur ad dominum ob contumaciam vassalli, per Judicis Sententiam, sed pignora & servitutes ab eo imposita manent. Idem dicendum est si Feudum resolvatur ob culpam vassalli alienantis inscio domino, vel dolum aut culpam illius rem deteriorantis, aut desertionem; ex quibus causis Feudo resoluto per Judicis Sententiam servitutes & pignora imposita manent, tùm ob culpam domini qui vassallum improbum elegit, tùm ob libertatem commercii, nam cui licet donare & vendere licet etiam oppignorare, *L. Cujus est donandi, ff. de regulis Juris.*

Aut Feudum resolvitur ob ingratitudinem vassalli, vel injuriam illatam domino, ut suprà diximus in Titul. de Commisso, & onera à vassallo rei imposita ante crimen commissum manent, & Feudum sequuntur: tamen creditores alia bona vassalli priùs discutere debent quàm agant contra dominum in rem feudalem, ut responsum fuit *in L. His solis, C. de revocandis donat.* de pignore contracto à donatario ante causam ingratitudinis. Idem observatur in rebus donatis ad patrem donatorem superstitem reversis mortuo filio donatario sine liberis, ut variis Arrestis judicatum fuit, relatis in Commento moderno nostri Statuti: idemque in casu Commissi pro creditoribus judicatum fuisse refert contra dominum Scholiastes Loëtii *in litt. C. n.* 53. nam lex investituræ seu pactum vel conditio expressa non nocet, pro libertate commercii judicandum est, etiam contra fiscum, *L. unica, Ç. In pœnis fiscalibus creditores præferri*: crimen Læsæ-Majestatis excipitur, ex quo, reo damnato, bona omnia illius allodialia & feudalia publicantur Regi sine onere, salvo tamen jure domini subalterni, ut notavimus suprà *tit.* 2. Et sicut Feudo vel Emphyteusi resolutâ onera imposita manent, sic commoda alluvionis rem sequuntur, *L.* 1. *C. de jure emphyteutico: Molin. in Consuet. Paris. tit.* 1. §. 1. *Gl.* 5. *n.* 115.

TITULUS IX.

An res feudales ad Dominum reverſæ ſint immunes à taleis.

SUMMARIUM.

I. Res feudales cadentes in manus privatorum taleabiles ſunt.
II. Res feudales ad dominum reverſæ jure Feudi ſiunt immunes. Res feudales ad dominum reverſæ alio titulo particulari remanent taleabiles.

I. RES feudales à Rege conceduntur vaſſallis immunes à taleis : ſunt etiam immunia à taleis prædia antiqui dominii Eccleſiæ non contento in Æſtimo generali facto in hac Provincia anno 1471. Verùm cùm res hujuſmodi cadunt in manus privatorum, per venditionem, donationem, locationem perpetuam, vel emphyteuſim, mutatâ conditione poſſeſſorum, mutatur rerum conditio, poſſeſſores taleas ſolvere tenentur, *L. Licitatio*, §. *Mercatores*, *ff. de publicanis*, *& ibi Bartolus.*

II. Cùm verò res eæ revertuntur ad dominum, & quæritur an recipiant priſtinam immunitatem ; diſtinguitur, aut res eæ revertuntur ad dominum jure feudali, nimirùm jure commiſſi, feloniæ, vel deſertionis, & fiunt immunes à taleis imponendis, non tamen ab arreragiis à vaſſallo debitis : nam res revertitur cum ſuo onere, ut diximus ſuprà : aut res revertitur ad dominum alio jure, ſcilicet emptionis, prælationis, donationis, confiſcationis, vel deshærentiæ, & remanent taleis obnoxia : *Bertrandus conſ.* 207. *vol.* 1. *Benedictus in c. Raynutius*, *& verb. & uxorem.* Sic judicatum fuit in Conſiſtorio Regis, anno 1556. inter Nobiles & Procuratores hujus Provinciæ, refert Papon. *Vide ſuprà tit.* 10. *lib.* 4.

FINIS.

TOLOSÆ,
Ex Typographiâ DOMINICI DESCLASSAN.
M. DCC. XI.

INDEX

TRACTATUS MELCHIORIS PASTORIS

DE

BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,

ET

ANTIQUARUM OBSERVATIONUM

NOVARUMQUE ADDITIONUM

JOANNIS SOLIER;

Quarum primæ, seu antiquæ stellis distinguntur, novæ verò manu indicantur.

A

Abbas.

ABBATES subsunt Episcopis. *lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 3. *pag.* 5.

Abbatis Beneficia post adeptam pacificam possessionem vacant. *l.* 3. *t.* 14. *n.* 5. *p.* 150.

Abbates Tonsuram, & minores Ordines sibi subditis dare possunt, non aliis. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 41. *p.* 233.

Abbates Commendatarii jus habent suffragii in Comitiis generalibus Cleri. *l.* 3. *t.* 45. *n.* 7. *p.* 242.

Abbates Sæculares non possunt Monachos corrigere, vel eorum Professiones admittere. *ibid.*

Abbates Regulares Monasterium habent heredem; Sæculares cognatos. *ibid. n.* 8. *& l.* 1. *t.* 1. *n.* 3. *p.* 2.

Abbatibus exemptis reservatur collatio Beneficiorum Monasterii interdum conjunctim cùm Capitulo, interdum divisim. *l.* 1. *t.* 21. *n.* 13. *p.* 58.

* Abbas potest eligi ad aliam Prælaturam, sed consentire nequit absque Superioris licentiâ. *lib.* 1. *t.* 7. *litt. a. p.* 18.

* Antè Benedictionem dicitur Abbas; electus autem in Episcopum, non est Episcopus ante consecrationem. *l.* 3. *t.* 14. *litt. d. p.* 150.

* Abbatiæ & Episcopatus à jure parificantur *Vide* Monachus. *ibid.*

Absens.

* Absentes ad electionem vocandi è toto regno. *l.* 1. *t.* 5. *litt. b. p.* 15.

* In fine termini Juris potest minor pars eligere absentibus non vocatis. *ibid.*

* Absentes sine causâ grossam dumtaxat lucrantur: cum causâ verò recipiunt distributiones quotidianas impropriè dictas. *l.* 3. *t.* 46. *litt. c. p.* 247.

Nisi alia sit consuetudo. *ibid.*

Absolutio.

Absolvere possunt Episcopi in non reservatis. *l.* 3. *t.* 37. *n.* 9. *p.* 214.

Absolvere potest in reservatis quilibet Sacerdos. *l.* 3. *t.* 37. *n.* 10. *p.* 215.

Absolvere possunt Episcopi in occultis. *ibid.*

Absolutio censuræ per vim obtenta nulla est. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 14. *p.* 221.

Absolutio in casibus contentis in Bulla Cœnæ. *l.* 1. *t.* 39. *n.* 20. *p.* 220. *& seq. p.* 221. *& t.* 40. *n.* 43. *p.* 224.

* Absolutio à Censuris ad effectum nihil suffragatur, nisi provisus absolvatur ab executore antè collationem. *l.* 2. *t.* 8. *litt. a. p.* 79.

* Absolutio à Censuris nihil prodest quoad irregularitatem. *ibid.*

* Absolutio Papæ in criminalibus non sufficit ad Ordines, & Beneficia absque venià Principis sæcularis. *l.* 3. *t.* 42. *litt. k. p.* 203.

Nisi crimen esset Ecclesiasticum. *ibid.*

* Absolutio Excommunicationis ubique terrarum potest impertiri. *l.* 3. *t.* 26. *litt. a. p.* 212.

☞ Absolutio ab Excommunicatione potest impertiri ab eo, qui eam tulit, vel ab ejus successore, ubi lator est mortuus, vel amotus. *l.* 3. *t.* 37. *n.* 7. *p.* 215.

☞ Absolutus propter mortis periculum, ab eo, à quo aliàs non poterat, si cessante impedimento se non præsentat, cùm commodè potest, ei à

quo aliàs absolvi debebat, recidit in eandem excommunicationem. *l.* 3. *t.* 37. *n.* 10. *p.* 216.
☞ Absolutio ab Excommunicatione, in quam quis incidit ex Clerici percutione, est Papæ reservata, nisi percutio, vel injuria sit levis, quia tunc Episcopus potest absolvere. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 3. *p.* 218.
☞ Sunt & alii casus in quibus Excommunicati veniunt à Papa absolvendi, qui enumerantur. *ibid. n.* 15.

Ætas.

Ætas justa in Ordinibus & Beneficiis, *Vide* Ordo, & Beneficium.
Ætas Episcopi & Abbatis. *l.* 3. *t.* 22. *n.* 6. *p.* 178.
* Ætas ad Tonsuram & minores Ordines est septennium expletum, contra Pastorem. *l.* 3. *t.* 22. *litt. a. p.* 180.
* Circa ætatem primæ Tonsuræ & minorum Ordinum, nihil innovatum à Conc. Trid. *ibid.*
* Ætas septem annorum sufficit ad Prioratus sæculares simplices, contra Pastorem. *ibid. litt. c.*
* Ad Prioratus Regulares simplices requiritur vigesimus annus. *ibid.*
* Ætas viginti quinque annorum ad Parrochialem de jure requiritur. *ibid. litt. d.*
* Senatus tamen Parisiensis judicavit sufficere provisum de Parrochiali posse intra annum promoveri. *ibid.*
* Dispensatus ut celebret ante ætatem, non censetur dispensatus ad Curatum. *ibid. litt. d.*
☞ In Ecclesiis Parrochialibus, & Dignitatibus, quibus cura animarum incumbit, defectus ætatis impedit, & irritat provisionem. *l.* 3. *t.* 22. *n.* 7. *p.* 180.

Affectio.

* Affectio est manûs Papæ appositio, & tacita reservatio. *l.* 1. *t.* 15. *litt. a. p.* 34.
* Affectio habet locum in causis, in jurium confirmatione, in collatione Ordinum, & Beneficiorum. *ibid.*
* Manûs Papæ appositio non afficit in Galliâ. *ibid.*
* Afficiuntur Beneficia per reservationem revocatam, aut aliàs extinctam. *ibid. litt. c.*
* Papa simpliciter conferendo non censetur sibi afficere. *ibid. litt. d.*
* Collatio reservati nulliter à Papa facta non impedit potestatem redire ad Episcopum post mensem à die vacationis. *ibid.*
* Etiam repudiante Papæ collatario, & vacante Sede Apostolica. *ibid.*
* Afficitur Beneficium per requisitionem Graduati, ut Papa ampliùs non possit conferre etiam qualificato. *l.* 1. *t.* 16. *litt. b. p.* 37.

Alternativa.

Alternativa inter Ordinarium, & Papam, Episcopum, aut Abbatem, & Capitulum; & an Papa possit derogare. *l.* 1. *t.* 21. *n.* 13. *p.* 58.

Anathema.

* Anathema idem sæpè quòd excommunicatio, verumtamen inter se differunt. *l.* 3. *t.* 35. *litt. a. p.* 208.
* Anathema rescindit ab ipso corpore Christi, & segregat ab ipso Deo: excommunicatio simpliciter separat à fraternâ societate. *ibid.*
* Anathema dicitur perditio, & maledictio, & majori solemnitate fulminatur. *ibid.*
* Per Anathema aggravatur excommunicatio, id est, augetur maledictionibus & execrationibus. *ibid.*

Annata.

Annatæ sublatæ. *l.* 2. *t.* 14. *n.* 1. §. 1. *p.* 89.
Annatæ tolerantur pro fabrica Ecclesiæ. *ibid. n.* 2.
Annata non debetur ex regressu justitiæ. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 4. *p.* 131.
* Annata non solvitur nisi fructus Beneficii valeant 30. ducat. ideo in Galliâ exprimuntur ad 24. tantùm. *l.* 2. *t.* 9. *litt. a. p.* 79.
* Annata subrogata fuit in locum Decimæ, sive redecimæ, quæ olim per totum Orbem Papæ colligebatur *l.* 2. *t.* 14. *litt. b. p.* 90.
* Annata nihil aliud est quàm aliqua taxata quantitas fructuum ejus anni, quo Beneficium vacat. *ibid.*
* Annata quarè debita. *ibid.*
* Unica exigitur annata quamvis plures vacationes eodem anno contingant *ibid.*
* Solvitur pro quolibet Beneficio, vel pensione excedente 24. ducatos, medietas fructuum unius anni. *ibid. Vide* fructus
☞ Triplex est annatæ genus, alia quæ Papæ solvitur ex fructibus ejus anni, quo Beneficium vacat, alia, quæ quindennium nuncupatur singulis quindecim annis Cameræ Apostolicæ solvi debet pro Beneficiis unitis: alia denique quam Deporta vocant, quibusdam Capitulis, vel Dignitatibus, aut etiam Episcopis debita. *l.* 2. *t.* 14. *n.* 2. *p.* 90.

Appellatio.

Appellare quandò liceat ab abusu. *l.* 3. *t.* 37. *n.* xi. & 12. *p.* 211.
Appellatione pendente à sententiâ excommunicationis petitur absolutio ad cautelam. *ibid.*
Per appellationem in correctoriis jus devolvitur, non suspenditur. *ibid. n.* 13.
Appellans à rescripto Apostolico ad Laïcam potestatem. *ibid.*
Appellare non licet omisso medio. *l.* 2. *t.* 15. *n.* 4. *p.* 91.
* Appellatio non suspendit excommunicationem: quia excommunicatio, suspensio, & Interdictum secum trahunt executionem. *l.* 3. *t.* 36. *litt. b. p.* 212.
* Nisi ex die, vel sub conditione sit lata Sententia, & antè diem, vel conditionis eventum, fuerit appellatum. *ibid.*
* Vel ipsa sententia sit tantùm declaratoria excommunicationis ipso jure incursæ. *ibid.*
* De appellationibus tanquam ab abusu silendum. *l.* 3. *t.* 39. *litt. a p.* 220.

Archidiaconus.

Archidiaconus debet esse Graduatus. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 2. *p.* 194.
Archidiaconus ratione jurisdictionis primus post Episcopum. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 4. *p.* 5.

Archipresbyter.

Archipresbyteri dignitas, & munus. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 5. *p.* 5.

Assassini.

Assassini excommunicatur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 22. *p.* 222.
☞ Assassini dicuntur quicumque pecuniâ, aliove pretio conducti homines occidunt aut percutiunt *l.* 3. *t.* 40. *n.* 22. *p.* 225.

B

Baptismus.

BAPTISMUS Hæreticorum valet. *l.* 3. *t.* 33. *n.* 1. *p.* 204.
Qui Baptismum iterant, aut ab Hæretico sponte baptisantur, aut differunt baptisari in ætatem adultam irregulares. *ibid.*
Baptismus conditionaliter potest iterari. *ibid.*

Beneficium.

Beneficia cur dicta. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 5. *p.* 2.
Beneficia alia sæcularia, alia Regularia. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 3. & *l.* 3. *t.* 45. *n.* 3. *p.* 241.
Alia Curata, alia Simplicia, & ut Curata fiunt Simplicia. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 2. *p.* 3.
Alia Sacerdotalia actu, vel aptitudine. *ibid. n.* 7.
Beneficia consistorialia cur dicta, & quòd Nominatis à Rege in Gallia conferantur. *ibid. n.* 8. *p.* 4.
Beneficii divisio prohibita. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 16. *p.* 10.
Beneficium Regulare fit sæculare consuetudine contrariâ, vel contrà *ibid. n.* 17.
Beneficium potest onerari in gratiam Ecclesiæ ante vacationem. *l.* 2. *t.* 14. *n.* 3. *p.* 89.
Beneficia sine diminutione conferuntur. *ibid.*
Beneficia variis modis vacant. *l.* 3. *t.* 1. *n.* 1. p. 102. & *t.* 2. *n.* 1. *p.* 104. & *l.* 3. *t.* 14. *n.* 1. 2. 3. 4. 5. & *t.* 15. *n.* 1. *p.* 149. 150. & 151.
Beneficia incompatibilia quæ sint. *ibid. n.* 4. *p.* 151.
Exteri in Gallia sine venia Principis Beneficia aut Officia non possunt obtinere. *l.* 3. *t.* 44. *n.* 2. *p.* 240.
Beneficia amittuntur ob non residentiam. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 6. *p.* 244.
Beneficium Sacerdotale vacat ob defectum promotionis. *l.* 3. *t.* 16. *n.* 1. *p.* 156.
Beneficium vacat per professionem Religionis. *l.* 3. *t.* 17. *n.* 1. *p.* 159.
Beneficia vacant ex Simoniâ, & aliis delictis. *l.* 3. *t.* 18. *n.* 1. *p.* 162.
Beneficia vacant ex defectu qualitatis, aut ætatis requisitæ in proviso. *l.* 3. *toto t.* 22. *p.* 177. & *toto t.* 30. *p.* 195.
Beneficia Curata non conferuntur, nisi calleant idioma loci. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 10. *p.* 195.
Beneficium viventis impetrare non licet, ut vacaturum. *l.* 3. *t.* 1. *n.* 3. *p.* 102. & *t.* 2. *n.* 2. *p.* 104.
Beneficium vacans per obitum non licet impetrare, nisi post tempus de verisimili notitiâ. *ibid. n.* 4. *p.* 104.
Beneficio Clericus non deponitur, nisi ob justam causam. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 1. *p.* 244.
Vide Collatio.
Clerici usufructuarii suorum Beneficiorum, *vide* Clericus
* Beneficia Ecclesiastica à quo tempore originem habuerunt, *l.* 1. *t.* 1. *litt. a. p.* 2.
Ita primùm denominata à Concilio Maguntiaco an no. 813. *ibid.*
* Beneficia manualia regularia sunt hujusmodi ex persona obedientiarii, Sæcularia verò ex fundatione: utraque vera Beneficia. *l.* 1. *t.* 2. *litt. a. p.* 4.
* Beneficia Curata simplicibus non uniuntur. *l.* 1. *t.* 4. *litt. b. p.* xi,
* Beneficia Simplicia Curatis rectè uniuntur. *ibid.*
* Beneficium potest constitui Sacerdotale unoquoque de tribus modis relatis. *l.* 3. *t.* 16. *litt. b. p.* 158.
* Beneficium est Sacerdotale actu, vel aptitudine, vel tantùm causativè. *ibid.*
* Beneficium Regulare nequit conferri Regulari alterius Ordinis, vel Monasterii. *l.* 3. *t.* 45. *litt.* c. *p.* 243.
* Consuetudo laudabilis quod Beneficia non conferantur, nisi uni de gremio Capituli. *ibid.*
☞ Primis Ecclesiæ temporibus, ex fidelium primitiis, & oblationibus Ecclesiæ Ministris pecuniæ collectæ, quasi sportulæ distribuebantur ad victum post-modum prædia passim Clericis ministrantibus assignata sunt ad vitam, quæ assignatio nomen dedit Beneficiis, quæ etiam vocantur Præbendæ & Sacerdotia *l.* 1. *t.* 1. *n.* 1. *p.* 2. & 3.
☞ Sunt etiam Beneficia Regularia, quæ solis Regularibus conferri debent, sicut sæcularia sæcularibus: Regularis tamen potest ad Episcopatum promoveri propter excellentiam dignitatis Episcopalis. Alia sunt Beneficia Sacerdotalia, & talia aptitudine, Sacerdotalia non vacant ipso jure per non promotionem, sed per sententiam, prævia monitione, exceptis Parrochialibus Ecclesiis, quæ vacant ipso jure ob non promotionem intra annum. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 1. & 2. *p.* 4.
☞ Beneficia quæ apud sedem vacant per obitum, sunt Papæ reservata. *l.* 1. *t.* 15. *n.* 2. *p.* 34.

Bigamia.

Bigami Irregulares. *l.* 3. *t.* 24. *n.* 1. *p.* 182.
Bigamia triplex. *ibid. n.* 2. *p.* 183.
Cum Bigamis Papa dispensat. *ibid. n.* 5.
* Bigamia. Et quarè Apostolus præcipiat unius uxoris virum potiùs quàm nullius in Episcopum seu presbyterum eligendum. *ibid. litt. a. p.* 184.
* Olim Cretensium leges cogebant, ut omnes homines à puero uxores ducerent. *ibid.*
* Ecclesia virum corruptæ licèt virginem prohibet ordinari, non autem virum incorruptæ corruptum. *ibid. litt. b. p.* 184.
* Quia actus contrahendi matrimonii non cadit super se ipsum, sed super alium. *ibid.*
* Vel etiam quia quoad famam major requiritur honestas in fœminis, quàm in masculis. *ibid.*
* Mulier si esset Ordinis susceptiva, recipiendo corruptum efficeretur Bigama. *ibid.*
* Vir contrahens cum corrupta non est irregularis irregularitate Bigamiæ, sed quòd ita statuerit Ecclesia ob dignitatem Ordinum. *ibid.*
* Ducens corruptam, aut cognoscens adulteram uxorem inter Bigamos interpretativè numeratur. *ibid.*

* In dispensatione Bigamiæ satis est referre binas nuptias, non etiam ternas, aut quaternas. *ibid. litt. c. p.* 184.
* Facienda est mentio Bigamiæ veræ, & interpretativæ, ac similitudinariæ, si simul concurrant. *ibid.*

Bulla.

Bulla gratiæ Beneficialis ut probetur. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 65.
Bullæ forma solemnis. *ibid. n.* 2.
In Bullâ Ordinarii duo requiruntur testes. *ibid. n.* 3.
Bulla Papæ, & Legati est conformis signaturæ. *ibid.*
Bulla per Procuratorem, aut amicum potest obtineri. *ibid. n.* 5. *p.* 66.
Bulla Cœnæ in Gallia non fuit publicata. *l.* 3. *t.* 39. *n.* 20. *p.* 220.
De casibus in ea contentis. *idid. p.* 219. & 220.
* Bulla, & Signatura ubi contraria & pugnantia continent neutri statur. *l.* 2. *t.* 3. *litt. b. p.* 68.
* In Bullâ non possunt substantialia ampliari, omissa suppleri, aut Clausulæ restringentes omitti. *ibid.*
☞ Bulla in Cœna Domini in plerisque Regionibus non recipitur. *l.* 3. *t.* 39. *n.* 20. *p.* 220.

C

Capacitas.

☞ IDONEITAS Beneficiandorum consistit in ætate, moribus, & scientia. *l.* 3. *t.* 20. *n.* 1 *p.* 175
☞ Qualitas certo tempore requisita in aliqua persona, si postea intervenit, nihil operatur. *ibid, dicto n.* 1.
☞ Episcopus non potest conferre Beneficium non habenti qualitatem in fundatione appositam. *ibid. n.* 2.

Capella.

Capellæ non spiritualisatæ non sunt Beneficia. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 3. *p.* 3.
Capellæ à matrice Ecclesiâ reguntur. *ibid. n.* 2.
Capellæ translatio. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 5. *p.* 8.
Capella Cotignascensis Divæ gratiarum miraculis clara. *ibid. n.* 9. *p.* 9.

Canonicus.

Canonici habentes jus suffragii in Capitulo. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 10. *p.* 6.
Canonicus Theologalis. *ibid.*
An lucretur distributiones. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 11. *p.* 245.
Canonici facti sunt sæculares. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 3. *p.* 8.

Capitulum.

Capituli, Sede vacante, potestas. *l.* 1. *t.* 12. *n.* 1. *p.* 28.
Capituli Vicarius Sede vacante. *ibid. n.* 2.
An possit Beneficia conferre. *ibid. n.* 3. 4. & 5.
Vel commendare. *ibid.*
An possit dare dimissorias. *ibid. n.* 1.
* Capitulum Sede vacante succedit in his, quæ sunt Ordinis Episcopalis, contrà Pastorem. *ibid. litt. a.*
* Eaque exercet per vicinos Episcopos, cùm cautelæ studio. *ibid.*
* Capitulum, sede vacante, non confert, quæ de ejus consilio, vel assensu conferret Episcopus *ibid. litt. b.*
* Capitulum Episcopi negligentiam supplet, defectum non supplet. *ibid.*
* Capitulum, Sede vacante, confert Beneficia simultaneæ collationis. *ibid. litt. c.*
* Capitulum, Sede vacante, non confert Parrochiales sine præscriptione. *ibid.*
* Capitulum, Sede vacante, collationes simplicium non præscribit in præjudicium Regaliæ, contra Pavin. *ibid.*
* Capitulum Adrianus 2. dist. 63. merum commentum continet. *l.* 1. *t.* 13. *litt. f. p.* 31.
* Vicario Capituli, Sede vacante, possunt de jure dirigi delegationes, & rescripta. *l.* 2. *t.* 13. *litt. b. p.* 87.
* Stylus tamen Curiæ Romanæ dirigit viciniori Episcopo. *ibid.*
* Capitulum, Sede vacante, non confert ex causa permutationis, contra Pastorem. *l.* 3. *t.* 11. *litt. b. p.* 138.
* Capitulum numquam succedit in collatione Beneficiorum, nisi ubi lege nominatim cavetur. *ibid.*
* Non valet argumentum ex institutione, & confirmatione ad alias necessarias collationes, *ibid.*
* Ex quo per præsentationem, & electionem quasi inchoatur provisio Beneficii. *ibid.*
* Capitulum, Sede vacante, intrà annum dimissoriales non concedit. *l.* 3. *t.* 42. *litt. x. p.* 236.
☞ Capitulum, Sede vacante, conferre potest Graduatis & Nominatis, non potest facere visitationem generalem, sed tantùm particularem, nec potest exercere jurisdictionem delegatam Episcopo. *l.* 1. *t.* 12. *n.* 1. *p.* 29.

Cardinalis.

Cardinales an possint præveniri. *l.* 1. *t.* 21. *n.* 12. *p.* 57.
Cardinalium persecutores, & eorum liberi. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 11. *p.* 217.
Beneficiorum suorum domesticorum Cardinalibus reservatur collatio. *l.* 1. *t.* 9. *n.* 6. *p.* 21.
☞ Cardinales juxta illis à sancta Sede concessa possunt liberè disponere de Beneficiis ad eorum collationem pertinentibus in titulum, vel in Commendam absque ullâ reservatione & præventione Papæ. *l.* 1. *t.* 18. *n.* 3. *p.* 41.
☞ Cardinales subjiciuntur indultis Senatûs Parisiensis, imò etiam & Graduatis, sed nominatio indultaria debet ordinario collatori ante vacationem insinuari, & exemplar Regiæ nominationis tradi. *ibid. n.* 4.

Clausulæ litterarum.

Clausula, *generalis absolutionis*, in litteris appositа quid operetur. *l.* 2. *t.* 8. *n.* 3. *p.* 78.
Clausula, *quòd obstantiæ oratoris habeantur pro expressis.* *l.* 2. *t.* 9. *n.* 1. *p.* 79.
Clausula, *de certa scientia, aut motu proprio. ibid. n.* 4.
Clausula, *anteferri.* *l.* 2. *t.* 10. *n.* 3. *p.* 81.
* Clausula, *quovis modo*, permissa Ordinariis cum non reperiatur in jure prohibita. *l.* 2. *t.* 6. *litt. b. p.* 75.

* Clausulæ, *quovis modo*, &, *per obitum*, non suffragantur in Resignatario in resignatione revocata. *l.* 3. *t.* 2. *litt. d. p.* 105.
* Actu principali annullato, annullantur omnes clausulæ accessoriæ. *ibid.*
* Ubi gratia est obreptitia frustra recurritur ad clausulas in ea contentas. *ibid.*
* Ad hoc ut intret effectus clausulæ, *quovis modo*, sufficit resignationem verificari de facto. *ibid.*
* Clausulæ, *quovis modo*, & *per obitum*, non sunt accessoriæ, sed æque principales & separatæ. *ibid. litt. d. p.* 106.
☞ Clausula, *in forma dignum*, signaturæ apposita non facit gratiam conditionalem, nam illa clausula sonat potiùs in monitionem, quàm in conditionem, & collatio non dicitur facta in eo instanti, quo executor exequitur, sed tempore rescripti Apostolici. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 68.
☞ Clausulæ in provisionibus Apostolicis apponi solitæ, à delictis non absolvunt; nisi ad effectum gratiæ consequendum. *l.* 2. *t.* 8. *n.* 1. *p.* 80.
☞ Quamvis generaliter loquantur clausulæ absolutoriæ, ad graviora crimina non extenduntur, quæ privant ipso jure & prosunt tantùm quoad ea, ob qua quis veniret privandus. *ibid.*
☞ Hodie clausula, *quod obstantiæ oratoris habeantur pro expressis*, non apponitur in signatura. *l.* 2. *t.* 9. *n.* 1. *p.* 80.
☞ Clausula, *si nulli, si alteri*, inutilis est in Gallia & si dubitatur de titulo, petitur nova provisio. *ibid. n.* 2.
☞ Clausula, *motu proprio*, operatur exclusionem subreptionis. *ibid. n.* 4.
☞ Clausulâ generali, *non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis*, non derogatur constitutioni Concilii, cui nominatim derogandum est, sicut & regulis Cancellariæ. *l.* 2. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 81.
☞ Clausula, *non aliàs, non alio modo*, in favorem illius, qui sciens defectum tacuit, nihil operatur. *l.* 3. *t.* 4. *eod. n.* 6. *p.* 116.

Clerici.

Clerici in quibus casibus possint conveniri coram judice sæculari. *l.* 3. *t.* 43. *n.* 4. *p.* 237.
Clerici habitum gerentes indecorum. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 34. *p.* 233.
Clerici venatores. *ibid. n.* 30. *p.* 232.
Clerici sæculares officium exercentes excommunicati. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 4. *p.* 221.
Clerici vagantes per Curias Principum sæcularium. *Vide* Regulares.
Clerici incontinentes, ubi de Concubinariis. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 1. *p.* 229.
Clerici vivebant in communi. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 2. *p.* 1.
Clerici debent vivere de altari. *ibid. n.* 1.
Clericis ususfructus Beneficii conceditur. *ibid. n.* 3. *p.* 2.
Clerici Sæculares in Gallia de residuis suorum Beneficiorum possunt testari. *ibid. n.* 4.
Clericorum heredes non repetunt bona in Ecclesiæ utilitatem conversa. *ibid.*
Clericorum percussores. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 3. *p.* 216.
Clerici tributis non gravandi sine sedis Apostolicæ licentia. *Vide* Ecclesia.
Clerici usurarii, & concubinarii. *l.* 3. *t.* 43. *n.* 9. *p.* 238.
Clerici aleatores, tabernis & ebrietati dediti. *ibid.*
Clerici arma portantes. *ibid.*
Clerici homicidæ, perjuri, sacrilegi, & alii. *ibid.*

Coadjutor.

Coadjutor datus Ordinario ob infirmitatem animi Beneficia conferre potest, & cætera expedire, *l.* 1. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 22.
Augustinus datus Coadjutor Valerio Hipponensi Episcopo. *ibid. n.* 3. *p.* 23.
Coadjutor quasi actor. *ibid. n.* 1.
Coadjutor ab Episcopo dari potest. *ibid. n.* 2.
Coadjutores dantur Episcopis à Papa cum spe futuræ successionis, *ibid. n.* 3.
Coadjutor succedit titulario, sine nova provisione mittitur in possessionem. *ibid. n.* 4.
Coadjutores in Ecclesia Africana lapsis dati, *ib. n.* 3.
* Coadjutor datur Episcopo & Abbati ob necessitatem & utilitatem à Papa examinandam, & approbandam. *l.* 1. *t.* 10. *litt. a. p.* 23.
* Zacharias concessit *B*onifacio Maguntino ut successorem sibi eligeret, *ibid.*
* Quod tamen postmodum fuit prohibitum. *ibid.*
* Coadjutor Scholastriæ Nanetensis datus & Senatusconsulto confirmatus. *ibid. litt. b.*
* Quod ad consequentiam non est trahendum. *ibid.*
☞ Coadjutor non potest conferre Beneficia. Invito non datur Coadjutor. Coadjutoriæ cum futura successione prohibitæ, nisi in Cathedralibus Ecclesiis propter urgentem necessitatem, & evidentem utilitatem. *l.* 1. *t.* 10. *n.* 1, 2. & 3. *p.* 23. & 24.

Collatio.

Collatio Beneficiorum de corpore Ecclesiæ Cathedralis pertinet ad Episcopum & Capitulum conjunctim, vel divisim, per turnum. *l.* 1. *t.* 9. *n.* 2. *p.* 20.
An turnus consumatur per collationem invalidam. *ibid. n.* 3.
Collatio *B*eneficiorum, quæ non sunt de corpore Ecclesiæ pertinet ad solum Episcopum. *ib. n.* 5.
Collatio *B*eneficiorum Regularium pertinet ad Abbatem & Monasterium. *ibid. n.* 6. *p.* 21.
Vide Alternativa.
Collatio Beneficii ex privilegio pertinet ad Dignitates minores. *ibid.*
Jus conferendi præscribitur. *ibid. n.* 5. & 6.
Jus conferendi Abbatissis competit. *ibid. n.* 8.
Ut collatio valeat possessio conferendi attenditur. *ibid. n.* 9.
Collatio per Vicarium, Coadjutorem, aut sequestrum fieri potest. *ibid. n.* 10.
Collatio fit à Rege. *Vide* Regalia.
Collatio Ordinarii libera. *l.* 1. *t.* 14. *n.* 1. *p.* 32.
Collatio Papæ & Legati necessaria in Gallia. *l.* 2. *t.* 1. *n.* 2. & 3. *p.* 63.
Collatio Parrochialis Ecclesiæ præmisso examine in concursu. *l.* 1. *t.* 14. *n.* 2. *p.* 32. & *l.* 2. *t.* 15. *n.* 5. *p.* 91.
Collatio reservatur Papæ in certis casibus. *l.* 1. *t.* 15. *n.* 1. *p.* 33.
Collatio in gratiam Graduatorum. *Vide* Graduati.
Collatio Papæ obreptitia vel subreptitia. *Vide* Signatura.
Collatio rescinditur si sit abusus, *l.* 1. *t.* 19. *n.* 22. &

34. *p.* 46. & 47.
Post collationem Ordinario variare non licet, *l.* 1. *t.* 22. *n.* 6. *p.* 60.
* Conferre possunt Antistites Bullis expeditis ante captam possessionem. *l.* 1. *t.* 6. *litt. a. p.* 16.
* Nisi aliud velit consuetudo. *ibid.*
* Vel sedes ab alio sit occupata. *ibid.*
* Collatio Papæ facta spreto Patrono Laïco non est nulla, sed annullanda, rejectâ Molinei & Pastoris distinctione. *l.* 1. *t.* 19. *litt. d. p.* 48.
* Nisi juri Patronatûs Laïco Papa derogaret. *ibid.*
* Testes collationis ordinariæ non debent esse domestici, familiares, aut consanguinei, vel affines Ordinarii. *l.* 2. *t.* 2. *litt. a. p.* 66.
* Suspicio antidatæ respectu collationis Ordinarii purgari debet per solemne instrumentum. *ibid. litt. b.*
* Non sufficit quod collatio fuerit facta coram Secretario Episcopi & testibus, si Secretarius non sit Notarius. *ibid.*
* Collatio Ordinatii non subest subreptioni sed tantùm rationi & juri. *lib.* 2. *t.* 4. *litt. e. p.* 70.
* Collatio censurâ irretito facta in vim mandati in forma dignum non valet, nisi prius absolvatur ab executore. *l.* 2. *t.* 8. *litt. a. p.* 79.
* Ordinarius conferre potest *Beneficium* per alium possessum, nisi sit litigiosum, *lib.* 2. *t* 12. *litt. a. p.* 85.
* Sed hæc exceptio reprobatur in Gallia, *ibid.*
* Collatio tertii incompatibilis facit vacare duo prima & ipsa est nulla. *l.* 3. *t.* 15. *litt. e. p.* 154.
* Collatio facta illiterato & postmodum edocto convalescit. *l.* 3. *t.* 30. *litt. e. p.* 195.
* Collatio extero facta nulla est, sed obtentis à Rege litteris naturalitatis convalescit, contra Pastorem. *l.* 3. *t.* 44. *litt. a. p.* 240.
* Judæus in Regno baptisatus non dicitur exterus. *ibid.*
* Super vitio peregrinatis Papa non dispensat. *ibid.*
* Collatio Beneficiorum non spectat ad Jurisdictionem secus de confirmatione & institutione. *l.* 3. *t.* 47. *litt. d. p.* 255.
* Collatio *Beneficiorum* non competit Episcopo jure Magistratûs sed legis concessione, ut datio tutoris. *ibid.*
* Episcopus existens extra Diœcesim conferre potest & ratio assignatur. *ibid.*
* Rejicitur distinctio Glossæ inter voluntariam & contentiosam jurisdictionem. *ibid.*
☞ Si *Beneficium* vacat ante datam Gradûs, aut Nominationis, Graduatus poterit illud petere, modò tempore insinuationis sit adhuc vacans, sed si collatio *Beneficii*, etiam non qualificato facta, præcesserit Gradum aut insinuationem tenebit collatio hujusmodi. *l.* 1. *t.* 16. *n.* 18. *p.* 38.
☞ Litteræ collationis Ordinarii non solùm requiruntur ad probationem & executionem gratiæ, sed etiam ad validitatem, neque enim collatio testibus probari potest. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 1 *p.* 66.
☞ Quando duæ collationes procedunt sub eâdem data, si unus negligat, aut nolit acceptare *Beneficium*, unius negligentiâ alteri non prodest, ita cum non appareat cui voluerit Papa conferre, hoc per negligentiam unius non constabit. *l.* 2. *t.* 17. *n.* 3 *p.* 97.
☞ Non est necesse collatorem scire an *Beneficium* vacet; sed tamen necesse est vitium ambitionis & avaritiæ impetrantis, sive ab Ordinario, sive à Papa coërceri. *l.* 3. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 106.

Commenda.

Commenda ad vitam æquiparatur titulo. *l.* 3. *t.* 45. *n.* 4. & 5. *p.* 241.
Commendare qui possint. *ibid.*
Commenda non transit in titulum. *ibid.*
* Commenda Sæcularis non transit in Regularem per professionem, contra Pastorem. *l.* 3. *t.* 17. *litt. d p.* 161.
* Inferior Episcopo *Beneficium* non commendat, etiamsi conferat, contra Hoied. *l.* 3. *t.* 45. *litt. a. p.* 242.
* Excipitur Capitulum Sede vacante. *ibid.*
* Ordinarius per obitum Commendatarii confert in Gallia secus de jure. *ibid. litt. b.*
* Prior Conventualis Commendatarius tenetur intra annum promoveri. *l.* 3. *t.* 16. *litt. a. p.* 158.
☞ Commendæ perpetuæ hodiè conceduntur, & non temporales. *l.* 3. *t.* 45. *n.* 4. *p.* 243.

Concilium.

Concilium Tridentinum in Gallia nondum receptum *l.* 3. *t.* 40. *n.* 50 *p.* 224.
Concilium *Basilien*se fuit in Gallia: receptum. *l.* 1. *t.* 8. *n.* 2. *p.* 18.
* Concilium Tridentinum in Gallia recipitur in omnibus ad fidem spectantibus. *l.* 3. *t.* 42. *litt. o p.* 235.
* Concilium Tridentinum nihil novi quoad Jurisdictionem & Politiam Ecclesiasticam constituit. *ibid.*
* Concilium Tridentinum quoad pauca nondum apud nos receptum. *ibid.*

Concordatum.

Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. super Pragmatica-Sanctione. *l.* 1. *t.* 8. *n.* 3. *p.* 19.
Concordatum de re spirituali sub beneplacito Papæ. *l.* 3. *t.* 13. *n.* 2. *p.* 147.
Concordatum de re illicita nullum. *ibid. n.* 3.
A Concordato re integrâ resilire licet. *ibid n.* 6.
☞ Tractatus inter partes ante homologationem Superioris revocari possunt, & transactiones hujusmodi solus Papa approbare & confirmare potest propter plenitudinem potestatis. *l.* 3. *t.* 13. *n.* 4. *p.* 148.
☞ Resiliens à Concordato non tenetur reficere expensas alteri, sed quilibet suam partem solvere tenetur, cùm sit onus commune. *ibid. n.* 6.

Concursus.

* Concursus ex duobus eâdem die provisis, uno ab Episcopo, altero ab ejus Vicario, præfertur qui prior est in possessione, contra Pastorem. *l.* 1. *t.* 11. *litt. c. p.* 26. & *l.* 2. *t.* 17. *litt. c. p.* 97.
* Collatio Parrochialis citra concursum facta, est ipso jure nulla, & provisus non est tutus in foro conscientiæ. *l.* 1. *t.* 14. *litt. a. p.* 32.
* Quod tamen non obtinet in Gallia. *ibid.*
* In concursu duarum provisionum frustra recurritur ad librum Datarii ad conjiciendam prioritatem alterius provisionis ex ordine scripturæ. *l.* 2. *t.* 1. *litt. c. p.* 64. & *l.* 2. *t.* 17. *litt. b. p.* 97.
* Signatura *per fiat* præfertur signaturæ *per concessum*, dum in data concurrunt. *l.* 2. *t.* 3. *litt. a p.*

68. & *l.* 2. *t.* 17. *litt. b. p.* 97.
* Ut in concursu duarum provisionum intret effectus horæ non requiritur quod sit matutina, contra Pastorem. *ibid. p.* 97.
* Affertur pulchra decisio Rotæ. *ibid.*
* Nulla apud nos prioritatis probatio, quia nulla est prioritas. *ibid.*
* Ratio est quia eodem momento quo Cursor Romam advenit omnes provisionum datæ captæ intelliguntur. *ibid.*
* Habens possessionem sine hora præfertur habenti horam sine possessione, contra Pastorem. *ib. litt. d.*
* Provisus ab Ordinario qui Prior est in possessione præfertur proviso eâdem die à Papa vel Legato. *ibid. litt. e.*
* Modo collatio & possessio provisi ab Ordinario, sint ejusdem diei. *ibid.*
* Vel ipse jam antea esset in possessione. *ibid.*
* Virtus possessionis non obtinet in successore, cujus decessor non fuit in possessione. *ibid.*
* Quia possessio successoris venit ad suum titulum, non ad titulum decessoris. *ibid.*
☞ Concursus in Gallia etiam in Parrochialibus Ecclesiis non habet locum. Item reservationes per Concordatum sublatæ. *l.* 1. *t.* 14. *n.* 1. *p.* 32.
☞ Duæ Provisiones ejusdem datæ & ejusdem Beneficii ad favorem duorum ab eodem Collatore manantes, mutuo concursu se impediunt, & neutra valet, nec possessionis ulla habenda ratio. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 64.
☞ Narratur utilitas Regularum de signatura *per fiat* & *per concessum*, *de concurrentibus in data*, *& de non impetrando Beneficium viventis*, *& de annali possessore*, & observantia duarum primarum utilis esset. *l.* 2. *t.* 6. *n.* 1. *p.* 76.
☞ Non datur concursus duarum possessionum non solum justarum, aut injustarum, sed etiam unius justæ, & alterius injustæ. *l.* 2. *t.* 11. *n.* 2. *p.* 84.
☞ Si Ordinarius conferat adjectâ horâ, provisus Apostolicus ejusdem diei ut prærogativam hanc possit eludere, debet fide scriptâ Magistri Cursorum Regis quâ die & horâ Cursor Romam appulerit, præmuniri. *l.* 2. *t.* 17. *n.* 1. *p.* 97.

Conditio.

* Conditiones quæ de jure insunt admittuntur in Provisionibus Beneficiorum, electione exceptâ. *l.* 2. *t.* 14. *litt. a. p.* 90.
Sive sunt suspensivæ, sive resolutivæ. *ibid.*
* Conditiones impossibiles vel illicitæ pro non adjectis habentur. *l.* 3. *t.* 5. *litt. b. p.* 117.

Confidentia.

Confidentia germana Simoniæ, & ut probetur. *l.* 3. *t.* 18. *n.* 22. 23. & 28. *p.* 165. & 167.
* Confidentia non committitur sine pacto. *l.* 3. *t.* 8. *litt. d. p.* 129.
* Confidentiarius excommunicationem Papalem ipso jure incurrit, privationem obtentorum & inhabilitatem ad obtinenda. *l.* 3. *t.* 18. *litt. g. p.* 168.
* Confidentiarius privatur ipso jure omnibus reservationibus & pensionibus, aliisque rebus Ecclesiasticis. *ibid.*
* Item omnibus Officiis Romanæ Curiæ & temporalibus. *ibid.*
* Per confidentiam vacantia sunt Sedi Apostolicæ reservata. *ibid.*
* Fallit in Gallia. *ibid.*
* Testis unus non probat confidentiam, sed conjecturam. *ibid. litt. h. p.* 169.
* Tres requiruntur conjecturæ ad probandam confidentiam, nec duæ sufficiunt, contra Flamin. *ibid.*
* Omissâ per Resignatarium possessione, non ideo vacat Beneficium per confidentiam, contrà Pastorem. *l.* 3. *t.* 8. *litt. d. p.* 129.
☞ Si Resignans expensas pro Resignatario faceret in Beneficiis, pro quibus signaturæ expediuntur, non ideo argueretur præsumptio confidentiæ, quia expensæ hujusmodi sunt parvi momenti : secus autem pro expeditionibus per Bullas fieri consuetis. *l.* 3. *t.* 5. *n.* 4. *p.* 118.

Conjuges.

* Conjuges possunt respectivè Religionem profiteri. *l.* 3. *t.* 23. *litt. a. p.* 182.
* Aliàs Justinianus alteri conjugum potestatem fecit vitam eligendi solitariam invito & relicto conjuge. *ibid.*
* Quo post modum revocato concessit tantùm ut de mutuo consensu Monachari possint. *ibid.*
* Carnali copulâ non secutâ alter altero invito continentiam vovere potest. *ibid.*
* Non tamen domi remanere ut Religionem servet. *ibid.*
Mulier Religionem ingrediens cogitur ad virum redire ut debitum conjugale solvat, non ut etiam exigat. *ibid.*

Crimen.

Reus læsæ-Majestatis deponitur. *l.* 3. *t.* 19. n. 3. *p.* 170.
* Crimen parricidii, matricidii, fratricidii, aut infanticidii non facit vacare Beneficium ipso jure, contra Pastorem. *l.* 3. *t.* 19. *litt. c. p.* 173.
* Criminosi occulti debent, si voluerint, ordinari. *l.* 3. *t.* 31. *litt. a. p.* 197.
* Accusatus de aliquo crimine non admittitur ad Ordines, nisi priùs se purgaverit. *ibid.*
* Accusatus de simonia debet interim ab administratione prohiberi. *ibid.*
* In Gallia falsarii quarumvis litterarum excidunt omni jure Beneficiali. *l.* 3. *t.* 38, *litt. a. p.* 218.
* Item celantes cadaver defuncti Beneficiarii. *l.* 2. *t.* 2. *litt. c. p.* 105. & *l.* 3. *t.* 38. *litt. f. p.* 218.
* Crimina privilegiata quæ? Remissivè. *l.* 3. *t.* 43. *litt. a. p.* 239.
* Ab Ordinibus & Beneficiis repelluntur infames & criminosi, manifesti, & publici. *l.* 3. *t.* 31. *litt. a p.* 197.
* Quia infamibus portæ Dignitatum patere non debent. *ibid.*
* Clerici furtilegi pœna. *l.* 3. *t.* 42. *litt. r. p.* 235.

Consuetudo.

Consuetudine status Beneficii mutatur. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 17. *p.* 10.

Cura animarum.

☞ Cura animarum propriè & impropriè conside-

ratur, impropria dicitur potestas Fori contentiosi sive Judicialis: propria dicitur potestas ligandi & solvendi in Foro pœnitentiali. *l.* 2. *t.* 5. *n.* 4. *p.* 72.

D

Data & Datarius.

DAtarii liber sine interpollatione, ex Serie Datarii probatur. *l.* 2. *t.* 1. *n.* 4. *p.* 63.
In data quæ sint exprimenda. *ibid.*
Datarii negatio pro data habetur. *ibid. n.* 5. *p.* 64.
Data fit caduca post tempus statutum. *ibid. n.* 7.
* Data alia parva: alia major sive extensa. *l.* 2. *t.* 1. *litt. a. p.* 64.
* Datam Resignationis capere Procurator non potest ante receptionem mandati. *ibid.*
* An mandatum fuerit necne in manibus Procuratoris tempore datæ nequit probari ex signatura vel Bulla, & quare. *lib.* 3. *t.* 6. *litt. a p.* 122.
* Qui fraudibus inserviunt non mittunt mandatum, nisi post datam cùm tempus expediendi occurrit, & non aliàs. *ibid.*
* Parvæ datæ præsumptio cum per quinque vel sex menses non fuit extensa. *ibid.*
§ Quomodo hæc dilatio in signatura deprehendatur. *ibid.*
* Altera parvæ datæ conjectura ex repetitis per decem annos mandatis ad resignandum. *ibid.*
* Suspicio antidattæ in collatione Ordinarii debet per solemne instrumentum purgari. *l.* 2. *t.* 2. *litt. b. p.* 66.
* Nec sufficit quod fuerit facta coram Secretario Episcopi & testibus, si Secretarius non sit Notarius. *ibid.*
Vide Concursus.

Decanus.

Decani Dignitas. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 5. *p.* 5.

Decimæ.

Decimæ debitæ ex præcepto Ecclesiæ: Decimæ fraudatores & usurpatores excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40 *n.* 28. *p.* 223.
Decimas deberi negantes. *ibid.*

Decretales.

Decretalium liber sextus an juris vim habeat in Gallia. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 50. *p.* 224.

Degradatio & Degradatus.

Degradatus Beneficio privatur, fit irregularis retento charactere. *l.* 3. *t.* 43. *n.* 1. *p.* 237. & *l.* 3. *t.* 46. *n.* 3. *p.* 244.
Degradatio fit ipso jure, vel Judicis Sententia, verbaliter, aut actualiter. *ibid. n,* 1. *p.* 237.
Quando degradatio actualis omittatur. *ibid. n.* 3. 4. 5. *p.* 237.
* Degradatio verbalis est suspensio ab Ordinibus, quæ propriè depositio appellatur. *l.* 3. *t.* 43. *litt. e. p.* 238.
* Degradatio actualis est cum Clericus personaliter spoliatur Ordinibus per detractionem Clericalium insignium. *ibid.*
* Quando simpliciter imponitur pœna degradationis intelligitur de verbali. *ibid. p.* 239.
* Clericus in minoribus Ordinibus constitutus potest degradari. *ibid.*
* Utraque degradatio privat Officio & Beneficio. *ibid.*
* De degradatione in Gallia, remissivè. *ibid.*

Delegatio.

* Delegatio potest de jure fieri Vicario Capituli, Sede vacante. *l.* 2. *t.* 13. *litt. b. p.* 87.
* Stylus tamen Curiæ dirigit Episcopo viciniori. *ib.*
* Commissa Episcopo vel ejus Vicario non posse Vicarium Capituli, Sede vacante, exequi judicavit Senatus Tolosanus. *ibid.* 88.
* Episcopus dum exequitur Rescriptum, *in forma dignum*, Ordinariâ, potiùs quàm delegatâ authoritate procedit. *ibid. litt. c.*
* Vicarius Episcopi non se intermittit in causa Episcopo delegata, nec contra. *ibid. litt. d.*
* Nisi Episcopus cum sibi fuerit delegata, eam Vicario subdelegaverit, non prius. *ibid.*
* Jurisdictio delegata, donec mandans duxerit revocandam per ejus mortem non expirat. *l.* 3. *t.* 2. *litt. d. p.* 105.
* Quia voluntas per mortem non mutatur, sed cessat. *ibid.*

Derogatio.

* Derogatio decreti Urbani VIII. iteratas resignationes prohibentis non reciperetur in Gallia. *l.* 2. *t.* 7. *litt. a. p.* 77.
* Papa non derogat legibus fundationum. *l.* 2. *t.* 10. *litt. a. p.* 81.
* Papa derogat statutis Ecclesiarum. *ibid.* Nisi consuetudine, aut Canonibus innitantur, vel à Senatu fuerint approbata. *ibid.*
* Papa derogat patronatui mixto in turno Patroni Ecclesiastici. *ibid. litt. b.*
* Papa derogat juri patronat. laïco post quadrimestre. *ibid.*
* Papa derogat juri patronat. laïco, etiam infrà quadrimestre, quando Patronus præsentavit, sed nulliter. *ibid.*
* Papa derogat juri Patronatûs laïco quando Beneficia habent possessores. *ibid.*
* Papa derogat juri patronatûs laïco pro mediate, & quomodo id intelligatur. *ibid.*
* Papa derogat juri patronatûs laïco quando Patroni requisiti nolunt sine causâ permutationi consentire. *ibid.*
* Papa derogat juri patronatûs laïco in subrogatione facta pro bono pacis. *ibid.*
Lapsus Pastoris Alexandrum III. constitutioni Bonifacii VIII. derogasse asserentis. *l.* 2. *t.* 12. *litt. b. p.* 85.
☞ In Gallia Papa non potest derogare regulis Cancellariæ *de verisimili notitia & de publicandis*, excepto casu quando iter Romam arripitur, ex capite resignatarius. *l.* 2. *t.* 10. *n.* 2. *p.* 82.
☞ Papa potest derogare regulæ, *de viginti diebus*, in præjudicium Cardinalium, modò derogatio ejusmodi sit expressa. *ibid. n.* 4.

Devolutio, & Devolutarius.

Devolutarius an possit resignare. *l.2.t.6.n.* 13. *p.*75.
Devolutarius certum vacandi modum debet exprimere. *ibid. n.* 1. *p.* 73.
Devolutarius debet satisdare, & intrà annum possessorem in jus vocare. *ibid. n.* 12. *p.* 74.
Devolvitur jus conferendi, quomodo & quando. *l.* 1. *t.* 22. *n.* 2. 3. *&* 4. *p.* 60.
* Devolutio non fit hodie ab Episcopo ad Capitulum, & quare. *l.* 1. *t.* 22. *litt. a. p.* 61.
* Devolutio fit ad Episcopum loci Beneficii. *ibid. litt. b.*
* Devolutarius ante omnia tenetur cavere possessori de summa 500. Librarum. *l.* 2. *t.* 6. *litt. c. p.* 75.
* Termino ad cavendum elapso mora non potest purgari. *ibid.*
* Devolutarii simplicem actionem potiùs quàm titulum habere creduntur. *l.* 3. *t.* 3. *litt. h. p.* 113.
* Unde litteræ desuper expeditæ habent clausulam *vocato N. & aliis qui fuerint vocandi. ibid.*
* Et illarum executores non censentur meri, sed mixti. *ibid.*
☞ Devolvitur jus ad Superiorem, si hi ad quos spectat non provident de Beneficiis vacantibus intra tempus præfixum. *l.* 1. *t.* 22. *n.* 1. *p.* 61.
☞ Jus devolutionis acquiritur absque mera purgatione, nisi per patientiam toleretur. *ibid.*
☞ Ubi collatio ad Episcopum vel Capitulum divisim spectat sicut de Capitulo ad Episcopum, ita de Episcopo ad Capitulum fit devolutio: secus si conjunctim conferant. *ibid.*
☞ Quamvis semestre constet Ordinario ad conferendum post quod jus devolutionis acquiritur, non tamen Legato, nam devolutio ab eo non potest fieri nisi ad Papam. *ibid. p.* 62.

Dignitates.

Dignitates Ecclesiæ. *lib.*1. *t* 1. *n.* 3. *p.*5.
In primis Dignitatibus Ecclesiæ Gradus requiritur. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 2. *p.* 194.
* Dignitas, Personatûs, & Officium uni de gremio Capituli conferri debent. *l.* 1. *t.* 3. *litt. a. p.* 6.
* Aut habenti Canonicatum ad effectum. *ibid.*
* Et hæc est generalis Regni consuetudo, juri communi conformis. *ibid.*
* Cui tamen obesse potest contraria in Ecclesia particulari. *ibid.*
* Dignitas, Personatus, & Officium eodem jure reguntur & videntur quasi synonyma. *l.* 3. *t.* 46. *litt. b. p.* 246.
* Dignitas à solo Papa erigi potest. *lib.* 1. *t.* 4. *litt. a. p.* 11.
* Dignitas major aut principalis Graduato conferenda. *l.* 3. *t.* 30. *litt. b. p.* 195.
☞ In Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis sunt Dignitates majores & minores, quæ etiam vocantur Personatus vel Officia, & licèt quis non possit assequi Dignitatem, Personatum, vel Officium, nisi fuerit in eâdem Ecclesia Canonicus; nihilominus non prohibetur postmodum suum Canonicatum resignare, retentâ Dignitate, Personatu, vel Officio. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 6. *&* 7.
☞ Duo genera Dignitatum in Ecclesiis distingui debent, unum quæ participant de reditibus mensæ Capitularis, alterum earum quæ proprios & separatos habent reditus & nihil habent commune cum Capitulo. *l.* 3. *t.* 15. *n.* 4. *p.* 155.

Dispensatio.

Dispensatio non datur nisi causâ expressâ. *l.* 2. *t.* 8. *n.* 5. *p.* 78.
Dispensatio fit expressè. *ibid. n.* 6. *p.* 79.
Dispensatio stricte sumitur. *ibid.*
Dispensatio ad incompatibilia. *l.* 3. *t.* 15. *n.* 9. *p.* 152. *&* 153.
Dispensatio à promotione aut ordinatione. *l.* 3. *t.*16. *n.* 7. *&* 10. *p.* 157.
Dispensatio ab irregularitate. *Vide* Irregularitas.
* Dispensatio denegatur Episcopo, nisi permittatur: absolutio verò ei permittitur, nisi denegetur. *l.* 2. *t.* 8. *litt. c. p.* 80.
* Certa scientia Papæ importat dispensationem. *ib. litt. b. p.* 79.
* Nec officit sed proficit Regula Cancellariæ. 46. *ib.*
* Quando Lex imperſonaliter dispensandi facultatem facit intelligitur facta Episcopo. *ibid. litt. c.*
* Quia frustra concederetur Papæ illam habenti. *ibid.*
* Quod intelligendum de Canone Pontificio, non autem de Conciliari. *ibid.*
* Nec tunc permissio dispensationis est frustratoria, sed duos habet effectus relatos. *ibid.*
* Ordinarii dispensant ad Dignitatem & Personatus sine Cura in vigesimo anno expleto etiam in Gallia contra Pastorem. *lib.* 3. *t.* 22. *litt. d. p.* 180.
* Quia Constitutiones Bonifacii VIII. faventes Ordinariis sunt recipiendæ. *ibid. litt. f.*
* Dispensatio inter consanguineos valida est expresso tantum remotiori gradu. *l.* 3. *t.* 25. *litt. b. p.* 186.
* Etiam non obtentis litteris declaratoriis supra propinquiori. *ibid.*
* Quia exorbitant à jure nec requiruntur ad validitatem, sed ad vitandum scandalum ubi adversatur consuetudo. *ibid.*
* Improbatur circa hoc consilium Pastoris. *ibid.*
* Ordinarii dispensant cum illegitimis ad minores Ordines, & Beneficia simplicia etiam in Gallia, contra Pastorem. *ibid. litt. c. p.* 187.
* Regularis non potest dispensari ad duo à diversis Abbatibus dependentia. *l.* 3. *t.* 45. *litt. c. p.* 243.
* Episcopus dispensat in levibus scorporis vitiis: in notabilibus verò solus Papa. *lib.* 3. *t.* 27. *litt. d. p.* 190.
☞ Dispensatio est stricti juris strictèque intelligenda, unde ne quidem fit extensio ad casum minorem, licèt majorem habeat rationem. *lib.* 2. *t.* 8. *n.* 5. *p.* 80.
☞ Contra bonos mores non potest dispensari, quia esset dispensare ad delinquendum. *ibid. n.* 7.
☞ Legatus à latere potest dispensare circa omnia quæ Episcopus, Archiepiscopus, vel Primas possunt dispensare, quia ipse Ordinarius est in Provincia sibi decreta, & in ea vices Papæ gerit. *ibid. n.* 7
☞ Dispensatus ad Beneficium obtinendum, soluto matrimonio, virtute illius dispensationis

Beneficium obtinere non poterit. *l.* 3. *t.* 14. *n.* 1. *p.* 150.
☞ Nemo triplex Beneficium absque dispensatione Apostolicâ obtinere potest. *l.* 3. *t.* 15. *n.* 9. *p.* 155.

Distributio.

Distributiones absentes non lucrantur: exceptis casibus. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 11. *p.* 245.
* Distributiones quotidiana, aliæ propriæ, quæ singulis horis distribuuntur inter præsentes. *l.* 3. *t.* 46. *litt. c. p.* 247.
Etiamsi solutio non fiat dietim, sed post longum tempus. *ibid.*
* Illarum definitio traditur, *ibid.*
* Aliæ impropriæ, quæ nihil aliud sunt quàm ipsa quantitas fructuum Beneficii partita in distributiones quotidianas. *ibid.*
* Ad distributiones propriè dictas spectant manualia, quæ ex dispositione testatoris distribuuntur interessentibus. *ibid.*
Vide Fructus.

Domicilium.

Domicilii locus ubi sit. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 40. *p.* 233.

E

Ebrietas.

EBRII Resignantes, aut delinquentes. *l.* 3. *t.* 3. *n.* 10. *p.* 109.

Ecclesia.

Ecclesia quibus ditata. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 1. *p.* 1.
Ecclesiæ bona erant communia. *ibid. n.* 2.
Ecclesiæ vacantis bona usurpantes excommunicantur. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 23. *p.* 218. & *lib.* 3. *t.* 39. *n.* 14. *p.* 219. & *l.* 3. *t.* 40. *n.* 3. 8. & 13. *p.* 221. & *l.* 3. *t.* 42. *n.* 16. *p.* 231.
Ecclesiæ libertatis violatores excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 7. & 18. *p.* 221.
Ecclesia polluta an sit interdicta. *l.* 3. *t.* 34. *n.* 4. *p.* 206.
Ecclesiæ bona alienantes excommunicati. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 40. *p.* 223. & *l.* 3. *t.* 42. *n.* 33. *p.* 232.
Ecclesia simplex erigitur in Curatam. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 8.
Ecclesia Curata erigitur in Collegiatam. *ibid. n.* 2.
Ecclesia Sæcularis erigitur in Regularem, vel contra. *ibid.*
Ecclesia Parrochialis in Villis muratis requirit Rectorem litterarum. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 3. *p.* 194.
* Ecclesia Collegiata à solo Papa erigitur. *l.* 1. *t.* 4. *litt. a. p.* 11.
* Ecclesia Collegiata est Dignitas Ecclesiastica. *ibid.*
* Ecclesia non polluitur per actus qui fiunt supra tectum, vel in turri Campanaria. *l.* 3. *t.* 34. *litt. b. p.* 206.
Licèt tectum & Campanile gaudeant immunitate Ecclesiæ. *ibid.*
* Ecclesia Jurisdictionem habet ex se, non ex alieno Beneficio. *l.* 3. *t.* 39. *litt. a. p.* 220.
* Papa potest jura Ecclesiæ spirituali gladio defendere. *ibid.*
* Præscriptio non currit contra Ecclesiam, Sede vacante. *l.* 1. *t.* 12. *litt. c p.* 28.
☞ Ecclesia consecrata si polluatur, non potest reconciliari nisi per proprium Episcopum, seu alium de ipsius licentia. *l.* 3. *t.* 34. *n.* 4. *p.* 206.

Electio.

Electio Canonici Theologalis aut Præceptorialis. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 13. *p.* 14.
Jus eligendi ad Prælaturas Concordatis sublatum. *l.* 1. *t.* 8. *n.* 1. *p.* 18.
Electio propria debet confirmari. Impedit concursum Papæ. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 16. *p.* 15.
Electus non administrat ante confirmationem. *ibid. n.* 17.
Electio collatione antiquior. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 2. *p.* 12.
Electionis forma. *ibid.*
Electio ante sepulturam defuncti. *ibid. n.* 7. *p.* 13.
Electio facta noctu. *ibid.*
Electio partis majoris & sanioris. *ibid. n.* 4.
Electi si sint plures suffragio pares quis præferatur. *ibid. n.* 12. *p.* 14.
Eligentes indignum ut puniantur. *ibid. n.* 11. & *l.* 3. *t.* 42. *n.* 12. *p.* 231.
Confirmatio electionis peti debet. *l.* 1. *t.* 6. *n.* 2. *p.* 16.
Electus intra mensem debet electioni consentire & intra trimestre confirmationem petere. *ibid.*
Confirmans electionem nullam scienter punitur. *ibid. n.* 1.
Confirmans sine inquisitione punitur. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 19. *p.* 231.
Electorum libertatem qui violant excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 9. *p.* 221.
De electione Abbatissæ. *ibid. n.* 12.
* Electio ad Cathedralem vel Collegiatam Regularem intra tres menses fieri debet. *l.* 1. *t.* 5. *litt. a. p.* 15.
* Electio ad Dignitates inferiores intra sex menses est celebranda. *ibid.*
* Electio non ex eo solo cassanda quod Electores convenerint antequam cadaver defuncti sepultum fuerit. *ibid.*
* Absentes ad electionem Episcopi è toto Regno vocandi ex generali Franciæ consuetudine. *ibid. litt. b.*
* In fine termini juris potest minor pars, etiam unus solus, eligere absentibus non vocatis. *ibid. litt. c.*
* Electio Papæ illico confirmatur à Deo. *l.* 3. *t.* 40. *lit. k. p.* 225.
* Eligentes indignum non suspenduntur à Beneficiis quæ in aliis Ecclesiis obtinent. *l.* 3. *t.* 42. *litt. l. p.* 235.
☞ Electio est ad Prælaturam seu Dignitatem alicujus personæ facta, absentes vocari debent, & absens legitimo impedimento defensus Procuratorem constituere potest, sed uni de Collegio vices suas committere debet, & si nemo ex Collegio pro absente Procuratoris partes suscipere velit, sibi imputare debet absens quòd nullum in Collegio invenire potuit. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 1. & 2. *p.* 15.
☞ Prælatus electus & confirmatus potest exercere ea quæ sunt Jurisdictionis, spectato jure communi, jure novo requiritur ut si Episcopus velit administrare post confirmationem litteras Apostolicas Capitulo exhibeat, aliàs administrare non potest; sed Episcopus confirmatus non potest exercere ea quæ sunt Ordinis, nisi post consecrationem. *l.* 1. *t.* 6. *n.* 4. *p.* 17.

☞ Privilegia concessa quibusdam Ecclesiis pro electione Prælati hodie nullam vim habent jure concordatorum, exceptis Beneficiis vacantibus in Curia, quorum Papa liberam sibi dispositionem reservavit. *l. t.* 8. *n.* 8. *p.* 20.

☞ Electus per duas electiones ad eandem Ecclesiam, eligere debet quam ex illis duabus electionem prosequi velit, ejusdemque tantum confirmationem petere, ita ut ad alteram postea regressum habere non possit, cui alteram præferendo renuntiasse censetur. *l.* 2. *t.* XI. *n.* 2. *p.* 84.

☞ In electivis vota conditionalia, alternativa, vel incerta, penitus reprobantur, quæ dispositio locum non habet in præsentationibus. *l.* 2. *t.* 14. *n.* 1. *p.* 90.

☞ Nemo potest seipsum eligere. *l.* 3. *t.* 6. *n.* 3. *p.* 123.

☞ Multæ fuerunt decursu temporum editæ Constitutiones de electione Romani Pontificis, quæ hic enumerantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 2. *p.* 225.

Episcopus.

Episcopus regularis dispensatur à voto paupertatis, cognatos habet heredes. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 3. *p.* 2.

Episcopus post confirmationem habet clavem jurisdictionis, & Ordinis post consecrationem. *l.* 1. *t.* 6. *n.* 4. & 5. *p.* 16.

Episcopus sine licentia Papæ Sedem transferre non potest. *l.* 1. *t.* 7. *n.* 2. p. 17.

Episcoporum persecutores excommunicantur & deponuntur. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 15. *p.* 217.

Episcopus debet esse Doctor. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 2. *p.* 194.

Episcopi non continentur in Constitutionibus pœnalibus, nisi de illis fiat mentio. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 15. *p.* 231.

Episcopi concubinarii puniuntur. *ibid. n.* 42. *p.* 234.

Episcopi celebrantes in aliena Diœcesi in pontificalibus sine licentia, suspenduntur. *ibid. n.* 36. *p.* 233.

Episcopus proprius quis dicatur. *ibid. n.* 40.

Episcopi Beneficia prius obtenta vacant. *l.* 3. *t.* 14. *n.* 4. *p.* 149.

Accedendum non est ad sacram Synaxim cum peccato mortali. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 44. *p.* 224.

Prælati defuncti bona occupantes suspenduntur. *Vide* Ecclesia.

* Episcopus ad secundam Ecclesiam eligi non potest, sed debet postulari, & quare. *l.* 1. *t.* 7. *litt a. p.* 18.

* Episcopi generali excommunicatione ligantur, contra Pastorem. *l.* 3. *t.* 42. *litt. n. p.* 235. Secus de interdicto & suspensione. *ibid.*

* Episcopus pontificalia in alterius Diœcesi sine Ordinarii licentia, aut in alienos exercens à Pontificalibus est suspensus. *ibid. litt. f. p.* 235.

* Per Pontificalia intelliguntur quæ sunt Ordinis, non Jurisdictionis. *ibid.*

* Episcopus potest proprios in aliena Diœcesi, de consensu Ordinarii, & alienos ritè dimissos, ordinare. *ibid.*

* Episcopus existens extra Diœcesim, conferre potest. *l.* 3. *t.* 47. *litt. d. p.* 255.

☞ Episcopis conceditur authoritas novas Parrochias etiam invitis Rectoribus constituere, ac Presbiteris novæ Ecclesiæ præficiendis congruam pensionem assignare. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 1. *p.* XI.

Examen.

Examen fit à collatore, aut Commissario delegato. *l.* 2. *t.* 13. *n.* 1. 2. & 3. *p.* 96. & 97.

Examen fit ab Ordinario, jure ordinario. *ibid. n.* 3.

Ab examine Graduati non excusantur. *ibid.*

Examinatores causam repulsæ debent exprimere *l.* 2. *t.* 15. *n.* 3. *p.* 91.

Ab examinatorum repulsâ licet appellare. *ibid.*

* Examen in executione rescripti *in forma dignum*, est de forma. *l.* 2. *t.* 15. *litt. b. p.* 93.

* De examine fieri debet mentio in litteris executoriis, aliàs est abusus in Senatu Tolosano. *ibid.*

* Semel in examine probatus non debet iterum probari. *l.* 2. *t.* XI. *litt. a. p.* 84.

☞ Examen est de forma, forma autem omitti non potest, aliàs actus corruit. *l.* 2. *t.* 13. *n.* 2. *p.* 88.

Excommunicatio.

Excommunicatio major & minor. *l.* 3. *t.* 35. *n.* 1. *p.* 206.

Excommunicationis pœna. *ibid. p.* 207.

Excommunicatus post annum habetur pro hæretico. *ibid. n.* 2.

Excommunicati in temporalibus non vitantur. *ibid. n.* 3.

Excommunicato collatio facta nulla est. *ibid. n.* 4. & *l.* 3. *t.* 37. *n.* 5. *p.* 214.

Excommunicatus optare non potest. *ibid. n.* 4. *p.* 207.

Excoummunicationis sententiæ forma. *l.* 3. *t.* 36. *n.* 3. *p.* 209. & *l.* 3. *t.* 42. *n.* 14. *p.* 231.

Excommunicationem præcedit monitio. *ibid. n.* 7. *p.* 210.

De litteris monitoriis. *l.* 3. *t.* 36. *n.* 9. *p.* 211.

A sententia excommunicationis appellatur. *ibid. n.* XI.

Absolutio petitur ad cautelam. *ibid. n.* 12.

Excommunicationis sententia ligat post publicationem. *l.* 3. *t.* 37. *n.* 1. *p.* 213.

Excommunicatio juris ligat post promulgationem Constitutionis *ibid.*

Excommunicationem ignorans non incurrit. *ibid. n.* 4. *p.* 214.

Excommunicatio occulta & notoria. *ibib. n.* 5.

Ab excommunicatione occulta absolvit Episcopus, etiam in reservatis. *ibid. n.* 10. *p.* 215.

Excommunicare non licet extra Diœcesim: absolvere licet. *ibid. n.* XI.

Qui Infidelibus opem ferunt excommunicantur. *l.* 3. *t.* 39. *n.* 7. *p.* 219.

Excommunicare non licet ob propriam injuriam. *l.* 3. *t.* 36, *n.* 2. *p.* 209.

Excommunicantur qui vexant promulgantes sententiam excommunicationis. *l.* 3. *t.* 38. *n.* XI. *p.* 217.

Pugnantes in duello & Patrini excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 49. *p.* 224.

Pyratæ excommunicantur. *l.* 3. *t.* 39. *n.* 4. *p.* 219. & *l.* 3. *t.* 40. *n.* 6. *p.* 221.

* Excommunicati sunt pugnantes in duello etiamsi Laïci sint. *l.* 3. *t.* 32. *litt. i. p.* 203.

* Excommunicantur inquisitores prævaricantes inferiores Episcopis: Episcopi verò suspenduntur per triennium. *l.* 3. *t.* 38. *litt. a.* & *b. p.* 218.

* Excommunicantur mandatores, consiliarii, & fautores persecutientium Episcopos, Civitas verò interdicto subjicitur. *ibid. litt. c.*
* Excommunicantur prohibentes excommunicatis ne exeant ab Ecclesiis, & ipsi excommunicati exire recusantes. *ibid. litt. d.*
* Excommunicantur absolventes Simoniacos in Ordine vel Benefica, *ibid. litt. e.*
* Excommunicantur occultatores cadaverum beneficiatorum & omni jure beneficiali excidunt *ibid. litt. f.*
* Excommunicantur frivolè appellantes tanquam ab abusu. *l. 3. t. 39. litt. a. p. 220.*
* Excommunicantur servari facientes statuta contra libertatem Ecclesiæ. *l. 3. t. 40. lit. a. p. 224.*
* Item qui intra duos menses statuta hujusmodi deleri non fecerunt. *ibid.*
* Item ipsi statutarii, & scriptores statutorum. *ibid.*
* Item potestas, Consules, Rectores, Consiliarii locorum ubi edita fuerunt & servata. *ibid.*
* Item judicantes secundùm hæc, vel redigentes judicatum in publicam formam. *ibid.*
* Excommunicantur imprimentes libros de rebus sacris sine nomine authoris, nisi prius examinati & approbati fuerint ab Ordinario. *ibid. litt. l. p. 225.*
* Vel etiam à Superiore, si Authores regulares fuerint. *ibid.*
* Excommunicantur qui assassinos defendunt vel occultant. *ibid. litt. e. p. 224.*
* Excommunicantur personæ singulares repræsalias concedentes, Universitas verò interdicto subjicitur. *ibid. litt. f.*
* Excommunicantur contrahentes matrimonium cum consanguineis vel affinibus: Religiosi, Moniales, & in sacris constituti. *ibid. litt. g.*
* Fœmina tamen nubens professo, aut in sacris constituto non est excommunicata. *ibid.*
* Nec contrahens cum cognata legali, vel spirituali, vel cum impedimento publicæ honestatis, *ibid.*
* Excommunicantur impedientes Legatos ingredi Provincias & Regna. *ibid. litt. h. p. 225.*
* Excommunicantur alienantes bona Ecclesiæ, ut vult Pastor, sed contra. *ibid. litt. b. p. 224.*
* Excommunicari possunt Officiales Regii usurpantes jura Ecclesiastica. *l. 3. t. 39. litt. a. p. 220.*
* Excommunicatio est sicut lepra quæ non claditur territorio, sed personam sequitur. *l. 3. t. 35. litt. b. p. 208.*
* Excommunicatio ut liget ferri debet per Prælatum in suo territorio contra ibi existentes. *l. 3. t. 36. litt. a. p. 212.*
* Nisi ibi sint Beneficiati non residentes. *ibid.*
* Causa excommunicationis debet esse peccatum mortale. *ibid. litt. c.*
* Pro veniali culpa nemo est excommunicandus. *ibid.*
* Excommunicatio cessante causâ non tollitur sine absolutione; secus in suspensione & interdicto. *l. 3. t. 42. litt. z. p. 236.*
* Excommunicatio idem sæpè quod Anathema. *Vide* Anathema.
* Excommunicatio supponit trinam monitionem. In prima præfigitur terminus ad quid faciendum vel non faciendum. *l. 3. t. 36. litt. e. p. 212.*
* In secunda alius ad dicendum & allegandum causam quare reus non debet excommunicari. *ibid.*
* In tertia ad videndum & audiendum se excommunicari, & Cedulonos decerni & affigi. *ibid.*
* Judex concedens excommunicationem ad effectum revelandi in criminalibus nullam incurrit irregularitatem. *ibid. litt. d.* Quia est modus remotus cooperandi ad effusionem sanguinis. *ibid.*
* Judex sæcularis dat veniam obtinendi monitoria, non autem jussionem concedendi. *ibid. litt. f.*
* Nefas Magistratui sæculari prohibere Ecclesiastico ne quem excommunicet, vel excommunicationem latam revocet. *ibid.*
* Ad litteras monitorii in criminalibus concedendas possunt cogi Officiales Episcoporum per arrestationem temporalium. *ibid.*
* Nulla major pœna excommunicatione in Ecclesia Dei. *l. 3. t. 35. litt. b. p. 208.*
* Excommunicatus non est irregularis contra Pastorem. *l. 3. t. 34. litt. a. p. 206. & t. 41. litt. a. p. 227.*
* Quando excommunicatus ingreditur Ecclesiam debet Sacerdos desistere à Missa, nisi incœpisset communionis officium, sive Canonem. *ibid.*
* Cum excommunicato etiam dormiente, furioso, vel etiam mortuo non licet communicare. *l. 3. t. 35. litt. b. p. 208.*
* Excommunicatus privatur commercio hominum fidelium, tamen quamvis excommunicatorum, contra Glossam. *ibid.*
* Excommunicatum etiam tacentem non licet alloqui. *ibid.*
* Vel tacendo loquentem audire. *ibid.*
* Nec ipsum salutare, sive verbo, sive scripto. *ibid.*
* Neque illi debita solvere, etiam si fas sit ab eo exigere. *ibid.*
* Excommunicatus veluti truncus inter homines versatur. *ibid.*
* Excommunicatus privatur communione in sacris. *ibid.*
* Excommunicatus non potest aliquod Sacramentum matrimonio excepto suscipere, vel ministrare. *ibid.*
* Excommunicatus non potest sacrificio Missæ, horis Canonicis, publicis orationibus, Benedictionibus, Processionibus interesse. *ibid.*
* Excommunicatus non potest sacrificare, vel Officia celebrare, nec concionari. *ibid.*
* Potest tamen concioni interesse quia non est officium. *ibid.*
* Excommunicatus non potest de Beneficio provideri, nec conferre per se, vel per alium, nec eligere. *ibid.*
* Excommunicatus acquirit jus patronatûs, sed ejus exercitium non consequitur. *ibid.*
* Excommunicatus non potest præsentare, processionaliter honorari, & in egestate alimentari. *ibid.*
* Excommunicatus privatur suffragiis Ecclesiæ, indulgentiis, ac speciali Dei & Angelorum protectione. *ibid.*
* Excommunicatus post mortem punitur in corpore, cui negatur sepultura, & in anima negatis suffragiis donec absolvatur, etiam si in gratia decesserit. *ibid.*
* Excommunicatus post annum non auditur, sed

Episcopus tenetur illum privare. *ibid. litt. c.*
Imo debet expectari triennium. *ibid.*
* Excommunicatus ab Episcopo maximè ad instantiam. Partis non absolvitur à Papa, nisi viâ appellationis. *l. 3. t. 37. litt. b. p. 215.*
Vel ad effectum alterius gratiæ Apostolicæ. *ibid.*
* Excommunicatus *extrajudicialiter* in vim generalis constitutionis Episcopalis potest à Papa absolvi. *ibid.*
☞ Major excommunicatio est censura privans privatione tam activa quàm passiva Sacramentorum & hominum. *l. 3. t. 35. n. 1. p. 208.*
☞ Minor excommunicatio privat electione passivâ ad Beneficia, non autem activâ. *ibid.*
☞ Major excommunicatio triplex est justa videlicet, injusta, & nulla, cujus effectus recensentur. *ibid.*
☞ Excommunicationes quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis pro deperditis, seu sublatis rebus fulminari solent authoritate ordinariâ à nemine præterquam ab Episcopis decerni & promulgari possunt. *l. 3. t. 36. n. 10. p. 213.*
☞ Excommunicato Beneficium conferri non potest, aliàs collatio est nulla, nec convalescit per sequentem absolutionem, etiamsi ignoret se excommunicatum, vel excommunicatio sit injusta: secus si esset nulla. *l. 3. t. 37. n. 5. p. 215.*
☞ Differt excommunicatio de qua in cœna Domini contra falsificantes litteras Papæ, ab excommunicatione, *cap. ultimo ad falsariorum. l. 3. t. 39. n. 6. p. 220.*
☞ Litigans qui sequestrationem impedit, vel sequestratos fructus occupare præsumit, ultra sententiam excommunicationis, quam ipso facto incurrit, eo ipso cadit à jure quod habebat in Beneficio. *l. 3. t. 40. n. 26. p. 225.*
☞ Qui scienter matrimonia contrahunt in Gradu prohibito excommunicationem incurrunt: secus autem si ignoranter, & si post contractum matrimonium superveniat scientia, incurrunt excommunicationem si maritali affectione perseverant in matrimonio. *ibid.*

Expectativæ.

De expectativis ad Beneficia vacatura, & mandatariis Apostolicis. *l. 1. t. 17. n. 1. p. 38.*
In expectativis Beneficia electiva, patronata, aut resignata non continentur. *ibid. n. 2.*
Expectativæ ut expirant. *ibid.*
Expectativarum usus sublatus in Gallia. *ibid. n. 3.*
Vide Indultum.
☞ Usus expectativarum est penitus explosus extant nihilominus sparsæ decisiones circa expectativas & mandata, quæ adhuc in praxi ad multa dubia resolvenda non parum inserviunt, quæ hìc inseruntur. *l. 2. t. 17. n. 3. p. 39.*

Expressio.

* Expressio falsæ Diœcesis impetrantis vitiat rescriptum ex Rebuffo, quod tamen distinguitur. *l. 2. t. 4. litt. a. p. 70.*
Ratio Rebuffi rejicitur. *ibid.*
* Reticentia Beneficii collati absenti & ignoranti in impetratione alterius ei non nocet. *ibid litt. c.*
* Reticentia obtenti Beneficii non nocet, si dimittatur ante possessionem obtinendi. *ibid. litt. b.*
* Idem cum quis dedit mandatum ad resignandum Beneficium quod obtinet. *ibid. litt. c.*
* Præstimoniæ &c. id genus non veniunt exprimendæ in nominationibus Graduatorum. *ibid. litt. d.*
* Jus Patronatus inutiliter exprimitur in Provisionibus Apostolicis. *l. 2. t. 5. lit. a. p. 72.*
* Resignans donec resignatio admittatur tenetur facere mentionem de Beneficio resignato in impetratione alterius. *l. 3. t. 3. litt. a. p. 112.*
Excipienda tamen bona fides. *l. 2. t. 4. litt. c. p. 70.*
☞ Tutius est exprimere Beneficia manualia, in supplicationibus quia verè & propriè sunt Beneficia. *l. 2. t. 4. n. 4. p. 70.*
☞ In gratia reformatoria primæ non est opus exprimere Beneficia expressa in prima. *ibid. n. 7.*
☞ Commenda perpetua in supplicatione exprimi debet, non tamen temporalis. *l. 2. t. 5. n. 8. p. 72.*
☞ Litis expressio in Gallia Regulariter non est absolutè necessaria, ut praxis docet. *l. 2. t. 12. n. 1. p. 89.*

F

Falsitas.

Falsi crimen in litteris Apostolicis irregularem facit. *l. 3. t. 19. n. 8. & 9. p. 172.*
Excommunicantur falsarii. *l. 3. t. 38. n. 4. & t. 39. n. 6. p. 218. & p. 219.*
☞ In litteris Papalibus committi possunt falsitates, & qui illas per se, vel per alios falsant sunt excommunicati cum suis fautoribus. *l. 2. t. 2. n. 5. p. 66.*

Filius.

Filii Præsbyterorum legitimi Beneficia paterna sine dispensatione non possunt obtinere. *l. 3. t. 26. n. 1. p. 188.*
* Filius legitimus non potest obtinere Beneficium patris immediatè: mediatè potest. *l. 2. t. 7. lit. b. p. 77.*
Modo media persona ministraverit. *ibid.*
Aliàs præsumeretur fraus. *ibid.*
Idem de nepote ut vult Pastor, quod tamen improbatur. *ibid.*
* Filius legitimus potest habere Beneficium in Ecclesia in qua pater vel avus aliud obtinet. *ibid.*
* Filius illegitimus non potest habere Beneficium paternum mediatè vel immediatè, nec in eo pensionem obtinere. *ibid.*
Licèt pater non ministraverit, modò fuerit in possessione. *ibid.*
* Filius illegitimus non potest habere Beneficium in Ecclesia in qua pater aliud etiam dissimile habet. *ibid.*
* Secus de nepote etiam illegitimo, vel ex filio illegitimo, *ibid.*
* Pater non prohibetur habere Beneficium filii sive legitimus sive illegitimus sit. *bid.*
* Pater non adipiscitur Beneficium in Ecclesia in qua filius illegitimus aliud obtinet. *l. 3. t. 26. litt. c p. 183.*
* Nec filius cogitur resignare, sed pater qui de novo intrat. *ibid.*
* Filii Hæreticorum sunt inhabiles ad Beneficia usque ad secundam generationem videlicet primi & secundi gradûs ex linea paterna, & primi tantùm ex materna. *l. 3. t. 19. litt. a. p. 173.*
* Nisi parentes emendati fuerint, & reincorporati

Ecclesiæ unitati *ibid.*
* Vel filii Beneficia obtinuerint ante lapsum parentum. *ibid.*
* Filii hæreticorum non possunt Ordinari, contra Sayrum, propter infamiam paternam, quæ filios afficit. *ibid.*
* Fallit in Gallia quoad Calvinianos. *ibid.*
* Filii offendentium Episcopum nullatenus sunt irregulares, contra Pastorem, ex quo possunt Ordinari. *ibid. litt. b.*
* Filii expositi præsumuntur legitimi, adeoque possunt ad Ordines & Beneficia admitti. *l.* 3. *t.* 25. *litt. a. p.* 186.
* Moyses, Semiramis, Pâris, Cyrus, Oedippus fuerunt expositi & tamen legitimi. *ibid.*
* Filii expositi sunt capaces quarumcumque successionum. *ibid.*
* Filius major viginti-quinque annis invito patre resignare potest. *l.* 3. *t.* 5. *litt. c. p.* 117.
* Quia in spiritualibus cessat patria potestas. *ibid. p.* 118.
* Nisi beneplacitum patris sit in mandato reservatum. *ibid.*

Forma.

Forma dignum. *Vide* Examen.
* Forma dignum antiqua & novissima quid, remissivè. *l.* 2. *t.* 13. *litt. a. p.* 87.
* Habens gratiam in forma dignum non habet jus in re sed ad rem ante ejus executionem. *l.* 3. *t.* 3. *litt. i. p.* 113.
* Unde potest quidem resignare simpliciter, sed non in favorem. *ibid.*
Contrarium tamen obtinet in praxi. *ibid.*

Fornicatio.

Fornicatio qualificata pœnâ depositionis punitur. *l. t.* 3. 43. *n.* 9. *p.* 238.
Ob fornicationem Monachus deponitur. *ibid.*

Fructus.

* Fructus Canoniæ alii pro titulo Beneficii assignati qui grossa dicuntur & dantur etiam absentibus. *lib.* 3. *t.* 46. *litt. c. p.* 247.
* Istorum valor debet exprimi in impetratione Beneficii, & soli pensione onerantur. *ibid.*
* Fructus alii distributiones quotidianæ dicuntur de quibus. *Vide* Distributio.

G

Gladius.

GLADII potestas Judæis fuit adempta. *l.* 3. *t.* 32. *n.* 14. *p.* 201.

Graduati & Gradus.

Gradus in Dignitatibus Ecclesiasticis requisitus. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 2. *p.* 194.
Gradus non excusat ab examine. *l.* 1. *t.* 16. *n.* 16. *p.* 36. & *l.* 2. *t.* 15. *n.* 2. *p.* 91.
Graduatorum privilegium. *l.* 1. *t.* 16. *n.* 1. *p.* 35.
Graduati debent insinuare Collatori. *ibid. n.* 4.
Inter Graduatos nominatos non est locus gratificationi ut inter simplices. *ibid. n.* 6.
Inter Graduatos qui præferantur. *ibid. n.* 7.
An Graduatus possit prævenire ab impetrante Apostolico. *ibid. n.* 8. & *l.* 1. *t.* 21. *n.* 4. *p.* 56.
Graduatus post semestre submovetur. *l.* 1. *t.* 16. *n.* 9. *p.* 36.
Graduatus Beneficia quæ possidet debet exprimere. *ibid. n.* 17.
Graduatus repellitur si sit sufficienter provisus. *ibid.*
Graduatorum privilegium cessat in certis casibus. *ibid. n.* 8.
Graduatus vincitur ab indultario. *ibid. n.* 15.
Graduatis indulta Cardinalium in Beneficiis suorum familiarium non nocent. *ibid.*
Graduati in Civitate Avenionensi gaudent privilegio. *ibid. n.* 2. *p.* 35.
* Graduati minori sexcentarum librarum reditu non replentur. *l.* 1. *t.* 16. *lit. d. p.* 37.
* Per simplicem requisitionem Graduati afficitur Beneficium. *ibid. litt. b.*
* Graduati insinuando Gradum, Nominationem, & attestationem Beneficii tenentur duplicatas dare. *ibid. litt. a.*
* Contra attestationem studiorum Graduati probatio admittitur. *ibid.*
* Indultarii præferuntur Graduatis, item Nominati ob jucundum adventum, vel fidelitatis sacramentum. *ibid. litt. c.*
* Dispensatio pro Sæculari ad Regularia, vel contra, non prodest Graduatis. *ibid. litt. e.*
* Regularis dispensatus ad Beneficia alterius Monasterii vel Ordinis rectè utitur Gradu & dispensatione. *ibid.*
* Graduati debent personaliter requirere, ut eos possit Ordinarius examinare, si velit, contra Rebuff. *l.* 1. *t.* 21. *litt. d. p.* 58.
* Studium sine Gradu non sufficit ad Ecclesiam Parrochialem in Villa murata. *l.* 3. *t.* 30. *litt. b. c. & d. p.* 195.
* Dignitates majores aut principales Graduatis conferendæ. *ibid.*
☞ Dignitates in Cathedralibus Ecclesiis, nec principales in Collegiis non debentur Graduatis. *l.* 1. *t.* 16. *n.* 8. *p.* 37.
☞ Graduati nominati ab Universitatibus, ab Ordinariis possunt examinari. *ibid. n.* 16.
☞ Beneficia certo generi personarum affecta possunt tamen à Graduatis requiri. *ibid. n.* 16. *p.* 38.
☞ Si Beneficium vacat ante datam Gradûs aut nominationis, Graduatus potest illud petere, modò tempore insinuationis sit adhuc vacans, sed si collatio Beneficii etiam non qualificato facta, præcesserit Gradum aut Insinuationem, tenebit collatio hujusmodi. *ibid. n.* 18.
☞ Provisiones pro Graduatis sunt rescripta, seu concessiones justitiæ potius quàm gratiæ: Collatio quæ fit Graduato est necessaria: Graduatus semper requirendi habet facultatem, quo usque Beneficium seu Beneficia ducentorum florenorum reditûs annui fuerit assecutus. *l.* 2. *t.* 4. *n.* 6. *p.* 70.
☞ Beneficium Monoculum licèt non subjiciatur Graduatis subjacet tamen præventioni Papæ. *l.* 2. *t.* 5. *n.* 7. *p.* 72.

H

Habilis.

☞ RECTOR loci quamvis natu extraneus, censetur originarius ad effectum obtinendi Beneficium patrimoniale compatibile cum Ecclesia Parrochiali. *l.* 3. *t.* 44. *n.* 1. *p.* 241.

Hæretici.

Hæretici excommunicantur & deponuntur. *l.* 3. *t.* 19. *n.* 1. *p.* 170. & *l.* 3. *t.* 39. *n.* 1. *p.* 219.
Hæreticorum liberi irregulares. *ibid. t.* 19. *n.* 2. *p.* 170.
Hæreticorum libri prohibiti. *ibid. t.* 39. *n.* 2. *p.* 219.
Hæreticis opem ferentes aut consilium, excommunicantur. *ibid. n.* 1.
Cum hæreticis de fide non licet omnibus disputare. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 20. *p.* 222.
De crimine hæresis sæculares Judices cognoscere vetantur. *ibid. n.* 21.
De Hæresi Judices Ecclesiæ inquirere jubentur. *ibid.* & *l.* 3. *t.* 40. *n.* 34. *p.* 223. & *l.* 3. *t.* 42. *n.* 32. *p.* 232.
Hæretici tolerantur in Gallia. *l.* 3. *t.* 19. *n.* 1. *p.* 170. & *l.* 3. *t.* 42. *n.* 32. *p.* 232.
* Ab hæreticis baptisati non sunt denuo rebaptisandi. *l.* 3. *t.* 33. *litt. a. p.* 204.
* Circa id olim magna in Ecclesia agitata controversia & tempestas. *ibid. litt. b.*
* Tandem authoritate Stephani Papæ pacata. *ibid.*
Vide Filius, Irregularitas.

Hildebrandus.

* Hildebrandus vir magni ingenii & animi, ac eximiæ sanctitatis, contra Molin. *l.* 3. *t.* 18. *litt. b. p.* 168.
Fuit creatus Cardinalis à Leone IX. & Legatus à latere in Gallias missus à Victore II. *ibid.*
Mira historia de Episcopo Simoniaco, qui jussus ab Hildebrando dicere, Gloria Patri, Spiritum sanctum pronuntiare nequivit. Fuit Romanus Pontifex Gregorius VII. dictus. *ibid.*

Homicidium.

Homicidium simplex non inducit vacationem Beneficii: secus si qualificatum sit. *l.* 3. *t.* 32. *n.* 2. *p.* 198.
Homicidium simplex irregularem facit. *ibid.*
* Homicidium qualificatum non inducit vacationem Beneficii, nisi quatenus invenitur expressum in jure. *l.* 3. *t.* 19. *litt. c. p.* 173.
* Textus *in cap.* 1. *de homicidio* non est extendendus extra suos terminos. *ibid.*
* Beneficium non vacat per Parricidium, Matricidium, Fratricidium, aut infanticidium. *ibid.*
* Omnis irregularitas ex homicidio insurgens tollitur per Baptismum. *l.* 3. *t.* 20. *litt. a. p.* 175.
* Ingressu Religionis tollitur omnis irregularitas, exceptâ Bigamiæ & homicidii voluntarii. *ibid.*
* Sacerdos homicida magis repræsentat interfectores Christi, quàm ipsum Christum. *l.* 3. *t.* 32 *litt. a. p.* 202. *Vide* Irregularitas.

Hospitalia.

Hospitalia an sint Beneficia. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 4. *p.* 3.

I

Illegitimus.

ILLEGITIMI irregulares, & legitimantur. *l.* 3. *toto t.* 25. *p.* 185. & 186.
Illegitimi non sunt qui in figura matrimonii nati sunt & bona fide parentum. *ibid. n.* 2.
☞ Nullus est Religionis Ordo in quo liceat illegitimis Beneficia regularia absque dispensatione obtinere. *l.* 3. *t.* 25. *eod. n.* 4. *p.* 187.
☞ Ad minores Ordines & ad Beneficia simplicia Episcopus dispensat illegitimos, & solus Papa ad majores Ordines, ad Dignitates, Personatus, & Beneficia curata. *ibid. n.* 6.

Impetratio.

* Impetratio in forma juris non est propriè provisio Beneficii, sed rescriptum ad litem. *l.* 2. *t.* 1. *litt. b. p.* 103.
* Non recipitur in Gallia, quia contraria decretis *de causis & de reservationibus sublatis. ibid.*
* Beneficium ab alio possessum potest ab Ordinario impetrari, sed tutius à Papa. *ibid. litt. a. p.* 103.
* Inhabilitas ex impetratione Beneficii viventis extenditur ad quemcumque falsum vacationis modum, sed non habet locum in collatione Regis, dum in Regalia confert. *l.* 3. *t.* 2. *litt. a.* & *b. p.* 105.
* In impetratione Beneficii familiaris Cardinalis, nomen, titulus, & consensus Cardinalis exprimi debet. *l.* 1. *t.* 18. *litt. d. p.* 40.
* Nisi Beneficium spectet ad collationem alterius Cardinalis. *ibid.*
Vide devolutio.

Incendiarii.

Incendiarii excommunicantur. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 7. *p.* 217.

Incompatibilitas.

* Beneficia simplicia possunt retineri cum Cardinalatu, etiamsi residentiam requirant. *l.* 3. *t.* 14. *litt. c. p.* 150.
* Quia in servitio Romani Pontificis existens à residentia excusatur. *ibid.*
* Vel post Cardinalatum ei conferri si residentiam non requirant. *ibid.*
* Nisi sit Cardinalis Episcopus. *ibid.*
* Vacatio incompatibilium quantumvis simplicium inducitur ipso jure, contra Pastorem. *l.* 3. *t.* 15. *litt. a. p.* 154.
* Commenda quævis compatitur cum quolibet Beneficio in titulum. *ibid. litt. b.*
* Duo incompatibilia non possunt in Commendam obtineri per eundem. *ibid.*
* In Gallia primum non vacat per assecutionem secundi nisi post annum. *ibid. litt. c.*

* Interim autem poterit permutari pro ſimplici, aut reſignari in favorem, contra Paſtorem. *ibid.*
* Duo diſſimilia ut Canonicatus & Capellania poſſunt obtineri in eadem Eccleſia ſecundum Rebuff. quod tamen improbatur. *ibid. litt. f.*
* Licèt inſpecto jure communi non vacet ſimplex per ſecundum incompatibile; fallit tamen ſi ſint ſub eodem tecto. *ibid.*
* Inferior Epiſcopo, non diſpenſat cum plurali. *ibid. litt. h.*
* Plures tamen Capellaniæ prophanæ uni ſub eodem tecto à Patrono laico conferri poſſunt. *ibid.*

Indultum.

Indulta Regia ad Beneficia vacatura. *l.* 1. *t.* 18. *n.* 1. *p.* 39.
Indulta debent inſinuari Ordinario. *ibid. p.* 40.
Indulta Curiæ Pariſienſis. *ibid. n.* 3.
Indulta expirant. *ibid. n.* 2.
Indultarius Beneficium ſibi collatum tenetur acceptare. *ibid. n.* 3.
Indultis Regiis an privilegia Graduatorum, aut Cardinalium noceant. *ibid n.* 4.
Indulta Regia ceſſant in certis caſibus. *ibid. n.* 5.
Indultis ſolemniter approbatis in Gallia Papa non derogat. *l.* 2. *t.* 10. *n.* 2. *p.* 80.
* Indultum Curiæ Pariſienſis habet decretum irritans. *l.* 1. *t.* 18. *litt. b. p.* 40.
* Secus de nominationibus Regiis pro jucundo adventu aut fidelitatis ſacramento. *ibid.*
* Indulto Curiæ poſſe Capitulum ſemel gravari in vita Regis declaravit Henricus II. *ibid. litt. a.*
* *Indulta Cardinalium* confundit Paſtor cum regulis Cancellariæ. *ibid. litt. d.*
☞ Nominationes Regiæ ſeu indulta conceduntur ob jucundum Regni adventum, & ob præſtitum Regi ab Antiſtite fidelitatis ſacramentum. *l.* 1. *t.* 18. *n.* 2. *p.* 41.
☞ Nominati ab indultariis Senatûs Pariſienſis non tenentur acceptare Parrochiales Eccleſias, nec ullaBeneficia infra ſexcentarum librarum proventum annuum: tenentur tamen citra Parrochiales Eccleſias primum vacans acceptare, niſi ſit litigioſum, aliàs cadunt à gratia expectativa. *ibid. eod. n.* 3.

Infamia.

Infames arcentur. *l.* 3. *t.* 31. *n.* 1. *p.* 196.
☞ Infamia juris eſt quæ à jure irrogatur, cum quis per ſententiam de jure publico condemnatur: Infamia facti eſt cum quis aggravatur, vel infamatur apud bonos. *l.* 3. *t.* 31. *n.* 1. *p.* 197.

Inhabilitas.

☞ Ubi adeſt probabilis ignorantia, poſſeſſor Beneficii non fit inhabilis. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 6. *p.* 77.
☞ Filius eſt inhabilis ad obtinenda Beneficia in quibus pater immediatè præfuit. *l.* 3. *t.* 26. *n.* 1. *p.* 189.
☞ Ut filius legitimus excludatur à Beneficio paterno, requiritur quòd pater fuerit in poſſeſſione, quamvis numquam miniſtraverit, nec ullos fructus perceperit. *ibid. eod. n.* 1.
☞ Nepotes non repelluntur à Beneficiis in quibus avus paternus vel maternus immediatè ante præfuit. *ibid. n.* 3.
☞ Notabiliter corpore vitiati ſine diſpenſatione ad Ordines promoveri non poſſunt, nec conſequenter ad ullum Beneficium. *l.* 3. *t.* 27. *n.* 2. *p.* 191.
☞ Extranei Beneficia patrimonialia, quæ ex fundatione, vel alio ſpeciali jure conferri debent patrimonialibus ſeu naturalibus filiis loci, obtinere non poſſunt. *l.* 3. *t.* 44. *n.* 1. *p.* 241.
☞ Regulares Beneficia ſæcularia obtinere non poſſunt, tamen Religioſi in Epiſcopos ſæcularium Eccleſiarum eligi poſſunt. *l.* 3 *t.* 45. *n.* 3. *p.* 243.

Inquiſitio.

Inquiſitores hæreſis prævaricantes ut puniantur. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 13. *p.* 217.
Inquiſitoribus reſiſtere non licet. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 39. *p.* 223.
☞ Inquiſitio meritorum Beneficiandi debet fieri in loco natali, & ubi diutius eſt converſatus. *l.* 2. *t.* 13. *eod. n.* 2. *p.* 88.

Inſinuatio.

Inſinuatio litterarum Beneficialium. *lib.* 2. *t.* 15. *n.* 10. *p.* 92.
* Inſinuatio actuum Eccleſiaſticorum relicta arbitrio privatorum. *l.* 2. *t.* 15. *litt. c. p.* 93.
* Contrarotulatio actuum Eccleſiaſticorum abrogata per Edictum inſinuationum. *ibid.*
* Hodie in Senatu Toloſano nulla eſt neceſſitas inſinuandi actus Eccleſiaſticos. *ibid.*
* Pariſiis non ſtatur revocationi non inſinuatæ. *ibid. litt. b.*
☞ Triplex circa inſinuationes Eccleſiaſticas emanavit edictum, quibus quartum in hoc indice addi poteſt de menſe Decembris 1691. in hoc Senatu regiſtratum menſe Februario 1692. *l.* 2. *t.* 15. *n.* 11. *p.* 93.

Inſtitutio.

* Inſtitutio ut fiat non eſt certum tempus præſtitutum. *l.* 1. *t.* 22. *litt. b. p.* 61.
* Presbyteri ſæculares non poſſunt inſtitui ad Eccleſias Sancti Joannis Hieroſolymitani niſi de conſenſu Præceptorum ex indulto Apoſtolico. *l.* 2. *t.* 5. *litt. b. p.* 72.
Cui ideo Papa non ſubjicitur. *ibid.*
☞ Valet inſtitutio non appellante digniore: dignior autem habendus eſt ille, non qui doctior aut ſanctior eſt, ſed ille qui juxta munus & rem, cui eſt præficiendus, eſt aptior. *lib.* 2. *t.* 15. *n.* 5. *p.* 93.

Interſtitia.

De Interſtitiis. *Vide* Ordo.

Intruſus.

Intruſus quis dicatur. *l.* 2. *t.* 15. *n.* 7. *p.* 92.
☞ Intruſus non diceretur ſi haberet Canonicum titulum, licèt per vim occupaviſſet Beneficium, maximè ſi violentia non ſit facta propria temeritate, ſed Judicis authoritate. *l.* 2. *tit.* 7. *n.* 5. *p.* 77.

Interdictum.

De interdicto. *l.* 3. *t.* 34. *n.* 2. *p.* 205. *& l.* 3. *t.* 38. *n.* 17. *p.* 217. *& l.* 3 *t.* 40. *n.* 38. *p.* 223.
* Interdictum. *Vide* Irregularitas.

Irregularitas.

Irregularis ex delicto non curans absolvi, deponitur. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 3. *p.* 244.
Irregularitas ex instituto Apostolorum. *l.* 3. *t.* 20. *n.* 3. *p.* 174.
Irregularitas ex delicto vel defectu. *ibidem n.* 4. *&* 5.
Irregulares qui sint ex defectu vel ex delicto. *ibid.*
An accusator persequens ultionem injuriæ sibi illatæ fiat irregularis. *l.* 3. *t.* 32. *n.* 13. *p.* 201.
Energumeni irregulares. *l.* 3. *t.* 28. *n.* 1. *p.* 191.
Amentes & furiosi irregulares. *ibid. n.* 2.
Corpore vitiati irregulares: dispensatur cum illis. *l.* 3. *t.* 27. *n.* 1. *&* 3. *p.* 189.
Illiterati irregulares. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 1. *p.* 193.
Irregularis ex delicto occulto ab Episcopo absolvi potest. *l.* 3. *t.* 32. *n.* 16. *p.* 201.
An talis absolutio prosit in foro externo. *ibidem n.* 17.
Irregularitas non incurritur nisi in casibus in jure expressis. *l.* 3. *t.* 33. *n.* 1. *p.* 204.
* Irregularitas non est censura sed impedimentum. *l.* 2. *t.* 8. *litt. a. p.* 79.
* Absolutio à censuris quoad irregularitatem nihil prodest. *ibid.*
* Celebrantes scienter in loco interdicto irregularitatem incurrunt. *l.* 3. *t.* 34. *litt. a. p.* 206.
* Laïcus violans interdictum locale non est irregularis. *ibid.*
* Sacerdos celebrans scienter præsente excommunicato non est irregularis. *ibid.*
* Simoniacus realis non est irregularis, contra Flaminium & Pastorem. *l.* 3. *t.* 18. *litt. f. p.* 168. 168.
* Irregularitas non incurritur nisi in casibus à jure expressis. *ibid.*
* Irregularitas ex homicidio insurgens tollitur per baptismum. *l.* 3. *t.* 20. *litt. a. p.* 175.
* Irregularitas ex Bigamia contracta baptismo non aboletur. *ibid.*
* Irregularitas proveniens ex defectu natalium baptismo non tollitur. *ibid.*
* Ingressu religionis tollitur omnis irregularitas, exceptâ Bigamiæ & homicidii voluntarii. *ibid.*
* Irregularitas ex delicto proveniens non multiplicatur licèt iteretur delictum. *ibid litt. b.*
* Secus in censuris, quæ multiplicantur transgressionibus. *ibid.*
* Vitium corporis modicum non facit irregularem. *l.* 3. *t.* 27. *litt. a. p.* 190.
* Quod autem sit vitium modicum remittitur judicio Episcopi. *ibid.*
* Claudus non est irregularis in Gallia nec alibi. *ibid. litt. b. & e.*
* Proprio delicto excisus est irregularis: secus si à barbaris aut medicis, aut per insidias. *ibidem litt c.*
* Nec habet necesse virilia sicca secum portare. *ibidem.*
* Qui semel morbo sontico ceciderunt sunt irregulares, contra Pastorem. *ibid. litt. f.*
* Obsessi à Dæmonibus quamvis liberati, sunt irregulares. *ibid.*
* In susceptis tamen possunt post annum à liberatione ministrare. *ibid.*
* Et collatio illis facta est ipso jure nulla. *ibid.*
* Nisi Beneficium sit simplex non requirens Ordinem. *ibid.*
* Furiosus est irregularis: poterit tamen sanæ mentis factus præsentari ad Beneficium simplex. *l.* 3. *t.* 28. *litt. a. & c. p.* 191.
* Præsumitur in eodem furore perseverare nisi contrarium probetur. *ibid. litt. b.*
* Servus est irregularis. *l.* 3. *t.* 29. *litt. a. p.* 193.
* Mutilans digitum vel auriculam non est irregularis. *l.* 3. *t.* 32. *litt. b. p.* 222.
* Nisi pollex artifici fuerit amputatus. *ibid.*
* Clerici in Sacris non constituti Chirurgiam exercentes non sunt irregulares. *ibid. litt. c.*
* Nisi ex imperitia mors vel mutilatio sequatur. *ib.*
* Vel ipsi essent Beneficiati aut Monachi, quamvis periti, secutâ morte vel mutilatione. *ibid.*
* Mandantes interficere si re integra mandatum revocaverint non fiunt irregulares, secus in consulente. *ibid. litt. d.*
* Mandans justè capi possessionem Beneficii cum armis non dicitur irregularis, etiamsi sequatur mors, vel mutilatio. *ibid.*
* Pater, Magister, vel Dominus mandans percuti non fit irregularis, etiamsi mors vel mutilatio hinc sequatur. *ibid.*
* Testes in causa sanguinis fiunt irregulares, & multò magis si sint Clerici. *ibid. litt. e.*
* Procuratores & Advocati accusatorum, vel ipsi accusatores non fiunt irregulares in Gallia. *ibid. litt. f.*
* Quamvis nulla præcesserit protestatio. *ibid.*
* Ex solo occidendi proposito non incurritur irregularitas, contra Pastorem: fallit in assassinatu. *ib. litt. g.*
* Judex in causa mortis vel mutilationis, non secutâ morte vel mutilatione, non est irregularis. *ibid.*
* Irregularitas latè sumpta contrahitur ex quolibet peccato mortali. *ibid.*
* Ebrius occidens vel mutilans non incurrit irregularitatem. *ibid. litt. h.*
* Nisi eo animo se inebriaverit vel sit solitus se inebriari, & in alios furere. *ibid.*
* Duellum non facit laïcum irregularem, nisi sequatur mors vel mutilatio. *ibid. litt. i.*
* Irregularitas non est suspensio, quia non est censura. *l.* 3. *t.* 41. *litt. a. p.* 227.
* Irregularitas est privatio & inhabilitatio ad Ordines obtinendos vel exercendos: suspensio est simplex impedimentum exercitii. *ibid.*
* Judex concedens excommunicationem ad effectum revelandi in criminalibus non fit irregularis. *l.* 3. *t.* 36. *litt. d. p.* 212.
* Episcopus suspensus à Pontificalibus, ea exercens incurrit irregularitatem juxta Navarrum. *l.* 3. *t.* 41. *litt, d. p.* 228.
* Contrarium vult Toletus: quia licèt Episcopatus sit Ordo, non tamen est Ordo ut Sacramentum. *ib.*
* Suspensus ab ingressu Ecclesiæ celebrando in ea fit irregularis. *ibid. litt. e.*
* Secus ibi audiendo divina, licèt peccet, quia

audire non spectat ad Ordinem. *ibid.*
*Suspensus quoad se tantùm propter peccatum mortale celebrando, non fit irregularis. *ibid. litt. f.*
* Suspensus ab Officio, celebrans fit irregularis: potest tamen psallere & baptisare sine solemnitate. *ibid.*
* Suspensus à Beneficio tantùm celebrando non fit irregularis. *ibid.*
* Suspensus ab activa collatione Sacramentorum si conferat fit irregularis. *ibid.*
* Suspensus à passiva collatione Sacramentorum si sibi conferantur non est irregularis: quia suscipere non est actus Ordinis. *ibid.*
* Suspensus ab administratione Ecclesiæ in temporalibus & spiritualibus celebrans, non est irregularis. *ibid.*
* Prædicans suspensus à Prædicatione est excommunicatus, non tamen est irregularis. *ibid.*
* Fornicarii & Concubinarii notorii sunt suspensi & irregulares, & indigent dispensatione etiam post pœnitentiam. *l.* 3. *t.* 42. *litt. a. p.* 234.
* Rebaptisans & rebaptisatus ignoranter non sunt irregulares. *l.* 3. *t.* 33. *litt. a. p.* 204.
* Ordinés bis suscipiens non fit irregularis. *ibid.*
☞ Beneficiatus per irregularitatem supervenientem non privatur ipso jure obtentis, sed tantùm venit privandus per Sententiam. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 7. *p.* 78.
☞ Triplex est corporis vitium irregularitatem inducens, mutilatio, debilitatio, & deformitas. *l.* 3. *t.* 27. *n.* 7. *p.* 190.
☞ Verè & propriè Bigami, sive etiam interpretativi, sive etiam similitudinarii sunt irregulares, & facultas dispensandi ad sacros Ordines ad solum Papam spectat. *l.* 3. *t.* 24. *n.* 1. & 5. *p.* 184.
☞ Perpetuò amentes non sunt jure Canonico irregulares, sed impediti jure naturali, quia cum usum rationis non habeant, actus Ordinum exercere non possunt, nec dispensari. *l.* 3. *t.* 28. *n.* 2. *p.* 192.
☞ Non solùm committens homicidium vel mutilationem fit irregularis, sed etiam si sequatur homicidium, vel mutilatio ex facto, vel præcepto, vel consilio suo, vel suggestione, adhortatione, aut defensione inevitabili, aut advocatione. *l.* 3. *t.* 32. *n.* 2. *p.* 203.
☞ Ludentes ad brachia, si ex tali lusu homicidium sequatur, alter Clericus qui lusit non prohibetur ad sacros Ordines promoveri. *ibid. n.* 5.
☞ Si quis defendendo vitam suam alterum occiderit erit censendus irregularis donec veniam ab utraque summa potestate obtinuerit. *ibid. n.* 8.
☞ Qui Sententiam sanguinis profert, aut votum mortis, vel mutilationis, in Judicando emittit, nedum fit irregularis secutâ morte vel mutilatione, sed eo ipso Beneficium amittit, *ibid. n.* 11.
☞ Rebaptisati fiunt irregulares, non tamen qui coactè rebaptisantur. *l.* 3. *t.* 33. *n.* 1. *p.* 205.
☞ Iteratio confirmationis prohibetur, sicut baptismi, sed qui iterum confirmatur non propterea fit irregularis. *ibid.*
☞ Depositi, excommunicati, vel suspensi facientes solemniter aliquem actum connexum Ordini sacro contrahunt irregularitatem. *l.* 3. *t.* 34. *n.* 1. *p.* 206.
☞ Censurâ irretitus divinis se immiscens non novam censuram incurrit, sed solùm irregularitatem. *l.* 3. *t.* 35. *n.* 5. *p.* 209.

Ira.

Ira furor brevis est. *l.* 3. *t.* 3. *n.* 10. *p.* 109.

Judex.

Judices Ecclesiastici ob mortem aut mutilationem rei fiunt irregulares ex delicto, & laïci sine delicto. *l.* 3. *t.* 32. *n.* 14. *p.* 201.
Judices Sæculares ad sua Tribunalia evocantes causas Fori Ecclesiastici excommunicantur. *l.* 3. *t.* 39. *n.* 14. *p.* 219.
Judex Sæcularis de personis & rebus Ecclesiasticis quando possit cognoscere. *ibid.*
Judices Ecclesiasticos impedientes excommunicantur, *ibid. n.* 15.
Judices delegati citra commissa procedentes excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 13. *p.* 221. & *l.* 3. *t.* 42. *n.* 26. *p.* 232.
Judices visitantes mulieres prætextu testimonii recipiendi excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 15. *p.* 222.
Judices Ecclesiastici per sordes judicantes suspenduntur. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 18. *p.* 231.

Judicium.

* Judicium possessorium tres habet partes, sequestrum, recredentiam, & pleni possessorii definitionem. *l.* 2. *t.* 16. *litt. a. p.* 95.
* Sequestratio utroque jure prohibita exceptis casibus remissivè indicatis. *ibid.*
* Nisi Judicis officio sequestrum apponatur. *ibid.*
* Recredentia summariè expeditur cessante interim omni processu instructivo. *ibid.*
* Recredentia executioni demandatur appellatione non obstante, sub cautione juratoria. *ibid.*
* Nec auditur appellans nisi prius judicato paruerit. *ibid.*
* Finito judicio possessorio coram Judice Regio, non licet coram Ecclesiastico super petitorio experiri. *ibid.*
* Tonsuræ littera producenda in qualibet parte possessorii Beneficialis. *ibid.*

Jus.

* Jus in re non habet sed ad rem habens gratiam in *forma dignum*, ante ejus executionem. *l.* 3. *t.* 3. *litt. i. p.* 113.
* Unde potest simpliciter & non in favorem resignare. *ibid.*
Contrarium tamen usu obtinet. *ibid.*
* Liber sextus Decretalium non facit jus in Gallia ut vult Brodell. contrarium tamen verius. *l.* 3. *t.* 25. *litt. c. p.* 187.
Maximè ubi Conciliis innititur, aut favet Ordinariorum potestati. *ibid.*
* Jus Patronatus. *Vide* Patronatus.

L

Laïcus.

LAICI irregulares. *l.* 3. *t.* 21. *n.* 1. *p.* 176.

Legatus.

Legatos aut Nuncios Apostolicæ Sedis impedientes ut puniantur & excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 39. *p.* 223.

Legatus non potest facere quæ jure prohibita sunt, sine mandato. *l.* 2. *t.* 11. *n.* 8. *p.* 83.

Legatus in Gallia non potest substituere ad Universitatem causarum. *l.* 1. *t.* 11. *n.* 8. *p.* 25.

* Legatus prævenit Ordinarios modò adeatur per vulgares Dietas & Beneficium vacet in mense libero. *l.* 1. *t.* 21. *litt. b. p.* 58.

* Legatus à Latere potest ea quæ Papa sibi non reservavit. *l.* 3. *t.* 15. *litt. g. p.* 154.

* Fallit in dispensatione contra Concilium. *ibid.*

* Motus proprius Legati non purgat obreptionem. *l.* 2. *t.* 4. *litt. e. p.* 70.

☞ Legatus à Latere in Provincia sibi demandata concurrit cum omnibus Ordinariis in Beneficiorum collatione, & in Beneficiis quæ sunt de jure Patronatûs Ecclesiastici. *l.* 1. *t.* 9. *n.* 1. *p.* 22.

☞ Beneficia reservata collationi Papæ non confert Legatus sine speciali mandato. *l.* 1. *t.* 21. *n.* 3. *p.* 58.

Legitimatio.

Legitimatio fit variis modis. *l.* 3. *t.* 25. *n.* 3. & 4. *p.* 185.

Legitimatio Papæ in terris Principum Sæcularium non prodest ad effectus civiles. *ibid. n.* 6. *p.* 186.

An Legatus possit dispensare cum illegitimis. *ibid.*

In legitimationis rescripto requisita. *ibid.*

Legitimus.

☞ Legitimati per subsequens matrimonium verè sunt legitimi, & sunt habiles ipso facto ad omnia munera Ecclesiastica, sive Ordines, sive Beneficia. *l.* 3. *t.* 25. *n.* 3. *p.* 187.

Libri.

Libros imprimentes de rebus sacris sine nomine auctoris, excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 42. *p.* 223.

Libros damnatos ob hæresim legentes excommunicantur. *ibid. n.* 43. *p.* 224.

Lex.

Lex non ligat nisi post promulgationem. *l.* 3. *t.* 37. *n.* 1. *p.* 213.

☞ An lex privativa intelligatur ante latam Sententiam pendet à verbis quibus utitur lex privativa. *l.* 3. *t.* 19. *n.* 1. *p.* 173.

Litteræ.

Litteræ novæ Provisionis, *si alteri, si neutri, si nulli, l.* 2. *t.* 12. *n.* 1. & 2. *p.* 85.

Litteræ perinde valere. *ibid.*

* Litteræ Apostolicæ in Provincia Provinciæ executioni non demandantur, nisi prius obtentâ à Senatu licentiâ. *l.* 2. *t.* 15. *litt. a. p.* 93.

* Olim in omnibus Galliæ partibus deputabantur Commissarii ad Bullas examinandas. *ibid.*

* Habens rescriptum ut à non suo Episcopo ordinetur non eget litteris dimissoriis, sed testimonialibus. *l.* 3. *t.* 42. *litt. t. p.* 235.

* Litteræ testimoniales seu commendatitiæ ab Episcopo domicilii, non autem originis vel Beneficii obtinendæ. *ibid. litt. u.*

* Litteræ dimissoriales non conceduntur à Capitulo Sede vacante intra annum. *ibid. litt. x. p.* 236.

Locatio.

Locatio rei Ecclesiæ fit in triennium, sine anticipatione. *Vide* Ecclesia.

Loculus.

Apostoli loculos habebant. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 1. *p.* 1.

M

Magi.

MAGI Hæretici censentur & deponuntur. *l.* 3. *t.* 19. *n.* 1. *p.* 170.

Magister.

☞ In qualibet Ecclesia Cathedrali, ac etiam aliis in quibus facultates sufficere possunt, debet constitui Magister idoneus à Prælato. *l.* 1. *t.* 9. *n.* 4. *p.* 22.

Mandatum.

In mandato ad renuntiandum requisita. *l.* 3. *t.* 6. *n.* 2. 3. & 4. *p.* 119.

Ut mandata hujusmodi revocentur & finiantur. *ibid. n.* 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. & 18. *p.* 121. & 122.

Mandata litterarum Beneficialium an tribuant jurisdictionem. *l.* 2. *t.* 13. *n.* 5. *p.* 87.

Mandati revocatio est intimanda Vicario. *l.* 1. *t.* 11. *n.* 15. *p.* 26.

Vide Vicarius. Matrimonium.

* Mandata executoribus directa morte concedentis revocantur: secus si collatoribus tantum. *l.* 1. *t.* 17. *litt. a. p.* 39.

* Tamen neutro casu in hoc Regno revocabantur. *ibid.*

* Jura de mandatis Apostolicis conducunt ad expectativas Graduatorum, Indultariorum, & à Rege Nominatorum pro jucundo adventu, & fidelitatis Sacramento. *ibid. litt. b.*

* Sufficit servare mandata in concessibilibus. *l.* 3. *t.* 5. *litt. b. p.* 117.

* Mandatum ad Resignandum vulgò dicitur resignatio licèt impropriè. *l.* 3. *t.* 6. *litt. b. p.* 122.

* Mandata ad resignandum recipi possunt à Notariis domanialibus. *ibid. litt. d.*

* Quæ requirantur ut mandata à Notariis Apostolicis confecta fidem faciant remissivè. *ibid.*

* Mandans ubi subscribere non valet, debent testes subscribere, atque ita requiritur, ut scribere sciant. *ibid. litt. e.*

* Mandatum ad resignandum coram Papa non revocatur per secundum coram Ordinario, nisi intimetur secundum. *ibid. litt. f.*

* Praxim contrariam allegat Pastor sed malè. *ibid.*

* Mandatum datur & suscipitur in gratiam mandantis, Consilium verò in gratiam ejus cui datur. *l.* 3. *t.* 32. *litt. d. p.* 202.

Matrimonium.

Matrimonium contrahentes in Gradu prohibito excommunicantur : Parrochi ſuſpenduntur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 32. *p.* 223. & *l.* 3. *t.* 42. *n.* 28. *p.* 232.

Matrimonii impedimentum ad Ordines factâ ſeparatione thori tollitur. *l.* 3. *t.* 23. *n.* 3. *p.* 181.

Matrimonium impedientes aut cogentes excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 46. *p.* 224.

Matrimonia ſponſorum alterius Parrochiæ ſine licentia ſolemniſantes ſuſpenduntur. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 42. *p.* 233.

Raptores mulierum. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 45. *p.* 224.

An ad matrimonium Sacerdos poſſit diſpenſari. *l.* 3. *t.* 23. *n.* 6. *p.* 181.

* Matrimonium facit conſenſus partium præſtitus coram Parrocho quamvis invito, contra Paſtorem. *l.* 3. *t.* 25. *litt. b. p.* 186. *Vide* Conjuges & Diſpenſatio.

☞ Matrimonium ratum, nondum tamen conſummatum poteſt ingreſſu Religionis, & profeſſione ſolemni alterius conjugum, etiam invito altero, diſſolvi. *l.* 3. *t.* 23. *n.* 2. *p.* 182.

☞ Quando uterque conjux ex mutuo conſenſu emiſit votum Caſtitatis, non poteſt maritus irritare votum uxoris, nec uxor mariti. *ibid. n.* 3.

Medicus.

Medicinæ & Chirurgiæ exercitium Clericis prohibitum. *l.* 3. *t.* 32. *n.* 6. *p.* 199.

Minor.

* Minor non poteſt reſignare ſine conſenſu Patris. *l.* 3. *t.* 5. *litt. c. p.* 117.

* Niſi ſit major annis 18. ad id malis artibus non inductus, nec à ſtatu Clericali alienus. *ibid.*

* Vel niſi Curatum aut alterum ex duobus ſimplicibus reſignet. *ibid.*

* Minor repetit unicum quod de conſenſu Patris reſignavit. *ibid. p.* 118.

Monachus & Monaſterium.

Monaſterium pro ingreſſu Religioſi an poſſit capere. *l.* 3. *t.* 18. *n.* 6. *p.* 163.

Monialium directionem habentes, & diſcordiam inter eas parientes excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 12. *p.* 221.

In Monialium viſitatione Epiſcopum impedientes excommunicantur. *ibid. n.* 31. *p.* 223.

Monialium viſitatio prohibita. *ibid. n.* 15. *p.* 222.

Monialium clauſuram impedientes vel infringentes excommunicantur. *ibid. n.* 47. *p.* 224.

Moniales cogentes aut avertentes excommunicantur. *ibid. n.* 48. *p.* 224.

Vincentius Monachus Lyrinenſis. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 5.

Monachi tenentur ex voto ad caſtitatem. *l.* 3. *t.* 43. *n.* 9. *p.* 238.

Monialium dotationes taxandæ. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 17. *p.* 222.

* Monachus non poteſt diſpenſari ad duo à diverſis Abbatibus dependentia. *l.* 3. *t.* 45. *litt. c p.* 243.

* Monachus unius Monaſterii poteſt eligi in Abbatem alterius Monaſterii ejuſdem Religionis & habitus. *ibid.*

* Aliàs non poteſt eligi ſed debet poſtulari. *ibid. Vide* Abbas. Novitius.

☞ In Monacho duo Beneficia in titulum cujuſvis qualitatis ſunt incompatibilia. *l.* 3. *t.* 15. *eod. n.* 4. *p.* 155.

☞ Si Monachi moniti ad clauſtra non revertantur ipſo facto & ſine alia monitione excommunicatio poſt bimeſtre tempus incurritur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 4. *p.* 225.

Monitio.

☞ Monitiones quæ expectant excommunicandum debent fieri perſonaliter, niſi excommunicandus dolo latitaret. Tunc enim ſufficit citatio ad domum. *l.* 3. *t.* 36. *n.* 7. *p.* 213.

☞ Ante litem motam conceſſio Monitorii peti & concedi poterit. *ibid. n.* 9.

☞ Hodie Vicarius generalis ſeu Officialis cogi poteſt concedere Monitoria, & in criminalibus illis injungitur ſub pœna arreſtationis temporalium. *ibid. eod. n.* 10.

N

Neophitæ.

NEOPHITÆ irregulares. *l.* 3. *t.* 29. *n.* 3. *p.* 192.

Nominatio.

Nominandi jus in Beneficiis conſiſtorialibus Regibus Galliæ conceſſum. *l.* 1. *t.* 8. *n.* 3. *p.* 19.

Nominationis tempus. *ibid. n.* 5.

Poſt nominationem Rex variare poteſt. *ibid.*

Nominationi Regiæ an ſubſint Abbatiæ Monialium. *ibid. n.* 8.

* Nominationes Regiæ pro jucundo adventu, & fidelitatis Sacramento non habent clauſulam irritantem. *l.* 1. *t.* 18. *litt. b. p.* 40.

* Secus de indulto Curiæ. *ibid. Vide* Indultum.

Notorium.

Notorium quando dicatur. *l.* 3. *t.* 37. *n.* 6. *p.* 214.

* Notorium ex tribus inſurgit, ſententia, confeſſione, & operis evidentia. *l.* 3. *t.* 37. *litt. a. p.* 215.

* Ad notorium non requiritur ſcientia populi, ſed viciniæ vel decem hominum. *ibid.*

Novitius.

* Beneficium Novitii ante Profeſſionem non vacat. *l.* 3. *t.* 17. *litt. b. p.* 161.

* Beneficium Novitii non poteſt niſi infra duos menſes ante Profeſſionem renuntiari, nec alteri conferri niſi Profeſſione ſecutâ. *ibid.*

* Beneficium Novitii non poteſt infra annum ſine ipſius conſenſu alteri conferri. *ibid.*

* Beneficium Regulare non poteſt conferri Novitio, ſed Beneficium Sæculare poteſt ſecundùm Gloſſam. *ibid.*

* Oppoſitum tenent in utroque Geminianus, & Franchus. *ibid.*

* Novitii penſiones per Profeſſionem extinguntur. *ibidem litt. c.*

* Novitius qui ante Professionem resignavit, & postmodum profiteri nequit, aut non vult, regreditur ad Beneficium. *ibid. litt. e. & l. 3. tit. 47. litt. m. p. 256.*
* Donationes & resignationes Novitii ante duos menses quàm profiteantur factæ, sunt nullæ. *ibidem.*

Nuncius.

Nuncius Apostolicæ Sedis an possit conferre Beneficia. *l. 1. t. 21. n. 2. p. 56.*

O

Oblationes.

OBLATIONIBUS fidelium Ecclesia locupletata. *l. 1. t. 1. n. 1. p. 1.*
Oblationes usurariorum, latronum, & cauponum respuendæ. *l. 3. t. 42. n. 27. p. 232.*

Officium.

Officium magnum possessor Beneficii, & qui sunt in sacris recitare tenentur. *l. 3. tit. 12. n. 12. p. 142.*
Officium parvum Beatæ Mariæ possessor Beneficii reditûs tenuioris recitare tenetur. *ibid.*

Optio.

Optandi jus ut inducatur. *l. 2. t. 18. n. 1. p. 98.*
Optantem pensio sequitur. *ibid. n. 2.*
Optare bis non licet. *ibid. n. 3.*
Optandi jus competit ordine successivo. *ibid.*
Optandi jus lapsu temporis finitur. *ibid. n. 4. p. 99.*
Optio cessat in certis casibus. *ibid. n. 4. 5. 6. & 7.*
Optandi jus lapsu temporis præscribitur. *l. 2. t. 18. n. 10. p. 100.*
* Optio locum habet in casu simplicis renuntiationis, contra Pastorem. *l. 2. t. 18. litt. a. p. 100.*
* Nisi casus hujusmodi statuto Ecclesiæ excipiatur. *ibid.*
* Optio non habet locum in Præbenda Theologali, Præceptoriali, & Pœnitentiaria. *ibid. litt. b.*
* Et sicut istæ Præbendæ non possunt optari; ita nec dimitti ut aliæ optentur. *ibid.*
☞ Optio competit in quibusdam Ecclesiæ Canonicis, ejusdem Ecclesiæ super Præbendis vacaturis, seu aliis Beneficiis, juxta consuetudinem Ecclesiæ. *l. 2. t. 18. n. 1. p. 100.*
☞ Ubi sunt distinctæ Præbendæ, requiritur in consuetudine tempus quadraginta annorum, ubi verò sunt indistinctæ sufficiunt decem anni. *ibid.*
☞ Clericus inhabilis factus, postquam Beneficium in aliqua Cathedrali vel Collegiata Ecclesia obtinuit, non ideo debet excludi ab optione, quia infirmitas, & inhabilitas superveniens, non privat jure quæsito, antequam hujusmodi inhabilitas superveniret. *ibid. eod. n. 1.*
☞ Jus optandi in excommunicatum cadere potest, quia optio non est collatio. *ibid. eod. n. 1.*
☞ Benficia apud Sedem vacantia optari non possunt; nisi intra mensem vacationis notæ per Papam non conferantur. *ibid. n. 5. p. 101.*

Ordinarius.

Ordinarii aliis quàm Graduatis conferre possunt & ita servatur. *l. 1. t. 16. n. 1. p. 37.*
Ordinarii post semestre ad conferendum præfixum conferre non possunt. *l. 3. t. 1. n. 2. p. 103.*

Ordo & Ordinatus.

Ordo requirit justam ætatem. *l. 3. t. 22. n. 1. p. 177.*
Ordinati ab Episcopo non suo, aut suspenso, aut deposito suspenduntur. *l. 3. t. 33. n. 1. p. 204. & l. 3. t. 42. n. 37. & 38. p. 233.*
Et Ordinans ipse suspenditur. *l. 3. t. 42. n. 3. & 4. p. 229. & n. 37. & 38. p. 233.*
Ordines minores ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui dari possunt. *ibid. n. 10. p. 230.*
Ordinatio facta sine titulo aut patrimonio. *ib. n. 11.*
Præsentator in ordinatione tenetur. *ibid.*
Ordinationis titulus, aut patrimonium non potest alienari. *ibid.*
Ordinantes & Ordinati simoniacè puniuntur. *l. 3. t. 18. n. 3. p. 163. & l. 3. t. 42. n. 35. p. 233.*
Ordinatus ab Episcopo alieno sine dimissoriis proprii Episcopi. *l. 3. tit. 42. num. 2. p. 229. & n. 37. & 38. p. 233.*
Ordinati ab Episcopo Italo sine licentia Papæ aut proprii Episcopi. *l. 3. t. 42. n. 2. p. 229.*
Ordinati extra tempora. *ibid. n. 4.*
Ordinationis tempus. *ibid.*
Ordinatus ante legitimam ætatem. *ibid. n. 5. p. 230.*
Ordinatus per saltum. *ibid. n. 7.*
Ordinatus furtim. *ibid. n. 8.*
Ordines plures suscipiens. *ibid. n. 9.*
Ordinatus non servatis interstitiis. *ibid.*
* Ordinatio probatur per sigillum Episcopi, si notum sit. *l. 3 t. 21. litt. b. p. 176.*
* Vel per probationem amissionis litterarum, vel per testes. *ibid.*
* Ordinatio probatur per enuntiationem in litteris superiorum Ordinum. *ibid.*
* Ubi scilicet non est magnum præjudicium ut in peregrinante. *ibid.*
* Ordo Subdiaconatûs olim creditus est inter sacros non recenseri; sed hodie contrarium videtur declaratum. *l. 3. t. 22. litt. e. p. 180.*
* Ordines minores conferendi iis saltem qui latinam linguam intelligant, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur. *l. 3. t. 30. litt. a p. 195.*
* Ordo Clericalis est dignitas & honor. *l. 3. t. 31. litt. a. p. 197.*
* Episcopus sex anni diebus sacros Ordines conferre potest: videlicet in Sabbato quatuor temporum, in Sabbatho ante Dominicam Passionis, & in Sabbatho sancto. *l. 3. t. 42. litt. d. p. 234.*
* Ordines minores possunt quâlibet Dominica & Festo de præcepto conferri. *ibid.*
* Quatuor minores & Subdiaconatus possunt simul eâdem die conferri, ubi ea est consuetudo. *ibid.*
* Ordinati ante legitimam ætatem sunt suspensi donec ad illam pervenerint. *ibid. litt. f.*
* Qui furtivè & sine examine fuerint ordinati suspenduntur à Papa solo absolvendi, si præcesserit prohibitio, aliàs etiam ab Episcopo. *ibid. litt. g.*
* Ordinati non servatis interstitiis, nec super illis dispensati, nullam pœnam incurrunt. *ibid. litt. h.*

*Respondetur motivis in contrarium adductis. *ibid.*
*Promotus ad Ordines sacros sine titulo, non est suspensus, nec aliam pœnam incurrit. *ib. litt. i. p.* 235.
Idem de Ordinato cum Patrimonio ficto. *ibid.*
Venit tamen puniendus pœna arbitraria. *ibid.*
*Religiosi non ordinantur sine licentia Diœcesani loci Monasterii, exceptis qui ab Abbatibus suis ordinantur. *ibid. litt. k.*
*Potest Episcopus proprios in aliena Diœcesi de consensu Ordinarii loci, & alienos ritè dimissos ordinare. *ibid. litt. s.*
*A tribus Episcopis potest quis Ordinari, vel Ordinandus dimitti. *ibid. litt. u.*
*Ita ut possit illos circa Ordinum susceptionem variare. *ibid.*
*Speciale in Ordinato à Papa ut ab aliis non possit ordinari. *ibid.*
☞ Si Sacramentum Ordinis pueris, vel aliis qui usu rationis carent administratur, characterem in eorum animum imprimit. *l. 3. t. 22. n. 1. p.* 180.
☞ Annus cœptus computatur pro Ordinibus juxta consuetum Ecclesiæ morem. *ibid.*
☞ Promoti ad Dignitates quæ certum Ordinem requirunt intra annum ad Ordinem promoveri debent. *ibid. n.* 7.
☞ In minoribus Ordinibus constituti à Dæmone vexari nunquam debent ascendere ad majores, neque hi qui morbo caduco semel ceciderunt. *l. 3. t. 28. n. 1. p.* 191.
☞ Neophitæ sicut Hæretici non debent ad sacros Ordines promoveri. *l. 3. t. 29. n. 3. p.* 193.
☞ Neophitus non debet repelli à minoribus Ordinibus, sed majoribus. *ibid. eod. n.* 3.

P

Papa.

PAPA Pater Patrum. *l. 1. t. 3. n. 1. p.* 5.
Papæ electio. *l. 3. t. 40. n. 2. & 9. p.* 221.
Papæ nomen usurpans excommunicatur. *ibid.*
Papa nondum coronatus mandat. *ibid. n.* 41. *p.* 223.
*Papa confert Dignitates electivas per resignationem in favorem, & per nullitatem electionis. *l. 1. t. 21. litt. c. p.* 58.
*Papa cum Ordinariis concurrit in ipsorum mensibus, contra Pastorem. *ibid. litt. e.*
*Papa potest adæquare quadrata rotundis. *l. 3. t. 5. litt. a. p.* 117.
*Papa habet plenissimam potestatem in Beneficialibus. *ibid.*
*Papa potest sine causa Beneficium uni auferre, & dare alteri. *ibid.*
*Papa facit unum consistorium cum Deo. *ibid.*
*Papæ non potest dici, non secus ac non potest dici ipsi Deo: cur ita facis.
*In his quæ sunt juris positivi nihil ultra in Papa quæritur, quàm an ita voluerit. *ibid.*
*Electio Papæ illico confirmatur à Deo, & potest ante coronationem exercere. *l. 3. t. 40. litt. k. p.* 225.

Patronatus & Patronus.

Patronis tempus concessum ad præsentandum. *l. 1. t. 19. n. 3. & 4. p.* 43.
An Patrono liceat variare. *ibid. n. 5. 6. & 10.*
Patronus non potest seipsum præsentare. *ibid. n.* 14. *p.* 44.
Patrono Ordinarius conferre potest. *ibid.*
Patroni debent convenire Collegialiter. *ibid. n.* 15.
Patroni divisim jus habentes debent præsentare alternatim *l. 1. t. 20. n. 9. p.* 51.
Patrono nolente aut non valente præsentare Ordinarius liberè confert. *l. 1. t. 19. n. 19. p.* 45.
Patronus peccans in suo munere punitur. *l. 1. t. 20. n.* 15. *&* 16. *p.* 53.
Patronatui Laicali Papa derogare non potest, Ecclesiastico potest. *l. 1, t. 19. n.* 23 25. *&* 31. *p.* 46.
Jus Patronatus ut censeatur Ecclesiasticum. *ibidem n.* 32.
Patroni consensus non desideratur in devolutario. *ibid. n.* 28.
Patroni consensus non desideratur in permutante. *ibid. n.* 30.
Patrono conquerente collatio spreto se facta nulla est. *ibid. n. 22. p.* 46.
Patronus inops alitur ex reditibus Ecclesiæ. *ibid. n.* 35. *p.* 47.
Jus Patronatûs variis modis acquiritur. *l. 1. t. 20. n. 1. p.* 50.
Jus Patronatûs pluribus acquiritur. *ibid. n. 2.*
Jus Patronatûs est Fori Ecclesiastici in petitorio. *l. 1. t. 20 n. 6. p.* 51.
Jus Patronatûs non venit in restitutione fideicommissi. *ibid. n.* 12. *p.* 52.
Jus Patronatûs vendi non potest. *ibid. n. 4. p.* 51.
Jus Patronatûs donari potest, aut permutari cum alio jure simili. *ibid. n.* 5.
Jus Patronatûs in confiscatione bonorum aut distributione non continetur. *ibid. n.* 13. *p.* 52.
Jus Patronatûs præscribi potest. *ibid. n.* 15. *p.* 53.
*Patronus Laïcus aperta Regalia Regi præsentat, non Capitulo vel futuro Episcopo. *l. 1. t. 13. litt. g. p.* 31.
*Nisi tempore præsentationis Sedes Episcopalis sit repleta, quamvis tempore nominationis Patroni esset vacua. *ibid.*
*Beneficia juris Patronatûs Ecclesiastici Rex confert in Regalia spreto Patrono Ecclesiastico non autem Laïco. *ibid.* *Vide* Regalia.
*Collatio Papæ facta spreto Patrono Laïco, non est nulla sed annullanda, rejectâ Molin. & Pastoris distinctione. *l. 1. t. 19. litt. d. p.* 48.
*Nisi juri Patronatûs Laïco Papa derogaret. *ibid.*
*Patroni Calviniani præsentant per Procuratores Catholicos ante vacationem constitutos, & insinuato mandato. *ibid. litt c.*
*Hodie ab hâc facultate arcentur. *ibid. litt. c. p* 48.
*Operarios Ecclesiarum Laïcos esse Patronos Ecclesiasticos controvertitur. *ibid. litt. f.*
*Jus Patronatûs confraternitatis est Ecclesiasticum. *ibid.*
*Patronus inops de reditibus Beneficii alendus. *ibid. litt. g.*
*Jus Patronatûs Ecclesiæ etiam non reservatum fundatori competit. *l. 1. t. 20. litt. a. p.* 54.
*Nisi Ecclesia esset Collegiata. *ibid.*
*Jus Patronatûs inhærens castro domaniali Regis non transit ad emptorem. *ibid. litt. b.*
*Jus Patronatûs transfertur cum universitate bonorum. *ibid. litt. c.*
*Jus Patronatûs transferri potest singulariter ad favorem Ecclesiæ, vel pii loci, vel compatroni. *ib.*

* Patronus vendens jus Patronatûs privatur ipſo jure, & excommunicationi ſubjicitur. *ibid. litt. d.*
* Jus Patronatûs tranſit ad hæredes ſive ſint hæredes ſanguinis, ſive extranei. *ibid. litt. e.*
* Niſi ex fundatione ſoli hæredes ſanguinis ſint Patroni. *ibid.*
* Jus Patronatûs eſt in ſolidum apud quemlibet hæredum. *ibid. litt. f.*
* Jus Patronatûs tranſit per ſtirpes in plures hæredes unius ex Patronis. *ibid. litt. g.*
* Patronus hæres alterius compatroni habet duas voces. *ibid.*
* Jus Patronatûs non venit in reſtitutione fideicommiſſi, quia ex eo quarta detrahi non poteſt. *ibid. litt. h.*
* Niſi hæreditas pio loco reſtituenda ſit, vel trebellianica fuerit prohibita. *ibid.*
* Omiſſio præſentationis non nocet Patrono, ubi jus Patronatûs eſt litigioſum: aliàs ſecus. *ibid. lit. i.*
* Unus ex Patronis præſentans præſervat jus aliorum non præſentantium. *ibid. litt. k.*
* Sive præſentent ut ſinguli, ſive ut univerſi. *ibid.*
* Niſi diverſo jure præſentarent. *ibid.*
* Jus Patronatûs inutiliter exprimitur in Proviſionibus Apoſtolicis. *l. 2. t. 5. litt. a. p. 72.*

Vide Præſentatio.

☞ Patronus Eccleſiaſticus poteſt cum electoribus eligere in Eccleſia Collegiata, Laicus verò tantùm conſentire. *l. 1. t. 19. n. 4. p. 48.*
☞ Patronus Eccleſiaſticus præſentans non idoneum vel indignum pro illa vice privatur jure præſentandi: Laïcus verò non quia poteſt variare. *ibid.*
☞ Patronus Eccleſiaſticus non poteſt præſentare alternativè, Laïcus verò poteſt. *ibid.*
☞ Patroni laïci ſemel tantùm variare poſſunt, & adhuc cumulativè & non privativè. *ibid. n. 5. p. 49.*
☞ Patronus diſcedens in longinquis poteſt conſtituere procuratorem ad præſentandum, ſed in illo mandato non debet nominari perſona præſentanda. *ibid. eod. n. 11.*
☞ Patronus collationem ratam habere poteſt, & hoc modo vitium obreptionis purgare. *ibid. n. 22.*
☞ Jus Patronatûs Eccleſiaſticum differt à Laïco. Patroni clerici habent ſemeſtre: Laïci ſemel variare poſſunt. *l. 1. t. 19. n. 1. p. 48*
☞ Papa & legatus à latere propria authoritate de Beneficiis vacantibus juris patronatûs Eccleſiaſtici ad libitum diſponere poteſt citra Patroni conſenſum, quod tamen non poteſt in Beneficio juris patronatûs Laici *ibid.*
☞ Laïcus non poteſt præſcribere jus Patronatûs Contra Eccleſiam liberam, niſi fundaverit, conſtituerit, vel dotaverit Eccleſiam, Clericus verò poteſt. *ibid.*
☞ In tranſlatione juris Patronatûs de Laïco in Laïcum requiritur conſenſus Epiſcopi, in Clericum non. *ibid.*
☞ Beneficia vacantia in Curia juris Patronatûs laïcalis non ſunt reſervata Papæ. *ibid.*
☞ Derogatio pro medietate Patronorum ſolum operatur ut data vocum paritate gratificationi Papæ vel Legati locus ſit. *ibid. n. 2[illegible]. p. 50.* Quod intra tempus quadrimeſtre Ordinario non licet. *ibid.*
☞ Jus patronatûs acquiritur fundatione, dotatione, & conſtitutione. *l. 1. t. 20. n. 1. p. 55.*
☞ Jus Patronatûs quando transfertur cum univerſitate bonorum, teſtamento vel emptione non requiritur conſenſus Epiſcopi: ſi verò transfertur per ſe, donatione, vel Legato in Laïcum requiritur conſenſus hujuſmodi. *ibid. eod. n. 1.*
☞ In ſucceſſione, donatione, & Legato tranſlatio juris Patronatûs fit in ſtirpes non in capita. *ibid. n. 7.*
☞ Non poteſt dici actum eſſe factum circa jus patronatûs ab illo corpore, niſi ſaltem major pars omnium de corpore conveniant. *ibid. n. 9.*
☞ Jus Patronatûs reſervatum proximioribus: nepotes excludunt avunculos. *ibid. n. 10.*
☞ Emens jus Patronatûs illo privari debet. *ibid. n. 15.*
☞ Jus Patronatûs licèt per ſe vendi non poſſit, tamen cum eſt annexum bonis cum ipſis bonis vendi poteſt. *l. 3. t. 18. n. 2. p. 169.*

Penſio.

Penſiones non ſunt Beneficia. *l. 3. t. 12. n. 1. p. 140.*
Penſio alia temporalis alia ſpiritualis. *ibid.*
Penſio in Beneficiis Curatis non admittitur. *ibidem n. 2.*
An duplici penſione Beneficium poſſit gravari. *ibid. n. 3. p. 141.*
Juſtæ penſionis modus. *ibid. n. 7.*
Penſio in tribus caſibus admittitur in Gallia. *ibid. n. 8.*
Penſionarius tenetur recitare Officium parvum B. Mariæ. *ibid. n. 12. p. 142.*
Penſionarius non tenetur ad reſidentiam, nec ad procurationis onus. *ibid. n. 13.*
Penſionarius tenetur ad Decimas Regias, & charitativum ſubſidium. *ibid.*
Penſionis ſolutio currens non debet retardari prætextu compenſationis. *ibid. n. 14.*
Reliqua penſionis debita à ſucceſſore Beneficii petuntur. *ibid. n. 15.*
Penſionem poſſeſſor debet ſolvere aut cedere. *ibid. n. 16.*
Penſio variis modis extinguitur. *ibid. n. 17.*
* Penſio in Galliâ ſolo Papa conſtituitur. *l. 1. t. 13 litt. a. p. 30.*
* Rex pendente Regalia, penſionem non creat. *ibid.*
* Reſervatio omnium fructuum, vel regreſſûs, non vitiat reſignationem, ſed pro non adjecta habetur. *l. 3. t. 5. litt. b. p. 117.*
* Penſio non eſt ſpiritualis, nec ſpirituali annexa, ſecus de jure Patronatûs, & ratio differentiæ. *l. 3. t. 12. litt. a. p. 145.*
* Penſio hodie non reſervatur ſuper fructibus Præbendæ vel Parrochialis Eccleſiæ, niſi poſt quindecim annos poſſeſſionis & ſervitii. *ibid. litt. b.* Et debent ſupereſſe titulario trecentum libræ, oblationibus & manualibus non computatis. *ibid.*
* Penſio non poteſt conſtitui ab Ordinario ex cauſa permutationis vel reſignationis, contra Paſtorem, nec concordiæ, contra Molineum. *ibid. litt. c.*
* Penſio ex ſimplici ceſſione juris eſt de fraude ſuſpecta niſi conſtet de aliquo jure ceſſibili. *ibidem litt. d.*
* Penſionarius tenetur in Gallia pro rata penſionis ad donum Regium, licèt aliud conventum fuerit. *ibid. litt. e.*
* Penſiones non ſunt ſpirituales contra Paſtorem, ſed Eccleſiaſticæ. *litt. f.*
* Clericus ſuſpenſus non eſt capax penſionis. *ibid.*

litt. g.
* Pensio legitimè acquisita per confidentiam extinguitur, contra Pastorem. *ibid. litt. h.*
* Pensio non finitur per adeptionem Episcopatûs, contra communem sententiam. *ibid. litt. i.*
* Pensio amittitur per professionem cujusvis Ordinis, contra Pastorem. *ibid. litt. k.*
* Pensio amittitur iisdem modis quibus Beneficium. *ibid.*
* Pensio venit appellatione Beneficii latè sumpto vocabulo. *ibid.*
* Pensio non potest etiam gratis remitti inconsultò Papa, ita ut locus non sit pœnitentiæ. *ibid. litt. l.*
* Solutio sex vel septem annorum pensionis licitè anticipatur ad effectum cassationis. *ibid. litt. m. p.* 146.
* Tempus creationis pensionis in ejus cassatione non solet exprimi, nec expressio desiderari in Romana Curia, contra Pastorem. *ibid. litt. n.*
☞ Pensiones in Gallia ad favorem tertii non agnoscuntur, neque reservationes, regressus, accessus, & ingressus. *l.* 3. *t.* 5. *n.* 1. *p.* 118.
☞ Si Beneficia in reditibus sint æqualia, nulla constituendæ pensionis adest causa, si verò inæqualia æquanda sunt pensione solùm constitutâ super pinguiori. *l.* 3. *t.* 11. *n.* 9. *p.* 139.
☞ Pensio super quotidianis distributionibus constitui non potest. *l.* 3. *t.* 12. *n.* 4. *p.* 146.
☞ In Beneficiis juris Patronatûs Laïci pensio sine consensu Patroni reservari non potest. *ibid. n.* 4.
☞ Papa non confirmat pensionem, nec collationem Ordinarii, quia si talis reservatio aut collatio tenet, non indiget confirmatione. *ibid. n.* 10.
☞ Sicut per promotionem ad Episcopatum vacant Beneficia, ita quoque pensiones extinguntur: sed moribus nostris non est necesse de pensionibus ullam mentionem facere ad effectum Bullarum. *l.* 3 *t.* 14. *n.* 4. *p.* 150.

Peregrinus.

Peregrini in Gallia non obtinent Beneficia, aut Officia sine licentia. *l.* 3. *t.* 43. *n.* 2. *p.* 240.
Qui sint confœderati. *ibid. n.* 3.

Permutatio.

Permutatio Beneficiorum coram Papa vel Ordinario fit. *l.* 3. *t.* 11. *n.* 1. *p.* 135.
Permutationem Ordinarius non tenetur admittere nisi ob necessitatem vel Ecclesiæ utilitatem. *ibid. n.* 5. *p.* 136.
Permutatio Beneficii cum pensione aut jure Patronatûs aut præstimonio, illicita. *ibid. n.* 6.
Permutantes alia Beneficia quæ possident non tenentur exprimere. *ibid. n.* 7.
Permutatio Regiæ nominationis sine consensu Regis fieri non potest. *ibid. n.* 8.
Permutatio inscio Patrono fieri non potest, eodem tamen invito fit. *ibid.*
In permutatione quæ pacta sunt licita. *ibid. n.* 9.
Permutatio triangularis reprobatur. *ibid. n.* 10. *p.* 137.
In permutatione altero defuncto, alter non debet gaudere de bona fortuna. *ibid. n.* 11.
Permutato Beneficio evicto datur regressus ad Beneficium dimissum. *ibid. n.* 12.
Permutanti decepto succurritur. *ibid. n.* 13. *p.* 138.
* Permutatio de fraude à solis expectantibus impugnari potest, non autem à Collatoribus & Patronis. *l.* 3. *t.* 3. *litt. e. p.* 112.
* Certum tempus non est præstitutum ad approbandam permutationem. *l.* 1. *t.* 22. *litt. b p.* 61.
* Inferior Episcopo non admittit permutationes, nisi jurisdictionem habeat quasi Episcopalem. *l.* 3. *t.* 11. *litt. a. p.* 138.
* Hanc Jurisdictionem habent Abbates Cisterciences, Cluniacenses & alii exempti, ad quos Ecclesia pleno jure pertinet. *ibid.*
* Concilium Turonense permutationes prohibet, & contra id non dispensat, nisi cui permissum est, id est, Episcopo. *ibid.*
* Licitè renuntiatur litteris ad Beneficia pro Beneficio. *ibid. litt. c.*
* Potest ex pacto quis renuntiare litteris ut consequatur aliud Beneficium. *ibid.*
* Non licet fundare Capellaniam ad effectum permutationis ex pacto ineundæ. *ibid. litt. d.*
Cautela ad purgandum uitium. *ibid.*
* Beneficia obtenta non est necesse exprimere in permutatione. *ibid. litt. e.*
* Pensio in permutatione ab Episcopo imponi non potest, contra Pastorem. *ibid. litt. f.*
Nisi ex causa unionis vel permutationis factæ causâ utilitatis vel necessitatis Ecclesiæ. *ibid.*
* Resignatarius ex causâ permutationis possessione triennali non juvatur evicto compermutanti Beneficio. *l.* 3. *t.* 47. *litt. e. p.* 255.
* Capitulum, sede vacante, non confert ex causa permutationis. *Vide* Capitulum.
☞ Capitulum, sede vacante, potest admittere permutationes Beneficiorum ad Episcopi collationem spectantium. *l.* 3. *t.* 11. *n.* 2. *p.* 139.
☞ In permutatione justa causa requiritur, & in dubio præsumitur ex honesta affectione processisse, quia Superioris authoritas & præsentia omnem fraudis suspicionem tollit. *ibid. n.* 5.
☞ Ubi non subest fraus vel suspicio fraudis, inter permutantes conventio de solvendo ære alieno Ecclesiæ debet admitti *ibid. eod. n.* 9.
☞ Si obitus contingat intra tempus Regulæ *de publicandis*, superstes permutans consequitur utrumque Beneficium. *ibid. n.* 11.
☞ Si in contractu permutationis ineundæ vel initæ aliquid vitii irrepserit, authoritate Regia rescisio peti debet. *ibid. n.* 14.

Petitorium.

Petitorium Beneficii Fori Ecclesiæ. *l.* 2. *t.* 16. *n.* 8. *p.* 95.

Pœnitentia.

☞ Triplex est pœnitentia videlicet solemnis, publica, & privata. *l.* 3. *t.* 31. *n.* 2. *p.* 197.

Portio.

Portio congrua Vicarii. *Vide* Vicarius.

Possessio.

Possessio in collationibus & præsentationibus est attendenda. *l.* 1. *t.* 9. *n.* 9. *p.* 21.

Possessio Beneficii ut acquiratur. *l.* 2. *t.* 15. *n.* 6. *p.* 92.
Possessorium judicium Beneficii post possessionem adeptam. *l.* 2. *t.* 16. *n.* 1. *p.* 94.
Possessorium judicium apud quos sit instituendum. *ibid. n.* 2.
Ex possessione triennali resignantis & tolerantia resignatarii arguitur confidentia. *l.* 3. *t.* 8. *n.* 4. & 5. *p.* 127.
Possessio pacifica quando dicatur. *l.* 3. *t.* 15. *n.* 6. *p.* 152.
Possessio triennalis non prodest Intrusis, nec Simoniacis. *l.* 3. *t.* 47. *n.* 4. & 21. *p.* 251.
Possessio triennalis non tollit falsi vitium aut abusum. *ibid. n.* 26. *p.* 249. & 252.
Possessio triennalis tollit vitium obreptionis. *ibid. n.* 19. *p.* 251.
Possessio triennalis derogat Indultis, Juri patronatûs, & reservationibus. *ibid. n.* 12. & 17. *p.* 250.
Possessio triennalis perimit instantiam & litem. *ibid. n.* 2. & 3. *p.* 248. & 249.
Possessio non liberat reum à crimine. *ibid. n.* 34. *p.* 254.
Possessio triennalis non prodest deposito. *ibid. n.* 35. 36. & 37. *p.* 254.
Possessio triennalis non excusat ab onere promovendi, aut dimittendi Beneficium incompatibile. *ibid. n.* 38.
Possessio triennalis firmat provisionem invalidam ob collatoris impedimentum. *ibid. n.* 14. & 15. *p.* 250.
Possessio triennalis non mutat statum Beneficii. *ib. n.* 25. *p.* 252.
Possessio triennalis debet esse continua. *ibid. n.* 30. & 32. *p.* 254.
Possessio triennalis non nocet adversario agere impedito. *ibid. n.* 33.
Possessio decennalis habetur pro titulo. *ibid. n.* 7. *p.* 249.
* Possessio triennalis non obest regressui cum tandiu duravit infirmitas. *l.* 3. *t.* 17. *litt. e. p.* 161. & *l.* 3. *t.* 47. *litt. e. p.* 255.
* Professione infra quinquennium cassatâ datur restitutio ad Beneficium non obstante possessione triennali, contra Pastorem. *ibid. litt. e. p.* 161.
* Lis beneficialis silentio triennali finitur etiam in ipso Senatu & quare. *l.* 3. *t.* 47. *litt. a. p.* 255. Nisi impedimentum de quo actor fuerit protestatus eum excusset. *ibid.*
* Longa possessio in Beneficialibus non suffragatur sine titulo colorato qui produci debet, contra Pastorem. *ibid. litt. b.*
* Possessio longi temporis non habilitat incapacem. *ibid.*
* Non Graduatus obtinens Theologalem aut Parrochialem in Villa murata non gaudet Beneficio triennalis possessionis. *ibid litt. f.*
* Resignatarius qui non satisfecit regulæ *de publicandis* possessione triennali fit securus. *ibid. litt h.*
* Non est locus regulæ *de triennali* quoties appellari potest tanquam ab abusu, contra Pastorem. *ibid. litt. i.* Nisi abusus jus privatum tantùm, non autem publicum læderet. *ibid. p.* 256.
* Non Simoniacus simoniacè provisus non gaudet triennali possessione. *ibid. litt. k.*
* Impedimentum agendi non impedit effectum possessionis triennalis nisi fuerit intimatum. *ibid. litt. l.* Etiamsi sit publicum, contra Pastorem. *ibid.*
* Possessio civilis an elidat regulam *de publicandis*, *Vide* Regula.
☞ Quamvis quis habeat Canonicum titulum, non potest tamen propria authoritate possessionem apprehendere. *l.* 2. *t.* 13. *n.* 4 *p.* 88.
☞ Qui possessionem non habet actualem non potest in possessione turbari & in consequens non possunt sibi interdicta *retinendæ* vel *recuperandæ* competere: sed sufficeret possessio civilis à supremis Judicibus indulta in recusationem Ordinarii; non potest tamen iste provisus munia obire Curialia ante obtentum quem *Viza* vocant titulum. *l.* 2. *t.* 16. *n.* 1. *p.* 95.
☞ Ante adeptam possessionem resignatarius non lucratur fructus Beneficii resignati, quia ante possessionem Beneficium non censetur acquisitum. *ib. n.* 9 *p.* 96.
☞ In limine possessionis secundi incompatibilis potest istud secundum resignari & primum retineri, & quandiu durat annus censetur possessio in limine. *l.* 3. *t.* 15. *n.* 3. *p.* 154.
☞ Regula *de triennali possessore*, & decretum *de pacificis possessoribus*, ex eodem fonte emanarunt, & interruptio pacificæ possessionis triennalis facta ad citationem unius solum prodest agenti. *l.* 3. *t.* 47. *n.* 2. *p.* 256.
☞ Ad effectum hujus possessionis triennalis requiritur titulus saltem coloratus, nec ex possessione decennali subintrat præsumptio tituli in Beneficialibus. *ibid. n.* 7.
☞ Collatio de Beneficio reservato est ipso jure nulla & non potest esse colorata: nam titulus datus à non habente potestatem, habetur pro non titulo, ac proinde provisus hujusmodi titulo hoc decreto juvari non potest. *ibid. n.* 11.
☞ Regula de triennali possessore non habilitat incapacem. *ibid. n.* 17.
☞ Simoniacus simonia reali ab hac regula excluditur, & possessione triennali, licèt pacifica se tueri non potest. *ibid. n.* 18.
☞ Ubi nominatio, præsentatio, aut resignatio non sunt, neque fuerunt, collatio super nominatione, præsentatione, vel resignatione innixa stare non potest: licèt subsecuta sit pacifica possessio triennalis. *ibid. n.* 20.
☞ Provisus ignoranter alienâ simoniâ, habet titulum coloratum, & hâc regulâ juvari potest. *ibid. n.* 27. *p.* 257.
☞ Si opponatur resignatario vitium resignantis, tempora possessionis uniuscujusque conjunguntur ad conflandum triennium integrum: secus si vitium sit ipsius resignatarii. *ibid. n.* 30.
☞ Pacificus possessor est qui nullam sentit molestiam juris vel facti, judicialem, vel extrajudicialem, notantur hîc effectus possessionis hujusmodi. *ibid. n.* 31.

Postulatio.

Postulatio gratiæ, & qui postulare & postulari possint. *l.* 1. *toto t.* 7. *p.* 17.
☞ Postulatio alia solemnis, alia simplex, postulatio facta à majori parte Capituli admitti potest à Superiore, etiam invitâ parte minori. *l.* 1 *t.* 7. *n.*

2. *p.* 18.

Pragmatica Sanctio.

Pragmatica Sanctio, Concilium Basilienſe recepit. *Vide* Concilium.

Præbenda.

Præbendarum diviſio. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 3. *p.* 2.
Præcentoris dignitas. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 7. *p.* 6.
Præceptorialis Præbendæ inſtitutio. *ibid. n.* 10.
An Præceptor habeat vocem in Capitulo. *ibid.*
Præceptoriæ Ordinis ſancti Joannis Hieroſolymitani an ſint Beneficia. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 5. *p.* 3.
Præpoſiti dignitas. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 5. *p.* 5.
Primicerii dignitas. *ibid. n.* 6.
Prioris clauſtralis & conventualis dignitas. *ibid.*
Præſtimonia an ſint Beneficia. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 5. *p.* 3.
Præbendæ Eccleſiæ Cathedralis ſunt ſimultaneæ collationis Epiſcopi & Capituli. *l.* 1. *t.* 9. *litt. a. p.* 22.
* Præbendæ Eccleſiæ Collegiatæ inferiores ad præſentationem ſeu electionem Capituli, & ad inſtitutionem ſeu confirmationem Epiſcopi de jure ſpectant. *ibid.*
* Præbendæ Eccleſiæ Cathedralis præſumuntur inſtitutæ de bonis Epiſcopi & Capituli. *ibid.*
* Præbendæ Theologales & Præceptoriales Regaliæ non ſubjacent. *l.* 1. *t.* 13. *litt. i. p.* 31.
* Secus de Præbenda Pœnitentiarii & Archipreſbyteri. *ibid.*
* Præbendatus ſeu Canonicus non conſtitutus in ſacris, confert per hebdomadas. *l.* 3. *t.* 22. *litt. b. p.* 180.

Præſcriptio.

Præſcriptionis interruptio non prodeſt alteri. *l.* 3. *t.* 47. *n.* 32 *p.* 254.
Præſcriptio interrumpitur malâ fide ſuperveniente, *l.* 3. *t.* 47. *n.* 28. *p.* 253.
* Præſcriptio non currit contra Eccleſiam ſede vacante. *l.* 1. *t.* 12. *litt. c. p.* 28.

Preſbyter.

Presbyteratûs Ordo. *Vide* Ordo.
Presbyterorum filii non admittuntur ad Beneficia immediatè ante à patribus ſuis poſſeſſa. *Vide* Filius.
☞ Presbyter carnaliter cognoſcens filiam ſpiritualem cujus ſacramentalem confeſſionem audivit, Crimen admittit depoſitione dignum. *l.* 3. *t.* 43. *n.* 9. *p.* 239.

Præſentatio.

* Præſentatio collatori non intimata quantumvis acceptata nullum jus tribuit. *l.* 1. *t.* 19. *litt. a. p.* 48.
Nec impedit præventionem *Papæ*, aut variationem patroni Eccleſiaſtici. *ibid.*
* Jura loquentia in electione habent locum in præſentatione. *l.* 3. *t.* 35. *litt. b. p.* 208. *Vide* Patronus.
☞ Præſentatio patronorum Eccleſiaſticorum debet fieri à majori parte reſpectu omnium, non autem minorum partium: præſentatio verò Laïcorum valet etiam non facta à majori parte omnium, ſed à majori parte reſpectu minorum partium. *l.* 1. *t.* 19. *n.* 4. *p.* 48.
☞ *Præſentatio* per epiſtolam non valet in Gallia ob declarationem Regiam anni 1646. art. 9. *eod. n.* 11. *p.* 49.
☞ *Pupillus* Major ſeptennio præſentare poteſt, & ejus præſentatio præfertur præſentationi Tutoris: ſed præſentatio uxoris non præfertur præſentationi mariti, ſi bona ſunt dotalia. *ibid. eod. n.* 11.
☞ Jus præſentandi ad Beneficia Eccleſiaſtica, *Patronis* Laïcis ab Eccleſia concedi poteſt, non autem jus eligendi. *ibid. n.* 35. *p.* 50.
☞ *Præſentatio* ſimoniaca unius patroni non reddit præſentationes aliorum ſimoniacas in præjudicium præſentati qui nullam ſcientiam habuit ſimoniæ. *l.* 3. *t.* 19 *n.* 11. *p.* 169.

Præventio.

Præventiones ſublatæ Concilio Baſilienſi & pragmatica Sanctione. *l.* 1. *t.* 21. *n.* 1. *p.* 56.
Præventiones reſervatæ Concordato. *ibid.*
Jus *Præventionis* ceſſat in multis caſibus, contra Cardinales non habet locum. *ibid. n.* 4. & 12. *p.* 57.
Præventio non habet locum in Beneficiis electivis. *ibid. n.* 5. *p.* 56.
Præventio non habet locum contra collatorem Monoculum habentem ſolùm collationem unius Beneficii. *n.* 11. *p.* 57.
Præventio Papæ & Legati locum habet contra inferiores in Beneficiis devolutis. *ibid. n.* 4. *p.* 56. & *l.* 1. *t.* 22. *n.* 3. *p.* 60.
* *Præventiones* Apoſtolicæ nequaquam prohibitæ à Concilio Baſilienſe & *Pragmatica*, contra *Paſtorem*. *l.* 1. *t.* 21. *litt. a. p.* 58.
* §. *Neque enim* de collatione in *Pragmatica* quæ non continet decretum ſed admonitionem & ſupplicationem contra *Præventiones*. *ibid.*
* Legatus per vulgares dietas aditus prævenit Ordinarios in menſibus liberis. *ibid. litt. b.*
* *Papâ* Ordinarios prævenit in ipſorum menſibus, contra *Paſtorem*. *ibid. litt. e.*
☞ *Per* requiſitionem Graduati validam vel invalidam impeditur *Papæ* præventio, modò is qui requirit ſit Graduatus, per collationem Ordinarii etiam nullam & invalidam, quæ venit annullanda: ſecus autem ſi collatio eſſet ipſo jure nulla. *l.* 1. *t.* 16. *n.* 8. *p.* 37.
☞ Inter *Papam* & Ordinarium in conferendis Beneficiis locus eſt *Præventioni*. Legatus quoque à latere concurrit in ſua *Provincia*, ſicut *Papa* in collatione Beneficiorum cum quolibet Ordinario & inter eos locus eſt præventioni. *l.* 1. *t.* 21. *n.* 1. *p.* 58.
☞ *Præventio* non habet locum niſi rebus integris & res deſinit eſſe integra collatione licet incapaci factâ, dummodo fiat ab habente poteſtatem, & collatio non ſit ipſo jure nulla, ſed annullanda: ſi quid de collationibus ſubſtantialibus factum fuerit à collatore ceſſat *Papæ* præventio, ſicut per actus præambulos circa electionem. *ibid. n.* 4. *p.* 59.
☞ Collatio Ordinarii etiam nulla impedit præven-

tionem Papæ. Requisitio etiam invalida Graduati impedit prærentionem eandem. *ibid. n.* 7.
☞ Sunt multi casus in quibus cessat Papæ prærentio ab auctore propositi. *ibid. n.* 13.
☞ Summus Pontifex Beneficium coram Ordinario dimissum, non tamen ab eo collatum, jure prærentionis validè conferre potest. *l.* 3. *t.* 10. *n.* 5. *p.* 135.

Privatio.

* Privatio non incurritur nisi in casibus à jure expressis. *l.* 3. *t.* 14. *litt. b. p.* 150.
* Celantes cadaver defuncti Beneficiarii omni jure excidunt, quod in Beneficio habere possunt. *l.* 3. *t. litt. c. p.* 105.
Vide Crimen. Vacatio.
☞ Privatio non incurritur nisi in casibus à jure expressis, & non debet extendi extra suum casum. *l.* 3. *t.* 1. *eod. n.* 2. *p.* 103.

Privilegium.

Privilegiis Papa derogare potest. *l.* 2. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 80.
Privilegiis Papa non derogat nisi sibi fuerint expressa. *ibid.*
Privilegiis in Gallia solemniter approbatis Papa non derogat. *ibid. n.* 2.

Procuratio.

Procuratio debita Episcopo pro visitatione, per quos & quando fiat visitatio. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 20. & 21. *p.* 231.

Procurator.

* Procurator ad præsentandum non potest constituentem patronum præsentare, contra Pastorem. *l.* 1. *t.* 19. *litt. b. p.* 48.
* Procurator non tenetur servare mandatum nisi in concessibilibus. *l.* 3. *t.* 5. *litt. b. p.* 117.
* Procurator ad resignandum, Romæ degens, non substituit, nisi facultatem hanc habeat in mandato: secus si in partibus existat. *l.* 3. *t.* 6. *litt. b. p.* 122.
* Laïcus non potest constitui procurator ad resignandum in favorem personæ ab ipso eligendæ, contra Molin. *ibid. litt. c.*
☞ Potest quis renuntiare per procuratorem & Laïcus potest constitui procurator ad resignandum. *l.* 3. *t.* 6. *n.* 1. *p.* 123.
☞ Procurator intra viginti dies à die datæ captæ, consensum præstare debet. *ibid. n.* 3.
☞ Procurator ad resignandum certus esse debet, & in procuratorio nominari debet. *ibid. n.* 6.

Professio.

* Professio regularis mors civilis est & idem operatur quod mors naturalis quoad vacationem Beneficii. *l.* 3. *t.* 17. *litt. c. p.* 161.
* Professione infra quinquennium cassatâ datur restitutio ad Beneficium. *ibid. litt. e.*
* Sola professio expressa & scripta admittitur in Gallia. *ibid. litt. a.* & *l.* 3. *t.* 42. *litt. p. p.* 235.
☞ Ad hoc ut professio invalida firmetur per actus tacitam ratificationem inducentes, exigitur ut ratificans norit professionem fuisse nullam, & velit eis actibus eam ratificare, ac si denuo emisisset. *l.* 3. *t.* 17. *eod. n.* 2. *p.* 161.
☞ In Gallia nulla professio tacita recipitur. *ibid. eod. n.* 2.

Promotio.

☞ Dispositio *cap. licet de electione in* 6. non extenditur ultra terminos suos quoad vacationem ob defectum promotionis. *l.* 3. *t.* 16. *n.* 2. *p.* 158.

Provisio.

Provisio nova, an sit necesse iterum possessionem apprehendere. *l.* 2. *t.* 11. *n.* 2. *p.* 82.
Provisio *si alteri, si neutri, si nulli. l.* 2. *t.* 12. *n.* 1. & 2. *p.* 85.
Provisio Beneficialis gratis & sine diminutione conferri debet. *l.* 2. *t.* 14. *n.* 3. *p.* 89.
Provisio in concursu, quæ sit prior judicanda. *l.* 2. *t.* 17. *n.* 1. 2. & 3. *p.* 96.
Professio fidei ut fiat à proviso. *l.* 2. *t.* 13. *n.* 1. & 2. *p.* 86. & 87.
* Provisio nova non eget speciali executione, sed executio prioris in eam influit. *l.* 2. *t.* 11. *litt. a. p.* 84.
☞ Ubi nullitas provisionis reperitur, novâ provisione opus est, & hujusmodi provisio valet, antequam jus sit alteri quæsitum, nam post jus quæsitum nihil operatur propter regulam *de non tollendo jus alteri quæsitum. l.* 2. *t.* 12. *n.* 3. *p.* 86.
☞ Provisi de Beneficiis curam animarum habentibus professionem fidei in manibus Episcopi emittere tenentur: provisi verò de Præbendis vel Dignitatibus in Ecclesia Cathedrali, non solum coram Episcopo, sed etiam in Capitulo idem facere tenentur. *l.* 2. *t.* 13. *n.* 1. *p.* 83.

Publicatio.

☞ Provisiones Beneficiorum Cathedralis vel Collegiatæ Ecclesiæ debent per Secretarium & Tabellionem earumdem Ecclesiarum publicari, & regulæ *de publicandis* non satisfit quoad illa Beneficia, nisi per installationem: nisi constet de recusatione Capituli. *l.* 3. *t.* 8. *n.* 4. *p.* 130.
☞ Minor non excusatur ab omissa publicatione, duo tantùm casus excipiuntur à publicatione hujusmodi, scilicet tempus belli, vel pestis, in quibus casibus possessio capta in loco vicino æquipollet publicationi requisitæ in hujusmodi resignationibus. *ibid. n.* 10.

Q

Qualitas.

* Qualitas. *Vide* Beneficium. Collatio. Possessio

R

Raptor.

RAPTORES mulierum prætextu matrimonii excommunicantur. *Vide* Matrimonium.

Recredentia.

Recredentia. *Vide* Sententia.

Regalia.

Regalia Regi debita. *l.* 1. *t.* 13. *n.* 2. *p.* 29.
Jure Regaliæ admittuntur resignationes in favorem cum pensione. *ibid. n.* 3.
Jure Regaliæ Rex habet administrationem temporalium, & facit fructus suos. *ibid. n.* 4. *p.* 30.
In Regalia Coloni & Officiarii à defuncto Prælato instituti non expelluntur. *ibid.*
Jus Regaliæ non limitatur regulis Cancellariæ Romanæ. *ibid. n.* 3.
Regalia locum habet in omni modo vacationis. *ibid. n.* 5.
Regalia durat donec Sedes repleatur. *ibid.*
In Regalia non continentur Beneficia Prælatorum inferiorum Episcopo, nec Beneficia Patronata aut Curata. *ibid. n.* 6.
Regalia permissa in jure Canonico. *ibid. & l.* 3. *t.* 40. *n.* 11. *p.* 221.
* Regalia in suis maximis contra jus commune dicitur laborare. *l.* 1. *t.* 13. *litt. c. p.* 30.
* Durat Regalia donec juramentum fidelitatis in Camera computorum fuerit insinuatum. *ibid litt. d.*
Nisi bona Episcopatûs non fuerint annotata. *ibid.*
* Regalia est antiquior & potior omni jure Canonico. *ibid. litt. g. p.* 31.
* Aliàs Beneficia Curata Regaliæ subjiciebantur, ut vult Molin. quod tamen refellitur. *ibid. litt. f.*
* Hodie nulla Ecclesia eximitur à Regalia. *ib. lit. g.*
Nisi Titulo oneroso fuerit exempta. *ibid.*
* Præbendæ Theologales & Præceptoriales non subjacent Regaliæ, nec electiones. *ibid. litt. i.*
* Regalia regulis Cancellariæ Romanæ non restringitur, unde non est opus ut eis derogetur. *l.* 3. *t.* 7. *litt. l. p.* 126.
Vide Rex.
☞ Solus Rex in Regalia conferre potest Beneficia, & juxta Edictum nuperrimè editum ad usum Regaliæ de anno 1682. *l.* 1. *t.* 13. *n.* 3. *p.* 31.

Regnicola.

Regnicolæ qui dicantur. *l.* 3. *t.* 44. *n.* 3. *p.* 240.
Avenionenses pro Regnicolis habentur. *ibid.*

Regressus.

☞ Exprimuntur plures casus in quibus regressus adjudicatur. *l.* 3. *t.* 19. *n.* 1. *p.* 132.
☞ Intra annum à recuperatâ valetudine regressus peti debet, nec suffragatur possessio triennalis adversus Resignantem, qui post longam infirmitatem, nuper sanitati restitutus vult ad Beneficium regredi. *ibid. n.* 3.
☞ Qui vult ad Beneficium regredi non indiget nova provisione. *ibid. n.* 4.

Regula.

Regula *de annali* non habet locum contra Ordinarios. *l.* 2. *t.* 6. *n.* 6. *p.* 74.
Regula *de annali* non ligat resignatarios. *ibid. n.* 5.
Regula *de annali* non habet locum in Beneficiis consistorialibus. *ibid. n.* 9.
Dicta regula non nocet Graduatis. *ibid. n.* 8.
Regulæ *de annali* Papa & Legatus derogare solent. *ibid. n.* 11.
Regula *de verisimili notitia* ligat etiam Ordinarios. *l.* 3. *t.* 2. *n.* 4. *p.* 104.
Regula *de verisimili notitia* non ligat Resignatarios. *ibid. n.* 2. *&* 7.
Regula *de infirmis resignantibus aut de viginti* non habet locum contra Ordinarios. *l.* 3. *t.* 7. *n.* 4. *p.* 124.
Regulæ *de viginti* Papa & Legatus derogare solent, non tamen in præjudicium Graduatorum, aut Cardinalium, in Beneficiis suæ collationis. *ibid. n.* 5.
Regula *de viginti* cessat in Regalia. *ibid. n.* 8.
Regula *de publicandis resignationibus* quæ requirat, & an extendatur ad casum depositionis, & an procedat in simplici cessione juris litigiosi. *l* 3. *t.* 8. *n.* 1. 2. 3. 7. *&* 9. *p.* 126. 127. *&* 128.
Regulæ *de publicandis resignationibus* Papa derogare non potest. *ibid. n.* 9. *p.* 128.
* Regula triplex Cancellariæ circa Beneficia familiarium Cardinalium. *l.* 1. *t.* 18. *litt. d. p.* 40.
* Regula *de annali* otiosa apud nos. *l.* 2. *t.* 6 *litt. a. p.* 75.
Primæ ejus parti semper derogatur, secunda non recipitur. *ibid.*
* Regula *de subrogandis Collitigantibus* non servatur in Gallia ubi Papa vel Ordinarius cuivis conferunt per obitum collitigantis. *l.* 2. *t.* 11. *litt. b. p.* 84.
* Et provisus impetrat litteras Regias ut subrogetur in jus & instantiam defuncti. *ibid.*
* Quæ subrogatio post annum non admittitur. *ibid.*
* Nisi lis per annum non fuerit intermissa. *ibid.*
* Hodie superstes collitigans subrogatur in possessionem defuncti porrecto libello. *ibid. litt. c.*
Etiamsi fuerit devolutarius. *ibid.*
* Tempus regulæ *de infirmis resignantibus seu de viginti* non incurrit à die consensûs collatoris, ut vult Pastor, sed à die consensûs ipsius resignantis, vel ejus Procuratoris. *l.* 3. *t.* 7. *litt. a. p.* 125.
* Constitutio Clementis VII. regulam *de viginti diebus* ad resignationes in sanitate factas, si in infirmitate præstetur consensus, extendit. *ibidem. litt. b.*
* Hæc constitutio libertati Ordinariorum favorabilis recipitur in Gallia, contra Pastorem. *ibid. p.* 126.
* Tempus regulæ computatur à consensu, si posterior est collatione vel à collatione si consensum sequatur. *ibid.*
* In indulto Cardinalium nullo tempore requiritur infirmitas, sed sufficit obitus infra viginti dies. *ib.*
* Ante Bonifacium VIII. regula de infirmitate mentionem non habebat sed de viginti diebus denominabatur. *ibid.*
* Indultum Cardinalium illam vocat de viginti diebus intelligendo de antiqua regula. *ibid.*
* Hæc regula veram & non fictam vacationem per obitum inducit, contra Pastorem. *l.* 3. *t.* 10. *litt. a. p.* 134.
* Et Ordinarius per obitum liberè conferre potest. *ibid.*
* Regula *de publicandis resignationibus* cessat, ubi

Resignans

resignans infra tempus regulæ moritur. *l.* 3. *t.* 8. *litt. a. p.* 129.
* Per hanc regulam tunc solùm vacat Beneficium per obitum, cùm resignans moritur in possessione post semestre vel mensem à die admissæ resignationis. *ibid.*
Nisi resignatio interim publicata fuerit & possessio petita. *ibid.*
* Adepta possessio vivo resignante sufficit etiamsi non publicetur : petita verò nec adepta non sufficit sine publicatione. *ibid.*
* Possessio civilis authoritate Judicis capta sufficit ad elidendam hanc regulam. *ibid. litt. b.*
Modò publicetur, quia non est vera, sed ficta possessio. *ibid.*
* Petitio possessionis sine publicatione non suffragatur. *ibid.*
* Sufficit possessio adepta ante obitum resignantis. *ibid.*
* Post triennium omissâ possessionis adeptione, potest resignans ad favorem alterius resignare. *ibid. litt. d.*
Multiplex Pastoris lapsus circa hoc notatur. *ibid.*
* Intra triennium non potest alteri resignari, etiam post tempus regulæ, contra Molineum. *ibid. lit. e.*
* Regula *de triennali*, non tollit inhabilitatem personæ. *Vide* Possessio.
☞ Regula *de verissimili notitia obitûs*, locum habet in Ordinario. *l.* 3. *t.* 2. *n.* 4. *p.* 106.
☞ Hæc regula non habet locum in alia vacatione, quàm per obitum propter votum captandæ mortis. *ibid. n.* 4.
☞ Regula *de viginti diebus*, non habet locum in resignatione vel permutatione, nisi facta fuerit in necem expectantium. *l.* 3 *t.* 7. *n.* 4. *p.* 126.
☞ Eadem regula non habet locum in Ordinario, ac proinde derogatio illius non est necessaria in collationibus Ordinarii. *ibid. n.* 6.
☞ Regula *de publicandis resignationibus* in hoc Regno ad amussim observatur. *l.* 3. *t.* 8. *n.* 1. *p.* 130.

Regularis.

Regulares in alio Monasterio Beneficium habere non possunt quin transferantur. *l.* 1. *t.* 7. *n.* 2. *p.* 17. & *l.* 3. *t.* 45. *n.* 9. *p.* 242.
Regularis dispensatus ad vitam sæcularem an retineat Beneficia, aut pensiones. *l.* 3. *t.* 17. *n.* 6. *p.* 160.
Regulares suis Beneficiis renuntiare possunt sine licentia Abbatis ; cogi non possunt. *l.* 3. *t.* 45. *n.* 9. *p.* 242.
Regulares exeuntes ad audiendum Leges, aut Medicinam, excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 4. *p.* 221. *Vide* Religiosi.
Regulares Episcopi an possint testari. *Vide* Episcopus.

Religiosi.

Religiosi in particulari nihil habent proprium. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 2. *p.* 1.
Religiosi laxioris Regulæ de fructibus suorum Beneficiorum disponunt inter vivos, non causâ mortis. *ibid. n.* 3. *p.* 2.
Religionis professione Beneficia vacant. *l.* 3. *t.* 17. *n.* 1. *p.* 159.
Religionis professio expressa & tacita. *ibid. n.* 2.
Religionis professio ante legitimam ætatem aut probationis annum nulla. *ibid.* & *l.* 3. *t.* 42. *n.* 22. *p.* 232.
Religionis professio litteris probatur. *l.* 3. *t.* 17. *n.* 2. *p.* 159.
Religiosi Sacramenta ministrantes sine privilegio aut licentia Parrochi, excommunicantur. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 14. *p.* 217.
Religiosi loca nova recipientes aut mutantes sine licentia Papæ, excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 36. *p.* 223.
Pro ingressu in Religionem dantes, & accipientes, excommunicantur. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 20. *p.* 217.
Religiosi in aliam Religionem transeuntes sine licentia Papæ excommunicantur, exceptis transeuntibus in Religionem Carthusianorum. *ibid. n.* 22.
Religiosi vagantes per Curias Principum sine licentia Prælati, excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 29. *p.* 223.
Religiosi intra septa Monasterii arma tenentes sine licentia Prælati, excommunicantur. *ibid. n.* 30.
Religionis novi Ordines instituti non possunt sine Papæ licentia & Regis. *ibid. t.* 40. *n.* 17. *p.* 222.
Religiosi professi habitum dimittentes, & qui Gymnasia sæcularium frequentant sine licentia Prælati, excommunicantur. *ibid. n.* 19.
Religiosi mendicantes inhabiles ad Beneficia. *l.* 3. *t.* 17. *n.* 4. *p.* 160. & *l.* 3. *t.* 45. *n.* 1. *p.* 241.

Relegatus.

Relegatus in perpetuum Beneficia non potest retinere quæ requirunt residentiam. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 2. *p.* 244.

Renuntiatio.

Renuntiare licet Beneficio ante possessionem adeptam. *l.* 3. *t.* 3. *n.* 18. *p.* 110.
Renuntiatio fit in manibus Superioris. *ibid. t.* 3. *n.* 1. *p.* 107.
Renuntiationem Capitulum, Sede vacante, potest admittere. *ibid. n.* 3.
Renuntiatio consultò fieri debet & liberè. *ibid. n* 4.
Renuntiatio facta fraudulenter non tenet. *ibid. n.* 7. *p.* 108.
De renuntiatione quæ fit post ingressum in Religionem. *l.* 3. *t.* 17. *n.* 3. *p.* 159.
De renuntiatione Furiosi & Ebrii. *l.* 3. *t.* 3. *n.* 9. & 10. *p.* 109.
De renuntiatione minorum. *ibid. n.* 12.
Si quis renuntiet Beneficio cujus intuitu ordinatus est. *ibid. n.* 14. *p* 110.
An renuntiantis defectus vel incapacitas objici possit resignatario. *ibid. n.* 19. *p.* 111.
De renuntiatione facta pendente accusatione. *ibid. n.* 24.
De renuntiatione simoniaca. *ibid. n* 26. & 27. *p.* 112.
Renuntianti ex causâ permutationis an detur regressus evicto Beneficio. *l.* 3. *t.* 11. *n.* 12. *p.* 137.
Renuntiatio in favorem olim permissa. *l.* 3. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 114.

An renuntiatio in favorem fieri poſſit coram Legato. *ibid. n.* 2.
Renuntiatio in favorem fieri poteſt in Regalia. *ibid. n.* 6. *p.* 115.
Reſtitutio in integrum contra renuntiationem ut petatur. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 2. *p.* 131.
☞ Renuntiatio expreſſa fit per demiſſionem ſpontaneam & liberam coram ſuperiore, tacita verò per contractum matrimonii, per profeſſionem, & pluribus aliis modis hîc expreſſis. *l.* 3. *t.* 3. *eod. n.* 1. *p.* 113.
☞ Renuntians in manibus non ſuperioris, etiam Laïci, non ob hoc debet privari Beneficio ratione delicti. *ibid. eod. n.* 1. *p.* 114.

Repræſaliæ.

Repræſaliæ non dantur contra Clericos, aut Scholaſticos. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 24. *p.* 222.

Reſcriptum.

* Reſcriptum *perinde valere*, habet effectum retroactivum ad revalidandum primum reſcriptum. *l.* 3. *t.* 12. *litt. c. p.* 85.
Etiam in præjudicium tertii: & ratio aſſignatur. *ibid.*
Niſi prior gratia non ſit confirmabilis. *ibid.*
Vide Proviſio.

Reſervatio.

Reſervatio Beneficiorum. *Vide* Collatio.
Reſervatio ceſſat poſt menſem. *l.* 1. *t.* 15. *n.* 5. *p.* 33.
Reſervationes ſublatæ exceptis Beneficiis in Curia vacantibus. *ibid. n.* 6.
Reſervationibus, privilegiis, vel ſtatutis introductis non derogatur, niſi expreſsè. *l.* 2. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 80.
Reſervatio non facit collationem Ordinarii irritam, ſed irritandam.
* Parrochiales Eccleſiæ nunquam vacant in Curia ad effectum reſervationis, Sede Apoſtolicâ vacante, licèt ante vel poſt ſit vel fuerit repleta. *l.* 1. *t.* 15. *litt. d. p.* 34.
* Beneficia familiarium Cardinalis ſunt Papæ reſervata, non ipſi Cardinali, ut vult Paſtor. *l.* 1. *t.* 18. *litt. d. p.* 40.
* Collatio Ordinarii facta infra menſem de Beneficio vacante in Curia non valet etiam ceſſante Papa, contra Molin. vel incapaci conferente. *l.* 3. *t.* 10. *litt. c. p.* 134.

Reſidentia.

Non reſidentium in ſuis Beneficiis pœna. *Vide* Beneficium.
* Reſidentia duplex, præciſa & cauſativa. *l.* 3. *t.* 16. *litt. c. p.* 158.
* Officia reſidentiam requirunt, contra aliquos. *l.* 3. *t.* 46. *litt. b. p.* 246.
* Omnia ſervitoria Beneficia reſidentiam requirunt. *ibid.*
☞ Jure Decretalium ſi neſcitur ubi ſit Clericus abſens, tribus publicis edictis citabitur in valvis Eccleſiæ, nam contra latitantem ſufficit procedere ex edicto ad Eccleſiam vel domum ſuam. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 7. *p.* 248.

Reſignatio & Reſignatarius.

De reſignatione facta retentâ penſione. *l.* 3. *t.* 5. *n.* 3. *p.* 116.
Reſignatio fit per Procuratorem. *Vide* Mandatum.
Reſignatio ſolvitur ex regula *de viginti*, & *de publicandis reſignationibus*. *Vide* Regula.
Reſignatione Beneficium vacat in Curia ubi fuit admiſſa. *l.* 3. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 133.
Renuntiatione in favorem Beneficium non vacat, niſi poſt acceptationem. *ibid. n.* 2.
Reſignatarius Beneficio privatur ex cauſa ingratitudinis. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 4. *p.* 244.
Cogens reſignare Clericum privatur Beneficio adepto. *l.* 3. *t.* 19. *n.* 5. *p.* 171.
* Reſignatio prima non impedit ſecundam poſt triennium. *l.* 3. *t.* 8. *litt. d. p.* 129. & *l.* 3. *t.* 10. *litt. a. p.* 134.
* Niſi fieret ad favorem ejuſdem. *ibid. litt. d. p.* 129.
* Papa non intendit conferre per reſignationem ubi mandatum fuit revocatum. *l.* 3. *t.* 2. *litt. d. p.* 105.
* Reſignatio non admiſſa non valet etiam quoad præjudicium reſignantis, contra Gomeſium. *l.* 3. *t.* 3. *litt. a. p.* 112.
* Reſignatio metu vel dolo facta eſt nulla. *ibid. litt. c.*
* Modò ſit metus qui cadat in conſtantem, vel dolus in prudentem, & reſignans queratur. *ibid.*
* Infra triennium à prima reſignatione, non poteſt ſecunda fieri ad favorem alterius. *l.* 3. *t.* 8. *litt. d. p.* 129. & *l.* 3. *t.* 10. *litt. b. p.* 134.
* Reſignans coram Papa non poteſt rebus integris poſtmodum reſignare coram Ordinario, contra Paſtorem. *l.* 3. *t.* 6. *litt. f. p.* 122. & 123.
Niſi ſecundum mandatum intimetur. *ibid.*
Praxim contrariam malè allegat Paſtor. *ibid.*
* Zacharias conceſſit Bonifacio Maguntino eligendi ſucceſſorem. *l.* 1. *t.* 10. *litt. a. p.* 23.
☞ Reſignatio non poteſt fieri niſi in manibus ſuperioris, non æqualis, vel inferioris. *l.* 3. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 113.
☞ Legatus à latere admittit reſignationes ſimplices non autem conditionales ſine ſpeciali mandato. *ibid. eod. n.* 3. *p.* 114.
☞ Reſignatio ebrii facta in Curia Romana nulla eſt, ſicut facta coram Ordinario. *ibid. n.* 10.
☞ In Beneficialibus minores pro majoribus habentur, contra Molin. *ibid. n.* 12.
☞ Per puram & ſimplicem reſignationem, ſtatim ut admiſſa eſt, renuntians abdicat jus à ſe, non verò per conditionalem, ſeu in favorem, niſi adimpletis conditionibus. *l.* 3. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 116.
☞ Non poteſt inferior à Papa conditionem rejicere & reſignationem ſimpliciter vel cum conditione admittere. *ibid. n.* 2.
☞ Reſignatio facta cum reſervatione regreſsûs, illicita & nulla eſt: ſimiliter reſignatio cum reſervatione fructuum. *ibid.* & *l.* 3. *t.* 9. *n.* 1. *p.* 132.
☞ Non poteſt quis bis reſignare in favorem ejuſdem reſignatarii, niſi prima reſignatio fuerit expreſſa in ſupplicatione ſecunda, quod in pleriſque Galliæ partibus toleratur. *l.* 3. *t.* 8. *n.* 6. *p.* 130.
☞ Si reſignans moriatur civiliter non propter hoc

locus est regulæ *de publicandis*, quæ de morte naturali loquitur, non autem de morte civili. *ibid. n.* 7.
☞ Si resignatarius intra tempus regulæ, sive post, non factâ publicatione resignet ad favorem tertii, secundus resignatarius non tenebitur publicare rerefignationem primi resignantis, sed tantùm resignationem secundi in sui favorem factam. *ibid. n.* 8.
☞ Vivo resignante Beneficium remanet penes illum quoad usque resignatarius possessionem Beneficii adeptus fuerit. *l.* 3. *t.* 10. *n.* 2. *p.* 134.
☞ Si resignans post tempus regulæ *de publicandis*, in possessione decedat, Ordinarius liberè conferre potest per obitum. *ibid. n.* 4.

Rex.

Reges Galliæ Ecclesiam ditaverunt. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 1. *p.* 1.
* Rex nominat ad Abbatissatus & Priorissatus conventuales ad vitam provideri solitos. *l.* 1. *t.* 8. *litt. b. p.* 19.
* At in Bullis non fit mentio nominationis aut consensûs Regis, nisi Monasterium asseratur Regiæ fundationis. *ibid.*
* Zacharias concessit Pipino nominationem, sive postulationem Episcoporum. *ibid. litt. a.*
* An idem jus concesserit Hadrianus Carolo magno controvertitur, remissivè. *ibid.*
* Rex pendente Regaliâ pensionem non creat. *l.* 1. *t.* 13. *litt. a. p.* 30.
* Rex apertâ Regaliâ non confert resignatum coram Papa ante adeptionem possessionis resignatarii. *ibid. litt. b. p.* 30.
* Inhabilitas ex impetratione Beneficii viventis non habet locum in collatione Regis dum in Regalia confert. *l.* 2. *t.* 3. *litt. b. p.* 105.
* Rex in Regalia confert spectantia ad collationem Episcopi & inferioris conjunctim vel alternativè, contra Probum & Ruzeum. *l.* 1. *t.* 13. *litt. e. p.* 31.
* Nisi tractatus desuper initus à Senatu Parisiensi fuerit approbatus. *ibid.*
* Rex confert in Regalia Præbendas simultaneæ collationis Episcopi & Capituli. *ibid.*
* Nisi ex fundatione seu longa consuetudine sint hujusmodi. *ibid.*
* Vel etiam ex transactione à Senatu confirmata. *ibid.*
* Rex confert in Regalia spreto Patrono Ecclesiastico, non autem Laïco. *ibid. litt. g. p.* 31.
* Rex in Regalia utitur nedum jure Ordinarii, sed etiam Papæ. *ibid.*
* Patronus laïcus apertâ Regaliâ Regi præsentat non Capitulo vel futuro Episcopo. *ibid.*
* Nisi tempore præsentationis Sedes Episcopalis sit repleta, quamvis tempore nominationis Patroni esset vacua. *ibid.*
* Rex in Regalia non confert electiva. *ibid.*
* Rex in Regalia non confert Theologales, nec Præceptoriales. *ibid. litt i.*
* Rex in Regalia confert Præbendas Pœnitentiarii & Archypresbiteri. *ibid.*
* Rex solus in Gallia pœnam remittit, & famæ restituit. *l.* 3. *t.* 32. *litt. k. p.* 203.
Vide Regalia.

Roma.

Romanæ Ecclesiæ Primatus. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 2. *p.* 5.
Romam victualia exportantes qui impediunt excommunicantur. *l.* 3. *t.* 39. *n.* 8. *p.* 219.
Romipetas spoliantes excommunicantur. *ibid. n.* 9.
Romam aliasve Ecclesiæ Civitates invadentes excommunicantur. *ibid. n.* 19.

Rumor.

☞ Falsus rumor non excusat, & provisus per rumorem hujusmodi fit inhabilis, nisi probabiliter ignoraret, quia tunc non fit inhabilis, cessante aliâ culpâ vel notabili suspicione. *l.* 3. *t.* 2. *n.* 3. *p.* 106.

S

Sacrilegus.

SACRILEGI excommunicantur. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 8. *p.* 217.

Sacrista.

Sacristæ munus. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 8. *p.* 6.

Schismaticus.

Schismatici excommunicantur, & deponuntur. *l.* 3. *t.* 39. *n.* 3. *p.* 219. & *l.* 3. *t.* 43. *n.* 8. *p.* 238.
Qui eos eligunt excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 8. *p.* 221.

Scientia.

Scientia in Beneficiis requiritur. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 1. *p.* 193.
Scientia cantandi. *ibid. n.* 10. *p.* 195.
☞ Qualitatem scientiæ requisitam in Episcopo exprimit Concilium Tridentinum, ejusmodi scientia pollere debet ut muneris sibi injuncti necessitati satisfacere possit. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 2. *p.* 196.
☞ Dignitates in Cathedralibus Ecclesiis viris litteratis & Graduatis conferri debent, & Præbenbenda Theologalis Magistro in Theologia aut Licentiato conferri debet. *ibid. eod. n.* 2.

Sedes.

Sede vacante. *Vide* Capitulum.
Sede vacante Papa dat Curatorem, in Gallia Rex confert. *l.* 1. *t.* 13. *n.* 1. & 2. *p.* 29.
Sedis Apostolicæ reus deponitur. *l.* 3. *t.* 43. *n.* 8. *p.* 238.

Sententia.

Sententia recredentiæ. *l.* 2. *t.* 16. *n.* 5. *p.* 94.

Sequester.

Sequester Beneficii confert. *l.* 1. *t.* 9. *n.* 10. *p.* 21.
Sequestrum constitutum ab Ordinario impedientes

excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 26. *p.* 223.
☞ Creditor qui petit rem sequestrari, præsentare non potest, etiamsi ei datum sit pignus universitatis bonorum in quo existit jus patronatûs. *l.* 1. *t.* 19. *n.* 11. *p.* 49.

Sepultura.

Sepulturas captantes excommunicantur. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 16. *p.* 217.
Sepulta Cadavera exhumantes excommunicantur. *ibid. n.* 19.
Sepultura Ecclesiastica denegatur Hæreticis & excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 20. *&* 26. *p.* 222. *&* 223.

Signatura.

Signaturâ jus quæritur. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 67.
Post signaturam & acceptationem Beneficium vacare potest ex capite provisi. *ibid.*
Signatura sine Bulla sufficit. *ibid. n.* 3.
Signaturæ forma. *ibid. n.* 2. *p.* 67.
* Signatura gratiæ signatur per verbum *fiat* vel concessum: Justitiæ verò per verbum *placet*. *l.* 2. *t.* 3. *litt. a. p.* 68.
* Ubi Signatura & Bulla contraria & pugnantia continent neutri creditur. *ibid. litt. b.*
* Signaturæ in forma juris expeditæ sunt potius rescripta ad lites quàm provisiones Beneficiorum. *l.* 3. *t.* 1. *litt. b. p.* 103.
* Signaturæ in forma juris non recipiuntur in Gallia utpotè contrariæ decretis *de causis & de reservationibus sublatis.* *ibid.*
Signaturæ ejusdem diei. *Vide* Concursus.
☞ Licèt gratia Principis perficiatur solâ signaturâ ac etiam solo verbo, tamen signatura non perficitur nisi post appositionem datæ, & si supplicatio patiatur defectum aliquem potest suppleri per aliam in qua adjicitur eadem data in cujus principio inscribitur titulus hic, *cui prius*. *l.* 2. *t.* 1. *n.* 3. *p.* 65.

Simonia.

Simonia ambitus. *l.* 3. *t.* 18. *n.* 2. *p.* 162.
Simonia in quibus committatur, & quomodo. *ibid. n.* 8. *&* 9. *p.* 163.
Simoniacus solvens coactus. *ibid. n.* 7. *p.* 163.
Simoniacè provisus ignorans. *ibid. n.* 11. *p.* 164. *& n.* 20. *p.* 165.
Simonia triplex. *ibid. n.* 14. *p.* 164.
Simoniaca præsentatio. *ibid. n.* 11. *p.* 164.
Simoniacus excommunicatur; fit irregularis. *ibid. n.* 18. 19. *&* 20. *p.* 164. *&* 165. *&* *l.* 3. *t.* 38. *n.* 20. *&* 21. *p.* 217.
Simoniaco repetitio denegatur. *l.* 3. *t.* 18. *n.* 18. *p.* 165.
Simonia interpretativa veniens ex prohibitione Canonis afficit titulum, non personam. *ibid. n.* 21. *p.* 165.
Simonia & confidentia ut probentur. *ibid. n.* 23. *p.* 166.
Simoniacus ut absolvatur. *ibid. n.* 29. *p.* 167.
* Simonia conventionalis jus non abdicat à resignante. *l.* 3. *t.* 18. *litt. d. p.* 168.
* Nisi possessionem dimiserit resignatario. *ibid.*
* Per Simoniam realem aut confidentiam abdicatur jus à resignante ante captam à resignatario possessionem. *ibid. litt. e.*
* De resignatione in favorem coram Ordinario remissivè. *l.* 3. *t.* 4. *litt. a. p.* 115.
* Porrectio precum non facit simoniam. *ibid. litt. b.*
* Mira historia de Episcopo Simoniaco. *l.* 3 *t.* 18. *litt. b. p.* 168.
* Summa sex solidorum facit simoniam. *ibid. litt. c.*
* Executio ex altera tantùm parte pacti simoniaci non facit simoniam realem. *ibid. litt. d.*
* Licèt sit ipsa res spiritualis quæ traditur contra Cajetanum & Sotum. *ibid.*
* Ante resignationem simoniacam à neutra parte incurritur excommunicatio, licèt pecunia sit soluta. *ibid.*
* Post resignationem simoniacam vacat Beneficium eo ipso, etiamsi pecunia non fuerit soluta. *ibid.*
* Non tamen incurruntur aliæ pœnæ nisi etiam solutâ pecuniâ. *ibid.*
* Simoniacus realis privatur ipso jure Beneficiis antea legitimè obtentis, contra Lotterium & Pastorem. *ibid. litt. e.*
* Quia aliàs ob simoniam privandi veniebant, hodie sunt ipso jure privati. *ibid.*
* Simoniacus realis non est irregularis, contra Flaminium & Pastorem. *ibid. litt. f.*
* Simoniacus realis ipso jure excommunicationem Papalem incurrit, privationem obtentorum & inhabilitatem ad obtinenda. *ibid. litt. g.*
* Simoniacus conventionalis non est excommunicatus, contra Duarenum. *ibid.*
* Simoniacus conventionalis est inhabilis ad obtinenda, si executa fuerit simonia quoad spiritualia; aliàs secus. *ibid.*
* Non est tamen privatus obtentis, sed privandus. *ibid.*
* Simoniacus similitudinarius titulum non habet, sed tamen non est privatus nec privandus aliis Beneficiis, nec aliquam inhabilitatem aut excommunicationem incurrit. *ibid.*
* Simoniacus mentalis nulli pœnæ Ecclesiasticæ subjicitur. *ibid.*
☞ Pecunia pro ingressu quæ ad pios usus certos & determinatos convertitur, non redolet simoniam. *l.* 2. *t.* 14. *eod. n.* 2. *p.* 90.
☞ Duæ species simoniæ in Beneficialibus vera, & interpretativa: vera quando res temporalis datur vel promittitur pro re spirituali. Interpretativa verò cum res spiritualis datur aut promittitur pro re spirituali. *l.* 3. *t.* 18. *eod. n.* 2. *p.* 169.
☞ Simonia committitur vel præsumitur ex mutuo facto eâdem die quâ fuit mandatum, datum ad resignandum. *ibid. n.* 9.
☞ Simonia mentalis non inducit nullitatem, nec obligationem restituendi. *ibid n.* 14.

Servus.

Servi irregulares. *l.* 3. *t.* 29. *n.* 1. *p.* 192.

Sodomitæ.

Sodomitici deponuntur. *l.* 3. *t.* 43. *n.* 9. *p.* 238.

Sortilegus.

Sortilegi suspenduntur. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 31. *p.* 232.

Sponsalia.

Sponsalia.

Sponsalia de præsenti non impediunt ingressum in Religionem. *l.* 3. *t.* 23. *n.* 2. *p.* 181.

Status.

Sæcularis status Regulari prior. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 3.

Statuta.

Statutis Ecclesiæ Papa non derogat, nisi exprimantur. *l.* 2. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 80.

Studium.

Studiorum causâ absentes excusantur. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 9. *p.* 245.

☞ Sexennium in Baccalaureis in Theologia debet esse completum, illud tempus potest perfici post Gradum susceptum. *l.* 1. *t.* 16. *n.* 3. *p.* 37.

☞ Tempus studii in pluribus Accademiis vel in pluribus Facultatibus perfici potest, sed una Universitas attestari non potest de tempore studii in alia Universitate peracti, sed utraque certificari debet cum quis in duabus studuerit. *ibid.*

Subreptio.

* Subreptio. *Vide* Collatio, Expressio.

☞ Non inducitur subreptio in collatione Ordinarii ex reticentia obtentorum. *l.* 1. *t.* 19. *n.* 34. *p.* 50.

Subrogatio.

Subrogationis in litteris Beneficialibus vis & effectus. *l.* 2. *t.* 11. *n.* 4. & 5. *p.* 82.

De subrogandis collitigantibus. *ibid. n.* 3.

Subrogatio intra mensem petenda. *ibid. n.* 4. & 7. *p.* 82. & 83.

Subrogatur à Papa tertius. *ibid. n.* 9.

Subrogatio non admittitur quoad possessionem sine litteris Regiis. *ibid. n.* 10.

Regulæ *de subrogandis collitigantibus*, derogatur. *ibid. n.* 12.

Subscriptio.

☞ Quocumque modo subscriptio fiat, vel quibus verbis concipiatur, dummodo de illa constet, sufficit; sive Episcopus in subscriptione ponat solùm nomen & cognomen, sive solùm nomen vel etiam nomen dignitatis. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 2. *p.* 66.

Suffragium.

Suffragia Prælati & Capituli facientium unum corpus confunduntur. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 13. *p.* 14.

Suffragium Episcopi separatim à Capitulo. *ibid.*

Suffragii jus non habent Canonici, nisi sint in Sacris. *ibid. n.* 6. *p.* 13.

Suffragii jus denegatur mendicantibus inter non mendicantes. *ibid.*

Suffragii jus negatur excommunicatis. *ibid.*

Suffragium datur per Procuratorem. *ibid. n.* 8.

Suffragia in actibus Ecclesiasticis numerantur & ponderantur. *ibid. n.* 9

Suffragium variare non licet post publicationem. *ibid.*

Suspensio & suspensus.

Suspensi irregulares. *l.* 3. *t.* 41. *n.* 1. *p.* 226.

Suspensio multiplex. *ibid. n.* 2.

Suspensus ab Officio non suspenditur à Beneficio. *ibid. n.* 4.

Suspensus à Majoribus non est prohibitus à Minoribus. *ibid. n.* 8. *p.* 227.

Episcopus suspensus à Pontificalibus potest ea quæ sunt Jurisdictionis. *ibid. n.* 7.

Suspensus ab ingressu Ecclesiæ. *ibid. n.* 9.

Suspensionis nomine venit omnis suspensio. *ibid. n.* 10.

Suspensio cessat. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 43. *p* 234.

* Suspensio malè divisa à Pastore. *l.* 3. *t.* 41. *litt. b. p.* 227.

* Suspensio triplex Officii & Beneficii simul, Officii tantùm vel partis ejus, vel Beneficii aut rei pertinentis ad illud tantùm. *ibid.*

* Suspensus à Beneficio non est ideo suspensus ab Officio puta Ordine & Jurisdictione. *ibid. lit. c.*

* Suspensus ab Officio suspenditur ab Ordine & Jurisdictione non tamen Beneficio. *ibid. p.* 228.

* Suspensus simpliciter intelligitur ab Officio & Beneficio. *ibid.*

* Suspensus ab ordine simpliciter est suspensus à quolibet Ordine & ab omnibus ab eo dependentibus, & sic à Jurisdictione spirituali. *ibid.*

* Suspensus à minori Ordine suspenditur etiam à majori; non è contra. *ibid.*

* Suspensus an sit irregularis. *Vide* Irregularitas.

* De suspenso à Divinis idem dicendum quod de suspenso ab Ordine vel Officio. *ibid. litt. f.*

* Fornicarii & concubinarii notorii sunt suspensi & irregulares. *l.* 3 *t.* 42 *litt. a. p.* 234.

* Sunt inhabiles ad Beneficia donec dispensentur. *ibid.*

* Citramontanus suscipiens Ordines ab Episcopo Italo sine Dimissoriis est suspensus, sed non è contra. *ibid. litt. b.*

* Episcopus conferens alieno Laïco Tonsuram non est suspensus. *ibid. litt. c.*

* Ordinati ante ætatem furtivè non servatis Interstitiis. *ibid. litt. h.* *Vide* Ordinatio.

* Suspensio non incurritur nisi in casibus à jure expressis. *ibid. litt. h.*

* Ordinati sine titulo, aut cum patrimonio ficto non sunt suspensi. *ibid. litt. i. p.* 235.

* Judex tenetur dare petenti exemplum suspensionis intra mensem, aliàs per mensem suspenditur ab ingressu Ecclesiæ. *ibid. litt m.*

* Cessat pœna si post mensem exemplum petatur. *ibid.*

* De Suspensionibus contra Episcopos & Prælatos, contra Judices Ecclesiasticos & Religiosos, contra simplices Clericos. *ibid. litt. y. p.* 236.

* Suspensio cessante causâ tollitur sine absolutione sicut Interdictum: secus de excommunicatione. *ibid. litt. z.* *Vide* Irregularitas.

☞ Excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum in quibuſdam æquiparantur in aliis differunt. *l.* 3. *t.* 41. *n.* 1. *p.* 228.
☞ Major & minor eſt ſuſpenſio, major eſt propriè cenſura Eccleſiaſtica. *ibid. n.* 2.
☞ Suſpenſi ab homine celebrando fiunt irregulares. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 1. *p.* 236.
☞ Epiſcopus alienus primam tonſuram conferens ſine proprii Epiſcopi licentia; ſuſpenſionis à collatione tonſuræ per annum ipſo jure pœnam incurrit. *ibid. n.* 3.
☞ Promotus ante ætatem legitimam Conſtitutione Pii II. ſuſpenditur, quæ Conſtitutio in hoc Regno vix recepta creditur, & ſi reciperetur, per ſupervenientem ætatem ſuſpenſio non ceſſaret, niſi etiam ſuperveniret abſolutio. *ibid. n.* 6.
☞ Qui furtivè unâ & eâdem die minores Ordines & Subdiaconatum ſuſcipiunt, ſuſpenduntur; vel Clericalem Tonſuram, quia collatio plurium Ordinum eſt generaliter reprobata. *ibid. n.* 8.
☞ Ordinatus ſub Patrimonio ſibi donato cum pacto de illo reddendo poſt Ordinationem, quamvis graviter peccet, non eſt tamen ſuſpenſus. *ibid. n.* 12. *p.* 237.
☞ Suſpenſus ab Officio ſive perpetuò, ſive ad tempus, ſive ſimpliciter, ſive à jure, ſive ab homine, ſive ex levi cauſa, ſive ex gravi, ſive ſit in mora petendi abſolutionem, ſive non; nunquam cenſetur ſuſpenſus à Beneficio, niſi hoc in Sententia exprimatur. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 1. *p.* 247.

T

Teſtis.

☞ INTEGERRIMA fides unius teſtis ſupplet probationem alterius, & idem dicendum eſt de teſte conſanguineo vel affine, aut domeſtico, ſi conteſtis ſit integerrimæ fidei, cujus dictum ſupplet fidei conteſtis inhabilis. *l.* 3. *t.* 6. *n.* 8. *p.* 123.

Theologus Canonicus.

Theologus Canonicus debet eſſe doctor. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 2. *p.* 194.

Titulus.

Titulus ordinationis alienari non poteſt. *Vide* Ordo.
Titulum reſignantis reſignatarius debet exhibere. *l.* 3. *t.* 47. *n.* 6. *p.* 249.
Titulus canonicus & coloratus quando dicatur. *ibid. n.* 8. *p.* 250.
* Promotus ad ſacros Ordines ſine titulo nullam pœnam incurrit. *l.* 3. *t.* 43. *litt. i. p.* 235.
* Idem de Ordinato cum patrimonio ficto. *ibid.*
* Venit tamen puniendus pœnâ arbitrariâ. *ibid.*
* Titulus ſaltem coloratus produci debet etiam à poſſeſſore decennali, contra Paſtorem. *l.* 3. *t.* 47. *litt. b. p.* 255.
* Titulus coloratus non bene deſcriptus à Paſtore. *ibid. litt. c.*
* Titulus coloratus is eſt qui proceſſit ab habente poteſtatem defectu tamen aliquo injuſtus redditur. *ibid.*
* Proviſus à Capitulo, Sede vacante, non habet titulum coloratum, contra Paſtorem. *ibid. litt. d.*
* Proviſus à Vicario Epiſcopi ſine ſpeciali mandato non habet titulum coloratum. *ibid.*
* Niſi acceſſerit expreſſa Epiſcopi ratihabitio. *ibid.*
* Nullo caſu ſufficit titulus putativus, ſed requiritur verus ſaltem coloratus, contra Paſtorem. *ibid. litt. k. p.* 256.
Vide Collatio. Poſſeſſio.
☞ Poteſt quis uti duplici titulo, non pariter, ſed alternativè, & ſi dubitans de viribus primæ collationis, impetrat ſecundam per hoc non renuntiat primæ, ſed poterit uti utraque ad defenſionem ſuam. *l.* 2. *t.* 11. *n.* 2. *p.* 84.

Tonſura.

* Tonſura in Beneficialibus probanda eſt per ſcripturam, niſi per teſtes probetur ejus amiſſio. *l.* 3. *t.* 21. *litt. b. p.* 176.
* Tonſuræ littera producenda in qualibet parte poſſeſſorii Beneficialis. *ibid.*
* Conſuetudo abradendi verticem capitis in Clericis unde profluxerit. *ibid. litt. a. p.* 176.
* Tonſura & minores Ordines poſſunt per ſeptennium ſuſcipi, contra Paſtorem. *l.* 3. *t.* 22. *litt. a. p.* 180.
* Circa ætatem primæ tonſuræ nihil innovatum à Concilio Tridentino. *ibid.*
* Epiſcopus conferens Tonſuram alieno Laïco non eſt ſuſpenſus. *l.* 3. *t.* 42. *litt. c. p.* 234.
* Tonſura qualibet die conferri poteſt. *ibid. litt. d.*
* Tonſuram ſuſcipiens ab alieno Epiſcopo abſque dimiſſoriis eſt ſuſpenſus. *ibid. litt. e.*
☞ Prima Tonſura requirit Sacramentum Chriſmatis, & primâ Tonſurâ initiatus non ſuſcepto Chriſmate & poſtea ad minores Ordines promotus malè promovetur, nec Beneficia legitimè acquirit, nec poteſt ad ſacros Ordines aſcendere, niſi prævia Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. *l.* 3. *t.* 21. *n.* 1. *p.* 176.
☞ Non Tonſuratus non poteſt præſentari, & præſentatio hujuſmodi à Patrono facta non valeret, licèt præſentatus ante inſtitutionem fuiſſet tonſuratus. *ibid. n.* 2. *p.* 177.
☞ Pluribus modis probatur amiſſio Tonſuræ, & ſi prætermiſſa Tonſura alicui ſequentes Ordines fuiſſent collati, Tonſura repetenda eſt. *ibid. n.* 3.

Tranſactio.

☞ Tranſactio ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, vel aliâ re ſpirituali, ita ut pro re ſeu jure ſpirituali retento vel accepto viciſſim detur, vel promittatur aliquid temporale, neque privato partium conſenſu, neque Judicis authoritate fieri poteſt. *l.* 3. *t.* 13. *n.* 5 *p.* 148.

Tranſlatio.

Tranſlatio Epiſcopi in aliam Eccleſiam. *l.* 1. *t.* 7. *n.* 2. *p.* 17.
Tranſlatio Monachi in aliud Monaſterium. *ibid.*
☞ Quando Religioſus providetur de Beneficio dependente ab alio Monaſterio debet adeſſe clauſula tranſlationis, & tranſlatio quæ fit in actu & ad effectum collationis fit ab Abbate collatore.

l. 1. *t* 4. *n.* 5. *p,* 11.

☞ Collatio facta Monacho alterius Monasterii ejusdem Ordinis nulla est, nisi facta sit animo transferendi, & translatio realis postea saltem intra semestre vacationis sequatur. *ibid.*

☞ Abbates Commendatarii possunt transferre quando translatio fit ad effectum collationis ad ipsum Abbatem spectantis: secus autem ubi agitur de transferendo Monacho ad aliud Monasterium ejusdem Ordinis. *ibid.*

☞ Prælatus immediatus ipsius conventûs potest licentiam transeundi ad strictiorem Religionem concedere inconsultò conventu, & si ille sit transiturus eam petere debet à Provinciali, & iste à Generali, & hic à Papa. *l.* 3. *t.* 45. *n.* 2. *p.* 243.

V

Vacatio.

* VACATIO inducta per regulam *de infirmis & de publicandis*, est vera & non ficta contra Gomesium. *l.* 1. *t.* 15. *litt. b. p.* 34.

* Beneficium vacat ipso jure per Matrimonium, licèt nullum. *l.* 3. *t.* 14. *litt. a. p.* 150.

* Vacatio ipso jure non inducitur nisi in casibus à jure expressis. *ibid. litt. b.*

* Per promotionem ad Cardinalatum vacant Curata, Dignitates & Officia, non etiam Beneficia simplicia. *ibid. litt. c.*

* Beneficia Episcopi vacant post adeptam possessionem, consecrationem, vel lapsum trium mensium. *ibid. litt. d.*

* Beneficia Abbatis vacant statim ab adepta possessione, licèt non fuerit benedictus. *ibid.*

* Vacatio incompatibilium quantumvis simplicium inducitur ipso jure, contra Pastorem. *l.* 3. *t.* 15. *litt. a. p.* 154.

* Vacatio non inducitur ipso jure in homicidio qualificato, nisi quatenus invenitur expressum. *l.* 3. *t.* 19. *litt. c. p.* 173.

* Beneficium non vacat ipso jure ob parricidium, matricidium, fratricidium, aut infanticidium, contra Pastorem. *ibid.*

* Quadraginta duo casus in quibus Beneficia ipso jure vacant remissivè. *l.* 3. *t.* 18. *litt. a. p.* 168.

* Centum & quatuor effectus & discrimina vacationis seu privationis ipso jure vel per sententiam, remissivè. *ibid.*

☞ Si post vacationem ipso jure inductam antequam privatus dimitteret possessionem, decederet, non vacaret Beneficium per obitum illius, sed per privationem quia prima vacatio impedit secundam. *l.* 3. *t.* 19. *n.* 13. *p.* 173.

☞ Privatus Beneficio ipso jure amittit dispositionem Beneficii à tempore quo inducitur privatio, ut non possit renuntiare in favorem aut permutare. *ibid.*

☞ Beneficium vacans ipso jure potest statim impetrari; vacaturum verò per sententiam impetrari non potest ante privationem. *ibid.*

☞ Privatus ipso jure non facit fructus suos & tenetur illos restituere. *ibid.*

☞ Sunt plura crimina vacationem Beneficiorum ipso jure inducentia quæ hîc enumerantur. *l.* 3. *t.* 43. *n.* 8. *p.* 239.

Vectigal.

Vectigalia nova Ecclesiæ imponentes sine licentia Papæ, excommunicantur. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 10. *p.* 217.

Vectigalia Clericis imponentes sine licentia, excommunicantur. *ibid. & t.* 39. *n.* 5. *p,* 219.

Venatio.

Venatio saltuosa & clamorosa Clericis prohibita. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 30. *p.* 232.

Vicarius.

Vicarii perpetui in parrochialibus Ecclesiis instituendi. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 13. *p.* 10. & *l.* 3. *t.* 46. *n.* 12. *p.* 246.

Vicarius amobilis ad nutum Abbatis in Parrochiis unitis Monasteriis. *ibid. n.* 14. *p.* 10.

Vicarius in Titulum à solo Papa instituitur. *ibid. n.* 12. *p.* 246.

Qui sint vocandi. *ibid. n.* 14.

Vicarii portio congrua. *l.* 3. *t.* 46. *n.* 12. *p.* 246.

Vicarius Episcopi sine mandato Beneficia conferre non potest. *l.* 1. *t.* 11. *n.* 1. *p.* 24.

Vicarius Episcopi vi mandati generalis quid facere possit. *ibid.*

Vicarii mandatum litteris probatur. *ibid. n.* 2. *p.* 25.

In mandato Vicarii reservationes sunt exprimendæ. *ibid. n.* 4.

Vicarius Episcopi qualis esse debeat. *ibid. n.* 5.

Vicarius Episcopi Sede vacante. *Vide* Capitulum.

Vicarius non potest sibi aut Episcopo conferre Beneficium vacans. *ibid. n.* 7. *p.* 25.

Vicario Episcopus conferre potest. *ibid.*

Vicario Substitutus conferre potest. *ibid. n.* 7.

Vicarius non potest substituere sine licentia. *ib. n.* 8.

Vicarii Villæ muratæ qualitas requisita. *l.* 3. *t.* 30. *n.* 3. *p.* 193.

* Vicarius Episcopi idem quod Officialis. *l.* 1. *t.* 11. *litt. a. p.* 26.

* Apud nos munia utriusque diversa. *ibid.*

* Vicarius Episcopi voluntariam exercet jurisdictionem Officialis contentiosam. *ibid.*

* Cancellaria Apostolica Vicarios Transalpinos nominat Officiales: Citramontanos verò Vicarios nuncupat. *ibid.*

* Vicarius post intimatam revocationem confert præsente Episcopo. *ibid. litt. d.*

* Quod tamen distinguitur. *ibid.*

* Vicarius non potest Episcopo conferre. *l.* 1. *t.* 19. *litt. b. p.* 48.

* Substitutus à Vicario potest Vicario conferre, quia capit potestatem ab Episcopo. *ibid.*

* Vicarius commissa Episcopo non exequitur. *V. id* Delegatio.

Vicarius Generalis.

☞ In generali mandato Vicariatûs non comprehenditur collatio Beneficiorum, nisi talis facultas specialiter in tali mandato exprimatur. *l.* 1. *t.* 11. *n.* 1. *p.* 26. & 27.

☞ Item ex vi generalis mandati non habet potestatem Vicarius inquirendi, corrigendi, aut puniendi delicta, causæ matrimoniales specialem com-

missionem requirunt sicut Synodi Congregatio. *ibid. eod. n.* 1. *p.* 27.

Virgo Deipara.

Virginis Deiparæ Conceptionem immaculatam negantes. *l.* 3. *t.* 38. *n.* 22. *p.* 218.

Vis.

Vi occupans Beneficium Curatum ut puniatur. *l.* 3. *t.* 19. *n.* 6. *p.* 171.

Visitatio.

Visitatio Diœcesana. *l.* 3. *t.* 42. *n.* 21. *p.* 231.

Unio.

Unio Beneficiorum gratiosa prohibita. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 6. *p.* 8.
Unio Justitiæ permissa. *ibid. n.* 8. *p.* 9.
Uniri Beneficia quæ possint vel non. *ibid. n.* 7. 8. & 9.
Unio Beneficiorum à quibus, & ex quibus causis fiat. *ibid. n.* 8. & 10.
Unio non fit sine cognitione causæ. *ibid.*
Unio mensæ Episcopali fit à Papa. *ibid. n.* 11.
Unio à Vicario Episcopi sine mandato fieri non potest. *ibid. n.* 12. *p.* 10.
Unita Ecclesia Parrochiali Vicarius in ea institui debet. *ibid. n.* 14.
Unio præscriptione firmatur. *ibid. n.* 15.
Unio facta ob causam, eâdem causâ cessante revocatur. *ibid.*
* Beneficia Curata simplicibus non uniuntur, rectè verò simplicia Curatis. *l.* 1. *t.* 4. *litt. b. p.* 11.
* Uniendi potestas venit in generali mandato. *ibid. litt. c.*
* Quia est de Jurisdictione ordinaria quæ transit in Vicarium generalem. *ibid.*
* Uniendi potestas non transit ad Capitulum, Sede vacante; idem dicendum videtur de Vicario cùm nulla sit ratio differentiæ. *ibid.*
☞ Facultas uniendi Beneficia, & quorum Beneficiorum fieri possit unio explicatur. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 7. *p.* 11.
☞ Parrochiales Ecclesiæ unitæ Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis debent obtineri tamquam Vicariæ perpetuæ non obstante unione hujusmodi. *ibid. n.* 13. *p.* 12.

Votum.

A voto castitatis, & aliis votis quis dispensare possit *l.* 3. *t.* 38. *n.* 18. *p.* 217.

Usuræ.

Usurarii manifesti excommunicantur. *l.* 3. *t.* 40. *n.* 23. *p.* 222.
De usuris solvendis statuentes excommunicantur. *ibid. n.* 35. *p.* 223.

INDEX MATERIARUM

TRACTATUS

DE BONIS TEMPORALIBUS.

Æ

Ædificatio.

SI de Ecclesia nova ædificanda agatur, cognitio est Fori Sæcularis. *t. 1. n. 1. p. 261.*

A

Alienatio.

RECTORI Ecclesiæ prædia Ecclesiæ alienare prohibitum est. *t. 6. n. 1. p. 278.*

Licentia Sedis Apostolicæ postulanda est, causâ alienationis in supplicatione expressâ. *ibid. n. 4.*

Idem servatur Ordo in rebus mensæ Capitularis, sed in illis tractatus Capituli debet præcedere. *ibid. n. 5.*

Si Rector Ecclesiæ alienare velit, causam alienationis Papæ exponere debet. *ibid. n. 6.*

Permutatione res Ecclesiæ alienari potest, ob evidentem Ecclesiæ utilitatem. *ibid. n. 7.*

Alienatio rei Ecclesiasticæ ob justam causam solemniter facta non revocatur. *t. 8. n. 1. p. 284.*

Si alienatio sit nulla defectu causæ intra centum annos Ecclesiæ restituitur. *ibid. n. 2.*

Si alienatio sit nulla defectu formæ & solemnitatis & constet de causa alienationis, necessitatis, aut evidentis utilitatis, restitutio denegatur locis piis post quadraginta annos. *ibid. n. 3.*

* Alienatio quæ fit in casibus non permissis, vel sine juris solemnitate non valet. *t. 6. litt. a. p. 279.*

* Alienatio fundi Ecclesiastici sine causa & solemnitate tenet, quando alienans tantùm de suo erogavit Ecclesiæ quantum alienavit. *t. 8. litt. a. p. 285.*

☞ Res immobiles & quæ non sunt Ecclesiæ minus utiles alienari non possunt, nisi servatâ formâ juris. *t. 9. n. 2. p. 280.*

☞ Prælatus qui rem Ecclesiæ malè alienavit potest & debet illam repetere. *t. 8. n. 1. p. 286.*

☞ Sex causæ enumerantur ex quibus res Ecclesiæ licitè alienari possunt. *ibid. n. 2.*

☞ Restitutio in integrum non habet locum ultra quadriennium, nam si alienatio esset ipso jure nulla, Ecclesiæ competeret rei vindicatio ad illam recuperandam, nec opus esset restitutione in integrum saltem de jure. *ibid. n. 4.*

☞ Forma vel solemnitas requisita debet præcedere tractatus, item debet intervenire authoritas Superioris, consensus Capituli & subscriptio Clericorum; non tamen requiritur decretum Judicis, sed sufficit causæ cognitio; aliàs alienatio non teneret. *ibid. n. 5.*

B

Beneficium.

☞ BENEFICIA Ecclesiastica sunt instituta & ordinata jure positivo & non jure divino. *t. 5. n. 1. p. 277.*

C

Capella.

CAPELLÆ noviter erectæ, si in titulum Beneficii erectæ non fuerint ab Episcopo, non subsunt Parrocho, sed remanent sub dispositione Fundatorum. *t. 3. n. 6. p. 268.*

Capitulum.

Capitulum ratione Annatæ quam exigit, vacante Beneficio per Resignationem, vel per obitum solvere tenetur onera ordinaria integra illius anni. *t. 5. n. 7. p. 276.*

Cathedraticum.

* Non pensitatur Cathedraticum Episcopo nisi Ecclesia sit indotata. *t. 5. litt. e. p. 277.*

Census.

* Ecclesiasticus ob non solutionem censûs excommunicari non potest. *t. 5. litt. g. p. 177.*

Concilium.

Jura Parrochis debita instauravit Concilium Tridentinum, & revocavit Privilegia Monasteriis & Hospitalibus ante concessa. *t. 3. n. 5. p. 268.*

Consecratio.

Ecclesia consecratur à proprio Episcopo, vel ab alieno cum licentia illius & polluitur per effusionem sanguinis. *t. 1. n. 11. p. 263.*

Creditor.

Executiones creditorum quæ sunt in fructibus Beneficii in debitorem ipsum vel ipsius successorem, fiunt cum temperamento, relicto ne egeat. *t. 5. n. 9. p. 276.*

D

Decimæ.

DECIMÆ debentur Ecclesiæ ex præcepto Divino. *t. 2. n. 1. p. 264.*
Decimæ prædiales debitæ sunt ex fructibus prædiorum à possessoribus indistinctè etiam ab Hæreticis & Judæis *ibid. n. 6.*
Aliæ sunt decimæ personales, aliæ sunt mixtæ, seu reales & personales. *ibid. n. 7. & 8. p. 266.*
Aliæ sunt decimæ Regi debitæ & si à titulariis non solvantur, hæredes eorum pro reliquis debitis convenìri possunt, quibus non extantibus, vel deficientibus successor Beneficii tenetur. *ibid. n. 10.*
* Decimæ prædiales sunt de jure Divino, quamvis quota sit de jure humano tantùm, in qua consuetudo est attendenda. *t. 2. litt. a. p. 266.*
☞ Decimæ non sunt juris Divini sed solùm Ecclesiastici. *t. 2. n. 1. p. 266.*
☞ Circa portionem & qualitatem decimarum consuetudo est attendenda, quia quota decimæ per consuetudinem diminui potest. *ibid. eod. n. 1.*
☞ Potest quis eximi à solutione decimarum, & valet consuetudo ut ex certis fructibus decimæ non solvantur. *ibid. n. 2. p. 267.*
☞ Privilegium quod concedi potest de non solvendis decimis, ad novalia extendi non potest. *ibid. n. 8.*

Distributiones.

In Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis tertia pars Præbendarum in distributionibus quotidianis converti debet. *t. 5. n. 3. p. 275.*

Domus.

Si de domo Presbyterali agatur id fit expensis plebis. *t. 1. n. 6. p. 262.*

E

Ecclesia.

ECCLESIA duobus modis sumitur pro contento & pro continente. *t. 1. n. 1. p. 261.*
Ecclesia quæ pro continente sumitur est locus sacer in quo publicè celebratur ad sonum campanæ. *ibid. n. 2.*
Si de nova Ecclesia erigenda agatur, id fit expensis plebis, & forenses ab eo non eximuntur. *ibidem n. 3.*
Si de Ecclesia succursali erigenda agatur Rector Ecclesiæ Matricis vocandus est, non ut contribuat, sed ut causam erectionis impugnet. *ibid. n. 4. p. 262.*
Causa justa erigendæ Ecclesiæ succursalis est locus distans, difficilis accessus, & decem mansus. *ibid. n. 5.*
☞ Nova Parrochialis Ecclesia erigitur ob causam, præcipuè cum fine magno incommodo ad Parrochialem Ecclesiam Parrochiani accedere non possunt. *t. 1 n. 4. p. 264.*
☞ Cognitio ædificandi novam Ecclesiam, illique dotem assignandi pertinet ad Forum Ecclesiasticum. *ibid. n. 9.*

Eleemosyna.

Tertia pars fructuum Beneficii solebat erogari pro alimonia pauperum. *t. 5. n. 4. p. 275.*
* Ad instantiam Consulum, vel ipsius Parrochi vel Syndici paupetum, Parrochiæ taxatur eleemosyna non ad tertiam partem fructuum, sed attento proventu. *t. 5. litt. d. p. 276.*

Emphiteusis.

Episcopus non potest vendere vel in Feudum aut Emphiteusim dare, inconsulto Romano Pontifice. *t. 6. n. 3. p. 278.*
In investitura rei Feudalis vel Emphiteuticæ vel locatione perpetua eadem forma & causa requiruntur quæ in alienatione. *ibid. n. 8.*
Si res Feudalis vel Emphiteutica ad Ecclesiam reversa sit, Rector Ecclesiæ potest alium investire sine nova cognitione causæ. *ibid. n. 9. p. 279*

Emphiteuta.

☞ Emphiteuta ob sterilitatem non liberatur à solutione pensionis, sicut Colonus conductitius, vel etiam conductor. *t. 6. n. 7. p. 280.*

Equites.

Religiosi Equites Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani de bonis suis disponunt inter vivos, & morientes Religionem habent hæredem. *t. 4. n. 5. p. 270.*

Excommunicatus.

☞ Excommunicatus ab Ecclesia arcetur, & sicut à communione fidelium est exclusus, ita excluditur ab Ecclesia materiali. *t. 1. n. 1. p. 263.*

L

Laïcus.

LICET Laïci juris Decimarum sint incapaces, tamen in Gallia Investituræ ante Concilium Lateranense concessæ valent. *t. 2. n. 4. p. 226.*

Legatum.

Rupto testamento ex causâ præteritionis vel exhæredationis, Legata & Fideicommissa firma manent. *t. 4. n. 10. p. 272.*
Si testamentum declaretur nullum ob defectum voluntatis Testantis, Legata pia non debentur. *ibid. n. 11.*
De Legatis piis non detrahitur Falcidia. *ibid. n. 12.*
In Legatis piis usuræ debentur ex mora. *ibid. n. 13.*
Si Testator legaverit sumptus necessarios pro ædificanda Ecclesia vel Capella, videtur legasse pecuniam pro tali opere necessariam, nisi tenuiores sint facultates hæreditatis. *n. 14.*

Legata ad opus certum relicta non debent in alios usus converti sine licentia Prælati. *ibid. n.* 15.
* Ex Legatis piis nec Falcidia, nec Trebellianica detrahuntur. *t.* 4. *litt. f. p.* 273.
☞ In relictis ad pias causas duo testes sufficiunt sicut in relictis inter liberos, nisi testamentum sit imperfectum imperfectione voluntatis. *t.* 4. *n.* 8. *p.* 274.

Locatio.

In locatione rei Ecclesiasticæ quæ fit in quinquennium non inquiritur de causa. *t.* 6. *n.* 10. *p.* 278.
☞ Locatio ultra triennium, etsi non valeat quoad excessum seu annos jure non permissos, valet tamen quoad tempus jure permissum. *t.* 6. *n.* 10. *p.* 280.

M

Magistratus.

MAGISTRATIBUS, Officiariis publicis Dominis Feudatariis, & Patronis in Ecclesia jus Banchi sedendi gratia competit, privatis verò non. *t.* 1. *n.* 12. *p.* 263.

Matricularii.

☞ Administratores & Matricularii Ecclesiæ à decem annis dumtaxat rationem administrationis reddere tenentur. *t.* 5. *n.* 3. *p.* 277.

Missa.

Sacerdos semel celebrare potest exceptâ die Nativitatis Christi. *t.* 3. *n.* 7. *p.* 268.

Monachus.

Monachi & Religiosi non mendicantes vovent paupertatem in particulari non in communi. Monasterium titulo hæreditario donationis vel legati capere potest & prædia possidere: ipsi verò in particulari titulo hæreditario capere non possunt. *t.* 4. *n.* 4. *p.* 270.
☞ Sicut Monachus excluditur à successione Cognatorum, pariter excluduntur Cognati à successione peculii Monachi. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 273.
☞ Religiosi mendicantes & alii titulo hæreditario acquirere non possunt, & hi omnes sunt intestabiles activè & passivè, nisi ad Episcopatum sint promoti. *t.* 4. *n.* 3. *p.* 273. & 274.

O

Oblatio.

OBLATIONES turpis lucri respuuntur. *l.* 3. *n.* 1. *p.* 267.
Oblationum nomine venit quidquid offertur in Missa. *ibid. n.* 2.
Oblationibus Fidelium & largitione Imperatorum, Regum & Principum locupletata est Ecclesia. *t.* 4. *n.* 17. *p.* 273.
* Oblationes sunt quæcumque de propriis & licitis rebus Ecclesiæ offeruntur. *t.* 3. *litt. a. p.* 268.
* Oblationes quæ celebranti in aliena Ecclesia fiunt cedunt Rectori Ecclesiæ & non Celebranti. *ibid. litt. b.*
* Regulares tripliciter oblationes recipere possunt. *ibid. litt. c. p.* 269.
☞ Oblationes à quibusdam Patronis accipere non licet. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 269.
☞ Oblationes factæ alicui Capellæ Parrocho debentur, etiamsi extra Ecclesiam sita sit Capella vel Oratorium, modò intra fines Ecclesiæ. *ibid. n.* 3.

Onus.

Alia sunt onera ordinaria, alia casualia. *t.* 5. *n.* 5. *p.* 275.

P

Parrochus.

SI in Ecclesia parrochiali vel finibus illius erecta sit Capella in titulum Beneficio, oblationes quæ fiunt in ea pertinent ad Parrochum jure parrochiali. *t.* 3. *n.* 3. *p.* 267.
Nemo celebrare potest in aliena Parrochia sine licentia Parrochi. *t.* 5. *n.* 1. *p.* 275.
☞ Proprius Parrochus in Ordine ad Matrimonium non intelligitur originis sed domicilii ratione cujus partes per aliquod temporis spatium in Parrochia domicilium habuerunt. *t.* 5. *eod. n.* 1. *p.* 277.

Patronus.

☞ Unus ex duobus vel pluribus Patronis, qui solus præsentavit non censetur spoliare alios Patronos non præsentantes. *t.* 7. *n.* 3. *p.* 284.

Permutatio.

* Inter Rectores Ecclesiarum de bonis Ecclesiasticis permutatio est permissa. *t.* 6. *litt. b. p.* 279.

Præscriptio.

Licèt jus decimandi sit impræscriptibile, tamen præscribitur in specie, vel in quota, vel in consuetudine. *t.* 2. *n.* 2. *p.* 265.
Ecclesia contra Ecclesiam jus decimandi præscribere potest spatio quadraginta annorum. *ibid. n.* 5.
In actionibus realibus, personalibus & mixtis Ecclesiæ & aliis piis locis præscriptio quadragenaria opponi potest. *t.* 7. *n.* 1. *p.* 281.
Eadem præscriptio quadragenaria requiritur contra Ecclesiam in censibus annuis & juribus momentaneis scilicet laudimiis & releviis exigendis. *ibid. n* 2.
Qui sibi & suo nomine non possident, nullo tempore præscribunt contra Ecclesiam. *ibid. n.* 3.
Relictum testamento, vel pretio constitutum super certo fundo non præscribitur contra Ecclesiam, nisi quadraginta annis. *ibid. n.* 4 *p.* 282.
Jura superioritatis & obedientiæ Prælatis debita in totum nullo tempore præscribuntur. *ibid. n.* 5.
Fines & limites Provinciarum & Diœceseon inter Prælatos, & Parrochiarum inter Parrochos sunt impræscriptibiles. *ibid. n.* 6.

Quarta funeraria à Regularibus præscribitur contra Parrochos. *ibid. n.* 7.
In rebus mobilibus Ecclesia jure communi utitur per usucapionem & continuationem possessionis. *ibid. n.* 8.
* Legata annua Capellano relicta ad celebrandum pro anima testantis imprescriptibilia sunt. *t.* 7. *litt. a. p.* 283.
* Sede vacante nec inchoari, nec currere, nec etiam finiri potest præscriptio. *ibid. litt. c.*
* Vitium furti non impedit præscriptionem. *ibidem litt. d.*
☞ Ea quæ sunt meræ facultatis imprescriptibilia sunt. *t.* 7. *n.* 4. *p.* 284.
☞ Fines prædiorum Ecclesiasticorum quadraginta annis præscribi possunt non autem Ecclesiarum. *ibid. n.* 7.
☞ Exercens jurisdictionem in certis articulis etiam cum intentione acquirendi universalem possessionem Jurisdictionis in omnibus articulis conjunctis, non præscribit nisi in his articulis in quibus Jurisdictionem exercuit, si alius Ordinarius sit in possessione aliorum articulorum. *ibid. eod. n.* 7.

Privilegium.

Privilegia non solvendi decimam revocari possunt ex causa superveniente. *t.* 2. *n.* 3. *p.* 265.
In actionibus temporalibus quæ brevi tempore concluduntur cessat Ecclesiæ privilegium. *t.* 7. *n.* 9. *p.* 283.

Pollutio.

* Non polluitur Ecclesia propter emissionem aliquarum guttarum sanguinis, sed propter largiratem, & talis effusio debet injuria non casu evenire. *t.* 1. *litt. b. p.* 263.
* Ecclesia polluta non reconsecratur sed reconciliatur. *ibid. litt. d.*

R

Rectores.

RECTORES Ecclesiarum de decimis quas exigunt Episcopo Diœcesano quartam præstare tenentur. *t.* 9. *n.* 9. *p.* 266.

Reclamatio.

☞ Tempus quinquennii præfixum fuit non in odium negligentis invalidè professi sed in favorem Religionis. *t.* 4. *n.* 6. *p.* 274.

Regularis.

Quidam Regulares nomine tenus habent factionem testamenti activam & passivam. *t.* 4. *n.* 6. *p.* 271.

Religiosus.

Religiosus ante professionem testari potest post eam non potest illi succedunt hæredes scripti in testamento aut legitimi venientes ab intestati excluso Monasterio. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 270.
Religiosi Mendicantes titulo hæreditario acquirere non possunt. *ibid. n.* 3.

Reparatio.

Si de reparanda Ecclesia agatur Rector contribuere debet pro tertia parte sumptuum operis, si fructus annui non computatis incertis oblationibus, deductis necessariis pro victu Rectoris & servitio Ecclesiæ sufficiant huic tertiæ exolvendæ. *t.* 1. *n.* 7. *p.* 262.
Vicarius habens partem proventuum & fructuum decimalium ab onere non potest se excusare in casu prædicto. *ibid. n.* 8.
Si de Ecclesia reparanda agatur cognitio est mixti Fori. *ibid. n.* 10.
In oppignoratione facta ob necessitatem Ecclesiæ pro reparationibus ipsius Ecclesiæ, consensus Rectoris Ecclesiæ sufficit. *t.* 6. *n.* 2. *p.* 278.

Retributiones.

Quæ dantur Sacerdoti Missam celebranti pro opera & labore, non debent ei extorqueri nisi Rector Capellaniæ ejus operam certâ mercede conduxerit. *t.* 3. *n.* 4. *p.* 268.

Rescisio.

Inter majores venditio non rescinditur, nisi ob læsionem enormissimam, sed Ecclesia quæ æquiparatur Reipublicæ gaudet Privilegio illius. *t.* 8. *n.* 6. *p.* 285.

Restitutio.

Restitutio in integrum ob læsionem conceditur Ecclesiæ & piis locis intra quadraginta annos. *t.* 8. *n.* 4. *p.* 285.
Si alienatio Prædii Ecclesiastici sit nulla defectu causæ, vel formæ requisitæ, tempus restitutionis & latæ sententiæ trahitur retro. *ibid. n.* 5.
* Restitutio peti debet intra quadraginta annos, aliàs obest præscriptio etiam contra Romanam Ecclesiam attento jure civili. *t.* 8. *litt. c. p.* 285.

S

Sedes.

INVITO Episcopo Laïci non possunt sibi vindicare jus sedium seu Banchorum in Ecclesia. *t.* 8. *litt. f. p.* 263.

Sepultura.

Quilibet sepeliendus est in sua Parrochia, nisi alibi sepulturam sibi eligerit. *t.* 5. *n.* 2. *p.* 275.
* Mulier etiam nupta potest sibi eligere sepulturam, & pater filiis impuberibus eligere potest. *t.* 5. *litt. b. p.* 276.

Successio.

* Generali Regni consuetudine, omnes Religiosi ab omni successione directa & collaterali excluduntur rejecto quocumque Privilegio. *t.* 4. *litt. c. p.* 273.

Successor.

Successor.

Si possessor Beneficii non solvat onera, hæres illius solvere tenetur,& successor Beneficii non tenetur, nisi discusso hærede. *t. 5. n. 6. p. 276.*

Debita quæ contrahit possessor Beneficii in rem propriam non onerant Beneficium, nec transeunt in successorem Beneficii. *ibid. n. 8.*

T

Testamentum.

CONSTITUTIONIBUS Gallicis non licet Religionem professuro ante professionem testari in gratiam Monasterii directè vel indirectè. *t. 4. n. 2. p. 270.*

Clerici in Gallia de relictis à parentibus vel extraneis & de quæsitis ex reditu Beneficii vel suâ operâ indistinctè testari possunt. *ibid. n. 7. p. 271.*

Si testamentum sit imperfectum defectu formæ & solemnitatis, & Ecclesia fuerit instituta, nihilominus succedit, nisi sint liberi, quia causa liberorum favorabilior est causâ piâ. *ibid. n. 8.*

Filius familias jure communi testari non potest, etiam permittente patre, nisi Clericus sit, cui de peculio aliunde quàm à patre quæsito, post Clericatum testari potest. *ibid. n. 9. p. 272.*

* In Gallia professus testari non potest etiam ex dispensatione Papæ. *t. 4. litt. a. p. 273.*

* Testamentum primum factum coram septem testibus, tollitur per secundum factum ad pias causas coram duobus. *ibid. litt. d.*

* Prælatus Ecclesiæ potest in testamento alieno ipsi Ecclesiæ adscribere, aut etiam sibi in favorem Ecclesiæ. *ibid. litt. e.*

V

Visitatio.

* ALIUS ab Episcopo habens potestatem visitandi præscriptione, consuetudine, institutione, vel privilegio non est dempta facultas præscribendæ procurationis. *t. 7. litt. b. p. 283.*

Voluntas.

In Codicillis & Donationibus causâ mortis defectus formæ & solemnitatis requisitæ suppletur, modò constet de voluntate disponentis ex instrumento Notarii. *t. 4 n. 16. p. 273.*

INDEX MATERIARUM

TRACTATUS

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA.

A

Abbas.

ABBATES & Superiores Monasteriorum & Abbatissæ Jurisdictionem habent in Regulares & Moniales. *l. 1. t. 10. n. 1. p. 303.*

Abolitio.

Judex Laïcus ad quem litteræ abolitionis diriguntur cognoscit de validitate earum. *l. 2. t. 3. n. 24. p. 320.*

Abusus.

A stilo & ordine judiciario omisso in Foro Ecclesiæ non appellatur velut ab abusu. *l. 3. t. 5. n. 5. p. 335.*

Si Appellans queritur de iniquitate Sententiæ per appellationem, à Superiore ei succurritur, si verò de abusu queritur, à Senatu ei succurritur. *l. 3. t. 7. n. 2. p. 336.*

Semper licet appellare ab abusu, nullâ obstante præscriptione. *ibid. n. 2.*

Abusus contra jus publicum consensu privatorum tolli non potest. *ibid. n. 3.*

De Rescripto Papæ non appellatur ab abusu sed de executione illius. *ibid. n. 4.*

Appellatio ab abusu devolvitur ad Senatum, & executio Sententiæ suspenditur nisi agatur de correctione. *ibid. n. 5.*

Abusus est etiam ex parte Judicis Laïci si cognoscat de causis Ecclesiastici Fori. *ibid. n. 6.*

Appellationes ab abusu sunt ad conservandam disciplinam Ecclesiasticam & Jurisdictionem Regiam. *l. 3. t. 8. n. 1. 2. 3. & 4. p. 337.*

Quæ per viam querimoniæ aut oppositionis coram Papa emendabantur, per apellationem ab abusu à Senatu emendantur. *ibid. n. 5.*

Si Jurisdictio sæcularis lædatur, abusus est. *l. 3. t. 9. n. 1. p. 339.*

In politia Ecclesiæ seu administratione rei Ecclesiasticæ abusus notantur in variis casibus. *ibid. n. 2.*

Accuſatio.

Laïci Clericos accuſare poſſunt, ſi ſuam vel ſuorum cauſam agant. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 3. *p.* 326.
Nec tenentur ſe inſcribere. *ibid. n.* 4. *p.* 327.
Si plures accuſare velint, non admittuntur omnes, magis idoneus admittitur. *ibid. n.* 5.
Qui ſuam vel ſuorum injuriam perſequuntur, dant libellum querimonialem ut inquiratur contra reum. *ibid. n.* 6.

Accuſatores.

Qui non admittuntur ad accuſandum, vix admittuntur ad inſtigandum. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 7. *p.* 327.

Actio.

Actiones perſonales Clericorum ſunt Eccleſiaſtici Fori. *l.* 2. *t.* 1. *n.* 1. *p.* 309.
Papa non poteſt cognoſcere de actionibus realibus prædiorum inter Clericos. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 31. *p.* 343.

Alienatio.

Legatus non poteſt confirmare alienationem bonorum immobilium Eccleſiæ. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 9. *p.* 340.
Si alienatio ſit nulla defectu formæ & ſolemnitatis requiſitæ aut ex defectu cauſæ, appellatur ab executione Reſcripti. *ibid. n.* 10.

Appellatio.

Non licet appellare à Sententia vel Decreto Superioris Monaſterii. *l.* 1. *t.* 10. *n.* 2. *p.* 303.
A correctione Capituli appellatur ad Epiſcopum, ſed per appellationem correctio non retardatur. *ibid. n.* 5. *p.* 304.
Appellans reſtituitur Judicis officio adverſus lapſum temporis. *l.* 3. *t.* 1. *n.* 1. *p.* 330.
Si quis litigantium appellaverit à Sententia, & nolit appellationem perſequi, appellationi renuntiare debet in judicio. *ibid. n.* 2.
Appellatio habetur pro deſerta ſi appellans non exhibeat litteras appellatorias. *ibid. n.* 3.
Expenſis appellantis in cauſa civili acta appellatoria deferuntur ad Judicem ad quem. *ibid. n.* 4. *p.* 331.
A Decretis Capituli aut Prælati inferioris appellatur ad Epiſcopum, ab Epiſcopo ad Metropolitanum, & à Metropolitano ad Papam. *l.* 3. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 331.
Omiſſo medio non licet appellare ad Papam. *ib. n.* 2.
In cauſa appellationis ad Papam, Papa dat Commiſſarios in partibus non ultra bidui ſpatium. *ibid. n.* 3.
Poſt duas interlocutorias aut tres Sententias definitivas conformes ampliùs appellare non licet. *ibid. n.* 6. *p.* 332.
Per appellationem cauſa devolvitur ad Superiorem, & effectus Sententiæ ſuſpenditur. *l.* 3. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 333.
Pendente appellatione, liberum eſt appellanti petere abſolutionem ad cautelam. *ibid. n.* 3.
In criminalibus ſi à decreto aut proceſſu appellatum fuerit, proceſſus non retardatur. *ibid. n.* 7. *p.* 334.
In caſibus ordinariis pendente appellatione nihil eſt innovandum. *ibid. n.* 10.
Si unus ex pluribus eâdem ſententiâ condemnatis appellavit & obtinuit, victoria illius cæteris prodeſt ſi eodem jure utantur. *ibid. n.* 11.

Authoritas.

Senatûs authoritas imploratur ut Ordinarius officii ſui admoneatur, aut extra ordinem Partibus ſuccurratur. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 3. *p.* 296.

C

Capitulum.

Sede vacante Juriſdictio contentioſa tranſit ad Capitulum. *l.* 1. *t.* 9. *n.* 2. *p.* 302.
Capitula Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum ex generali conſuetudine habent poteſtatem corrigendi exceſſus Canonicorum cæterorumque Beneficiatorum & Miniſtrantium qui committuntur in Eccleſia. *l.* 1. *t.* 10. *n.* 3. *p.* 303.
Si Capitulum fuerit negligens in eligendo aut conferendo, jus devolvitur ad Epiſcopum. *ibid. n.* 7. *p.* 304.

Citatio.

Judex Eccleſiaſticus decernendo citationem contra Laïcum ſummatim cauſam citationis exprimere debet. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 17. *p.* 315.
Si citatus non veniat alio Judicis Edicto arguitur ejus contumacia, & iterum citari mandatur. *l.* 2. *t.* 4. *n.* 2. *p.* 321.

Clericus.

Clerici à Judicio Laïcorum ſunt exempti. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 6. *p.* 290.
Clerici ſimplicis Tonſuræ non gerentes habitum clericalem, nec Beneficiati non habent privilegium Fori. *l.* 2. *t.* 1. *n.* 2. *p.* 309.
Clerici excommunicati retinent privilegium Fori. *ibid. n.* 3. *p.* 310.
Clerici exceptioni declinatoriæ Fori renuntiare non poſſunt. *ibid. n.* 4.
Clericus exceptioni & privilegio Fori renuntiare videtur ſi functiones publicas adminiſtret. *ibid. n.* 5. 6. & 7.
Si de delicto communi agatur cum Laïco, Clericus remitti debet ad Judicem Eccleſiaſticum. *ibid. n.* 8.
Clerici citantur coram Judice ſæculari ad ferendum teſtimonium. *ibid. n.* 9.
Si Clericus conveniatur ab emptore actione empti non poteſt uti præſcriptione Fori. *ibid. n.* 10.
Si Clericus fidejuſſerit pro Laïco, ſuo privilegio uti poteſt. *ibid. n.* 11. *p.* 311.
In reconventione Clericus non poteſt declinare Juriſdictionem ſæcularem. *ibid. n.* 12.
Agnitio Chirographi facta à Clerico coram Judice Laïco parit hypothecam. *ibid. n.* 13.
Si de inſtrumento publico recepto à Notario agatur

Clericus uti non potest suo privilegio. *ibid. n.* 14.

Confiscatio.

Bonorum confiscationem solus Judex Laïcus decernere potest. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 21. *p.* 320.

Constitutio.

Constitutiones Ecclesiæ non aliter ligant, quàm si fuerint promulgatæ. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 12. *p.* 295.
Constitutiones Apostolicæ Sedis politiæ Ecclesiasticæ externæ non obligant nisi fuerint promulgatæ & usu receptæ. *l.* 3. *t.* 11. *n.* 2. *p.* 345.

Contestatio.

Contestatio in Judicio fit summatim per libellum ex parte actoris contra quem reus suas proponit exceptiones. *l.* 2. *t.* 4. *n.* 4. *p.* 321.

Contractus.

Electiones & Contractus Laïcorum sunt cognitionis Judicis Laïci. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 15. *p.* 305.

Contumacia.

Reus qui ob absentiam & contumaciam damnatus est, suas exceptiones contumaciæ proponere potest. *l.* 2. *t.* 4. *n.* 3. *p.* 321.

Contumax.

Si reus citatus non veniat jubetur apprehendi & incarcerari, & sententia fertur in contumacem. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 10. *p.* 328.

Correctio.

Episcopus non potest prævenire Capitulum circa correctionem, sed illud monere potest ut intra certum tempus corrigat, quo elapso, illorum negligentiam supplere potest. *l.* 1. *t.* 10. *n.* 4. *p.* 304.
In correctoriis per appellationem vis sententiæ non suspenditur. *l.* 3. *t.* 4. *n.* 2. *p.* 333.

Crimen.

Officium potestatis Sæcularis imploratur, si de crimine atroci puniendo agatur, & Ecclesia non habeat pœnas condignas delicto. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 2. *p.* 296.
Causæ criminales Clericorum sunt Ecclesiastici Fori. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 316.
Judices Laïci cognoscunt de criminibus privilegiatis Clericorum. *ibid. n.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. *p.* 317. & 318.
Crimina communia pertinent ad cognitionem Judicis Ecclesiastici. *ibid. n.* 14.
Judex Laïcus procedit contra Clericum, si crimen sit privilegiatum. *ibid. n.* 16. *p.* 319.
Pro delictis privilegiatis à Judicibus Ecclesiasticis & Regiis contra Clericos conjunctim fit processus. *ibid. n.* 17.
In Criminibus quæ sunt mixti Fori locus est prævention inter Judicem Ecclesiasticum & Laïcum. *ib. n.* 19.
Tribus modis agitur de crimine denuntiando, excipiendo, & accusando. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 1. *p.* 326.
De crimine falsi aut usurarum inter Laïcos Papa cognoscere non potest aut indices dare, nec de hæresi. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 15. & 16. *p.* 342.
Papa & Legatus non possunt etiam dare indices in criminibus privilegiatis. *ibid. n.* 28. *p.* 343.

D

Decimæ.

QUÆSTIO de Decimis si consistat in facto spectat ad Judicem Laïcum. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 9. *p.* 314.

Delegatio.

Delegatio facta nomine Dignitatis transit ad successorem. *l.* 3. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 332.

Delegatus.

Non delegantur à Papa nisi qui sunt in Dignitate aut Canonici Ecclesiæ Cathedralis. *l.* 3. *t.* 2. *n.* 4. *p.* 331.
Tres Judices solent alternativè delegari à Papa in causa appellationis. *ibid. n.* 5. *p.* 332.

Delictum.

Si delictum commune sit atrox & pœnâ mortis expiari debeat, Judex Ecclesiasticus Clericum convictum ad Judicem Laïcum cum processu transmittere debet. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 15. *p.* 318.

Doctrina.

Doctrina Jansenii damnata Decreto Sedis Apostolicæ. *l.* 3. *t.* 11. *n.* 6. & 7. *p.* 347.

E

Ecclesia.

ECCLESIA est Respublica fidelium à Christo instituta. *l.* 1. *t* 1. *n.* 2. *p.* 290.
Licèt Ecclesia non habeat gladium temporalem, habet tamen gladium spiritualem excommunicationis, suspensionis, & depositionis contra discolos & contumaces. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 7. *p.* 292.
Ecclesia habet merum imperium & jure proprio potest condere Canones. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 293.

Episcopus.

Episcopi de causis Religionis, de obligationibus Clericorum, de rebus Sacris & Spiritualibus, suo, non alieno Beneficio, jus dicere cœperunt. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 291.
Episcopus qui non habet Jurisdictionem Episcopalem in Monasteriis, potest tamen ibi celebrare in Pontificalibus. *l.* 1. *t.* 7. *n.* 5. *p.* 299.
Episcopi olim Ordinare non poterant aut Beneficia

conferre, vel Jurisdictionem exercere sine consilio. *l.* 1. *t.* 8. *n.* 1. *p.* 301.
Episcopi jus illud exercendi Jurisdictionem sine consilio Capituli præscribere poterant. *ibid. n.* 2.
Episcopi hodie in collatione Beneficiorum & Jurisdictionis exercitio non tenentur adhibere consilium Canonicorum. *ibid. n.* 3.
Episcopus non solùm per se, sed etiam per alios suam Jurisdictionem exercere potest. *l.* 1. *t.* 9. *n.* 1. *p.* 302.

Exceptio.

Sunt exceptiones declinatoriæ vel dilatoriæ judicii, quæ petuntur ex variis causis. *l.* 1. *t.* 11. *n.* 12. *p.* 307.

Excommunicatio.

Pœna excommunicationis non irrogatur nisi per Sententiam, aut Judicis Decretum cum cognitione causæ. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 5. *p.* 290.

F

Fabricenses.

EPiscopus cognoscit de ratiociniis fabricæ Ecclesiæ contra fabricenses. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 14. *p.* 315.

Fiscus.

Ecclesia non habet Fiscum, ideo Judex Ecclesiasticus non potest damnare reum in aliquam mulctam nisi in aliquam piam causam applicandam. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 6. *p.* 294.

G

Graduatus.

LEgatus privilegio Graduatorum derogare non potest. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 6. *p.* 339.

H

Hæresis.

IN Clericos inquiritur ab Episcopo de crimine hæresis *l.* 2. *t.* 3. *n.* 23. *p.* 320.

Hospitale.

Rectores Hospitalium de reditibus illorum & Legatis coram judicibus sæcularibus rationem reddere tenentur. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 16. *p.* 315.

I

Incarceratio.

HAbet Judex Ecclesiasticus mixtum imperium in criminalibus & civilibus sed incarceratio fieri non potest sine licentia Judicis laïci. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 5. *p.* 294.

Indultum.

Indultis Regiis ad Beneficia Papa derogare non potest, nec Indultis Cardinalium. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 14. *p.* 342.

Injuria.

Pro levi injuria non agitur criminaliter per inquisitionem, sed civiliter. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 8. *p.* 327.
Si injuria sit gravis, Judex decernit inquiri de contentis in querimoniali. *ibid. n.* 9.

Inquisitio.

Si res non sit probata fit interlocutio, & articulis editis, & á Judice admissis, inquiritur ab eo, vel à Commissario delegato. *l.* 2. *t.* 4. *n.* 5. *p.* 322.
Ante litem contestatam procedere non licet ad inquisitionem & auditionem testium. *l.* 2. *t.* 5. *n.* 5. *p.* 324.
Productis inquisitionibus, sententia fertur, & duo testes sufficiunt modò sint uniformes. *ibid. n.* 6. & 7.

Intrusus.

Cum Intruso de fructibus Beneficii Legatus pacisci non potest. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 23. *p.* 343.

Judex.

Judex Ecclesiasticus observare debet Constitutiones Principum sæcularium & consuetudines Patrias quæ sunt in usu. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 9. *p.* 294.
Judex sæcularis cui constat de Decreto tenetur dare licentiam sine cognitione causæ. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 1. *p.* 296.
Judex Ecclesiasticus ex variis causis fit suspectus & potest recusari. *l.* 1. *t.* 11. *n.* 1. 2. 3. 4. 5. & 6. *p.* 306.
Judex laïcus pro Jurisdictione sua potest attentata reparare pœnali Judicio. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 316.
Judex Ecclesiasticus pronuntiando malè appellatum, rectè judicatum, remittit partes ad Judicem à quo. *l.* 3. *t.* 5. *n.* 1. *p.* 334.
Si à Sententia definitiva appellatum sit, Judex appellationis cognoscit de meritis causæ. *ibid. n.* 2.
Judicibus inferioribus variis formulis in Sententia uti non licet. *ibid. n.* 3.
Si Judex Ecclesiasticus ter requisitus non procedat, appellatur Judex appellationis Ecclesiasticus. *ibid. n.* 4. *p.* 335.

Jurisdictio.

Jurisdictio Ecclesiastica Eclypsim passa est usque ad tempora Constantini. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 290.
Olim frequens erat occupatio Prælatorum in audiendis & dirimendis litibus fidelium. *ibid. n.* 2. *p.* 291.
Constitutionibus Pontificiis cautum fuit Judices sæculares excommunicari qui personas Ecclesiasticas, aut Ecclesiæ, aut rerum spiritualium annexarum cognitionem ad sua Tribunalia evocant. *l.* 1.

l. 1. *t.* 3. *n.* 2. *p.* 292.
Idem cautum fuit constitutionibus Imperatorum. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 3. 4. 5. & 6 *p.* 292.
Jurisdictio Ecclesiastica non humanâ sed divinâ authoritate nititur. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 8. *p.* 293.
Judex Ecclesiasticus non habet potestatem gladii temporalis, nec actu, nec habitu. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 2. *p.* 293.
Judex Ecclesiasticus Forum habet & Procuratorem Officialitatis. *ibid. n.* 8. *p.* 294.
Episcopus potest ubique intra suam Diœcesim exercere clavem Ordinis, & actus voluntariæ Jurisdictionis ubique possunt expediri. *l.* 1. *t.* 6. *n.* 1. *p.* 297.
Quilibet Episcopus Jurisdictionem ordinariam habet in tota Diœcesi, exceptis locis exemptis. *l.* 1. *t.* 7. *n.* 1 *p.* 298.
Parrochiæ & Capellæ unitæ Monasteriis subsunt Episcopo Diœcesano, in quibus Rectores sæculares ab Episcopo Diœcesano instituuntur ad præsentationem Monachorum aut Monialium, & si Monachi in illis Ecclesiis serviant subsunt etiam Episcopo. *ibid. n.* 2. *p.* 299.
Abbates generales Ordinis qui in Monasteriis Jurisdictionem exercent Episcopalem in Parrochos & Parrochianos, non subsunt Jurisdictioni Episcopali. *ibid. n.* 3.
Capitulum interdum habet Jurisdictionem conjunctim cum Episcopo, & tunc Episcopus habet unam tantùm vocem, & à sententia eo præsente vel absente appellatur ad Metropolitanum. *l.* 1. *t.* 10. *n.* 6. *p.* 304.
Ad probandum actus Jurisdictionales probatio vocalis non sufficit, litteralis desideratur. *ibid. n.* 10. *p.* 305.
Si de Ecclesia ædificanda agatur cognitio est Judicis laïci. *l.* 2. *t.* 1. *n.* 15. *p.* 311.
Si de portione congrua Vicarii Parrochiæ agatur cognitio est Judicis Ecclesiastici. *ibid. n.* 16.
Si de re immobili agatur contra Clericum, cognitio est Judicis laïci. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 312.
Contra Clericum possessorem rei pignoratæ, cognitio est Judicis laïci. *ibid. n.* 2.
In præparatoriis causæ & Judiciis idem ordo observandus est in Foro Ecclesiastico, quàm in sæculari. *l.* 2. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 321.

Jus Sedis.

Quibus competit Jus habere Sedem in Ecclesia, coram Judice laïco jus possessorium experiri debent. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 10. *p.* 314.

L

Legatus.

LEGATUS à Papa in Provincia manere debet usque ad adventum successoris *l.* 3. *t.* 3. *n.* 2. *p.* 332.
Legatus inter Subditos Regni Gallici Judex esse non potest. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 3. *p.* 339.
Legatus non potest legitimare Bastardos, nisi ad Ornes & Beneficia. *ibid. n.* 4.
Legatus Provisiones, Titulum, vel Commendam ad vitam dare non potest sine Regis nominatione. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 12. *p.* 341.
Legatus uni non potest dare diversa Beneficia sub eodem tecto, nisi sint simplicia & modici reditûs. *ibid. n.* 20. *p.* 343.
Legatus executoribus testamentorum tempus prorogare non potest, nec legata pia in alios usus convertere. *ibid. n.* 21.
Legatus existens extra Regnum Beneficia conferre non potest. *ibid. n.* 34.

Lex.

Leges Principum sæcularium nihil addunt nec detrahunt in iis quæ pertinent ad fidem, sed illa solùm quæ definita sunt suis subditis promulgant. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 10. *p.* 295.

Litteræ.

Papa nec Legatus litteras restitutionis in integrum, aut rescisionis in causis quæ Fori Ecclesiastici non sunt, dare non possunt. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 29. *p.* 343.

Locatio.

Si Rector Ecclesiæ in locationibus modum jure Canonico præscriptum non servaverit, successor non tenetur stare Colono, licèt ipse ab eo per aliquot annos mercedem acceperit. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 11. *p.* 341.

M

Matrimonium.

SI de matrimonio sit quæstio, seu an sit, & rite matrimonium contractum sit, Judex Ecclesiasticus cognoscit. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 6. *p.* 313.
Judex Ecclesiasticus de promissione matrimonii cognoscit, sed de dote aut donatione propter nuptias cognoscere non potest. *ibid. n.* 7. *p.* 314.
Si de dote aut donatione propter nuptias agatur, Judex laïcus incidenter potest cognoscere de validitate aut invaliditate matrimonii. *ibid. n.* 8.

Monitorium.

Pro levi excessu non dantur monitoria, & non licet Ecclesiasticis uti censura excommunicationis, nisi in casibus à Conciliis & Constitutionibus Ecclesiæ permissis. *l.* 3. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 344.
In Foro Ecclesiæ non dantur monitoria pro crimine nisi ut agatur civiliter. *ibid. n.* 2.
Non dantur monitoria in causa Fori sæcularis ante cœptam instantiam, nec sine licentia Judicis sæcularis. *ibid. n.* 3. *p.* 345.

O

Objectum.

AD objecta & reprobata producenti licet respondere ad salvanda testificata. *l.* 2. *t.* 5. *n.* 4. *p.* 324.
Ante lecturam inquisitionum prius objecta examinantur & judicantur. *ibid. n.* 10.

Oblatio.

Si de tertia vel quota cereorum, & oblationum funeralium à Monasteriis & Ecclesiis inferioribus debita Ecclesiæ Parrochiali ambigatur inter Rectorem & œconomum Ecclesiæ inferioris vel Monasterii, cognitio est mixti Fori. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 11. *p.* 314.

Officium.

Clericus exercens aliquod officium sæculare si in eo delinquat à Judice Regio puniri debet. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 5. *p.* 317.

P

Papa.

PAPA nec Legatus causas pendentes coram Judicibus ordinariis ad se, vel Judices datos evocare non possunt. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 26. *p.* 343.

Papa Laïcos pristinæ famæ restituere non potest, nec Clericos nisi ad Ordines & Beneficia. *ibid. n.* 32.

Papa sine consilio res arduas Ecclesiæ expedire non potest *l.* 3. *t.* 11. *n.* 1. *p.* 345.

Patronatus.

Papa nec Legatus juri Patronatûs Laïcorum derogare non possunt. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 19. *p.* 342.

Pensio.

Legatus non potest imponere pensionem in Beneficio. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 7. *p.* 340.

Papa habenti pensionem in aliquo Beneficio non potest cessionem & translationem in alium permittere. *ibid. n.* 33. *p.* 343.

Peremptio.

Instantia cœpta perimitur triennali silentio ab actu postremo litis. *l.* 2. *t.* 6. *n.* 1. *p.* 325.

Instantiâ peremptâ pereunt acta quæ fiunt ad litis ordinationem, perit etiam interlocutio Judicis, manent tamen confessiones & depositiones testium. *ibid. n.* 2.

Appellationis instantia perimitur silentio triennali, sicut prima instantia. *ibid. n.* 3.

Non perit instantia nec præscribitur durante tempore compromissi. *ibid. n.* 4.

Pignus.

Fructus Præbendæ & distributiones quotidianæ pignori capi possunt, relictis necessariis ad victum: arreragia verò integra pignori capi possunt. *l.* 3. *t.* 6. *n.* 1. *p.* 335.

Pœna.

Judex Ecclesiasticus non potest reum damnare ad pœnam sanguinis, aut deportationis, aut triremium, aut exilii. *l.* 1. *t* 4. *n.* 3. *p.* 293.

Judex Ecclesiasticus varias pœnas contra Clericos convictos irrogare potest. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 20. *p.* 319.

In pœnis irrogandis status rei est attendendus. *ibid. n.* 22.

Pontifex.

De fide est, Romanum Pontificem esse successorem divi Petri. *l.* 3. *t.* 11. *n.* 4. & 5. *p.* 346.

Possessio.

Missio in possessionem Beneficii est mixti imperii & per Clericos fieri potest. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 7. *p.* 294.

Possessorium.

Judicium possessorium cognitionis est Judicis laïci. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 3. *p.* 313.

Pendente judicio possessorio coram Judice laïco quiescit petitorium. *ibid. n.* 4.

Potestas.

Christus dedit potestatem juris dicendi beato Petro & successoribus ejus. *l.* 1. *t.* 1. *n.* 1. *p.* 289.

Qui habent potestatem directivam, habent etiam coactivam. *ibid. n.* 4. *p.* 290.

Potestas Ecclesiastica non Jurisdictio, sed audientia appellabatur. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 3. *p.* 291.

Potestas ordinaria Ecclesiæ data fuit divo Petro transmissibilis ad successores. *l.* 3. *t.* 11. *n.* 3. *p.* 346.

Præcedentia.

De controversiis inter Sæculares & Regulares, de præcedentiis in processionibus & comitiis Episcopus cognoscere debet. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 13. *p.* 314.

Præscriptio.

Unus Prælatus potest præscribere Jurisdictionem & alia jura Episcopalia contra alium. *l.* 1. *t.* 10. *n.* 11. *p.* 304.

Sola præscriptio centenaria temporis immemorialis tituli instar est. *ibid. n.* 11. *p.* 305.

Præscriptione Ecclesia inferior aut Monasterium liberatur. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 12. *p.* 314.

Præscriptione viginti annorum crimina extinguntur tam coram Judice Ecclesiastico quàm laïco. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 25. *p.* 320.

Princeps.

Quilibet Princeps in suo Regno decernit quæ sunt utiliora ad regimen Ecclesiæ, & magis accommodata populi consensui. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 11. *p.* 295.

Princeps sæcularis interdum excitat Jurisdictionem Ecclesiasticam. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 4. *p.* 296.

Privilegium.

Si ex causa privilegium concessum fuerit à Sede Apostolica, præscriptio quadragenaria requiritur ad illud tollendum. *l.* 1. *t.* 10. *n.* 12. *p.* 305.

Si de Taleis aut tributis publicis agatur contra Clericum cessat exceptio declinatoria. *l.* 2. *t.* 1. *n.* 17. *p.* 311.

Procuratio.

Jus procurationis non potest exigi ultra quod per consuetudinem statutum reperitur. *t.* 7. *l.* 1. *n.* 7. *p.* 300.

Jus procurationis non præscribitur, quota tamen præscribi potest. *ibid. n.* 8.

Jus procurationis debetur Episcopo ex Lege Diœcesana. *ibid. n.* 9.

Q

Quæstio.

NON semper quæstioni est habenda fides, & quæstio decerni solet citra præjudicium probationis ex indiciis & dictis testium. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 14. *p.* 328.

R

Recredentia.

IN causa Beneficiali sententia recredentiæ est executoria pendente appellatione. *l.* 3. *t.* 4. *n.* 8. *p.* 334.

Recusatio.

Jure Canonico si Judex Sententiam tulerit, & ab ea appellatum sit, Appellans appellatione pendente super aliis causis de novo emergentibus potest eum recusare. *l.* 1. *t.* 11. *n.* 7. *p.* 307.

Prælati cæterique qui vocantur ad Synodum, si sint suspecti, recusari possunt, & si non supersit numerus requisitus, causa transmittitur ad Papam. *ibid. n.* 8.

Causa recusationis in libello exprimi debet à recusante vel ejus procuratore speciale mandatum habente ante litem contestatam. *ibid. n.* 9.

Causa recusationis à Judice admittitur si sit justa, vel rejicitur si frivola judicetur. *ibid. n.* 10.

Certi sunt casus in quibus Judex recusatus non obstante recusatione propositâ potest procedere salvo jure recusantis. *ibid. n.* 11.

Regula.

Regulæ *de verisimili notitia & de publicandis resignationibus*, derogare non licet. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 22. *p.* 343.

Religiosus.

Papa aut Legatus Religiosis facultatem testandi dare non possunt. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 17. *p.* 342.

Papa solus habet potestatem dispensandi Religiosos professos, non verò Legatus. *ibid. n.* 18.

Reparatio.

Si de reparationibus Ecclesiæ agatur, executio sententiæ per appellationem retardari non debet. *l.* 3. *t.* 4. *n.* 4. *p.* 333.

Resignatio.

Papa & Legatus Beneficium vacans ex causa resignationis dare non possunt, nisi constet de mandato, nec clausulam *anteferri*, in litteris apponere. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 24. *&* 25. *p.* 343.

Reservatio.

In Beneficio dimisso Legatus permittere non potest Resignanti reservationem fructuum. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 8. *p.* 340.

Restitutio.

In causis Fori Ecclesiastici si agatur de restitutione in integrum Judex ex officio procedit sine mandato. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 30. *p.* 343.

Rex.

Rex Galliæ jus habet nominandi Abbatiis & Prioratibus Monasteriorum. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 13. *p.* 341.

Reus.

Excipiendo reus accusatus, accusatorem potest repellere sine onere inscriptionis objectu criminis gravioris aut paris. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 2. *p.* 326.

Reus interrogatur de omnibus contentis in libello querimoniali. *ibid. n.* 11. *p.* 328.

Si reus neget, Judex iterum interloquendo jubet testes iterum advocari. *ibid. n.* 12.

Si constet de delicto, Reus condemnabitur; sin minus absolvitur & relaxatur. *ibid. n.* 13.

S

Senatus.

SENATUS potest inhibere Judici Ecclesiastico cognitionem causæ Fori sæcularis sub pœna nullitatis. *l.* 3. *t.* 7. *n.* 7. *p.* 336.

Sententia.

Sententiæ Episcoporum executioni mandabantur, non sua authoritate, sed Principis sæcularis. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 4. *p.* 291.

Sententia noctu ferri non potest, nec in civilibus, nec in criminalibus. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 15. *p.* 329.

Sequestratio.

Si de re spirituali aut mixta controversia sit & ad Forum sæculare deducta non fuerit, Judex Ecclesiasticus sequestrationem decernere potest. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 5. *p.* 313.

Præceptum de solvendo Judex Ecclesiasticus decernere potest, & sequestratio & licitatio non nisi ex authoritate Judicis laïci fieri possunt. *l.* 3. *t.* 6. *n.* 2. *p.* 335.

Papa nec Legatus sequestrationem rei litigiosæ de-

cernere non possunt. *l. 3. t. 9. n. 27. p. 343.*

T

Testis.

CLERICUS testis productus coram Judice laïco etsi repellatur objectu criminis, ab eo inquiri potest ad probationem objecti, sed si crimen sit commune, causa remitti debet ad Judicem Ecclesiasticum. *l. 2. t. 3. n. 3. p. 316.*

Si Clericus falsum testimonium dixerit in judicio coram Judice laïco ab eo puniri potest. *ibid. n. 4. p. 317.*

Testes si sint suspecti reprobari debent. *l. 2. t. 5. n. 1. p. 323.*

Cum lex repellit testem odio ipsius, etiam reo non petente, Judicis officio repelli debet. *ibid. n. 2.*

Post publicata testificata, non licet Parti quæ petiit publicationem, novos testes producere, aut testificata reprobare. *ibid. n. 3. p. 324.*

Testes dicuntur uniformes, si conveniant in negotio principali, licèt differant in circunstantiis. *ibid. n. 8.*

Testes falsi morte puniuntur. *ibid. n. 9.*

Tortura.

Potest Judex Ecclesiasticus decernere quæstionem & torturam in reum negantem, si crimen sit atrox, modò utatur manu Laïcorum. *l. 1. t. 4. n. 4. p. 294.*

V

Visitatio.

EPISCOPUS visitando Diœcesim potest ubique querimonias audire & sententiam ferre de iis quæ in visitatione possunt expediri. *l. 1. t. 6. n. 2. p. 297.*

Episcopi habent jus visitandi suam Diœcesim, illisque jus procurationis debetur pro visitatione hujusmodi. *l. 1. t. 7. n. 6. p. 300.*

Unio.

Legatus ad unionem Beneficiorum procedere non potest, sed deputare debet Commissarios in Partibus. *l. 3. t. 9. n. 5. p. 339.*

INDEX MATERIARUM
TRACTATUS
DE JURE FEUDALI
ET EMPHYTEUTICO.

A

Albini.

ALBINI unde dicti. *l. 1. t. 8. n. 1. p. 357.*

Albinorum bona sine liberis morientium Fisco vindicantur. *ibid.*

In Albinorum successione Fiscus Dominum jurisdictionalem excludit. *ibid. n. 2. p. 358.*

Albinorum liberi in Gallia nati succedunt in successione patris. *ibid. n. 4.*

Alienatio.

Alienationem Vassalli factam in manus mortuas, Dominus potest revocare. *l. 4. t. 6. n. 1. p. 400.*

Allodium.

In allodiali loco si res servilis ut libera vænierit. *l. 2. t. 17. n. 2. p. 382.*

Appellatio.

Appellationum ressortum habent Duces & Comites. *l. 1. t. 19. n. 9. p. 366.*

Armandia.

Armandiæ quæ sint. *l. 1. t. 18. n. 4. p. 365.*

B

Bannalitas.

BANNALITAS in Molendinis aut Furnis acquiritur conventione Dominis, aut consuetudine. *l. 1. t. 5. n. 3. p. 355.*

Bannalis consuetudo servanda est. *ibid.*

Bannum in quibus casibus cesset. *ibid.*

Bannum.

Bannum & Retrobannum sunt pœnæ indictæ Vassallis

sallis. *l.* 3. *t.* 15. *n.* 1. *p.* 395.

Bastardi.

Bastardorum bona sine testamento morientium fiunt Fisci. *l.* 1. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 359.
In bonis Bastardi quando succedat Dominus. *ibid.*
Bastardi legitimati an succedant. *ibid. n.* 4.
Bastardis an legari possit. *ibid. n.* 5.

Bona vacantia.

Bona hæreditaria vacantia Domino acquiruntur cui Regalia cõcessa sunt. *l.* 1. *t.* 11. *n.* 1. *p.* 360.
Acquiruntur Domino Justitiario si alius sit Dominus Feudalis, alius Justitiarius. *ibid.*
Pro bonis immobilibus Dominus Justitiarius recognoscere debet Dominum directum. *ibid.*
In Bonis vacantibus Rex succedens debet indemnem præstare Dominum directum. *ibid. n.* 3.
Bestiæ deperditæ post tres proclamationes addicuntur Domino Justitiario loci. *l.* 1. *t.* 13. *n.* 1. *p.* 362.
Domino comparenti ante factam declarationem restituuntur. *ibid.*

C

Census.

Quid sit Census. *l.* 3. *t.* 1. *n.* 1. *p.* 384.
Census publicus & privatus. *Taille* Græcum vocabulum. *l.* 3. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 384.
Census privatus, alius Feudalis, alius Emphyteuticus. *ibid.*
Census, alius simplex, vel fundiarius, vel imposititius, vel emptitius. *ibid.*
Census ut probetur Feudalis, vel Emphyteuticus. *l.* 3. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 385.
Ut probetur emptitius & quid in dubio sit sentiendum. *ibid. n.* 2.
Census debet deferri ad domum Domini. *l.* 3. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 385.
Censûs solutionem non cogitur recipere Dominus, nisi ab ipso debitore. *ibid.*
Creditor Censûs constituti debet adire debitorem. *ibid.*
Census fundiarius non potest redimi. *ibid. n.* 2. *p.* 386.
Quando potest redimi. *ibid.*
Census emptus redimibilis est, nisi sit amortisatus. *ibid. n.* 3.
Censûs emptor non potest sortem repetere. *ibid. n.* 4.
Censûs empti debitor non potest conveniri nisi pro reliquis quinque annorum. *ibid. n.* 5.
Censûs fundiarii debitor convenitur pro reliquis triginta annorum, aut quadraginta. *ibid.*
Censûs debitor an possit solvere in futurum. *ib. n.* 6.
Census emptus non potest legitimum modum excedere usurarum. *ibid. n.* 7.
Censûs quotitas præscribitur. *l.* 3. *t.* 5. *n.* 2. *p.* 387.
Censûs debiti usuræ debentur à die petitionis factæ in judicio. *l.* 3. *t.* 7. *n.* 1. *p.* 389.
Non debentur fructuum usuræ nisi post interpellationem. *ibid.*
Contractus Censualis ob defectum formæ nullus aut rescindendus. *l.* 3. *t.* 8. *n.* 1. 2. & 3. *p.* 390.
Census Laudimialis non rescinditur ob modicitatem. *ibid. n.* 1.
Censûs reliqua debita sunt offerenda. *l.* 3. *t.* 9. *n.* 3. *p.* 391.
An debitor offerre debeat pensionem termini futuri. *ibid.*
De Censibus redimendis sententia Domini de Bellovalle. *l.* 3. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 391. & 392.
Census Laudimiales non sunt redimibiles. *ibid.*
Census fundiarii debitor liberatur dimissione fundi. *l.* 3. *t.* 11. *n.* 1. *p.* 392.

Columbarium.

Columbaria licet omnibus habere, nisi constet de titulo prohibitivo. *l.* 1. *t.* 6. *n.* 4. *p.* 357.

Commissum.

Commissi pœna in quibus casibus irrogatur. *l.* 7. *t.* 1. *n.* 1. 2. & 3. *p.* 429. & 430.
Quid in commisso observetur moribus Galliæ. *ibid. n.* 4.
Si Vassallus rem deteriorem faciat. *ibid.*

Confiscatio.

Bona confiscata acquiruntur Domino Justitiario. *l.* 1. *t.* 12. *n.* 1. *p.* 361.
In bonis repertis in suo territorio quilibet succedit Dominus si plures sint. *ibid.*
Bonorum mobilium confiscationes, & emendæ sunt in fructu. *ibid.*
Bonis Clerici confiscatis, mobilia acquiruntur Ecclesiæ, & immobilia Regi aut Domino Justitiario. *ibid. n.* 3.
Bona confiscata in crimine Læsæ Majestatis applicantur Fisco, Salvo jure Domini directi. *ibid. n.* 4.
Bona confiscata cum suo onere in cæteris criminibus. *idid. n.* 5.
Bona deportati non publicantur nisi sit expressum in sententia. *ibid. n.* 6.

D

Desertor.

Desertor non liberatur, nisi solvat reliqua Censûs debita. *l.* 7. *t.* 5. *n.* 2. *p.* 432.

Desertio.

Vassalli pactum de non deserendo est personale. *l.* 7. *t.* 5. *n.* 1. *p.* 432.
Desertor repetere non potest expensas necessarias, utiles aut voluptuarias. *ibid. n.* 3.

Doctoratus.

Doctoratus est Dignitas. *l. 2. t. 2. n. 1. p. 370.*

Dominus.

Domini & Vassalli judicantur ad paria, cùm Dominus injuriosè vexat Vassallum. *l. 7. t. 4. n. 1. p. 432.*

Dominus tenetur expensas ædificiorum præstare. *l. 7. t. 5. n. 3. p. 433.*

E

Emphyteusis.

EMPHYTEUSIS origo. *l. 1. t. 1. n. 1. p. 351.*

Emphyteutici contractûs effectus. *l. 2. t. 1. n. 1. p. 369.*

Ut differat à contractu Censuali. *ibid.*

Ut differat à Feudo. *ibid.*

Ad Ecclesiam res reversa sine nova solemnitate datur nisi fuerit diu incorporata Ecclesiæ. *l. 2. t. 3. n. 6. p. 371.*

Emptor non potest causare ignorantiam si res sita sit in loco servili. *l. 2. t. 17. n. 5. p. 383.*

Emphyteuta liberam habet facultatem alienandi. *l. 4. t. 2. n. 1. p. 397.*

F

Feudum.

FEUDORUM origo. *l. 1. t. 1. n. 1. p. 351.*

De Feudis consuetudines Mediolanensium. *ibid. n. 2.*

De Feudis Gallorum consuetudines. *ibid. n. 3.*

Feudum à fide. *l. 1. t. 2. n. 1. p. 352.*

Feudorum species variæ. *ibid. n. 1. & 2.*

In Feudum dantur res incorporales. *ibid. n. 3.*

Feuda Gardiæ. *ibid. n. 3. p. 352.*

In Feudo & Emphyteusi accipiens investitur. *l. 2. t. 2. n. 1. p. 369. & 370.*

Fidelitatis juramentum. *ibid.*

In Feudalis rei successione forma Investituræ attendenda. *l. 2. t. 5. n. 1. p. 372.*

In Feudis ex lege Salica non succedunt fœminæ. *ib.*

Feudum fœmineum. *ibid.*

In Feudi successione non admittuntur liberi naturales nec adoptivi. *ibid. p. 373.*

Liberi legitimi succedunt servatâ Gradûs prærogativâ. *ibid.*

In Feudis gradus succedentium vel non succedentium. *ibid. n. 3.*

Feuda patrimonialia sunt in Gallia. *ibid.*

Ordo successionis. *ibid.*

An Feudum retinere possit filius repudiatâ hæreditate Vassalli. *ibid. n. 5. p. 374.*

Fidelitatis juramentum præstari non solet per Procuratorem. *l. 2. t. 7. n. 1. p. 375.*

Fidelitatem non jurat Emphyteuta. *ibid.*

Fidelitatis & homagii præstatio ubi fieri debeat. *ibid. n. 4. p. 376.*

Dominus per Procuratorem potest Vassallum admittere. *ibid. n. 5.*

Rei Feudalis prehensæ Dominus non facit fructus suos nisi post secundum præceptum. *l. 2. t. 9. n. 1. p. 377.*

Si Dominus non doceat de jure suo manus injecta levatur. *ibid.*

Si res prehensa perierit in manu Domini an teneatur. *ibid.*

Dominus Emphyteuticus non facit fructus suos rei prehensæ. *ibid. n. 2.*

Pro Laudimio non fit manûs injectio. *ibid.*

Oppositio Vassalli suspendit executionem Domini, & pecuniâ depositâ res relaxatur. *idid. n. 3.*

Executio quæ fit pro Rege pecuniâ depositâ non retardatur. *ibid.*

Res Feudalis ad Dominum revertitur, bonis Vassalli publicatis. *l. 7. t. 3. n. 1. p. 431.*

Si Feudum sit novum liberis exclusis culpa Vassalli nocet liberis. *ibid.*

Si verò sit avitum, res Feudalis nepotibus conservatur. *ibid.*

Res Feudalis Regi acquiritur sine onere in crimine Læsæ Majestatis, secus in crimine Læsæ Majestatis divinæ. *ibid. n. 2. & 3.*

Feudo resoluto ex pacto, & finitâ lineâ, providentia dantis res redit libera ad Dominum. *l. 7. t. 8. n. 1. p. 435.*

Si Feudum sit hæreditarium transmissibile ad hæredes, onera imposita manent. *ibid. n. 2.*

Feuda alia dividua, alia individua. *l. 4. t. 1. n. 1. p. 396.*

Divisio facta inter Dominos non nocet Vassallo. *ibid. n. 2.*

Ut divisio fiat inter fratres Condominos. *ibid.*

De præcipuo primogeniti. *ibid.*

Divisio Vassallorum non nocet Domino. *ibid. n. 3.*

Feudum francum debetur à Plebeis pro bonis Feudalibus. *l. 4. t. 8. n. 1. p. 402.*

Feudi variæ causæ quibus finitur. *l. 7. t. 1. n. 1. p. 429.*

Rei Feudalis possessor liberatur re dimissâ. *l. 7. t. 5. n. 1. p. 432.*

Feudo limitato ad certam generationem finito, Dominus restituere debet hæredibus Vassalli expensas necessarias, utiles, & voluptuarias. *ibid. n. 4. p. 433.*

Feudum & Emphyteusis ex Providentia dantis, finiuntur post gradum generationis. *l. 7. t. 6. n. 1. p. 434.*

Defectu formæ. *ibid.*

Res Feudales cadentes in manus privatorum taleabiles sunt. *l. 7. t. 9. n. 1. p. 436.*

Res Feudales ad Dominum reversæ fiunt immunes à taleis jure Feudi. *ibid. n. 2.*

Flumen.

Flumina navigabilia. *l. 1. t. 5. n. 1. p. 354. & 355.*

Fluminum cura. *ibid.*

Ex Flumine publico non licet aquam derivare sine licentia Regis. *ibid.*

Fluminis ripæ usus publicus. *ibid.*

Flumina non navigabilia juris privati sunt. *ibid. n. 2.*

Quorum non licet aquam derivare per agros vicini sine ejus licentia. *ibid.*

Et licet Universitati pro usu publico. *ibid.*

G

Garæna.

GARÆNAS muratas plebeis habere licet. *l.* 1. *t.* 6. *n.* 5. *p.* 357.
In Garænis patentibus Domini non licet venari. *ibid.*

I

Infeodatio.

INFEODATIO sola non nobilitat. *l.* 4. *t.* 9. *n.* 1. *p.* 402.

Insula.

Insulæ in medio Fluminis publici Regis sunt, aut Vassalli. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 1. *p.* 355.

Inventor.

Lapilli pretiosi & Gemmæ fiunt inventoris. *l.* 1. *t.* 16. *n.* 3. *p.* 364.

Investitura.

Investitura ut fiat. *l.* 2. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 370.
In Investitura rei Ecclesiasticæ quæ forma servanda. *l* 2. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 370.
In Investituris Emphyteuticis jus accrescendi non habet locum. *l.* 2. *t.* 4. *n.* 2. *p.* 372.
In Beneficiis liberalitatis Imperialis jus accrescendi habet locum. *ibid. n.* 2.
In Feudis antiquis jus accrescendi aut succedendi habet locum. *l.* 2. *t.* 4. *n.* 2. *p.* 372.
In Feudis individuis jus accrescendi aut succedendi est. *ibid.*
Investituram debet petere hæres Vassalli. *l.* 2. *t.* 6. *n.* 1. *p.* 374. & 375.
Investituram non tenetur petere hæres ex moribus Galliæ. *ibid.*
Investituram debet petere successor singularis & jura debita solvere. *ibid. n.* 2.
Successor singularis pro reliquis authoris actione hypothecariâ convenitur. *ibid.*
Investitura peti potest per Procuratorem specialem. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 1. *p.* 375.
Investiri possunt plures per eundem Procuratorem. *ibid. n.* 2. *p.* 375.
Si plures sint Domini contendentes, licet Vassallo cui voluerit illorum se offerre. *ibid. n.* 3. *p.* 376.
Investituram Vassallo petere recusante & jura debita solvere, res ponitur in manu Domini. *l.* 2. *t.* 7. *n.* 1. *p.* 376.
Ut usus fuit manu dominica Philippus Valesius Galliarum Rex contra Eduardum Regem Angliæ. *ibid.*
Vassallus debet deponere si jus sit dubium. *ibid.*
Investitura non exigitur post triginta annos possessionis. *l.* 2. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 377. & 378.
Ecclesiastica possessio quadragenaria exigitur. *ibid.*
Investitura non probatur testibus. *l.* 2. *t.* 11. *n.* 1. *p.* 378.
Investitura ex quibus causis renovetur. *ibid.*
Investitura pendet ex facto Domini. *l.* 2. *t.* 12. *n.* 1. *p.* 378.
Investituram quis debeat exhibere. *ibid.*
Nisi Dominus sit fundatus in toto territorio. *ibid. n.* 3.
Quando Dominus præsumitur fundatus in toto. *ibid.*
Investituram debet exhibere Emphyteutæ Dominus Emphyteuticarius cum de re sita in loco allodiali agitur, aut priores recognitiones. *l.* 2. *t.* 14. *n.* 1. *p.* 379.
Investituræ exemplum quando probet. *l.* 2. *t.* 15. *n.* 1. *p.* 380.
Instrumenti exemplum antiquum probat. *ibid. n.* 3.
Quando dicatur antiquum. *ibid.*
In instrumento antiquo forma suppletur. *ibid.*

Jurisdictio.

Jurisdictio pars Regalium nobilior. *l.* 1. *t.* 19. *n.* 1. *p.* 365.
Jurisdictionis tres gradus, meri imperii, & mixti partes, simplex Jurisdictio. *ibid.*
Jurisdictio ordinaria & delegata. *ibid. n.* 2. *p.* 366.
Jurisdictio conceditur per Investituram. *ibid. n.* 3.
Jurisdictionem olim Vassalli per se exercebant. *ibid.*

Judex.

Judices debent esse Graduati. *l.* 1. *t.* 19. *n.* 4. *p.* 366.
Judices Ordinariorum suspecti in causis criminalibus si sint cognati vel affines Domini aut Fermarii *ibid.*
Judice recusato vel abstinente quis debeat occupare. *ibid. n.* 6 *p.* 366.
Judices Vassallorum amobiles. *ibid. n.* 7.
Jurisdictionem habent universalem Judices Vassallorum. *l.* 1. *t.* 20. *n.* 1. *p.* 367.
Excipiuntur causæ Fori Ecclesiastici. *ibid.*
Excipiuntur etiam casus Regii. *ibid.*

L

Læsio.

IN locatione perpetua, lex secunda *Cod. de rescind. vend.* non habet locum. *l.* 3. *t.* 8. *n.* 3. *p.* 390.
Ob læsionem Censûs emptori non subvenitur, nisi sit minor. *ibid.*

Laudimium.

Laudimia cui debeantur. *l.* 4. *t.* 4. *n.* 2. *p.* 398. & *l.* 5. *t.* 1. *n.* 1. & 2. *p.* 404.
An laudimium debeatur ex subfeodatione. *ibid. n.* 3. *p.* 398.
Laudimium non debetur ex venditione censûs in re oppignorata creditori. *l.* 5. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 405.
Laudimium non debetur ex venditione rei habenti censum in ea fine dominio directo. *ibid.*
An Laudimium supplementi supplere debeat emptor supplere volens. *ibid. n.* 12. *p.* 407.
Laudimium debetur Domino ex venditione aliove contractu in venditionem cadente. *l.* 5. *t.* 1. *n.* 2. *p.* 404.
An Laudimium debeatur ex collocatione creditoris. *l.* 5. *t.* 2. *n.* 14. & 15. *p.* 407.

Laudimium quando debeatur ex venditione in diem, vel sub conditione. *ibid. n.* 16.
Laudimium non debetur ex in solutum datione factâ pro jure legitimæ. *ibid. n.* 18.
An laudimium debeatur ex re æstimata mariti in dotem data. *ibid. n.* 17. & 19. *p.* 407. & 408.
An laudimium debeatur ex collocatione facta à marito pro dote, & usuris, & quinta parte. *ibid. n.* 20.
Laudimium debetur pecuniæ datæ pro supervalentia rei permutatæ. *l.* 5. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 408.
Laudimium non debetur ex institutione, legato, & donatione inter ascendentes & descendentes. *l.* 5. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 409.
Laudimium non debetur ab hærede extraneo; à legatario vel donatario extraneo debetur. *ibid.*
Laudimium debetur si hæres rem extraneo legatam pecunia redimat. *ibid.*
Laudimium non debetur ex alienatione necessaria. *l.* 5. *t.* 6. *n.* 1. *p.* 410.
Laudimium debetur ex locatione excurrente decennium. *l.* 5. *t.* 8. *n.* 1. *p.* 411.
Laudimium non debetur ex prima Investitura contractûs Emphyteutici. *l.* 5. *t.* 9. *n.* 1. *p.* 411.
Laudimium non debetur ex societate initâ inter Emphyteutam & Colonum. *ibid. n.* 3.
Laudimium debetur ex consuetudine. *l.* 5. *t.* 10. *n.* 1. *p.* 412.
Laudimium debetur ædificiorum constructorum. *ibid.*
Laudimium non debetur ex reversione rei ad dominum directum finito Feudo & Emphyteusi. *l.* 5. *t.* 12. *n.* 1. *p.* 412.
Laudimium non debetur ex commisso aut confiscatione, Feudo finito, & re reversa ad dominum. *ibid. n.* 2.
Pro laudimii taxa consuetudo loci est spectanda. *l.* 5. *t.* 13. *n.* 1. *p.* 413.
Quis sit modus hujus Provinciæ. *ibid.*
Si fraus intervenerit in pretio. *ibid. n.* 2.
Si onera fuerint adjecta loco pretii. *ibid. n.* 3.
Si cum universitate bonorum res sit vendita. *ibid. n.* 4.
Laudimii partem Condomino petenti sibi debitam gratia facta non obest Condomino. *l.* 5. *t.* 15. *n.* 1. *p.* 414.
Laudante altero condominus retinere potest. *ibid.*
Laudimium debetur domino usufructuario. *ibid. n.* 2.
Laudimium collocationis factæ pro dote constante matrimonio cui fermario debeatur. *ibid. n.* 3.
Laudimii futuri actio non præscribitur. *l.* 5. *t.* 16. *n.* 1. *p.* 414.
Laudimii præteriti actio præscribitur. *ibid.*
Laudimii gratiam si emptor obtinuerit. *l.* 6. *t.* 16. *n.* 2. *p.* 426.

Legitimatio.

Legitimati per rescriptum. *l.* 1. *t.* 10. *n.* 3. *p.* 359.

Locatio.

Locatio rei Ecclesiasticæ fit in triennium, rei prophanæ in quinquennium. *l.* 5. *t.* 8. *n.* 1. *p.* 411.

M

Manus mortuæ.

MANUUM mortuarum Rectores Regi indemnitatem præstant. *l.* 4. *t.* 7. *n.* 1. *p.* 401.

Mercator.

Mercatorum libris quando fides adhibenda. *l.* 2. *t.* 15. *n.* 2. *p.* 380.

Mineralia.

Mineralia in viscеribus terræ nullius sunt. *l.* 1. *t.* 16. *n.* 1. *p.* 363.
Mineralia investigare permittitur, denuntiato loci domino, salva parte Regis. *ibid.*

Molendinum.

Molendinum novum bannale non potest facere universitas in præjudicium Molendinorum à privatis prius constructorum. *l.* 1. *t.* 5. *n.* 2. *p.* 355.
Si duobus Molendinis aqua non sufficiat, quid statuendum. *ibid. n.* 4. *p.* 356.

N

Naufragium.

NAUFRAGANTES in rebus suis expiscandis non debent impediri. *l.* 1. *t.* 14. *n.* 2. *p.* 362.

O

Obligatio.

OBLIGATIO ad carceres in obligationibus perpetuis non valet. *l.* 3. *t.* 4. *n.* 8. *p.* 386.

Obsequium.

Obsequia in quibus consistant. *l.* 3. *t.* 12. *n.* 1. *p.* 393.

Operæ.

Operæ non debentur Patrono nisi ex pacto. *l.* 3. *t.* 13. *n.* 1. *p.* 394.

P

Piscatio.

PISCATIO permissa. *l.* 1. *t.* 6. *n.* 3. *p.* 356.
Piscandi jus & pedagii exigendi privilegio acquiritur vel usu. *ibid.*

Peagium.

Portoria non exigenda sine privilegio. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 2. *p.* 353.
Pedagii pœna qui liberentur. *ibid.*

Prælationis jus.

Jus Prælationis jus honorificum. *l.* 6. *t.* 1. *n.* 1. *p.* 416.
Pretium oblatum deponitur si emptor recuset. *l.* 6. *t.* 16. *n.* 3. *p.* 426.
Emptor recusans tenetur ad restitutionem fructuum. *ibid.*
Fructus maturi sunt emptoris non maturi dividuntur. *ibid. n.* 4. & 5.

Præscriptio.

Præscriptio.

In Præscriptione non fit extensio. *l.* 1. *t.* 12. *n.* 2. *p.* 367.
Possessio ut probetur. *ibid.*
Per præscriptionem jura dominica in re allodiali & libera acquiri possunt. *l.* 2. *t.* 16. *n.* 1. *p.* 381.
In præscriptione possessio tricennaria cum titulo & bona fide sufficit. *ibid. n.* 2.
In præscriptione subducuntur legitima impedimenta. *ibid.*
Præscribit tertius possessor contra Dominum & Vassallum. *ibid. n.* 3.
Præscriptione centum annorum gaudent Ecclesiæ. *ibid. n.* 4.
Præscribere non possunt Vassalli contra Dominum. *l.* 2. *t.* 17. *n.* 1. *p.* 32.
Præscribunt à die possessionis interversæ. *ibid. n.* 2. 3. & 4.
Possessio quando dicatur interversa. *ibid.*
Præstationes annuæ per decennium continuatæ obligant in futurum. *l.* 3. *t.* 5. *n.* 1. *p.* 387.
Possessio immemorialis tituli instar est. *ibid.*
Præscribitur quotitas Censûs. *ibid. n.* 2.
Non præscribitur Census feudalis. *ibid. n.* 3.
Præscribitur Census simplex. *ibid. n.* 4. *p.* 388.
Præscribitur Census contra Ecclesiam. *ibid. n.* 5.
Præscribit tertius possessor contra Ecclesiam. *ibid. n.* 6.
Privilegio eodem utitur universitas quo Ecclesia. *ibid.*
Præscriptio Censûs ut interrumpatur. *ibid. n.* 7.
In præscriptione non nocet tertio possessori confessio vel solutio venditoris. *ibid.*

Possessio.

Tertius possessor bonæ fidei de reliquis non solutis non tenetur nisi à lite contestata. *l.* 7. *t.* 5. *n.* 2. *p.* 432.

Publicanus.

Pœna publicani. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 4. *p.* 454.

R

Recognitio.

RECOGNITIÒ cur exigatur. *l.* 2. *t.* 12. *n.* 1. *p.* 378.
Recognitiones duæ probant investituram. *l.* 2. *t.* 14. *n.* 1. *p.* 379.
Recognitio una antiqua junctâ possessione sufficit. *ibid.*
Recognitio unica non habet vim tituli, nisi in eâ investitura fuerit exhibita. *l.* 2. *t.* 13. *n.* 1. *p.* 379.
Facta per modum transactionis tituli vim habet. *ibid.*
Recognitio facta per errorem probato errore retractatur. *ibid. n.* 2.

Regalia.

Regalia quid sint. *l.* 1. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 352. & 353.
Regalia majora & minora. *ibid.*
Regalia non continentur in investitura nisi sint expressa. *ibid. n.* 2. & 3.
Inter Regalia censentur res naufragio deperditæ, post spem recuperandi amissam. *l.* 1. *t.* 14. *n.* 1. *p.* 362.
Regalia acquiruntur consuetudine contra Regem. *l.* 1. *t.* 21. *n.* 1. *p.* 367.
Requiritur possessio centenaria non contraria præscriptioni. *ibid. p.* 367.
Ut possessio probetur in hac materia. *ibid. n.* 2.
Regalia amittuntur non usu. *ibid. n.* 3. *p.* 368.
Regalia inter se præscribunt Vassalli. *l.* 1. *t.* 12. *n.* 4. *p.* 367.

Retractus.

Ex retractu gentilitio aut dominico laudimium non debetur. *l.* 5. *t.* 2. *n.* 13. *p.* 405.
Retractus gentilitius habet locum in locatione perpetua, & retrahens non potest sortem extinguere. *l.* 5. *t.* 9. *n.* 2. *p.* 411.
Retractûs tempus currit post conditionis adventum. *l.* 6. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 417.
Retractus non admittitur ante diem, si venditio facta sit ex die. *ibid.*
Retractus in venditione facta à procuratore sine mandato non currit, nisi ratihabitione secutâ. *idid. n.* 2.
Retractus habet locum in venditione resolubili ex pacto adjecto legis commissoriæ, vel addictionis in diem, aut de retrovendendo. *l.* 6. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 418.
Non restituuntur pupilli minores tutorem vel curatorem habentes. *l.* 6. *t.* 5. *n.* 1. *p.* 418.
Adversus lapsum temporis Retractûs conventionalis minores non restituuntur. *ibid. n.* 2.
Non restituitur uxor. *ibid. n.* 3. *p.* 419.
Non restituuntur absentes si denuntiati fuerint. *ibid.*
Si denuntiati non fuerint intra decennium restituuntur. *ibid.*
In Retractu Feudali vel Emphyteutico restitutio non admittitur. *ibid. n.* 4.
Retractus conventionalis excludit legalem. *l.* 6. *t.* 6. *n.* 1. *p.* 419.
Retractus dominicus excludit gentilitium. *ibid.*
Qui sunt de linea Vassalli præferuntur domino. *ibid. n.* 2.
Retinere potest rem alter ex dominis solvendo jura debita condomino. *l.* 6. *t.* 7. *n.* 1. *p.* 420.
Retrahens partem retrahere non potest invito emptore. *ibid.*
Retrahere partem domino volente emptor potest à contractu recedere. *ibid.*
Si domini simul vendiderint alter uter retinere non potest. *ibid. n.* 2.
In procuratore retrahente speciale mandatum desideratur. *l.* 6. *t.* 8. *n.* 1. *p.* 420.
Maritus retrahens jure uxoris, acquirit uxori, non sibi. *ibid. n.* 2.
Si uxor non habeat bona adventitia, maritus censetur retrahere nomine proprio, non uxoris, licèt se maritum dixerit, & Magistrum bonorum. *ibid. n.* 3. *p.* 420.
Ad retrahendum admittuntur affines ex statuto hujus Provinciæ. *l.* 6. *t.* 11. *n.* 2. *p.* 422.
In Retractu gentilitio cognati admittuntur ordine successivo. *l.* 6. *t.* 9. *n.* 1. *p.* 421.
Retrahere potest Ecclesia ut alterum investiat. *l.* 6. *t.* 10. *n.* 2. *p.* 422.
Retractus conventionalis alteri cedi potest. *l.* 6. *t.* 11. *n.* 1. *p.* 422
Retractus dominicus Jure Communi cedi non potest, sed ex statuto potest. *ibid.*
Retractus gentilitius cedi non potest. *ibid. n.* 2.
In utroque retractu posthumi admittuntur. *l.* 6. *t.* 12. *n.* 1. *p.* 423.

Filii naturales non admittuntur. *ibid.*
Exhæredati ob justam causam non admittuntur. *ibid.*
Religiosi non admittuntur. *ibid.*
Adoptivi non admittuntur. *ibid.*
Habitantes extra Provinciam admittuntur. *ibid. n.* 3.
Retrahere potest filius alienata à patre. *ibid. n.* 2. *p.* 423.
Retrahere potest cessionarius domini, vel emptorem investire. *l.* 6. *t.* 13. *n.* 1. *p.* 423.
Subcessionarius domini potest laudimium exigere, non retrahere. *ibid.*
Cessionarius Regis potest jus retinendi sibi cessum alteri cedere. *ibid. n.* 2. *p.* 424.
Retractum gentilitium excludit emptor jus habens à Domino directo. *ibid.*
In Retractu gentilitio veniunt alia prædia eodem contractu, vel diverso vendita. *l.* 6. *t.* 14. *n.* 1. & 2. *p.* 424.
Retractu dominico vel conventionali retrahens non tenetur retrahere alia bona. *ibid. n.* 3.
Retractus gentilitius est gratiæ, conventionalis & dominicus Justitiæ. *ibid.*
Retractûs actio est in rem scripta contra rei possessorem. *l.* 6. *t.* 15. *n.* 1. *p.* 425.
In Retractu conventionali datur actio re evictâ. *ibid.*
In retractu gentilitio aut dominico non datur actio re evictâ. *ibid.*
Condictione Retractûs reus conveniendus est ubi inhabitat. *ibid. n.* 2. & 3.
Reus debet exhibere instrumentum emptionis, vel indicare Notarium. *l.* 6. *t.* 16. *n.* 1. *p.* 425.
Retrahens debet emptorem indemnem præstare. *ibid.*
Si res deterior facta sit in manu emptoris. *ibid.*
Retractus habet locum in datione in solutum necessaria facta ex Judicis decreto. *l.* 6. *t.* 17. *n.* 2. *p.* 427.
Retractus non habet locum in locatione temporali, nec in precariis. *ibid. n.* 3.
Retractus non admittitur in divisione facta inter Condominos prædii Feudalis vel Emphyteuticarii. *ibid. n.* 8.
Nec in legato vel donatione. *ibid.*
Nec in venditione Officiorum venalium. *ibid. n.* 9.
Nec in navi vendita. *ibid. n.* 10.
Nec in Machinis bellicis. *ibid. n.* 11. *p.* 428.
Nec in cuppis aut vasis vinariis. *ibid. n.* 10.
Retrahens an sibi præjudicet si præsens fuerit. *ibid. n.* 12.
A retractu gentilitio cognati arcentur ob graves inimicitias. *ibid. n.* 13.

S

Sal.

SALE nisi gabellato non licet uti in Gallia, pretio edicto Principis impositio. *l.* 1. *t.* 17. *n.* 1. *p.* 364.
Pro Salinarum Vectigali avaritia Lysimachi. *ibid.*
Pro Salinis Demetrii liberalitas. *ibid.*
Ex Salinis Romani Vectigalia exigebant. *ibid.*

Senator.

Senatorum appellatio à Rege. *l.* 1. *t.* 2. *n.* 3. *p.* 352.

T

Thesaurus.

THESAURUS non habet Dominum. *l.* 1. *t.* 15. *n.* 1. *p.* 363.
Thesaurus quibus acquiratur. *ibid. n.* 2.
In quibus casibus inventor non habet partem. *ibid. n.* 3.
Pecunia amissa Domino restituenda. *ibid. n.* 4.

Trapesitæ.

Trapesitarum libris fides adhibetur. *l.* 2. *t.* 15. *n.* 2. *p.* 380.

Tributum.

Tributorum tria genera. *l.* 1. *t.* 18. *n.* 1. *p.* 364.
Centesima rerum Venalium. *ibid. n.* 2.

V

Vassallus.

VASSALLI non sunt taleabiles suis Dominis. *l.* 1. *t.* 18. *n.* 3. *p.* 364.
Vassalli non possunt Judicaturas vendere nec oppignorare. *l.* 1. *t.* 19. *n.* 8. *p.* 366.
Vassallus durante lineâ non potest alienare. *l.* 4. *t.* 2. *n.* 1. *p.* 397.
Proximior de linea potest revocare à remotiori intra annum. *ibid.*
Qui sunt de linea possunt revocare intra triginta annos ab extraneo. *ibid.*
Vassallus alienans inconsulto Domino incurrit pœnam commissi ut Emphyteuta. *l.* 4. *t.* 3. *n.* 1. *p.* 398.
Vassallus potest dare rem Feudalem in retrofeudum. *l.* 4. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 398.

Vectigal.

Vectigalia nova Rectores Provinciarum sine jussu Principis non possunt imponere. *l.* 1. *t.* 18. *n.* 2. *p.* 364.

Venatio.

Venatio juris gentium. *l.* 1. *t.* 6. *n.* 1. *p.* 356.
Venatoris non est fera nisi capta sit. *ibid.*
Venatio solis Nobilibus permissa in Gallia. *ib. n.* 2.
Venatio ferarum nocentium omnibus permissa. *ibid.*

Via.

Viæ publicæ Regiæ. *l.* 1. *t.* 4. *n.* 1. *p.* 353.
Viarum publicarum ad quos spectet cura. *ibid. n.* 2.

Finis Tabulæ Materiarum.



PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conseil, Prévôt de Paris, Baillifs, Senéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra, SALUT. JEAN-FRANÇOIS CARANOVE Libraire à Toulouse Nous ayant fait remontrer qu'il desireroit faire imprimer un Livre intitulé *Tractatus de Beneficiis & Censuris Ecclesiasticis, ad usum utriusque Fori Auctore* MELCHIORE PASTORE. *Liber posthumus de Bonis Temporalibus Ecclesiæ acquirendis & conservandis : Liber de Jurisdictione Ecclesiastica, de Casibus privilegiatis, & de Appellationibus ab abusu cum additionibus & Scholiis* JOANNIS SOLIER. *Synopsis Juris Feudalis & Emphyteutici ad usum utriusque Fori Galliæ ejusdem Regni Parlamentorum Senatusconsultis confirmatum*, s'il Nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Privilege sur ce necessaires : Nous avons permis & permettons par ces Presentes audit Caranove de faire imprimer lesdits Livres en telle forme, marge, caractere, en un ou plusieurs Volumes, & autant de fois que bon lui semblera, & de les vendre, faire vendre & debiter par tout nôtre Royaume pendant le tems de six années consecutives, à compter du jour de la date desdites Presentes. Faisons défenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de nôtre obéissance, & à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, debiter ni contrefaire lesdits Livres, en tout ni en partie, sans la permission expresse, & par écrit, dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant, & de tous depens, dommages & interêts : A la charge que ces Presentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles ; que l'impression desdits Livres sera faite dans nôtre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie ; & qu'avant que de les exposer en vente il en sera mis deux Exemplaires dans nôtre Bibliotheque publique, une dans celle de nôtre Château du Louvre, & un dans celle de nôtre très-cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur PHELYPEAUX, Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des Presentes ; du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposant ou ses ayant cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement : Voulons que la copie desd. Presentes, qui sera imprimée au commencement ou à la fin desdits Livres, soit tenuë pour duëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, foi soit ajoûtée comme à l'Original : Commandons au premier nôtre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & necessaires, sans demander autre permission ; & nonobstant Clameurs de Haro ; Charte Normande & Lettres à ce contraires : Car tel est nôtre plaisir. Donné à Versailles le onziéme jour de Mai, l'an de grace mil sept cens dix, & de nôtre Regne le soixante-septiéme : Par le Roi en son Conseil, FOUQUET.

Registré sur le Registre N°. 3. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 16. N°. 16. conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrêt du 13. Août 1703. à Paris le 17. Mai 1710.

DELAUNAY, Sindic.

ERRATA.

PAgin. 9. lin. 44. Episcopus Diœsanus, *lege* Diœcesanus. *p.* 11. *l.* 1. 1. col. nov. add. curatum, *lege* curatam. *p.* 15. *l.* 6. 2. col. in not. vocare, *lege* vacare *p.* 17. *l.* 28. 1. col. alius, *lege* alias. *p.* 20. *l.* 4. 1. col. Surronus, *lege* Summus. *p.* 24. *l.* 27. 1. col. nov. add. qua, *lege* quas. *p.* 34. *l.* 21. 1. col. in add. de supplem. negligentiæ, *lege* de suppl. neglig. *p.* 26. *l.* 2. 1. col. in not. confundantur, *lege* confunduntur *p.* 37. *l.* 13. 1. col. nov. add. post verbum *de electione*, adde *tertiò*. *p.* 37 *l.* 27. 2. col. nov. add. *lib.* 3. *cap.* 21. lege *lib.* 5. *cap.* 51. *ib. l.* 38. *lib.* 3. *cap.* 53. *lege Lib.* 5. *cap.* 51. *p.* 40. *l.* 12. Ordinarios, *lege* Ordinario. *p.* 41. *l.* 1. 2. col. in add. proventuum annum, *lege* proventûs annui. *p.* 48. *l.* 2. 2. col. nov. add. Cabasus, *lege* Cabassutius. *ibid. l.* 6. 2. col. *d. quæst.* 4. lege *d. quæst.* 10. *p.* 60. *l.* 12. Ordinariis, *lege* Ordinarius. *p.* 68. *l.* 14. 1. col. nov. add. jure, *lege* re. ead. pag. in summario VIII. *lege* cod. n. 7. §. 4. *p.* 6. *l.* 41. obstantiæ, *lege* obstantia, *ibid. l.* 51. da, *lege* de. *p.* 73. n. 12. 13. 14. 15. in summario, *lege* tantum, n. 12. *& ibid.* n. 16. *lege* 13. *ibid.* n. 17. *lege* 14. *p.* 76. *l.* 28. surrogandis, *lege* subrogandis. *ibid.* post n. 4. tit. 7 in summario *adde* n. 5. & *lege* qui vi & violentia occupat Beneficium, *& ibid.* n. 5. *leg.* n. 6. & n. 4. *lege* 7. *p.* 82. *l.* 10. 2. col. in add. post verbum *Gallia*, adde *decreto*. *p.* 85. in summario n. 3 *lege* n. 3. & 4. *p.* 86 in summario tit. 13. n. 23. *lege* n. 2. *ibid.* n. 45. *lege* n. 3. *ibid.* n. 6. *lege* n. 4. & post adde n. 5. & *lege* ut provisus mittitur in possessionem. *p.* 88. *l.* 1. & 5. 1. col. nov. add. possessionem fidei *lege* professionem fidei *ibid. l.* 2. 2. col. nov. add. quia *lege* quis. *ibid. l.* 34. qui, *lege* quis. *p.* 89. in summario tit. 14. n. 1. 2. 3. *lege* n. 1. *ibid.* n. 4. *lege* cod. n. 1. §. 1. *ibid.* n. 5. *lege* n. 2. *ibid.* n. 6. *lege* n. 3. *p.* 107. *l.* 11. repondi, *lege* repetendi. *p.* 110. *l.* 7. damnoso, *lege* damnosa. *p.* 113. *l.* 19. 1. col. in not. sex, *lege* sed. *p.* 122. *l.* 1. post verbum Doctorum, *adde* litteram *(f)* *ibid. l.* 21. procuratis, *lege* procuratoris. *p.* 129. *l.* 24. 2. col. de anno 1834. *lege* de anno 1634. *p.* 130. *l.* 11. in add. controversis, *lege* controversiis. *p.* 139. *l.* 19. in add. juxta, *lege* justa. *p.* 236. *l.* 4. in not. infra, *lege* intra. *p.* 237. *l.* 15. in add. *cap. tunc nullus*, lege *cum nullus*. *p.* 144. *l.* 1. spiritualis, *lege* spirituales. *p.* 149. *l.* 7. 1. col. solutiones, *lege* solutione. *p.* 152. *l.* 12. Ecclesiam, *lege* Ecclesiæ. *p.* 155. *l.* 7. 2. col. statum, *lege* statutum. *p.* 161. *l.* 28. 2. col. constituunt, *lege* constituto. *p.* 166. *l.* 6 contracto, *lege* contractu. *p.* 171. *l.* 1. admittitur, *lege* adimitur. *p.* 177. *l.* 8. tit. 22. ætatis, *lege* ætas. *p.* 179. *l.* 7. Ordinatarii, *lege* Ordinarii. *p.* 180. ultimam 1. col. lineam pone ultimam. 2. col. in addit. *p.* 183. *l.* 6. primam est: *lege* prima est. *p.* 187. *l.* 135. 1. col. nov. add. curam, *lege* curiam. *p.* 195. *l.* 8. in casu vocationis, *lege* in casu vacationis. *p.* 197. *l.* 18. 1. col. nov. add. infami, *lege* infamia. *p.* 239. *l.* 12. 1. col. nov. add. quartò, *lege* quintò. *ibid. l.* 9. 2. col. turpia, *lege* turpes. *p.* 243. *l.* 5. 2. col. nov. add. regulariæ, *lege* regularia. *p.* 253. *l.* 42. diversitas, *lege* diversitatis. *p.* 289. *l.* 1. tit. 1. Ecclesia, *lege* Ecclesia. *p.* 304. *l.* 20. habent, *lege* habet. *p.* 309. tit. 1. in summ. num. IV. Laici, *lege* Laïco. *p.* 344. tit. X. in summ. num. III. udicis, *lege* Judicis. *p.* 351. *l.* 6. une, *lege* unde. *p.* 362. tit. XIV. in sum. num. II. debet, *lege* debent. *p.* 398. *l. ult.* postre, *lege* potest. *p.* 403. *l.* 21. compensationem, *lege* compensatione. *p.* 408. *l.* 28. eb, *lege* ab. *p.* 414. *l.* 3. & 4. possoribus, *lege* possessoribus. *p.* 418. *l.* 1. retrovendo, *lege* retrovendendo.

BIBL... UNIVERSITAIRE DE TOULOUSE